IUS NATURALE REBUS CREATIS A DEO CONSTITUTUM. EX OBSERUATIONE...

Yves : de Paris, Timbro non identificato

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
8 G
8 H

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14 – 11. h. 6.

44.1.1.
44
3
1
44
4
1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IVS
NATVRALE

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

IVS NATVRALE REBVS CREATIS A DEO CONSTITVTVM.

IHS BIBL·S.EC·COLL·ROM·SOC·IESV

EX OBSERVATIONE P. IVONIS PARISINI
Ordinis Capucinorum S. Franciſci.



PARISIIS,
Apud Viduam & DIONYSIVM THIERRY, viâ Iacobeâ, ſub ſignis S. Dionyſij, & ciuitatis Pariſienſis.

M. DC. LVIII.

Cum Priuilegio Regis, & Doctorum Approbationibus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

IMPRIMENDI LICENTIA.

F. Simplicianus à Mediolano Ordinis FF. Capucinorum Generalis Miniſter, licet immeritus
R^do in Chriſto Patri Iuoni Pariſino eiuſdem Ordinis Concionatori & Exdefinitori. S.

CVm à duobus prædeceſſoribus noſtris. R. P. V. alias impertita fuerit licentia generalis, vt quæcumque componeret opera, à duobus ordinis noſtri Theologis prius reuiſa & approbata prelo committere poſſet, & eiuſdem conceſſionis confirmationem poſtulet à nobis: id ipſum æquum ducentes, Præſentium litterarum virtute prædictam facultatem à prædeceſſoribus noſtris elargitam, confirmamus atque impartimur. In quorum fidem præſentes officij noſtri ſigillo munitas, & manu propria ſubſignatas, Dedimus Romæ, pridie nonas Septembris. 1656.

F. Simplicianus Miniſter General.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EGo infra ſcriptus Prouincialis Prouinciæ Pariſienſis fratrum minorum Capucinorum viſa licentia Ad. Reuer. Patris Generalis ordinis noſtri qua permittitur R. P. Iuonj Pariſino Concionatori eiuſdem ordinis, & Prouinciæ Parienſis ex deffinitori, typis mandare librum, cui titulus eſt, Ius Naturale rebus creatis à Deo conſtitutum, Inhærendo ſupradictæ licentiæ, conſentio quantum in me eſt, vt executioni mandetur, ſeruatis inſuper omnibus aliis de iure ſeruandis. Datum Pariſiis die 3. Ianuarij 1658.

F. Nicolaus Prouincialis in.

Digitized by Google

Approbatio Theologorum Ordinis Capucinorum.

EGo Frater Seuerinus de Morlais Prouincialis Capucinorum Britanniæ ex mandato Reuer. ad. P. Generalis attentè legi librum hunc, cui titulus eſt *Ius Naturale* à R. P. Iuone Pariſino compoſitum, & miratus ſum materiæ, formæ, & ſtyli ordinatam venuſtatem, quæ ita multiformis ſapientiæ Dei myſteria humano aptat ingenio, & Dei conſilio, vt dum mens inſtruitur, piè moueatur in Deum affectus. Scriba doctus profert de theſauro ſuo noua & vetera, diuina & humana quæ iuri publico concedit, ſicque typis perpetuis mandandum cenſeo, ad Dei gloriam & hominum perfectionem. In conuentu noſtro Rhedonenſi, die 26. Decemb. an. 1656.

F. Seuerinus qui ſupra.

NOs F. Ioſephus Vitrienſis Concionator Capucinus, in Prouincia Britanniæ Definitor, nec non Conuentus Rhedonenſis Guardianus, librum cui titulus eſt *Ius Naturale* rebus creatis à Deo conſtitutum, Ex obſeruatione R. P. Iuonis Pariſini ordinis noſtri concionatoris, diligenter euoluimus, nec modo omnia quæ in eo continentur, fidei catholicæ & bonis moribus non diſſentanea reperimus, verum authoris pietatem & doctrinam, tot iam voluminibus teſtatam, in hoc potiſſimum opere conſpicuam aduertimus; dum enim cuncta ad primum principium, vltimumque finem Deum reducit, non ſolum naturalis, ſed etiam diuini iuris patrocinium ſuſcepiſſe dicendus eſt: Vnde ſummam rei Chriſtianæ iniuriam fore cenſuimus, ſi tam præclarum opus, tot onuſtum diuitiis typis non mandaretur. Hoc ergo teſtimonium authori, libroque naturali iure debitum læti ſubſcripſimus in conuentu noſtro Rhedonenſi die 2 Aprilis an. 1657.

F. Ioſephus Vitrienſis Concionator Capucin.

Digitized by Google

Liber hic de iure Naturali R. P. Iuonis Exdefinitoris à nobis acuratè perlectus, in nullo à fide Catholica Apoſtolica & Romana diſſentire viſus eſt, ſed elegantem naturæ ex Intelligentia numquam non operantis imaginem exhibere, eiuſdem latentes leges, quibus vniuerſus ſubſiſtit mundus, moribus congruentiſſimè accommodatas proponere. Publica ſubinde luce dignum opus iudicamus, ipſo authoris nomine, haud minus quam rerum copia, ſtyli nitore, & methodi nouitate commendatum. In conuentu Capuc. Pariſienſi ad paludes. Die 21 Nouemb. an. 1657.

F. Hieronimus Senonenſis, eiuſdem Conuentus Guardian. Definitor & Theologiæ Profeſſor.

F. Martialis Ricomagenſis. Capuc. Sacræ Theologiæ Lector.



Digitized by Google

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV, ROY de France & de Nauare. A nos amés & feaux Conſeiliers, les gens tenans nos Cours de Parlemens, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, ou leurs Lieutenans, & à tous autres nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre cher & bien amé le R. P. Yues de Paris Predicateur Capucin, nous a tres-humblement fait remonstrer qu'il a nouuellement composé vn liure intitulé, *Ius Naturale*, lequel il deſireroit faire imprimer & mettre au iour, s'il nous plaiſoit luy vouloir permetre; Nous requerant pour cette fin luy octroyer nos Lettres ſur ce neceſſaires. A CES CAVSES ne voulant priuer le public d'vn ſi bel Ouurage Nous luy auons permy & octroyé, permettons & octroyons de faire imprimer ledit Liure Intitulé *Ius Naturale*, par tels Libraire que bon luy ſemblera, pour iceluy vendre & debiter en tel volumes, marges & caracteres qu'il auiſera bon eſtre, pendant l'eſpace de dix anneés, à commencer du iour que ledit Liure aura eſté acheué d'imprimer pour la premiere fois; faiſant tres expreſſes inhibitions & deffences à toutes perſonnes quels qu'ils ſoient, d'imprimer ou faire imprimer, en tout ou en partie, vendre, debiter, contrefaire ou en apporter de contrefaits des pays Eſtrangers aucun exemplaire deſdits Liures, en quelque langue ou maniere que ce ſoit, ſans le conſentement dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de trois mil liures d'amende, & de tous dépens, dommages, & intereſts, auec confiſcation des Exemplaires contrefaits, à la charge d'en mettre trois exemplaires; Sçauoir, deux en noſtre Bibliotheque, & vne en celle de noſtre cher & feal Cheualier le ſieur Seguier Chancelier, Duc de Villemor, &c. auant que de l'expoſer en vente, ſuiuant noſtre reglement. Si vous mandons que des preſentes vous ayez à faire ioüir ledit Expoſant, plainement & paiſiblement, contraignant tous ceux qu'il appartiendra par toutes voyes deuës & raiſonnables. CAR tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Paris le 15. iour de Fevrier 1658. Et de noſtre Regne le 15. Par le Roy en ſon Conſeil. Signé, ROVE.

Le R. P. Yues a cedé & tranſporté le Priuilege cy-deſſus, à la veufue Denis Thierry, & à Denis Thierry ſon fils, pour en ioüir le temps porté par iceluy. Fait ce 18. Feurier 1658.

Les Exemplaires ont eſté fournis. Et la premiere Impreſſion acheuée le 16. Mars 1658.

Digitized by Google

INDEX
LEGVM IVRIS NATVRALIS.

Præfatio. pag. 1.

CAPVT VNICVM.

BIBL. NAZ. ROMA ... EMANUELE

Lex naturæ eſt à Deo. §. 1. pag. 9

Naturæ lex eſt vniuerſalis. §. 2. pag. 12

Lex naturæ eſt æternæ veritatis. §. 3. pag. 17

LIBER PRIMVS.
DE CAVSIS ET RERVM PRODVCTIONE.

Præfatio. pag. 20

Vnum eſt ante multa.

Lex 1. §. 1. pag. 21

Vnitas eſt in multitudine. §. 2. pag. 22

Aſcenſio mentis ab vnitate corporea ad diuinam. §. 3. pag. 23

Mundus ab vnitate diuina creatus & ordinatus. §. 4. p. 24

Vnitas diuina ſupra multitudinem, multis expreſſa nominibus. §. 5. pag. 26

Digitized by Google

Supra mobilem & multiformem rationem, eſt vnus intimus Dei ſenſus. §. 6. pag. 27
Vnitas Religioſa. §. 7. pag. 28
Vnitati diuinæ & mundanæ cætera nituntur conformari. §. 8. pag. 30.

Oportuit mundum conſtare multis, diuerſis etiam contrariis quæ venirent in vnionem.

Lex 2. pag. 34
Infinitatem æmulatur multitudo. §. 1. pag. 35.
Multitudinis complementum eſt differentia. §. 2. pag. 37
Grata & vtilis diuerſitas. §. 3. pag. 38
Diſſimilitudinis extremum eſt contrarietas. §. 4. p. 41
Rerum principia ſunt inter ſe contraria. §. 5. p. 42
Ex æquali principiorum reſiſtentia nihil fieret, ex inæquali procedit actio temperata. §. 6. p. 44
Contrariorum vnione ſtat vniuerſum. §. 7. p. 47

Primæ cauſæ ſubordinantur inferiores.

Lex. 3. p. 50
Primæ cauſæ proximiores ſunt perfectiores. §. 1. p. 51
Spiritualia præſunt corporeis. §. 2. p. 57
Extrema mediis interiectis connectuntur. §. 3. p. 60

Omnia ſunt in omnibus.

Lex. 4. pag. 66
In cœleſtibus partes referunt totum. §. 1. p. 66
Elementa ſunt in ſe mutuo. §. 2. p. 67
Homo compendium eſt mundi. §. 3. p. 69

Digitized by Google

Quidquid exiſtit, agit, & vult eſſe cauſa.

Lex 5.

Non eſt vnicum ſolum agens in mundo. pag. 71

Agunt ſingula formæ ſuæ & cauſarum ſuperiorum iunctis viribus. §. 1. pag. 72

§. 2. pag. 72

Agit natura propter finem.

Lex 6.

pag. 76

Elementa, ſua loca ſuaſque qualitates ſibi vindicant. §. 1. p. 76

Animalium formatio fit propter actionem, actio propter conſequutionem boni conuenientis. §. 2. pag. 77

Aberrationes inſolitæ probant conſuetum ordinem. §. 3. p. 79

Cuiuſlibet agentis naturalis limitata eſt poteſtas.

Lex. 7.

pag. 81

Ipſæ rerum eſſentiæ potentiis limites ponunt. §. 1. p. 81

Sunt quædam ſingulares potentiæ rebus agendis commenſuratæ. §. 2. pag. 83.

Potentiæ præſcriptis loci limitibus coërcentur. §. 3. p. 85

Ad tempus conceſſæ ſunt hic omnes potentiæ, illæque vel alternant vel concidunt. pag. 88

Cauſæ vniuerſales vt neceſſarium, ſic communem æqualem, continuum influxum ſibi ſubditis inferioribus largiuntur.

Lex. 8.

pag. 92

Inferioribus neceſſarius eſt cauſæ ſuperioris influxus. §. 1. p. 92

Homines ad perfectionem & ad Deum ſine Deo non veniunt. §. 2. pag. 96.

Quod neceſſarium eſt, etiam commune & expoſitum eſt. §. 3. p. 100

Gratia Chriſti omnibus ad ſalutem neceſſaria, etiam omnibus communis eſt. §. 4. pag. 102

Cauſa ſuperioris æqualis eſt in inferiores influxus. §. 5. p. 105

Superiora ſemper adſunt inferioribus. §. 6. p. 107

Digitized by Google

Inſciis, etiam ingratis & inuitis inferioribus auxiliantur ſuperiora.

Lex 9. *pag. 110*
Neſcientibus ex alto bona contingunt. *§. 1. pag. 110*
Bonum non ſe negat ingrais. *§. 2. pag. 114*
Inuitis præſtatur auxilium. *§. 3. pag. 118*

Cauſæ ſuperiores ſuos habent effectus pro diuerſa recipientium diſpoſitione.

Lex 10. *pag. 122*
Vis eadem in diuerſa materia tranſit in varios, vel contrarios effectus. *§. 1. p. 123*
Vis ſuperior aptè recepta ſurgere poteſt in effectum naturæ ſingulari ſuperiorem. *§. 2. p. 125*
Mala bonis permixta ſunt. *§. 3. p. 128*
Mala bonus in bonum vertit. *§. 4. p. 131*
Bona malus vertit in malum. *§. 5. p. 133*

Mundo rebuſque ſingulis natura ſeu diuina lex imperat.

Lex 11. *pag. 135*
In neceſſariis imperium naturæ merum eſt. *§. 1. p. 136*
Voluptas allicit in bonum. *§. 2. p. 138*
Dolor & vis exigit, quod aliàs ſponte non fieret. *§. 3. p. 142*
Permittuntur quæ non multum nocent. *§. 4. p. 143*
Imperantis poteſtatis eſt, aliqua præter conſuetum ordinem indulgere. *§. 5. p. 145*

Publica priuatis ſunt præferenda.

Lex 12. *pag. 151*
Pars vniuerſo ſuo debet congruere. *§. 1. p. 152*

Digitized by Google

Partium virtus in totius gloriam refunditur. §. 2. p. 155
Bono publico non poteſt derogari. §. 3. p. 158
Pars exponitur & patitur pro ſalute totius. §. 4. p. 163
Quæ bono publico nocent, expelluntur aut deſtruuntur. §. 5. p. 166

Cauſæ vniuerſales ſupplent defectus ſingularium.

Lex 13. p. 170
Cauſa particulari deficiente ſuccurrit vniuerſalis. §. 1. p. 171
Cauſa vniuerſalis immediatè poteſt obire munus ſingularis ipſa præterita. §. 2. pag. 174
Qui poteſt plus, poteſt minus. §. 3. pag. 179

Cauſæ ſuis effectibus ſunt præſtantiores antiquitate, virtute, beneficio.

Lex 14. pag. 181
Antiquitas ſeu prioritas eſt legitimus prælationis & excellentiæ titulus. §. 1. p. 182
Cauſæ ſuperioris virtus eminet. §. 2. p. 185
Principiorum beneficentia cæteris eſt excellentior. §. 3. p. 188

Agens agit ſibi ſimile.

Lex 15. pag. 191
Cauſæ vniuerſales non formas ſed qualitates ſuas imprimunt inferioribus. §. 1. p. 192
Ineſt rebus omnibus ſe propagandi deſiderium. §. 2. p. 197
Mutuus eſt inter vtrumque ſexum amor. §. 3. p. 200
Amor ſi excedit, torquet, temperatus ad omnia felix eſt. §. 4. pag. 203.
Amor conſortem non patitur. §. 5. pag. 208
Illibata debet eſſe coniugij fides. §. 6. pag. 212
Perpetuum ſit coniugii fœdus. §. 7. pag. 215

Digitized by Google

Debilia ſunt rerum optimarum initia.

Lex. 16. *pag. 218*
Initia generabilium ſunt mole parua; virtute maxima. *§ 1. p. 219*
Diutius duratura & præſtantiora lentè natura perficit *§. 2. p. 221*
Indulgendum debilibus rerum initiis. *§. 3. p. 224*
Ab ortu tenera formanda ſunt. *§. 4. p. 227*
Ex initiis pendent ſequentia. *§. 5. p. 229*

Parentes infirmos ſuos fœtus amant fouent, educant.

Lex 17. *pag. 232*
Inſignis eſt parentum amor pro fœtus ſui tutela. *§. 1. p. 232*
Matris tenerior & intimior eſt affectus. *§. 2. pag. 235*
Matres nutrices filiorum. *§. 3. pag. 238*
Ad patrem pertinet præcipua liberorum inſtitutio. *§. 4. p. 239*

Nata beneficas ſibi cauſas agnoſcunt.

Lex 18. *pag. 242*
Omnia conuertuntur ad cauſas ſibi profuturas vt ab illis accipiant. *§. 1. p. 243*
Nata cauſis ſuis beneficis gratitudinem exhibent. *§. 2. p. 245*

Effectus contingentes & degeneres non lædunt cauſæ ſuæ nobilitatem.

Lex 19. *pag. 248*

Natura quantum licet facit quod melius eſt.

Lex 20. *pag. 251*
Cauſa principali, vel conſueto procedendi modo deficiente, ſimile quid ſubſtituit. *§. 1. pag. 254*

Digitized by Google

In realis præſentiæ defectu, quod optat natura conſequitur per imagines. §. 2. *pag.* 256

LIBER SECVNDVS.

DE RERVM CONSERVATIONE & augmentis.

Præfatio. pag. 261

Rebus à ſuis cauſis inſita ſunt quædam permanentiæ principia.

Lex 1. *pag.* 263
Corpora ſenſibilia ne diffluant agendo, ſolidis nituntur fundamentis. §. 1. *pag.* 263
Vis interior præcipuum eſt in rebus permanentiæ principium. §. 2. *pag.* 265.
Rerum præcipua vis eſt in medio. §. 3. *pag.* 267

Quærunt omnia bonum ſibi conueniens quo poſſint conſeruari.

Lex 2. *pag.* 269
Viuentibus innatus eſt amor ſui, ſuæque conſeruationis. §. 1. *pag.* 270.
Innatus eſt boni conuenientis ſenſus & appetitus. §. 2. *p.* 273
Corpus fertur in locum ſui conſeruatiuum. §. 3. *pag.* 276
Vnumquodque ſeipſum præfert alteri. §. 4. *p.* 278
Prius neceſſariis prouidetur. §. 5. *pag.* 283

Nihil fit vel agit ſeipſo, ſed indiget auxiliis.

Lex 3. *pag.* 286
Inſitæ ſunt rebus ad ſui perfectionem potentiæ. §. 1. *pag.* 287

Digitized by Google

Res non minus patiendo, quam agendo perficiuntur. §.2.p.288

Agens congruis inſtructum eſſe debet mediis & inſtrumentis.

Lex 4. *pag.292*
Nihil rectè fit ſine congruis organis. §.1.pag.293
Qui dat rem, dat & apta ad illam media. §.2.pag.296
Mediorum & inſtrumentorum multitudo ſecurior. §.3.pag.298
Bona, bonis mediis quærenda ſunt. §.4.pag.300
Illuſtria, mediis illuſtribus perficiuntur. §.5.pag.303
Perpetua conuenit eſſe media, quæ vſu non atteruntur, ſed perficiuntur. §.6.pag.306
Mutantur aut repudiantur media, cum eſſe deſierint vtilia. §.7.pag.310.
Quod eminet poteſt agere vel nullis vel paucis adhibitis mediis. §.8.pag.312.
Expedit aliquando vim ſuperiorem per media diſpenſari. §.9.pag.314.

Motu cuncta ſeruantur & proficiunt.

Lex 5. *pag.316*
Omnia conſtant motu & quiete. §.1.pag.317
Quiete motus temperatur. §.2.pag.319
Plus eſt motus quam quietis. §.3.pag.322
Motu res ſeruantur, ſitu & torpore depereunt. §.4.pag.323
Quod vni loco deeſt, motus quærit in aliis. §.5.pag.327

Vires conſumptæ reparantur alimentis.

Lex 6. *pag.329*
Natura propriis deficientibus in ſe conuertit externa. §.1.p.330
Quæ aſſumuntur, etiam afficiunt. §.2.pag.332

Vis

Vis actiua certis & determinatis modis procedit.

Lex 7. *pag.* 335
Agens ſingulare propriis intendit, alienis ſe non immiſcet. §. 1 *pag.* 336.
Quod intenditur opportunè ſuſcipiendum eſt. §. 2. p. 339
Ordinata fœliciter procedunt. §. 3. p. 342
Simile non agit in ſimile. §. 4. p. 346

Stant omnia mutuis auxiliis.

Lex 8. *pag.* 349
Inferiora dant vt accipiant. §. 1. p. 350
Dantur ſuperflua pro neceſſariis. §. 2. p. 354
Beneficium quod danti non eſt difficile, facile concedendum. 8. 3. p. 357.

Similia ſe quærunt & amicè complectuntur.

Lex 9. *pag.* 359
Facilis eſt ſimilium in ſe tranſitus. §. 1. p. 361
Conſanguineos natura conciliat. §. 1. p. 364
Similior præfertur minus ſimili. §. 3. p. 366
Iucundum eſt vniri ſimilibus. §. 4. p. 368
Similia fiunt vnione fortiora ſeque protegunt. §. 5. p. 370
Similium vnio ſola conſtans eſt. §. 6. p. 373.

Appetunt omnia non tantum conſeruari, ſed & augeri.

Lex 10. *pag.* 378
Intentio naturæ prima tendit in augmentum. §. 1. p. 379
Appetitus augmenti cæteris potentior eſt. §. 2. p. 382
Difficilia quæ pulchra. §. 3. *pag.* 385
Viuens quod non creſcit, minuitur. §. 4. *pag.* 389

Digitized by Google

Incrementum ſit ſenſim & per gradus. §. 5. pag. 391
Aucta nolunt minui, eleuata deprimi. §. 6. pag. 393
Augmentis poſitus eſt terminus. §. 7. p. 396

Viuentia norunt ſuas & hoſtis ſui vires.

Lex 11. pag. 398
Sentiunt animalia quid poſsint & valeant. §. 1. p. 399
Vt ſentit, ſic oſtentat natura vires ſuas. §. 2. p. 402
Quod in hoſte validum, aut infirmum eſt, decertantia percipiunt. §. 3. p. 404

Fortiora præualent infirmis.

Lex. 12. pag. 408
Æquum eſt debiliora pro natura ſua modo, ſubiici potentioribus. §. 1. p. 409.
Vim potentiorum ſæuientem natura moderatur. §. 2. pag. 413

Sœpè contraria dum impugnant perficiunt.

Lex 13. pag. 416
Contraria iuxta ſe poſita magis apparent. §. 1. p. 416
A contrariis vexata plus virium concipiunt & explicant. §. 2. pag. 419

Oppreſſa ſe vindicant in libertatem.

Lex 14. pag. 421
Non minor eſt amor libertatis, quam exiſtentiæ. §. 1. p. 422
Tentata libertas nititur in vetitum. §. 2. p. 425
Solent excedere quæ ſe reſtituunt in libertatem. §. 3. p. 428

Digitized by Google

Vim vi repellere licet.

Lex 15. *pag. 430*
Illata vi aqua poteſt eſſe deffenſio. §. 1. pag. 433
Malis vrgentibus occurrendum citiſſimò remedio. §. 2. p. 435
Expelluntur intus nocua. §. 3. p. 439
Præuiſa mala modis opportunis vitantur. §. 4. p. 442

Dolis ſe tuentur quæ non poſſunt viribus.

Lex 16. *pag. 445*
Dolis etiam valida proficiunt. §. 1. p. 446
Vt vim ita dolos certis limitibus natura concluſit. §. 2. p. 449
Dolus ſolet eſſe rebus infirmis præſidium. §. 3. p. 452

Cum vires propriæ non ſufficiunt aduocantur exteræ.

Lex 17. *pag. 457*
Malis ſingulis ſingula prouiſa ſunt remedia. §. 1. p. 458.
Similia dato ſigno mutuum implorant auxilium. §. 2. p. 460
Datis à patiente doloris ſignis auxiliantur ſimilia. §. 3. p. 465
Vt infirma ſe tueantur, adhærent fortioribus. §. 4. p. 468
Vrgente communi periculo diuerſa etiam contraria ſociantur. §. 5. pag. 471.

Fuga & latebræ ſunt vltimum infirmitatis præſidium.

Lex 18. *pag. 473*
Infirma fugiunt à nocentibus & latent. §. 1. p. 475
Imperfecta & indecora pudor tegit. §. 2. p. 478
Sæpè vis inimica cedendo frangitur. §. 3. p. 482
Mala quædam latentia minus nocent. §. 4. p. 486

Digitized by Google

E duobus malis minus eligitur.

Lex 19. pag. 490
Semel victa ſolent ſuis victoribus in poſterum ſubiici. §. 1. pag. 494.

Plurima vim ſingularem paſſa reſtituuntur in integrum.

Lex 20. pag. 497
Forma læſas ſuas qualitates reſtituit. §. 1. p. 498
Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. §. 2. pag. 501
Ad alterati reſtitutionem eſt neceſſaria contrarij vexantis omnimoda ceſſatio. pag. 503
Vera liberatio & reſtitutio procedit à cauſa vniuerſali. §. 4. pag. 506.
Caſus multa reſtituit. §. 5. pag. 509

LIBER TERTIVS.

DE RERVM ALTERATIONE ET interitu.

Præfatio. pag. 513

Compoſitum eſt natura ſua diſſolubile.

Lex 1. pag. 519
Compoſiti diſſolutionem tardat aut impedit potentioris interuentio. §. 1. pag. 522

Digitized by Google

Rerum corporearum durationi præfixus eſt terminus.

Lex 2. *pag. 525*
Cito naſcentia, citò diſſoluuntur. *§. 1. pag. 525*
Magis actiua minus durant. *§. 2. pag. 528*
Singularia citius alterantur & intereunt, quam vniuerſalia. *§. 3. pag. 531.*

Malum futurum ſæpè ſigna quædam & prodigia denuntiant.

Lex 3. *pag. 533*
Malum imminens diuerſis nutibus prouidentia ſignificat. *§. 1. pag. 534.*
Præſagia naturæ ſunt vt plurimum mali iam incipientis effectus. *§. 2. pag. 540*

Alteratio præcedit corruptionem.

Lex 4. *pag. 542*
Extremi defectus ſolent à paruis incipere. *§. 1. pag. 543*
Solet eſſe nexus quidam malorum. *§. 2. pag. 545*
Repentinus aliquando contingit interitus. *§. 3. pag. 547*

Alterationis & corruptionis cauſæ ſunt internæ vel externæ.

Lex 5. *pag. 549*

Ab his quibus conſtamus, deſtruimur.

Lex 6. *pag. 551*

Digitized by Google

Exceſſu plurima depereunt.

Lex 7. *pag. 554*
Obruit recipientem qualibet excedens copia. *§. 1. pag. 555*
Tranſitus ab extremo in aliud ſine medio periculoſus. §. 2. p. 559
Magna concidunt propriis in ſe conuerſis viribus. *§ 3. pag. 562*

Inferiora deficiunt deficiente principiorum influxu.

Lex 8. *pag. 566*

Perit actio vitaque mediis ad conſeruationem neceſſariis deſtituta.

Lex 9. *pag. 574*

Vitiat & corrumpit diſſimilium approximatio.

Lex 10. *pag. 577*
Ex mali conſortio ſani laborant, ſanati recidiuam & interitum patiuntur. *§. 1. pag. 578*
Potentioris mali noxia deſtruenſque magis ſocietas. *§. 2 pag. 582*

Pertinax oppugnatio valida quæque deſtruit.

Lex 11. *pag. 585*
Malum malo ſuperueniens grauius eſt. *§. 1. pag. 588*

Rapit ſingulos etiam immeritos vniuerſaliter indicta calamitas.

Lex 12. *pag. 591*
Paritas in miſeriis ſolatium eſt. *§. 1. pag. 594*

Digitized by Google

Nullum ſine quadam exceptione malum. §. 2. pag. 597

Præſentiunt pleraque ſui diſſolutionem.

Lex 13.

Homini naturalis eſt mortis ſuæ præuiſio & meditatio. §. 1. pag. 601.

Vt in principio ſic in fine contingit infirmitas.

Lex. 14. pag. 605

Conſumptæ virtutis reſiduum, emicat in fine. §. 1. pag. 607

Ambit natura honeſto fine concludi.

Lex 15. pag. 609

Maximus in fine labor. §. 1. pag. 613

Rerum abeuntium & abſentium maior ſolet eſſe cupiditas. §. 2. pag. 615.

Optimi corruptio peſſima.

Lex 16. pag. 617

Animal horret ſuæ ſpeciei cadauer.

Lex 17. pag. 619

Quorumdam compoſitorum partes diſſolutæ retinent vim & ſenſum priſtinæ ſocietatis.

Lex 18. pag. 622

Digitized by Google

Vnumquodque reſoluitur in ea ex quibus conſtat.

Lex 19. *pag. 625*

A priuatione ad habitum non datur Regreſſus.

Lex 20. *pag. 629*

Alterationes, corruptiones, priuationes ſublunarium, tranſeunt in ſtatum meliorem. §. 1. *pag. 632*



IVS

Digitized by Google

IVS NATVRALE.

PRÆFATIO.

IVSTINIANVS Imperator [a] artem boni & æqui, qua res publicæ priuatequæ reguntur; rerum diuinarum atque humanarum, iuſti atque iniuſti ſcientiam optima daturus methodo, ab vniuerſalibus orditur, eiuſque primam ducit originem à iure naturali. Illud duplex dicit eſſe; vnum quod natura docuit omnia animantia, quæ in mari, quæ in terra naſcuntur; Aliud quod vocat ius gentium, quo ſcilicet vtuntur ſolæ gentes humanæ, illis proprium, nec cum cæteris animantibus commune. [b] Quòd vniuerſi machina ordine, certaque rationabili diſpoſitione conſtet; quòd omnia ſe teneant, ratiſque ſucceſſionibus in nodos ſuos vrgeantur; quòd cœli præſcriptas habeant amplitudines, ſtationes, periodos; quod elementa ſuas ſibi ſeruent regiones; quod ferantur leuiora ſurſum, grauiora deorſum, motuque proprio ſibi vindicent, quæ vis externa rapuerat; quòd dies & nox, hyems & æſtas quies & actio tempus omne partiantur; quod actiuis paſſiua, corruptionibus generationes reſpondeant; quod oppoſitæ qualitates mediis concilientur; quod vniquique ſpeciei ſit indita vis ad ſui conſeruationem, propagationem, in integrum reſtitutionem; quod congrua media ducant ad propoſitos fines, & ſimilia quæ ſuis opportunè locis exequimur, jus eſt à Deo naturæ datum. [c] Diuina lex eſt, & ratio toti mundo, & partibus eius fortiter & ſuauiter inſerta ſic perpetua, eo quod imperantis vim omnem præuenit, vltrò ſe ſubijcientium vtilitati iuncta voluptas. [d]

Ita Deus vniuerſi temperat harmoniam, vt ſi quis totum orbis ſpatium, & in eo ſingula, totumque tempus vno conſpicere poſſet intuitu, perſpecturus ſit vnicuique iuſta rependi, aliaque paſſim aliis ita ſonare, vt toti potiſſimum omnia conſonent. Mira debet hæc eſſe conſonantia ſecreto dominantis vnitatis influxu, quo fit vt licèt

[a] l. 1. & 6. ff. de iuſt. & iur.

[b] D. Auguſt. lib. de ordine.

[c] Seneca 4. de Benef. c. 7. Hierem. c. 33. v. 25.

[d] Plotin. lib. 2. de Prouid.

Digitized by Google

omnia conſtent ex contrariis in oppoſitum nitentibus, explicato tamen omni ſuo conatu, non ſe deſtruant, ſed fulciant, ex bello pax, ex diſſimilibus æmulis ornatus & pulchritudo, ex rerum lapſu ſurgat perenis ille motus, quem ars noſtra non valet imitari. Eminentiſſimus cùm ſit Deus mundum ad ſui finxit imaginem, vnum cum ipſe ſit vnus, incorruptibilem cum ſit æternus, rotundum cùm ſit infinitus & omnium maximum, vitalibus ſeminibus exornatum, & ex ſeſe cuncta gignentem cum ipſe ſit ſumma vita, ſummus amor, ſumma bonitas & fœcunditas.

Id contemplatus in monte & raptu ſuo Moyſes dux & Sacerdos, inde Religionis ſimul & regiminis leges accepit, [e] Eam maximè qua Summus Pontifex totius mundi figuram veſte præferebat, vt Deum Patrem oraturus, cum filij, ſcilicet mundi, ſimilitudine & patrocinio placaret. Id ſancti ſapientes profitebantur totum opus Dei, velut munus ſibi collatum curioſo gratoque animo luſtrare, vt inde primò diſcerent actus ſuos moderari ſecundum legem qua condidit & regit vniuerſa; tum vt per gradus ſenſibilium cauſarum ad ipſum authorem conſcenderent. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, inquit Apoſtolus, [f] ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas.

e Philo Iudæ. lib. 2. de Monarchia.

f Roma. 1. v. 20.

Sed quia non licet omnibus ad ſacrum hunc contemplationis montem accedere, multo minus illum conſcendere, iuſque naturale, prout eſt ſplendidis viuiſque caracteribus deſcriptum in cœlo, elementis, animalibus, legere, nec omnes tali naſcuntur genio, qui percipiat hanc creaturarum linguam, ad lucrum huic infirmitati prouiſum eſt à Deo, qui voluit nos non mutuato tantum, ſed innato proprioque lumine dirigi. Diuina mens, mentibus ad ſui ſimilitudinem creatis impreſſit ideas veri rectique, quibus velut principiis nitantur operationes ſuæ, tum ſpeculatiuæ, tum practicæ, hacque communi luce, [g] primæua lux illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Nam ſi naturæ irrationali largitus eſt artem, qua mediorum electione congrua finem ſuum conſequitur; ſi elementa recta linea geometricè, vt citiſſimè repetunt ſuum centrum; ſi ſagaciſſimè ſucurrit aër naturæ ne detur vacuum; ſi quælibet animalium ſpecies, vnam habet artem ſuis omnibus indiuiduis communem, qua non aberrant in boni ſui conſecutione, vel mali fuga, multo magis animus omnium capax & rector, ad imitationem Dei vniuerſalem agendorum ideam, mundumque intelligibilem præ ſe feret. [h] Non eſt deterior corporibus, quæ ante aduentitias qualitates, poſſident ſuas naturales: non eſt infœcundior natura quæ ex ſeminibus inſitis ſuos fœtus educit. Ratiocinatio mobilis eſt, dum ab alio deſcendit in aliud, ita debet inniti impreſſis illis æternæ veritatis

g Ioan. 1.

h Marſ. ficin. Theol. Plato. lib. 11. c. 3.

ſpeciebus, ſicut motus omnis à quiete ſiue ſtabili aliquo exorditur, ac tendit ad ſtabile. Mens definiens eſſentias rerum debet habere eſſentiales rationes, ſicut ſenſus per accidentales ſpecies judicant de accidentibus; & quia mens iudicat de fallacia ſenſuum & phantaſiæ, debet inniti eſſentialibus rationibus, ne ipſa quoque fallatur, & indigeat iudicio virtutis alicuius ſuperioris. Cognitio intellectualis eſt media inter diuinam & ſenſitiuam, ergo medias habet conditiones inter Deum qui cognoſcit per eſſentiam ſuam immobilem, & ſenſus qui cognoſcunt per mobiles qualitates, & ſpecies peregrinas. Puræ mentes in ſe reſpiciunt, ſenſus in alia ſolùm, ſic ordo vniuerſi exigit vt anima mentis ſenſuſque particeps, non modò extra ſe formas, ſed in ſe quoque reſpiciat. Harum ſpecierum ope, indicant etiam inexperti, de pulchritudine, concèntu, iuſtitia, pietate, fortitudine; In publicis comitijs, fert de regimine judicium plebs, in regimen nunquam aſſumpta, ſuffragijs non ponderatis ſed numeratis, quaſi ſcientiis inſtructiſſimo par ſit quilibet ſolius naturalis luminis capax. Multa diſcimus ſine magiſtro, & quæ à magiſtro accipimus, ea recolimus & examinamus ad interiorem regulam veritatis. Diſcipulus antequam audiat, ſæpè præſagit audientia, auditaque reddit meliora & veriora; Sœpiùs etſi non audiat, ex ſe parit, vnde qui docet eſt potiùs miniſter quàm magiſter, vt qui colit agrum naturâ ſuâ fœcundum, & qui curat corpus inditâ vi in ſanitatem ſe reſtituens. Nemo canibus præſtat ſagacitatem venatoriam, equis currendi velocitatem, ſed latentem virtutem vſu expergefacit, ita dicunt Platonici docentem, non præſtare, ſed excitare intelligentiam à Deo mentibus humanis infuſam. Laudamus alienas artes & virtutes quæ cùm vim noſtram agendi ſuperent, placent tamen quia reſpondent impreſſæ nobis recti & pulchritudinis ideæ. Præclara pauci probarent, ſi boni cuiuſque ſenſus etiam ad impares non veniret; careret fama magnorum virorum ſua celebritate, ſi etiam minoribus teſtibus non eſſet contenta, ſi præſtantiſſimus quiſque non gauderet inter populos digito monſtrari, & dicier hic eſt.

[i] Hæc eſt lex naturæ cordibus noſtris inſculpta, quæ dici poteſt habitus, in quantum continet aliqua præcepta, quæ habitu in ipſa ratione ſunt, gentibus omnibus communia & immutabilia; & quæres, inquit Tertulianus, [k] Dei legem, habens communem iſtam, in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas & Apoſtolus prouocat, deſcriptam. [l] Monſtrum eſt [m] quidquid ab illis deficit, imo ſacrilegium in Deum naturæ Dominum & autorem, talis in nobis conſcientiæ, bonorum malorumque ſcientiæ legiſlatorem. Non eſt nobis [n] opus diſcere, quòd malum eſt homicidium & fornicatio vnde cum Dominus talia prohibet, dicit ſimpliciter non occides, non

i D. Tho. 12. q. 49. a. 1. 2. 3.

k Lib. de corona militis. c. 6.

l Philo Iud. l. de Abrah.

m Tertul. de loco.

n D. Chriſoſth. hom.

Digitized by Google

n ad popul. Anthioch. mœchaberis non additâ cauſâ, quaſi ſcientibus loquatur. Adam commiſſo peccato, ſtatim ſe occultauit, excuſauit, mulier crimen in ſerpentem rejecit: Abel primitias Deo offert, tabeſcit Cain quod obtulerit indigna, & poſt fratricidium, crimen ſuum venia indignum fatetur, licèt nulla tunc illum vrgeret minis & imperio ſcripta lex. Peccans[o] igitur omnis anima, & rea & teſtis eſt, in tantum rea erroris, in quantum teſtis veritatis, & ſtabit ante oculos Dei in die iudicij nihil habens dicere. Magis ſine dubio animæ aliqua dictanti, quàm litteris credendum eſt, inquit Tertulianus quia prior anima quàm littera. Ideo Paulus ait, qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt, non lege ſcriptâ accuſante, ſed conſcientiâ. Cum aliquis[p] patriæ, parentibus, amicis beneficia rependenda dixerit; pigris & ignauis res omnes malè ceſſuras, aduocatum iſta non quærunt, affectus ipſos mouent, & naturâ vim ſuam exercente proficiunt. Gerunt animi rerum omnium honeſtarum ſemina quæ admonitione excitantur, non aliter quàm ſcintilla flatu leni adiutâ ignem ſuum explicat. Denique prima veritas expreſſam ſui imaginem fecit in mundo Angelico, cœleſti, elementari, perfectoque iam opere, veri bonique ideas omnes in homine microcoſmo, compendioſa, vnitaque magis radiorum collectione concluſit.

o Tertulian. lib. de teſtimo. animæ. in fine.

p Seneca ep. 94.

Agnoſco naturæ noſtræ collatum præ cæteris beneficium; Immortales ago gratias immortali parenti, qui nobis hîc procul ab ipſo degentibus, intimos illos & immortales ſplendores mentibus noſtris addidit, velut tutelares genios, quorum audito conſilio, nullus niſi contumax aberrat. Gratiam hanc teſtata eſt gens omnis igne ſacro perpetuoque in templorum adytis magna religione ſeruato, qui lucem & ardorem omnis boni præſulem in pectoris arcano vigentem ſignificaret: fatentur omnes dari ius & legem naturæ omnium hominum cordibus inſculptam, qua fit[q] vt gentes quæ legem neſciunt, ea quæ legis ſunt faciant: ſed mihi mirum videtur quòd quales ſint illæ naturæ leges, nullus adhuc, in tanta ſcribendi licentia, ſatis diſtinxerit, expoſuerit.

q Roma 1.

Fortè viſum eſt certos nos de illis effectos Dei magiſterio, certiores effici non debere minus authenticis autorum commentariis; intus ſcripta externo non indigere præconio; ſtudiis non quærendum quod indulgentia naturæ, nobis quæſitum & proprium eſt; vtque olim Syrij ſoli & lunæ nullas ponebant imagines, quia ſatis manifeſtè omnium ſemet ſubijciunt aſpectibus, ſic per ſe notas naturæ leges expoſitoribus non indigere. Id ſine dubio verum eſſet, ſi mens humana ſemper in ſe conuerſa, ſilente rerum externarum motuumque ſenſibilium tumultu, vocem Dei naturæque docilis perciperet. At nunc mobilis & inquieta nunquam ſibi conſtat, ſpargitur & cogita-

Digitized by Google

tiones ſuas in omnia nota & ignota dimittit, nec tantùm mutat, ſed redit, & in ea quæ deſeruit & damnauit, reuoluitur. Adijce quod ira, metu, cupiditate, falſis opinionibus concutitur, transfertur, & turbata non magis naturæ legem, quàm aqua commota cœno mixta faciem cœli referat. Inde fit vt omnes in cuiuſlibet artis aut ſcientiæ, ſeu ſpeculatiuæ ſeu practicæ dubiis, prouocent ad legem naturalem, & hanc pro ſe ſtare, pro ſe decernere factis etiam inductionibus profiteantur, cùm tamen certum erroris argumentum ſit ipſa ſententiarum contradictio. Quàm varia, vana ridicula philoſophorum antiquorum & hæreticorum deliramenta, nihil tamen fingi poteſt à ratione tàm alienum, quod authorem & ſectam velut naturali lumine directam non habuerit. Conſule pecuniarum auidum, inexhauſtâ cupiditate theſauris inferentem quod aliis ſibique neget; ambitioſum conſule ad dignitates per indigna quæque conſcendentem, conſule voluptatibus diffluentem, alium ocio torpentem, alium aulæ ſe fumo paſcentem, alium ad arma præcipitem & humano cruore ſatiandum, horum quiſque tibi dicet ſe naturam ſuam ſequi, ducem optimam, idque ſibi bonum eſſe quod dum habetur delectat, dum abeſt, torquet. Sanè ſicut ars dioptrices quædam ita conformat ſpecula, vt obiectorum ſpeciem aliam quàm acceperint emittant, luceque colorum entelechia ad monſtrificas & à vero penitùs alienas figuras confingendas abutantur; ſic varijs cupiditatibus infectæ & diſtortæ mentes naturæ legem dùm violant, hanc ſibi fauere & patrocinari mentiuntur.

Vnde tàm graue, humanæ ſocietati ſimul & Religioni timendum falſi crimen, niſi ex eo quod leges illæ dictæ naturales non ſunt determinatæ, & illas quiſque prout libuerit velut leſbiam regulam contorquet, ſuiſque vel iniquiſſimis votis explicat. Licèt aſſerant Iuris conſulti totum ciuile jus ducere ſuam originem à jure naturali, eius tamen pauciſſimas recenſent leges, [r] quibus fit maris & fœminæ coniunctio, liberorum procreatio & educatio. Hæ nobis cum animantibus communes ſunt: at hominis ratione præditi ſingulare jus, ad hæc tria reuocant præcepta, [s] honeſtè viuere, alterum non lædere, ius ſuum cuique tribuere. Hebræi [t] dicunt ſeptem præcepta naturalia Noë filiis ideſt cunctis hominibus data; ſcilicet de vitanda idololatria, de Deo benedicendo, non maledicendo, de obedientia regimini ciuili præſtanda, tùm prohibitiones homicidij, concubitus incœſtuoſi & nefandi, furti vel rapinæ, & non comedendi membrum viui animalis. Quis non videt has à Iuriſconſultis & ab Hebræis notatas naturæ leges nimis anguſtas eſſe, quaſdam nimis vniuerſales, alias nimis ſingulares non ſufficere ad humanæ mentis tàm periculoſè verſatilis directionem in ſpeculatiuis & moralibus. Ape-

r Inſtit. de Iure Naturali.

s §. 3. Inſtit. de iuſt. & iure.

t Selden. de iure Hebræo. lib. 1. c. 10.

Digitized by Google

riendi certè ſunt ampliores nitidique magis veritatis æternæ fontes, quos ratio tum ex ſe, innatiſque ſpeciebus, tum ex vniuerſi ſpectaculo ducat, & ad dubij cuiuſlibet ſolutionem perennes ſibi ſeruet. Quamuis conſideremus hominem eſſe rerum omnium menſuram, propter inſitas quas diximus veri rectique ideas, quia tamen illæ confuſæ, & inductis erroribus deletæ ſunt in multorum animis, non ſunt ab omnibus exquirendæ, ſed tantum à ſapientibus, quorum mens ſerena diuinum hoc lumen purius excipit & reddit. Vnde per nouum hominem Chriſtum,[v] ſecundum Deum creatum in Iuſtitia & veritate, cæteri ſunt illuminati & reſtituti hodieque tum facti tum iuris controuerſiæ, non cuiuſlibet hominis, ſed arbitrio iudicioque boni viri dirimuntur.

[v] Iobius monachus apud Photium Bibl. cap. 232.

Idem ergo nunc apud me recurrit votum, quod initio digeſti mei propoſueram, ſcilicet vt in ſingulis ſcientiis peritiſſimi, Philoſophi ſpeculatiui & practici, Medici, Mathematici, Iuriſperiti, Theologi, alij qui variam naturæ indolem moreſque populorum tum hiſtoriis edocti, tum peregrinationibus experti, conuenirent. In hoc ſacro ſapientum conceſſu, Deo præſide, ſi fierent abſtractæ propoſitiones, earumque ad trutinam defæcatæ rationis tum impreſſæ, tum ſcientiis excultæ haberetur examen, certò conſtaret quænam deberent in album legis naturalis tranſcribi, cum ſuis exceptionibus & limitationibus.

Qui ſciret has naturæ leges, ſciret artem Dei quâ mundum condidit, concinnauit, adminiſtrat; hoc eſſet ſortem humanam ſupergredi, ad conſilium & regimen orbis admitti cum ſeparatis mentibus, quibus in patrandis miraculis tota vis eſt ex ſcientia, quâ notas actiuorum qualitates opportunè paſſiuis applicant. O quam iuſta, fœlix, æterna foret Reſpublica, ſi legibus æternis mundi regeretur, ſi pars hæc rationalis in mundo præcipua, vniuerſo ſuo ratione conſentiret! Has igitur naturæ leges inquirere maximum opus, & Regiæ maieſtatis cura digniſſimum, ſcholis, regimini, Religioni, formandis moribus, dirimendis controuerſiis vtiliſſimum; vnde princeps plus ſibi laudis æternæque famæ compararet, quàm Imperator Iuſtinianus ex digeſtis in ordinem Iuriſperitorum reſponſis; plus eſt enim legum fontem quam eius riuos, theſaurum quam eius ramenta quædam aperuiſſe, & integrum hoc æternæ veritatis exponere ſpeculum, in quo, quantum hîc licet, ad inſtar beatarum mentium concluſiones videamus in principijs.

At quia datur nobis tale bonum optare, non conſequi hoc in ferreo ſæculo; in quo plurimorum conſilia ſunt, vt fucum rebus, onus populis, bella finitimis inferant, iuſque naturale, non ſequendi, ſed abrogandi mos inualeat, licebit mihi, quamuis omnium minimo,

Digitized by Google

huius communis pretioſiſſimæ rei, profuſioni & alienationi non conſentire. Vindicabo, quantùm in me eſt, humanæ naturæ dignitatem, & à piiſſimo parente datas nobis ad tutelam & ſplendorem leges; dicam etiam inutilis profutura, & ſi verum ſinguli noluerint audire, jus publicum perſequar actione publica, ipſiſmet reis conſcientiâ teſte judicibus.

Solent mathematici, cùm non ſuppetunt illis facultates, vt machinas, turres, munitiones, ære, lignis, lapidibus conſtruant, illas ex charta, aut ductis ſolum lineis ſic efformare, vt ars in anguſto, velut à materiæ conditionibus abſtracta & ſortem idearum conſequuta, magnis ſufficiat edendis operibus. Sic & ego *Ius Naturale* regium opus, collatis multorum ſapientum theſauris perficiendum, etiamſi libuerit à fundamentis inſtaurandum, rudi quadam adumbratione delineatum propono. In magnis tentaſſe vitium non eſt, condonabunt mihi ſapientes, ſi artis huius diuinæ tyrocinium aggreſſus, aberrem in multis peritorum conſilio reformandis. Non erit error ſine fructu, ſi fœliciores genios æmulatione prouocauerit ad ampliora.

Ceterùm cùm mihi non detur iuris naturalis archetypum contemplari, illud quale ſit, ex tranſcripto quod tot ſæcula probarunt coniiciam, componamque ius naturale ad inſtar juris ciuilis. Ampliſſimus eius tractatus reducitur ad perſonas, res & actiones; ad perſonas, quarum cauſâ [x] ius omne conſtituitur, pertinebit liber primus de cauſis agentibus & producentibus; ad res refertur liber ſecundus, de rerum conſeruatione & profectu; Tertius denique ad actiones, ſcilicèt de rerum alteratione & interitu, vt enim poſt litem inter contrarias partes conteſtatam, res ei cui ius competit, iudicis ſententiâ defertur, ſic poſt actiones & paſſiones æquiſſimo naturæ iudicio cedunt infirmiora fortioribus. Ita videbuntur res in ſuo principio, medio, fine quibus velut limitibus tota earum exiſtentia continetur.

[x] l. 1. ff. de ſtatu homin.

Leges diſtinximus in paragraphos, qui ſingulas earum partes exponunt breui ſententiâ pro lege accipiendâ; qui ſequuntur diſcurſus poſſunt eſſe loco commentarij, vt opinor, non ingrati, rerum originem indagine curioſâ ſcrutantibus. Nam probare conatus ſum quod gratis ab omnibus ſupponitur, Iuris ciuilis regulas, Phyſicæ, medicæ, moralis, politicæ, mechanicæ, artis cuius libet præcepta inniti legi naturali velut fundamento. Ad cuiuſque propoſitæ legis elucidationem, delibo quaſdam inductiones confertim & copioſiùs iam expoſitas in Digeſto ſapientiæ, cuius methodo quidquid eſt, quidquid dici aut excogitari poteſt reducitur ad 18. terminos ſibi mutuò combinatos, ſed quia non omnes capiunt verbum iſtud, & cùm in

Digitized by Google

illo opere cuiuſlibet propandæ propoſitionis ampliſſima ſuppeditetur materia, formalis tamen veritas rerum illic congeſtarum non pateat omnibus; Nunc illam ex naturæ principiis deducere conamur, veramque, ſi aduertas lector, ſic conficimus encyclopædiam ſcientiarum, conuenient enim inter ſe, ſi conueniant in communi naturæ principio. Liceat igitur alibi iam à me dicta retentare, ad huius argumenti probationem, iiſdem armis in diuerſo conflictu decertare, iiſdem vti lyræ fidibus, eadem voce, vt decuerit, inflexâ in diuerſo concentu, ſicut iiſdem elementis aliter atque aliter temperatis vtitur natura in mixtorum conformatione, & vt ſurgat nouum hoc opus mihi concedatur educere materiam ex lapidicina, quam feci iuris publici, eius tamen vſu cum aliis communiter mihi ſeruato.

Propoſitum mihi eſt, non ſolum contemplationi; ſed etiam hominum ædificationi ſcribere, luci calorem addere, ne philoſophia noſtra ſit ſterilis, & ſine ſperato ſtudiorum noſtrorum fructu. Ideò cùm lex naturæ ſit rerum omnium ritè perficiendorum regula, ex illa conabor elicere quæ pertinent ad publicos priuatoſque mores formandos, propoſitionibus facillimis, nullius captum execedentibus, ſed inæquali ſtylo, eo quòd authores in margine notatos induco propriis ſuis verbis loquentes. Vt autem hæc humana diuinaque tractans contemplatio ordinatè magis procedat, præmittimus caput vnicum tribus diſtinctum paragraphis, vnde veritatis ſenſus diffundatur per totum hoc iuris naturalis corpus: inquiret de legis naturalis origine, vniuerſalitate, perpetuitate, vt præfixis illuſtribus titulis dignitas eius priùs denuntietur, quàm inquirentibus appareat, & quilibet diuinam intelligens ad eius ſtudium cum reuerentia mundus accedat, procul à ſe, rebuſque pellens quidquid prophanum eſt. Totum opus refundatur ad laudem & gloriam Dei qui eſt principium huius legis, cui milito, cui quidquid eſt in me lucis acceptum refero, & ita ſacrum dicatatumque ſit.

Lex

Digitized by Google

LEX NATVRAE EST A DEO.

CAPVT VNICVM.

§. 1.

EX paucis quæ præfati ſumus, etiam ſenſu & ratione certum eſt dari legem naturæ, ſcilicet ratos fixoſque rebus omnibus inſitos exiſtendi & agendi modos, quibus conſtat mundi totius, partium & ſæculorum ſeries ordinatiſſima. Quòd cœli circulariter moueantur & indefeſſo curſu ſibi præſcriptas impleant periodos; quod elementa ſuas ſeruent regiones & qualitates, quòd piſces gaudeant aquis, aues aëre, quòd plantarum & animantium pro ſpeciei cuiuſque ratione certa ſit conformatio, determinata potentia, inclinans in certum quid appetitus, ſumma videtur reddi ratio cùm dicitur, talis eſt eorum natura; hanc Hypocrates [y] pluribus in locis definit certam ex primis elementis temperationem. Ariſtoteles dicit eſſe principium motus & quietis, in eo in quo eſt per ſe non per accidens. Vocans illam principium videtur inquiſitioni limites ponere, quid enim vltra principium.

y lib. de natura hominis.

Altiùs ſurrexit Plato, quem merito diuinum vocant, quia naturam retulit in Deum, cuius quatuor dicit eſſe leges, [z] diuinam quæ eſt in ipſius mente; cœleſtem ſeu fatum; tertiam naturalem rebus omnibus ratione carentibus inditam; quartam humanam noſtris inſculptam mentibus ad veri rectique notitiam & affectum. Per primam in Deo exiſtentem legem, ſignificat præexiſtentes in intellectu diuino intelligibiles formas, omnium rerum effectrices, veras rerum eſſentias, quas ideas appellat: adſtipulantur huic ſententiæ noſtri Theologi, [a] dum admittunt in Deo ideas velut primordiales omnium cauſas, nam cùm omnia ſint à Deo, non à caſu facta, neceſſarium eſt in eius mente omnium etiam ſingularium ideas præexiſtere obiectiuè, ad quarum ſimilitudinem cuncta creauit, concepitque ab æterno modum gubernandi creaturas, ideſt concepit modum quibus vnaquæque creatura deberet ſuas actiones exercere & in ſummum finem dirigi: hîc autem conceptus diuinæ mentis, nihil aliud eſt quàm lex æterna: ab æterno infinitæ ſuæ perfectionis fruitione beatus, nullis indigus, ſibi tantum neceſſarius liberè voluit ad extrà res alias à ſe producere, quæ ſuæ bonitatis eſſent noui fœtus,

z 1. de legib. in Timeo, phædro, Gorgia, Phedone.

a D. Tho. 1. q. 15. a. 1.

b De Diuin. nominib. c. 1.§.1.& cap. 4.

ſui multiplicatæ quædam imagines, quibus, inquit D. Dionyſius, [b] amplificatur vnicè, multiplexque fit ex vno, nec ab vnitate diſcedit, quòd ſit ab eſſentijs omnibus ſupereſſentialiter exemptus. Sic conſtituit omnes intelligentes ſubſtantias, virtutes & operationes, ab omni corruptione, morte, materia, generatione liberas, vt illi quantùm fas eſt conformentur, boni ſpeciem præ ſe ferant; & iuxta legis dictamen inferiores ſuos bonorum ex ſummo bono promanantium participes reddant. Poſt ſacras iſtas ſanctaſque mentes humanam animam creauit corruptionis expertem, quæ poteſt ad ſummum bonum promoueri, & ex illo promanantes illuminationes capere.

Eadem diuina bonitas vt eſt immenſa, ſe diffudit etiam ad ea quæ longiùs à natura ſua diſtabant, ſcilicèt ad productionem rerum corporalium, ſed dùm procedunt ab intellectuali cauſa, & omnium prima ratione, etiam rationis ſpeciem vbique præ ſe ferunt, primo in partium ad ſe mutuò & ad totum pulcherrima connexione, tùm in ordine qui eſt ſenſibilis quædam ratio, & in motu citiſſimo ad ſua centra, cùm ab illis reuulſa ſunt. Viuentibus autem Deus impreſſit ſpecies quibus ſibi bona diſcernunt à nocentibus, & dum vnaquæque res ad optimum conſequendum nititur pro captu ſuo, ſummum bonum omnis boni fontem appetit, & eâ in principium ſuum reflexione Deo miniſtrat cuncta propter ſe operanti.

Cùm vides horologium rotis ſuis optima proportione ſic inſtructum, vt motus ſolis ſequatur & proclamet, vim hanc numerandi, cœleſtibus ſe conformandi non tribuis ferro, ſed artifici qui ſic materiam diſtinxit, motum in præceps, interpoſitâ ſtatis interuallis quiete, contemperauit. Cùm obſeruas ſagittam rectâ viâ ſcopum petentem & attingentem, ſtatim infers lignum pondere ſuo jacens hunc ſibi motum celerem, cæcum hanc electionem ſibimet non dediſſe ſed impreſſa vi, ab oculo doctaque manu ſagittarij fuiſſe directum. Similiter cùm ratione carentia, materiæ penitùs immerſa, varia tamen rationis opera ad ſui conſeruationem facere, certiſſimum argumentum eſt diuinæ ſapientiæ cuncta prout ipſis expedit mouentis. Per verbum, diuinam ſcilicèt rationem omnia facta ſunt, & inde retinent quoddam rationis veſtigium, vt argenti maſſa per liquidum aurum tranſiens, non fit quidem aurum, ſed aurata ſuperficie quæ quantumuis longè lateque ducta fuerit, originis ſuæ fulgorem retinet.

Hæc, inquis, omnia ſic agunt ex naturæ ſuæ lege, verum eſt, ſed dùm legem dicis notas legiſlatorem, ſic ordinantem, dirigentem, mouentem, contraria prohibentem. Vtar Senecæ verbis, [c] quid eſt aliud, inquit, natura quàm Deus, & diuina ratio toti mundo & partibus eius inſerta; quocumque te flexeris ibi illum vide-

c. lib. 4. de benef. cap. 7.

Digitized by Google

bis occurrentem tibi, nihil ab illo vacat, opus ſuum implet, vt Iuſtitia, probitas, prudentia, fortitudo, frugalitas vnius animi bona ſunt quidquid horum tibi placuerit, animus placet, ita quidquid rationis in rebus materialibus occurrit, Dei cuncta regentis munus eſt, de quo paulo poſt plura ſumus dicturi.

Effulget potiſſimum primæuæ rationis radius in homine triplici quadam excellentia. 1. Cùm ſit rationalis, lux quæ alijs extrà & ſuperficie tenùs accidit, illi propria & eſſentialis effecta eſt. 2. Recti verique ſenſus & affectus intimo cordi fuit inditus, quo tum in ſpeculatiuis, tum in practicis, vt dictum eſt dirigitur; tandem ſi vitio ſuo tum illi propria, tum ſuperaddita lux obſcuretur, ſi naturæ legem cordibus inſcriptam motus ſenſibiles obliterarint, hanc eandem poteſt legere in aperto cœlorum, elementorum, & creaturarum libro, ſeruata ſui cùm cæteris proportione. In omnibus tanta viget æquitas, ſic elementa, plantæ, animalia pro naturæ ſuæ modo fideliter operantur, vt hinc ductæ ſint certiores artium & morum regulæ. Pigrum remittit ſapiens ad formicam; nimis de futuro ſollicitos, & de diuina prouidentia diffidentes Chriſtus conſiderare iubet flores qui cùm nullam agant ſui curam pretioſè tamen veſtiuntur, & aues, quibus de victu prouiſum eſt licèt nihil ferant & metant. Nox nocti indicat ſcientiam, inquit D. Bernardus,* cùm creatura irrationalis docet hominem nondum per fidem illuminatum, vt inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt conſpiciantur, & mens ſpiritualis inſenſibilium regione peregrina, viam veritatis diſcat à ſenſibus. Paſſim D. Baſilius, D. Ambroſius, D. Auguſtinus, cæteri patres Eccleſiæ mundanum opus contemplantes, inde ducunt expreſſam ad hominum mores formandos diſciplinam, hanc Sancti Iacob, Antonius, Patriarchæ & Eremitæ legebant in aperto mundi libro.

* In paruis ſermon. ſerm. 5.

Fecerunt hanc triplicem veritatis collationem ſapientes, vt eſſet originali ſuo conformis, diligenter obſeruarunt quid dictaret inſtinctus, ratio, communis natura; legem enim habebant, [d] non vt hominum ingenijs excogitatum, nec vt ſcitum aliquod populorum, ſed vt æternum quoddam quod vniuerſum mundum regeret, imperans, prohibenſque. Legem itaque non incœpiſſe cùm ſcripta eſt, ſed tum cùm orta eſt, orta autem ſimul eſt cum diuina mente. Hinc dicit Ariſtoteles [e] qui legem præeſſe iubet, iubet præeſſe Deum, & hoc ſenſu legiſlatores antiqui [f] leges optimas quas dabant populis citra mendacium aſſerebant illas ſe accepiſſe à Deo; cui dictanti, iubenti vocem ſuam tribuerant. Rector enim, inquit Plato, [g] ciuilem habet ſcientiam, non communi tantùm cum cæteris hominibus ratione, ſed infuſione quadam ſingulari quam petebat Salomon [h] Rex factus, mitte domine ſapientiam de cœlis ſanctis tuis, &

d Cicero 2. de legibus.

e 3. Politicor. 11.

f Marſil ficin. in Plato. Minëm ſiue de lege.

g in Theage.

h 3. Reg. 3.

Digitized by Google

à ſede magnitudinis tuæ vt mecum ſit, & mecum laboret, acceptam ab eo profitebatur ſeptifido illo candelabro [i] Templi in quo lumen vnum erat cœteris maius & eminentius, quia ſicut à ſole ſtellæ, ſic maximè principum mentes à Deo lumen mutuantur. Initio Romanæ ciuitatis [k] populus ſine certa lege, ſine jure certo agebat, omniaque manu à regibus gubernabantur, & poſt mutuatas à Græcis leges, poſt diuerſa Iuriſperitorum reſponſa, longamque de juris origine quam texuerunt hiſtoriam poſt varias regiminis mutationes, finis reſpondit initio, & populus jus omne ſuum tranſtulit in principem [l] qui deinceps potuit legem facere, velut potentiæ Dei miniſter ſapientiæ ſuæ conſcius. Ea fuit ratio cur monarchicum regimen iure gentium magis receptum fuerit, quia Deum rationis & naturalis legis principium populi venerantur in vno ab ipſo ſubſtituto principe, eiuſdemque legis tutelari genio.

i Clem. Alexandrin. lib. 3. ſtromat. c. 3.

k l. 2. §. 1. ff. de orig. iur.

l L. 1. ff. de conſtitut. Princip.

Natura lex eſt vniuerſalis.

§. 2.

MVndus qui ad vnius primi ſui principij manifeſtationem vnus eſt, etiam vna creatis omnibus communi lege regitur quæ ſimul vniuerſi & ſingulorum tutelæ conſulit, per ſe primò refertur in commune bonum totius vniuerſi quod vnicum eſt, nempe mundi perfectio, & ab illo vnico bono, tanquam à termino vnitatem habet. Cùm autem lex æterna ſit in mente diuina ratio gubernandi creaturas, ſequitur quòd omnes illi ſubiectæ ſint, irrationales per naturalem tantum inclinationem, rationales verò per cognitionem & judicium; vnde fit vt hæ liberè, illæ neceſſariò ſubijciantur, proprieque lex æterna habet rationem legis reſpectu hominum & angelorum, quia illi ſoli habent liberum arbitrium, ac proinde ſoli poſſunt propriè obligari ſub peccato.

Omnibus communis lex eſt [m] quòd bonum ſit appetendum, & contrà malum fugiendum. At quia bonum eſt in conuenienti, & aliquod eſt proprium ſingulis ſpeciebus, obiectis potentias, potentijs organa, vtriſque congruas actiones certis incluſas limitibus ſapiens natura contemperauit. Vniformis eſt primi mobilis motus omnes ſecum rapiens cœlos, ſingulis tamen planetis & octauæ ſpheræ ſuus ſingularis eſt, quem nunquam deſinente nunquam aberrante curſu à momento ſuæ creationis ſequuti ſunt & in poſterum ſequentur. Terræ jus eſt proximum mundi centro locum tenere, ſuis librari ponderibus, ſuperiorum affluxu ditari, fœcundari: aër rerum medius

m D. Thom. 12. q. 94. a. 2. 2. 3.

Digitized by Google

indeterminatâ latione mobilis cuncta penetrat ne detur vacuum, fidiſſimus ſuperiorum & inferiorum proxeneta: Igni ius eſt congregandi homogenea, diſſolutione compoſitorum heterogenea ſeparandi, & in ſe, quod conuenit, conuertendi. At ne ius hoc vt in ciuili foro, ſic in naturæ proceſſu vanum æſtimes, quaſi non pariat actionem,[n] totum vbique probatur actionibus, & vis quælibet inſita palam effectu contrariorum victore ſe profert. Nam aër terrâ vel aquis oppreſſus emicat, vindicatque ſuperiorem locum ſibi debitum; oleoſa ſimiliter, cùm ſint aërea, cæteris humoribus ſuperferuntur: projectus in aquam lapis, cùm plus habeat juris ad centrum, cogit aquam loco cedere vt imum ipſe petat. Ordinatas huiuſmodi actiones Ieremias[o] meritò vocat cœli & terræ legem, quæ rebus inſenſibilibus eò magis imperat, quo minus ab illa ſe poſſunt eximere, ſicut ars ſe potentiùs explicat in materia vim impreſſam faciliùs excipiente ſimul & conſeruante.

n L. 14. ff. de obl. & actio.

o Ierem. 32. 2.

Efficit ergo naturæ lex, vt omnia bonum appetant, ſed ſingulæ ſpecies ſuum, ſimul omnes bonum omne creatum, multiplex, & ſic infiniti quamdam expreſſionem videntur aſſequi. Singulis animalium ſpeciebus ſua iura ſunt, ſuæ potentiæ, dotes, ſolertiæ, quibus ceteris in contrarium nitentibus, velut actione legitima præualent. Ius eſt & bonum piſcibus in aquis degere, auibus in aëre, talpis & lumbricis in terra: aquilæ, leoni, delphino, lucio, cæteris ad rapinam natis animalibus, prædam aggredi occulto fortitudinis ſuæ ſenſu, & vt habeant amplius alimentum in igneo temperamento neceſſarium. At ceruis, leporibus, columbis, piſciculis ſua in latebris & fuga ſecuritas eſt.

Cùm ab vnitate diuina cuncta procedant, vnum agunt omnia, ſeruatâ tamen agentium proportione, nam bonum ad quod natura prouocat, vnicuique ſpeciei debet eſſe commenſuratum, ne ſit actionum confuſio, ne ſub vtilis ſpecie in nociua cæco quodam impetu res incurrant, totieſque fruſtrato fine ſingulari, per tot aberrationes, ab vniuerſali ſuo fine natura decidat. Propterea Iuſtinianus[p] à iure naturali, quod natura omnia animantia docuit, diſtinxit ius gentium, quod ſolis hominibus ratione præditis proprium eſt, vt eſt erga Deum, patriam, & parentes Religio; quædam vt omnibus communia ſunt, vt maris & fœminæ coniunctio, natorum educatio; quis populus iuſtum non æſtimet acceptis beneficiis vicem rependere, datam hominibus fidem ſeruare? quis parricidas, ingratos, fœdifragos, deceptores non horreat, & grauiſſimis pœnis coërcendos non iudicet. Verum eſt diuerſos eſſe apud diuerſas gentes ritus; ſed diuerſitatem hanc efficit communis omnibus ratio, poſitis enim talibus loci, perſonarum, temporis circonſtantiis, idem

p Inſt. de iure natur.

Digitized by Google

q Lib.3.confeſſ.

ab vnoquoque qui rectè ſapit, ferretur iudicium. Eſt, inquit D. Auguſtinus; [q] iuſtitia vera interior, non ex conſuetudine iudicans, ſed ex lege rectiſſima Dei omnipotentis quâ formatur morum diuerſitas, ſicut à ſole fit diuerſitas dierum in diuerſis regionibus, cùm idem ſemper ipſe ſit; ſicut in vna domo pluribus ſeruis diuerſa mandat officia lex œconomiæ; morboſque varios, varijs curat medicamentis medicina. Sic humanæ menti diuinitùs inſita ratio pro cœli, ſoli, genij varietate varios efficit populorum mores, ad vtilis, honeſti, iucundi boni conſequutionem.

In hoc vniuerſali gentium omnium ſpectaculo quidam occurrunt ferini mores, qui primùm ab æſtu paſſionis alicuius editi, dominantium etiam in ſumma potentia ſummè peccantium imitatione peruerſa, ſenſim in conſuetudinem abierunt: vt cadaueribus hoſtium veſci, promiſcuam exercere libidinem, ex rapto, furtis & latrocinijs viuere. Sed hæc rara, à paucis probata, velut inauſpicata prodigia cæteri mirantur & horrent; Vnde ſicut monſtra & inſolitæ quædam aberrationes, non deſtruunt, imò probant, vt dicemus, naturæ conſuetum ordinem, ſic mirus ille quorundam populorum furor, ſpectabiles magis efficit in cæteris regionibus, rationis & humanitatis leges. Cum in ſingulis climatibus ſub diuerſo cœlo, diuerſi contingunt habitus, & in vario terrarum mariſque ſitu diuerſos oporteat eſſe mores, jus ciuile vnicuique regioni vel ciuitati proprium conſtitutum eſt, ſeruato tamen vniuerſalis legis titulo, tùm quod omnes eiuſdem ſoli ciues adſtringit, nam jura [r] non in ſingulas perſonas: ſed generaliter conſtituuntur; tùm quod in totum non recedit à iure naturali, ſcilicèt à conuenienti bono proſequendo, quod aliter non poſſet obtineri.

r L. 2. ff. de iuſt. & iure.

Lex igitur eſt commune præceptum, [s] communis Reipublicæ ſponſio, Dei donum ad cuius præſcriptum omnes qui in ea Republica ſunt, vitam inſtituere debent. Iuris illius initium à natura profectum eſt, [t] deinde quædam in conſuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt, poſtea res & à natura profectas, & conſuetudine probatas, legum metus & religio ſanxerunt. Lex eſt diuinarum & humanarum rerum regina, [u] illi enim imperare conuenit, tùm ob multa, tùm quia Dei munus eſt & inuentum; cùm autem dicitur legem principibus imperare debere, non eſt intelligendum de lege in tabulis, ſcripta, ſed de animata intùs in ipſa ratione quæ ſemper cum ipſo conuerſans, non ſinit ſine tutela ſui viuere.

s L. 1. ff de de leg. l. 8. eodem.

t D. Auguſt. l. 83. quæſt. q. 31.

u Plutarch. l. dò regno.

Si Gallis in Gallia digentibus, non licet ad Hiſpaniæ legem viuere, verbi gratiâ ſeruos homines habere, quanto minus licebit brutorum mores & paſſiones induere, cùm enim homo ſit rationalis, & quodlibet eius ratione quod in ſe præcipuum & ſpecificum eſt agat, ſe-

Digitized by Google

quitur quòd vitam inſtituere debet non ad ſenſum, ſed ad rationem. Igitur cùm paſſim dicunt Philoſophi, naturæ ſe ſapiens accommodat; [x] vt illi nihil deſit, ad naturam viuendum; hæc de rationali natura debent intelligi, alioquin ſi ſenſibus & paſſionibus homines deberent abſtrahi ſicut animalia, furere, rapere inſtar leonum, pingueſcere ſicut ſues, luxuriari ſicut caper; exteris omnibus allatrare, læſos inſequi, inuidere, mordere ſicut canes, natura quæ in cæteris tendit ad optimum, hîc in deterius laberetur, de homine prçſtantiori creatura faceret brutum.

x Seneca ep. 16. & 17.

Qui viuit ad rationem viuit ad naturam, cuius opus ratione & intelligentiâ procedit; natura eſt ars diuina quam humana ratio, Deo dirigente, & opus ſuum per illam implente, mille modis imitatur & perficit. Hinc artes omnes ex actione naturali caſu contingente, ducunt originem; naturaliter laudantem, gaudentem, iraſcentem, dolentem imitantur pictores, poëtæ, Rhetores; humani corporis partes omnes ſcrutatur medicina, læſas ſanat, luxatas reſtituit, excedentes humores ad debitam origini temperiem reuocat. Iuſtitia communis virtus, ſuum vnicuique tribuens diuinam imitatur in orbis diſtributione ſapientiam. Cùm Iuriſprudentia definitur rerum diuinarum atque humanarum notitia, iuſti atque iniuſti ſcientia, vniuerſalem ſe profitetur; cùm regulas conſtituit dirimendis controuerſijs neceſſarias, monet [y] tales eſſe, vt non ex illis jus ſumatur, ſed ex iure quod eſt, regula fiat; illud autem jus vnde iuris regula ducit originem, non eſt ſimpliciter idem jus in diuerſis caſibus obſeruatum, & in regulam tranſlatum, ſic enim jus ciuile ſeipſum regularet; Caſus illi ſingulares ſub diuerſis ſemper ſpeciebus & circumſtantijs, varij, mutabiles, ex natura ſua producere non poſſunt, niſi jus incertum, varium, quod verè non eſt, & quod in certam, vniuerſalem legem ſeu regulam non coaleſcit. Ius ergo vnde regula iuris ſumitur, Ius eſt naturale, quippe primæuum, conſtans, vniuerſale, & quod verè eſt, ſcilicet ratio humanæ menti diuinitùs inſita, cui ſicut immobili mobiles juris caſus & deciſiones innituntur. Vnde dicta lex 1. ſubdit regulam eſſe quamdam cauſæ conjunctionem; quid autem obſeruat eandem in diuerſis caſibus vigentem & regnantem æquitatem, niſi ratio? Nam vt radius viſualis linea rectiſſima tendens in obiectum examinat rectitudinem regularum, quibus in diuerſis ſuis dirigendis operibus vtuntur artifices, ſic leges regulaſque juris ciuilis probat ad amuſſim ratio, vnde dicitur legis anima, quæ non minùs mouere debet judicem, quàm lex, ſiquidem lex nihil eſt aliud quàm rationis expreſſio, & vbi lex non eſt, ratio naturalis tacita quædam lex eſt, inquit Paulus. [z] Scire leges, [a] non eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem, nam legis & regulæ ri-

y L. 1. ff. de Reg. Iur.

z L. cum ratio. ff. de bon. damnat.

a L. 17. ff. de legib.

ui ſunt, ex prima veritate nobis naturaliter indita fluentes, quæ vt in ſapientum mente purior eſt, ſic ſemper eſt conſulenda, ſemper ad illam eſt prouocandum; mutatis rerum & temporum circumſtantijs, legem poſitiuam aut abrogat, aut illi derogat per priuilegia vel æquitatem eadem ſemper manens, mutabilia dirigens, reſtituenſque diuinitùs inſita ratio. Igitur ſi ſcientiæ, leges, artes à naturali lege fluentes, ſunt vniuerſales, multò magis ipſa cæterarum principium, dici debet vniuerſalis.

Non cenſetur lex, vt diximus, niſi ſit vniuerſalis, non apparet autem vniuerſalis, niſi rerum plurimarum in quibus viget enumeratione facta; Non igitur hoc in opere importuna videri debet inductio, quæ legem ipſam naturæ de qua quæritur vniuerſalitate ſua probat, & operis titulo propoſito reſpondet. Videmus Iuriſconſultos in hoc totos eſſe, vt vnius legis latentem rationem velut animam, pluribus ſimilium legum decretis ſtabiliant, & hic notatur juris apex peritiſſimis ſolùm peruius, noſſe rerum materiâ diuerſarum, ratione ſimilium conuenientiam. In grauis æri ſolutione non eſt importuna ſed grata quinariè nummorum effuſorum repetitio, donec impleat ſtipulatam debiti ſummam; ſic auidæ veritatis menti cedit in ſolutum rerum in vna veritate coïncidentium multitudo. Debiles ſunt oculi quibus non placet in longinqua proſpectus; anguſtæ ſunt mentes, & errore calculi iam deceptæ, quæ hoc in opere naturæ legem vniuerſalem profitenti hærent ſingularibus, ampliora nec optantes, nec capientes. Non aduertunt dictum ab Ariſtotele prima principia nobis inductione nota fieri; diſcimus, inquit, aut inductione, aut demonſtratione; eſt autem demonſtratio ex vniuerſalibus, inductio verò ex particularibus; impoſſibile verò eſt vniuerſalia contemplari niſi per inductiones; ſic deprehendimus ſpeciem obſeruatis pluribus indiuiduis, eam vniuocè participantibus. Hanc methodum ſequitur & præcipit in nouo ſuo organo Baconius Angliæ Cancellarius, ſcilicet vt conſtituantur tabulæ comparatiuæ quæ notent eandem in diuerſis ſubiectis naturam, tum à particularibus aſcendere docet ad axiomata minora, deinde media, tandem generaliſſima. Longum eſſet hìc in quauis propoſita lege per omnes naturæ ſinus diffundi, ſufficiet pauca delibare quæ non ad tædium prolixa, ſed breuiter viam indigitantia videbuntur mentibus ad vniuerſi ſpectaculum natis.

Lex

Digitized by Google

Lex naturæ eſt æterna veritatis.

§. 3.

SI contemplemur Deum in ſe, infinitam ſcilicèt ſuam potentiam, & omnia quæ ex illa prodire poſſunt poſſibilia & futura perfectiſſime comprehendentem; in hac infinita eſſentia, cui nihil de nouo poteſt adijci, ideæ rerum rationes & exemplaria ſunt ab æterno. Vt initium non habuerunt, ita non patientur exitum, quæ nunquam deſinent, ſed quandiu durabit mundus erunt immotæ ſpecierum, motuum, viciſſitudinum, actionum omnium regulæ. Agnoſcit illas & mirabundus exclamat Propheta: In æternum Domine verbum tuum permanet in cœlo; in generationem & generationem veritas tua, fundaſti terram & permanet; ordinatione tua perſeuerat dies quoniam omnia ſeruiunt tibi. A creationis ſuæ momento ſphæræ cœleſtes implent præſcriptas ſibi periodos indefeſſa circuitione; idem ſemper illarum motus, eadem inexhauſta ſolis, lunæ, cæterorum planetarum vis; aſſignatas ſibi qualitates & regiones ſeruant elementa, & hinc laudant ſapientes agriculturam, [b] quòd extra mundum ciuilem dolis refertum, fortunæ ludibrijs expoſitum, naturam eadem ſemper lege procedentem contemplatur. Idem ſemper in animalibus & plantis ſpecierum numerus; indiuiduorum cuiuſque eadem ſemper conformatio, idem inſtinctus, eædem potentiæ & actiones in eumdem ſemper finem directæ, licèt inter tot materiæ defectus quædam contingant monſtra, ſed vt dicimus ſterilia, ne longiùs confuſio graſſetur.

[b] D. Auguſt. lib. 8. de Geneſi ad liter.

Quis niſi conditionis ſuæ neſcius ignorat, naturaliter impreſſas eſſe cordibus hominum æternas & immotas quaſdam veritates, [c] quæ quod melius, quod pejus ſit, oſtendunt etiam in ſenſibilium appetituum tumultu: Vnde Galenus [d] aſſerit contra Pyrhonios dari certum de rebus iudicium, nam ex ipſo artes omnes parant ſibi apta organa, per ipſum cætera iudicantur. Hinc approbat methodum quæ in vtramque partem rationes adducit, vt iudicium naturale quod melius eſt eligat. Lex iſta, ſecundum D. Thomam, [e] dici poteſt habitus, in quantum continet aliqua præcepta quæ habitu in ipſa ratione ſunt, & eſt communis & immortalis quantum ad prima principia. Obſeruarunt, inquit Philo, [f] antiqui Patriarchæ quod poſteà legibus ſanctitum fuit, vnde dicendi ſunt animatæ leges, à quibus leges ſcriptæ deſumptæ ſunt: ſic vt nihil aliud contineant, quàm veterum patrum commentaria, in quibus eorum dicta factaque nar-

[c] Plato. 1. de leg.

[d] Lib. de optimo docendi genere.

[e] 12. q. 94. a. 1. 2. 3.

[f] Lib. de Abraha.

Digitized by Google

rantur. Ab omni ſæculo & à primis gentium omnium ſcriptoribus laudata fuit in Deum, in patriam & parentes pietas, in aduerſis fortitudo, beneficiis acceptis repenſa gratia, amicis, etiam inimicis ſeruata fides. Semper culta & laudibus excepta fuit, ſemper erit hæc iuſtitia [g] quæ præcipit honeſtè viuere, alterum non lædere, ius ſuum cuique tribuere; æquum quod quiſque putauit in ſe, [h] ſimiliter æquum putare contra ſe; aliis non facere quod quiſque ſibi fieri nollet. Quantumuis humanæ menti peccata tenebras offuderint, impreſſa primæua lux lucet in tenebris, & tenebræ illam non ſic comprehendunt, quin homo laudet etiam in hoſtibus virtutem, in ſe reatum arguat ſynderesis, & à pœnitentia non niſi deſperatione deterreatur.

[g] I. §. 3. Inſt. de iuſt. & iure.
[h] l. 1. ff. quod quiſ. iur.

Rationem hanc & æquitatem, ſingulis non amentibus inditam, prudentia ciuilis tranſtulit in bonum publicum, legeſque ſanciuit, quæ cum fundatæ ſint in æterna naturali veritate, pariter immortalitatem ſibi pollicentur. Plato [i] leges Reipublicæ daturus inuocat Adaſtriam, diuinam prouidentiam, potentiſſimam ineuitabilium legum dominam, quia leges à ſe conditas optabat immortales. Vt poſuit ideas à materia, loco, tempore pœnitùs abſtractas, extra mutationum aleam poſitas, quæ nutantem tot motibus naturam firmarent, in quibuſdam indiuiduis peccantem reſtituerent, ſic optat Rempublicam regi legibus ad inſtar fati neceſſariò ſtantibus. Inde mos fuit [k] illas in tabulis æreis incidere ad perpetuitatem momenti, datis etiam cuſtodibus ne quid vel minimum ex illis excideret. Menſuræ rerum quibus cæteræ conformari deberent apud Iudæos [l] in ſanctuario ſeruabantur. Theodoſius Imperator [m] præcipit in ſingulis ſtationibns publicè conſtitui menſuras & pondera ænea vel lapidea legitima cum præpoſitis, vt fraudare cupientibus fraudandi adimatur poteſtas: ipſi nummi, [n] vt ſint commune rerum pretium & difficultatibus permutationum æqualitate valoris ſubueniant, formâ publicâ percutiuntur: ſunt publicè conſtituti menſores [o] agrorum, frumenti, rerum cæterarum, ne fallat ipſamet quæ falſitatem debet excludere, regula.

[i] Lib. 5. de Rep.
[k] Plin. lib. 34. cap. 9.
[l] Leuit. 27.
[m] L. 18. & 21. C. Theod. de ſuſcep. propo.
[n] Plin. lib. 33. c. 3. l. 1. C. de contr. empt.
[o] l. 1. C. de cond. in publ. horreis tot. tit. ff. de menſorib.

Sunt leges illæ materiales ad intellectualium exemplar immutabiles & cuiuſlibet arbitrio non relictæ; hinc tanta de legibus non mutandis cautio, vt fuſiùs aliàs expoſui [p] omnes enim fundatæ ſunt in naturali lege, quam propterea extendere licet, [q] non tamen ab ea penitùs diſcedere; nam vt arbor ſemper radicibus hærere debet terræ vnde ſugit alimentum, fons origini ſuæ vnde contingit illi perennitas, lux ſoli vnde diffunditur, ſic rectum & æquum omne tale eſt quia conſentit cum jure naturali. Igitur ſi rerum materialium certæ, determinatæ & immutabiles ſunt origines & menſuræ; ſi ſol lucis,

[p] In digeſto ſapient. tit. minoritas differentiæ, & duratio veritatis.
[q] l. 6. ff. de iuſt. & iure.

Digitized by Google

temporum, fœcunditatis parens nunquam aberrat aut corrumpitur; ſi fontium aut fluminum capita olim ſacra fuere, ne quis illa temeraret, cur naturale ius cæterorum origo non ſeruatur pariter, certum, fixum, immutabile, & à prauis hominum opinionibus, illæſum.

Vt autem dignitas, vniuerſalitas legis naturalis pendet ex eo quòd conſtituta fuit à Deo, æterno decreta, & in ipſa rerum creatione promulgata, optimum videtur naturâ duce mentes ad ipſius conditoris & legiſlatoris Dei cognitionem transferre. Nam vt lux ſolis prius ſeipſam quàm cætera manifeſtat, & ipſa mediante videtur ſol; ſic Deus ſeipſum offert priùs humanæ menti, hinc per creaturas ad expreſſiorem eius cognitionem deuenimus. Principium eſt, à quo manat in nos vis omnis; medium, in quo ſumus & mouemur; finis vltimus, qui priùs intendi debet. Pia mens à bono, per bonum, in bonum circum agitur; agnoſcit auctorem ſuum, vt plus diligat, diligendo magis cognoſcit, nec enim ſine luce ſunt charitatis incendia, nec ipſa carent præmio, nam cognoſcentem & amantem, antè bonus, nunc iuſtiſſimus Deus donis amplioribus munerat. Hinc igitur ordimur jus naturale, & de prima cauſa priùs loquemur quàm de cæteris.



LIBER PRIMVS.

De cauſis & Rerum productione.

NATVRA cum toto ſuo ſplendido cœlorum, elementorum mixtorum plantarum animalium, ſpecierum apparatu, cum hac ampliſſima ſæculorum & generationum ſucceſſione, ſic amicè ſibi coniunctas habet partes omnes, Vt vnum quid efficiant, vnam infinitæ perfectionis & pulchritudinis imaginem. Dabitur aliquando nobis in æternitate beata, cui nihil præteritùm & futurum tali gaudere ſpectaculo, & rerum temporumque omnium præſens, ſic integrum hoc diuinæ ſapientiæ miraculum, vno velut obtutu contemplari. At nunc cum fluentia raptim & in tranſitu tantùm percipiamus, fractis etiam ſpeciebus ex præterito futuroque collectis, nitendum ſaltem nobis eſt, hæc meliori quo poſſumus ordine per partes velut palpando pertractare. Vt igitur in rerum exiſtentium progreſſu cauſæ ſuos præcedunt effectus, ſic nobis ius naturale referentibus, illi iam obſequente methodo, priùs dicendum eſt de cauſis, nam & ab earum inquiſitione dicit Ariſtoteles [r] incipiendam eſſe phyſicam contemplationem.

[r] 1. Phyſic. tex. 1.

Sic medici priùs ſcrutantur venarum originem in hepate, arteriarum in corde, neruorum in cerebro, & in ſpinæ vertebris quàm eorum propagines omnes accuratâ ſequantur anatome. Fontium & fluminum capita potiſſimùm notant geographi; qui texerunt genealogias, ſeriem earum poſteroſque ab antiquiſſimo parente velut ramos à trunco deducunt. Ipſe Moyſes [s] orbis geneſim deſcripturus ſic incipit, in principio creauit Deus cœlum & terram. Notat compendioſo, didacto tamen ſermone, primum omnium principium Deum ex nihilo producentem cœlum & terram, velut maſculum & fœminam vnde prodirent futuræ generationes.

[s] Gen. 1.

Sanè ſicut oculus procedens è tenebris in locum illuminatum, momento conuertitur ad diffuſæ lucis originem, tùm rerum eius im-

Digitized by Google

preſſione viſibilium ſpectaculo paſcitur : Sic vbi primùm ſe mens ad alicuius obiecti notitiam accingit , ſecreto quodam impetu cauſam tentat inuenire , & ſi non occurrit , eam auguratur. Præludit æternitati , & moras indignata , conatur ſupra materiam , ſupra tempus vt eſſentiæ dignitate , ſic acumine cognitionis erigi. Vt ſunt eminenter, ſic compendiosè poſſidentur effectus in ſuis cauſis : confuſa quidem primò hæc eſt notitia , ſed quæ diſponit ad dilucidiorem , dùm quod prælibatum eſt in origine ; probatur in effectibus. Hac ſublata generali rerum in cauſis ſuis contemplatione , non procedit inquiſitio , quin illam ad ſingulos greſſus ſiſtat mens, cauſam exigendo ſpecialem, quæ non habetur ſine generali prænotione. Ordiemur ergo à rerum cauſis, vniuerſalibus primò , tùm veniemus ad medias & ſubordinatas, earumque proprios effectus, ſi ad id præſtandum ; & ad exponendas vniuerſi leges, lucem nobis & auxilium dederit prima lucis & bonitatis omnis cauſa Deus, ad cuius cultum inſtaurandum, ſit hæc prima lex.

Vnum eſt ante multa lex prima.

§. 1.

NON eſt iam quòd conquerámur de rerum natura , quaſi nobis indiderit deſiderium , negauerit poſſeſſionem veritatis , cùm primam hanc cæterarum velut originem ; vel inculta ratio cognoſcat, oculus manuſque ſentiat, vndique ſermo nobis etiam alia cogitantibus , perſonet. Quis non intelligit ſe dum numerat vnitatem præmittere, & ab ea ſequentes duci numeros ? à puncto exiguæ & non diuiſibilis quantitatis fluit linea ; à linea quæ vnam habet quantitatis extenſionem procedit ſuperficies , à qua tandem ſolidum , vt ab vnitate multitudo ; ſic cæterarum rerum principia ; quò ſuperiora, eò ſunt ſimpliciora.

In ſeparatis mentibus, vt corruptioni ſic generationi non obnoxiis, vnius ſpeciei vnum eſt indiuiduum. In cæteris ab vno genere pendent ſpecies, ab vna ſpecie fluunt indiuidua; Ex Ariſtotele, plures orbium motores ab vno pendent motore; primum mobile ſitu ſuperius motu ſuo ſimplici cæteros orbes circumducit; lucis ſenſibilis fons vnicus ſol ; ſemen inſito ſibi turgens calore , collectoque in ſui centrum ſpiritu , ſenſim ſe promouet ad formationem animalis : inter partes, primas concedit cerebro , ſubſtantiæ ſimilitudine ſibi magis affini, motioniſque futuro principio ; tùm hepar venarum , cor arteriarum originem conſtituens, vbique multitudinem ducit ab vnitate. Caulis

eſt qui in plantis ſimplex ſuper terram aſſurgit, rami à caule ſiſſi multiplices prodeunt. In lineis mathematicis rectum eſt ante circulare, quia rectum eſt formæ vnius ſimplicis, circularis autem linea, eſt duarum formarum, eo quod habet formam conuexi & concaui. Licèt omnia mixta ſint compoſita ex quatuor elementis, ſingula tamen vnum præcipuum elementum ſequuntur, ſicut in quolibet elemento vna prædominatur qualitas; lapides ſunt terrei, metalla ſunt aquea, plantæ aereæ, animalia ignea, igneus eſt illis vigor, nullumque niſi ſub vno pullulat.

Tandem de quacumque re fiat ſermo, præponitur articulus quo ſignificetur vnitas, priuſquam exponatur eſſentia; [t] vnum enim eſt ſupra ens, quia quidquid eſt vnum eſſentia pariter eſt, non è conuerſo quidquid erit eſſentia, ſtatim erit & vnum. Eſt ſupra ens, quia verificatur de potentia & actu, & de oppoſitis. [v] Omnis poſt vnitatem numerus, vnitate perfectus & conſummatus eſt; ſola vnitas ſimplex à ſe perfecta, non egreditur ſe, ſed indiuidua ſimplicitate & ſolitaria ſibi cohæret, quia ſupereſt ſibi nullius indiga, plena ſuis diuitiis. Entis rationi multitudo & compoſitio non repugnat, repugnat autem rationi & conceptui vnitatis ſublimioris, ſcilicèt ſimplicioris & primæuæ. Vnitas eſt præſtantior eſſentiâ, & ſe habet ad illam eſſentia ſicut circulus ad centrum; eſſentiam enim firmat tanquam cardo quidam; vnde materia quæ abeſt ab ente, habet tamen vnitatem; eſt igitur vnitas omnium principium, cùm illam omnia participent.

[t] Ficinus in parmenid. cap. 41.

[u] Picus mirandulan. in Heptaplo.

Vnitas eſt in multitudine.

§. 2.

ANtecedit vnitas multitudinem quia producit, & quia producit, producit etiam conſeruat, & in ea velut imperans reſidet: nam vnitas eſt in ſingularibus, alioquin non eſſet multitudo quæ eſt collectio vnitatum. In vnaquaque lineæ parte inuenitur punctum; lineam imaginamur per fluxum puncti; ita tempus proceſſione momenti, numeros proceſſione vnitatis; quòd ſi in multitudine non eſſet vnum terminans, eſſet multitudo infinita, indiſtincta, occupans totius materiæ capacitatem, & excludens quidquid aliud ex ea fieri poſſet. Si totum igitur aliquod ſit finitum; ſi ad illud partes & ad ſe mutuo reſpectum habent, & inter ſe conueniant, id conſtat vnitatis virtute fieri.

Conſeruatio omnis ab vnitate, deſtructio & interitus à diuiſione.

Digitized by Google

ᵃ In vna ſpica multa graua diſtinctis ſunt ordinata cellulis, in granata & aliis fructibus communi teguntur tegmine, in aliis non, pendent tamen ab vna radice, ab vno trunco & caule radicis influxum per immiſſuras continuante. Cogitamus tantùm ſingularia & affecta vnitate, quia finita: multitudinem actu diuiſam ſimul & ſemel non apprehendimus; vniuerſalia concipiuntur per vnum genus aut vnam ſpeciem; ita gregem, turbam, populum concipimus per modum vnius, cuius ſingularia ſunt partes. Ita notat Gellius, propriè & ſine licentia, mille dici in ſingulari, vt mille hominum occiditur, cœlum & arenam ſemper in ſingulari numero dici, non in plurali. Ordo conſtituitur vnitate; numeri quorum eſſentia eſt in pluralitate, conformantur ab vno; centum intelligimus per ſemel centies vnum, hoc eſt conſtructionem ex ſemel centies repetita vnitate.

ᵃ Theophr. de cauſ. planta. lib. 4. c. 8.

Aſcenſio mentis ab vnitate corporea ad diuinam.

§. 3.

Vidimus vnitatem eſſe ante multa & in multis; ab illa multitudinem & ortum & conſiſtentiam mutuari, vnde fit vt mundus ex diuerſis contrariiſque compoſitus ſit ſimul vnum propter vnitatem partium, earum connexionem, ordinem, finem: & tamen multa, quia in eo ſunt contraria, res ſcilicet habentes eſſentiales differentias, principium, medium, finem, motus, effectus, paſſiones, actiones oppoſitas. Cùm autem hæc contraria, ſcilicèt vnum atque multa ſint in ente perfectè conflata, debet extare cauſa principalis quæ author ſit huic vni, quòd ſit vnum, & huic multitudini quòd ſit multitudo, & vt ſint inuicem conciliata; neque enim multitudo, cùm ſit vnitati oppoſita, poteſt eſſe cauſa vnius, nec inter ſe hæc oppoſita poſſunt vltrò conciliari.

Cùm omnia propter compoſitionem & multitudinem ſibi propriam non ſint verè vnum, debet dari vnitas cuius participatione ſint & conſeruentur. Oportet ab vnitate in materia jacente, aſcendere ad veram & abſolutam vnitatem; ſicut à vita addicta corpori, ad vitam, ideſt animam ſeparatam, vel ſeparabilem; ab intellectu qui eſt in anima, ad intellectum purum atque ſubſtantialem, ſicut in vno quoque genere deuenitur ad id quod eſt in ipſo primum. A calore aut lumine mixto frigori aut tenebris, ad calorem lumenque puriſſimum perueniendum, ratio naturaque docet; ab ente temporali, quod quodammodo eſt non enti permixtum, ad ens æternum; ſic ab vnitate imperfecta, ad vnitatem perfectiſſimam & abſolutiſſimam.

Digitized by Google

Ad circularem æqualiſſimam figurarum cæteræ inæquales reducuntur, & illa ad centrum indiuiſibile æqualitatis initium; formæ accidentales ad ſubſtantiales corruptibiles, illæ ad incorruptibilem & indiuiſibilem, vt aſcenſus qui in melius proficit, perficiatur in optimo. Similiter ſupra formas ſubſtantiales mobiles ſubſtantia, eſt anima rationalis per ſubſtantiam immobilis, mobilis per operationem; ſuper ipſam eſt Angelus, conſtans actu & potentia, ſed ſimul & ſubito omnia ſimul intelligens, itaque eſt multitudo, eſſentia & operatione immobilis; at cum ſupra numerum ſit vnitas, erit ſupra Angelum vnus, æternus, immobilis, ſimplex Deus, tanto potentiſſimus, quanto ſimpliciſſimus, quia in vnitate poteſtas.

Eſt ante creaturarum multitudinem propria eſſentiali ſuâ bonitate infinitè beatus; [y] ideo dicitur in ſcripturis antiquus dierum, quia locum in immenſitate ſua, tempus in æternitate, motus in immutabilitate conſtituit; vt vnitas vbique reperitur in numeris, dans illis initium, medium, finem; vt centrum & punctum in lineis, & in toto circulo reperitur. Ita Deus vbique præſens, in mentibus ideas & rationes, in natura ſemina, in materia formas effundit, ſiguliſque rebus potentiam intimam, ſuæ imaginem, quæ eſt vnitas ad quam ſe res colligit, & centrum ſuum attingit. [z] Sic Deus eſt intrà vt extrà ſit, ſic circumſtans vt penetret, ſic præſidet vt portet, ſic portat vt præſideat. Sicut particularis cauſa adeſt particulari effectui, vt ignis ignito, ſic vniuerſalis vniuerſali; implet opus ſuum, ſed eſt in omnibus, quia in eo omnia ſunt, quæ niſi eſſent in eo, non eſſent. Fallit nos, phantaſia concipiens Deum ſparſum per corporalem mundi machinam; nam corporalis machina eſt vmbra quædam exilis quæ innumerabiliter in paruas partes diuiditur, habetque paruitatem interminabilem, magnitudinem terminatam, at verè vnus, verè magnus Deus, & magnitudinis eius non eſt finis, in quo quidquid eſt, totum eſt omne magnum, infinitum, impartibile.

[y] D. Dyoniſ. de diuin. nominib. c. 10.

[z] D. Greg hom. 17. in Ezechiel.

Mundus ab vnitate diuina creatus & ordinatus.

§. 4.

SVpremum cœlorum tranſgredere, id enim menti licet, & ex alto vide pendentem in vacuo machinam hanc corpoream; cùm ſit corpus, non eſt entium nobiliſſimum, ſpiritualem enim naturam eſſe præſtantiorem probat vel ipſa mens tua, illud comprehendens, metiens, ſuperans, & vltra limites tùm loci, tùm exiſtentiæ, vota cogitationeſque

Digitized by Google

cogitationeſquẽs ſuas mittens : non ſe corpus hoc produxit, quia contradictoria ſupponuntur, fuiſſe vt produceret, non fuiſſe vt produceretur. Confuſas fuiſſe partes in æterno chao, rudi & indigeſta mole, & tandem hinc erupiſſe, ſedeſque proprias occupaſſe, fabuloſum eſt, & à ratione penitùs alienum; vt ſcilicèt bonum temporale ſit, malum æternum, bonique principium. Vndè fit vt per illimitatam ad antè durationem vires illæ conſopitæ remanſerint? vndè fit vt æterna merſæ caligine in lucem, de potentia in actum, de non eſſe ad exiſtentiam emerſerunt; vt ordo ex confuſione, ex turpitudine pulchritudo, vis ex infirmitate prodierit, ſibique tandiu mundus fuerit inofficioſus non dando quod poterat, aut vanus ſibi volens præſtare quæ non habebat? Vt igitur effectus omnes ſuas agnoſcunt cauſas ſupra ſe poſitas vnde ducunt originem; vt quidquid mouetur, ab alio mouetur; vt videmus corpora ex ſe, & ex materiæ parentis in imo rerum iacentis conditione torpentia, ſuſcitari per formam ab extra venientem, affinemque naturæ ſpirituali, ſic ratio conuincit dari mentem ſupremam æqua ſapientiæ potentia, huius ingentis operis creatricem & moderatricem.

Id clariùs patebit ſi coniectis intra machinam hanc oculis, partium eius numerum, ſitum, ordinem, vireſ, motiones harmonicè contemperatas, mediis extrema conciliantibus perſpexeris. Ordinem non conſtituit niſi ratio, quæ cùm diuerſarum partium conditiones omnes acuratiſſimè nouerit, illas vocat in communionem, temperatis ſingularum viribus aliarum mixtione, prout exigit æqualitatis lex, boni communis, ideæ, intentique finis conſequutio. Ita nullus ratione prædıtus palatium, ritè diſpoſitis ad ſecretum & magnificentiam partibus; nullus horologium, rotis, ponderibus, contractione ſenſim ſe in naturam ſuam reſtituente tempus nobis metiens; machinas bellicas, ad arbitrium ſerenò fulgurantes; & ſimilia caſibus adſcribit, non arti. Si vel minimum opus digeſtis in ordinem partibus arguit opificis artem & potentiam, qualis eſſe debet ars & potentia, quæ mundanam machinam amplitudinis tantæ, tali diſpoſuerit ordine, in tanto fecerit & continuerit obſequio, vt à tot ſæculis nihil aberret, opuſque naturæ ſit perpetuum opus intelligentiæ. Summa debet eſſe ſapientia rebus innumeris, diuerſis, contrariis, maximis minimiſque æqua bonitate prouidens : ſumma poteſtas quæ hæc ingentia corpora, vires omnes ſuas in actum, impetu velut neceſſario ex ſe modum neſciente, proferentia continet : quæ velut fræno cohibet ignem, ne cæteris corporibus loco ſuperior, actiuitate præſtantior, aëris ſibi vicini, fauentiſque conuerſis in ſe viribus, totum orbem depaſcatur; ne ſibi debitam terræ ſuperficiem oceanus vindicet, & vt in nos ſtato tempore limiteque mox receſſurus excurrat;

D

Digitized by Google

quod dies & nox, hyems & æſtas, planetarum aſpectus, ex corruptione generationes certis ſemper procedant periodis.

Vnitas diuina ſupra multitudinem multis expreſſa nominibus.

§. 5.

SEnſit hoc antiquitas, intellexerunt ſapientes jouem vnum cuſtodem, rectoremque vniuerſi, animum ac ſpiritum, mundani hujus operis dominum & artificem, cui nomen omne conuenit: vis illum fatum vocare, non errabis, inquit Seneca,[a] hic eſt enim ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, cauſa cauſarum; vis illum prouidentiam dicere, recte dices; eſt enim cuius conſilio huic mundo prouidetur vt inconcuſſus eat, & actus ſuos explicet; vis illum naturam vocare, non peccabis, eſt enim ex quo nata ſunt omnia, cuius ſpiritu viuimus: vis illum vocare mundum, non falleris, ipſe enim eſt totum quod vides, tot partibus inditus, & ſe ſuſtinens vi ſua.[b] Licet hunc rerum authorem, Liberum vocare quia primùm ab eo ſeminum vis, Herculem quia vis inuicta, Mercurium quia prima ratio penes illum eſt; Iouem propter mirabilem pietatem; Saturnum, propter profunditatem cogitationum; Martem, propter vim inuictam; Solem propter vigorem motuum naturalium,[c] omnia eiuſdem Dei ſunt nomina variè vtentis ſua poteſtate,[d] vel vicarias vices ſuas tribuentis tùm planetis, tùm geniis qui ſub ipſo regunt orbem.[e] nomina Deus habet omnia quoniam pater eſt omnium, nomen quoque nullum habet, quoniam vnus eſt Pater. Deus eſt quod nullum ex ipſis eſt, horum tamen omnium, vt ſint, cauſa,[f] ſic in Panthæo Romæ omnium Deorum templo, erat altare termini illimitati, in medio tecto aperto & ſub dio, vt vnitas ſupra multitudinem, & ex vnitate multitudo intelligeretur: ſic idololatria vel ipſo naturæ lumine reatum ſuum agnoſcens pluralitatem numinum in vnam toti mundo præſidentem diuinitatem retulit. Defœcata ſit licèt & cœlo accepta noſtra Theologia, cogitur tamen diuerſis inadæquatis conceptibus, bonitatis, miſericordiæ, potentiæ, infinitè perfectam diuinam eſſentiam prout poteſt, exprimere.

[a] Natur. q. lib. 2. cap. 45.

[b] Seneca 4. de benef. c. 7. Gard. Cuſa lib. 2. de docta ignorantia. c. 25.

[c] Seneca dicto loco.

[d] Cyrill. Alexand. lib. 4. D. Aug. Epiſt. 43.

[e] Triſmeg. pyma. c. 5.

[f] Cuſa. dicto loco.

Digitized by Google

Supra mobilem & multiformem rationem, eſt vnus intimus Dei ſenſus.

§. 6.

FOeliciter quidem procedit hæc per creaturas Dei cognitio, & rationis noſtræ velut partus præcipuus, ſummo præ cæteris amore colitur: cum ſimus inter tempus & æternitatem medij, pulchrum eſt ſenſus rationiſque temporarias vires æternitati conſecrare; cùm tamen diſcurſus ille ſit mobilis & multiplex, inniti debet immobili & innato nobis diuinitatis ſenſui. Nam vt oculus abhorret ab abyſſo, ſic animus ſibi relictus naturaliter cùm ſit limitatæ virtutis, auerſaretur cognitionem infiniti, & quæ de illo dicerentur, non magis intelligeret, quàm cæcus à natiuitate colores, niſi prouocaret illum & erigeret hæc inſita ſummi boni prælibatio. Ideo Religionem erga Deum, inter leges naturæ, iuſque gentium refert Iuſtinianus, [g] quia nulla natio tàm fera, quæ in hoc generali cultu, ſocietatis humanæ communiſque principij velut attractione non concordet, illòque non concilietur. [g] 2. ff. de iuſt. & iur.

Sicut aër ſine aëre auribus innato non auditur, ac plenus lumine oculus videt lumen, vt ſolem per ſolem ipſum videmus, ita Deus ſine Deo non cognoſcitur. Præcedit ergo, firmat & dirigit multiplicitatem ratiocinationis in inquiſitione Dei, hæc vna nobis inſita ad Deum inclinatio. Lux eſt quæ lucet in tenebris, quam tenebræ non comprehendunt, nec penitùs obnubilant; licèt enim rerum terrenarum curis & paſſionibus obſcuretur, reuiuiſcit tamen vbi ſe profert aliqua ratio vel creatura quæ Deum refert, [h] ſicut obliterati nominis aut vultus alicuius reminiſcimur, præſentibus cognatis quibuſdam obiectis quæ ſpecies antiquas refricent. Non eget hac longa prætentatione, ſed præſens habet quod optat, qui valet memoria: ſic non vtitur hac Dei per creaturas inquiſitione, non quærit veritatem per ambigua, ſtabilitatem per motum, vnum per multitudinem, ſed in ſe videt, audit, tangit quodammodo Deum, anima quæ ſe puram illibatamque ſeruauerit. Cætera quæ extra nos ſunt, motu, labore, ſtudio quærimus, diuina verò cùm intra nos ſint, quiete, otio, tranquillitate comprehenduntur. [i] Cùm anima omnibus ſentire præſtet, ab initio ſortita eſt ſui & authoris ſui ſenſum: habet ſummum ſuum & intimum, in quo Deus velut in propitiatorio ſedet, & ad veritatis cuiuſlibet notitiam fundit oracula. [k] In circulo vnicus eſt locus centri à quo cæteras partes demetiaris, & quod omnibus quaſi quodam æqualitas iu-

[h] D. Auguſt de doct. Chriſtia. lib. 10. c. 21.

[i] Tertulian. lib. de carne Chriſti & lib. de anima. c. 15.

[k] D. Auguſt. lib. 1. de ordine. c. 2.

Digitized by Google

re dominatur, ſic animus, qui per multa diſſipatur, in vno ſui, vbi Deus eſt, requieſcit. Ingens opulentia mentis quæ quoties pretioſos Dei & naturæ cupit theſauros, illos non aliunde, ſed ex proprio eruit ſinu; vnde tantùm creſcit virtute, quantùm creuerit vnione, & collectis in centro ſui radiis, luce ſimul & calore, ſolem diuinum expreſſerit.

Vnitas Religioſa.

§. 7.

DEvs igitur, vt probauimus, eſt ſupereminens vnitas, ante omnia, omnium idæa, fons, effectrix, conſeruatrix, mundus ipſe archetypus ſimpliciſſimus, mundum creauit ſenſibilium ex multis compoſitum, vnitatis ſuæ ductu ſecreto inter diuerſa contariaque ſemper vnum. Singulis ſpeciebus indidit proprium inſtinctum, ſingulis indiuiduis formam vnam, vnde multiplices potentiæ manant, & ad infinitè diuerſos motus vim directricem accipiunt. Nobiliori parti cæteris dominaturæ homini ſcilicet ad multiformes actus nato, vna præſidet naturaliter inſita veritas, qua fit æqui bonique conſciens, omnium arbiter, ipſius primæ bonitatis conſors & particeps, ſi conceſſis ſciat vti muneribus.

At quia ſolet ex alto periculoſior eſſe lapſus &[l] peruerſa diuinæ perfectionis imitatio erat futura primo ex Angelis & hominibus, cæteriſque deinceps infinitæ cuiuſdam aberrationis cauſa, præuidit malum hoc diuina bonitas, & vt pararet remedium, verbum voluit incarnari. Perierat homo volens fieri ſimilis Deo, inquit D. Bernardus,[m] verbum incarnatum eſt, & tale ſe exhibuit, vt quiſquis inuidere voluerit, quiſquis geſtierit imitari, fiat ei iſta imitatio in bonum.[n] Refulgent in eo totius noſtræ ſalutis efficiente & exemplari cauſa, multiformes actus ſublimitatis, ſapientiæ, officij & miniſtrationis, condeſcenſionis miſeriæ, informationis vitæ perfectæ ſingulis etiam hominum conditionibus. Vt ſol non tantum nobis lucet cum eſt ſuper noſtrum horizontem ſed etiam ante ſuum ortum & poſt occaſum, per lunam & ſtellas, ſic Chriſtus primogenitus omnis creaturæ, ad naturæ noſtræ dignitatem & remedium mundo naſciturus, præuenit ſæcula gratiarum ſuarum effuſione, & electis omnibus, ſub lege naturali, Moſaica, tandem Euangelica, factus eſt cauſa prima ſalutis.

[l] D. Auguſt. lib. 2. confeſſ. cap. 6.

[m] Serm. 1. de Aduentu.

[n] D. Bonauent. in Apolog. pauper. reſp. 11. c. 1.

Conſummatis myſteriis breui vitæ mortalis curriculo, reliquit ſummi ſui Sacerdotij vicarium Petrum; Petram Eccleſiæ ſuæ fundamen-

Digitized by Google

tum vnde firmitas; corporis viſibilis caput viſibile, vnde membris cæteris ſenſus fidei, motus charitatis. Cùm enim nemo velit ab eo, quem ſibi æqualem putat, Religionis leges accipere, tot eſſent varij rebus diuinis ſenſus, quot eſſent Rectores ſua pertinaciter aſſerentes, niſi rixantibus ſummus vnus Pontifex ius diceret; niſi ſcripturarum obſcura & ambigua, luce ſua diſcuteret, ſic ſanguinolentæ populiſque fatales de Religione controuerſiæ dirimerentur. Sub hoc vno Præſule conſeruatur per vniuerſum orbem à naſcentis Eccleſiæ temporibus vna fides, vnicus ſibique ſemper par de rebus diuinis ſenſus; Veritatis enim vna vis, vna facies eſt; at nunquam in falſis conſiſtentia, variantur & diſſident. Apud hæreticos quot capita, tot ſenſus, tot errores, tot ſacrilegia, licèt odio communi, & facta in ſedem Romanam coniuratione, vnitatem mentiantur. In præcipuis fidei myſteriis contradictoriis ſe lacerant dogmatibus, conueniunt tamen vt lupi ad diſpergendum Chriſti gregem; [o] vt dæmones non ſe diligunt, licèt concordent in malo, [p] ſicut olim Melitiani eum Arianis, vt Eccleſiam validiùs oppugnarent. [q] Concordes ad diſcordiam, conciliant inter ſe inimiciſſimas amicitias, & pari conſentaneæ malignitatis affectu celebratur odioſa collatio.

[o] D. Thom. 1. q. 109. a. 2. ad 1.

[p] Baron. a. 316.

[q] D. Bernar. ſer. 24. ſup. cantica.

Vidit & paſſa eſt illos ſeu ſucceſſiuè ſeu turba ruentes Eccleſia, at deletos innumeros recenſet, & immotæ rupis inſtar exſiccato tot errorum torrente, ſtat firmior in traditis ſibi æternæ veritatis regulis. [r] Antiqua dici poteſt Religio, propter prædictiones & figuras quæ præceſſerunt; noua propter nouum aduentum Dei: ſed iterùm antiqua nuncupatur reſpectu fidei, nunquam ab exordio ſuo varietatem paſſæ, tum hæreſum comparatione, quarum in diuerſis temporibus vidit natales & occaſum. [s] Prius ſeminatum eſt triticum, dein inimicus homo ſuperſeminauit zizania, prius eſt corpus quàm vmbra, prior veritas quàm mendacium veritatis æmulum, prius vnum, quàm multa. Ex ipſo, inquit Tertulianus, [t] ordine manifeſtatur id eſſe dominicum & verum, quod ſit priùs traditum, id autem extraneum, falſum, adulterinum quod ſit poſteriùs immiſſum. Ita D. Auguſtinus [u] de ſua conuerſione conſultans, dùm ex vna parte videt antiquitatem & firmitatem fidei, ex alia hæreſum ſucceſſiuos ortus & interitus, concludit; Tenet me in Eccleſiæ Catholicæ gremio, conſenſus populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata, tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum: Tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter multas hæreſes, ſola Eccleſia obtinuit.

[r] D. Greg. Nazianz. orat. 3.

[s] Matth. 13.

[t] Tertulian. de præſcr. cap. 31.

[u] Lib. contra Epiſtol. Manich. c. 4.

Digitized by Google

re dominatur, ſic animus, qui per multa diſſipatur, in vno ſui, vbi Deus eſt, requieſcit. Ingens opulentia mentis quæ quoties pretioſos Dei & naturæ cupit theſauros, illos non aliunde, ſed ex proprio eruit ſinu; vnde tantùm creſcit virtute, quantùm creuerit vnione, & collectis in centro ſui radiis, luce ſimul & calore, ſolem diuinum expreſſerit.

Vnitas Religioſa.

§. 7.

DEVS igitur, vt probauimus, eſt ſupereminens vnitas, ante omnia, omnium idæa, fons, effectrix, conſeruatrix, mundus ipſe archetypus ſimpliciſſimus, mundum creauit ſenſibilium ex multis compoſitum, vnitatis ſuæ ductu ſecreto inter diuerſa contariaque ſemper vnum. Singulis ſpeciebus indidit proprium inſtinctum, ſingulis indiuiduis formam vnam, vnde multiplices potentiæ manant, & ad infinitè diuerſos motus vim directricem accipiunt. Nobiliori parti cæteris dominaturæ homini ſcilicet ad multiformes actus nato, vna præſidet naturaliter inſita veritas, qua fit æqui bonique conſciens, omnium arbiter, ipſius primæ bonitatis conſors & particeps, ſi conceſſis ſciat vti muneribus.

[l] D. Auguſt. lib. 2. confeſſ. cap. 6.

At quia ſolet ex alto periculoſior eſſe lapſus &[l] peruerſa diuinæ perfectionis imitatio erat futura primo ex Angelis & hominibus, cæteriſque deinceps infinitæ cuiuſdam aberrationis cauſa, præuidit malum hoc diuina bonitas, & vt pararet remedium, verbum voluit incarnari. Perierat homo volens fieri ſimilis Deo, inquit D. Bernardus,[m] verbum incarnatum eſt, & tale ſe exhibuit, vt quiſquis inuidere voluerit, quiſquis geſtierit imitari, fiat ei iſta imitatio in bonum.[n] Refulgent in eo totius noſtræ ſalutis efficiente & exemplari cauſa, multiformes actus ſublimitatis, ſapientiæ, officij & miniſtrationis, condeſcenſionis miſeriæ, informationis vitæ perfectæ ſingulis etiam hominum conditionibus. Vt ſol non tantum nobis lucet cum eſt ſuper noſtrum horizontem ſed etiam ante ſuum ortum & poſt occaſum, per lunam & ſtellas, ſic Chriſtus primogenitus omnis creaturæ, ad naturæ noſtræ dignitatem & remedium mundo naſciturus, præuenit ſæcula gratiarum ſuarum effuſione, & electis omnibus, ſub lege naturali, Moſaïca, tandem Euangelica, factus eſt cauſa prima ſalutis.

[m] Serm. 1. de Aduentu.

[n] D. Bonauent. in Apolog. pauper. reſp. 11. c. 1.

Conſummatis myſteriis breui vitæ mortalis curriculo, reliquit ſummi ſui Sacerdotij vicarium Petrum; Petram Eccleſiæ ſuæ fundamen-

tum vnde firmitas; corporis viſibilis caput viſibile, vnde membris cæteris ſenſus fidei, motus charitatis. Cùm enim nemo velit ab eo, quem ſibi æqualem putat, Religionis leges accipere, tot eſſent varij rebus diuinis ſenſus, quot eſſent Rectores ſua pertinaciter aſſerentes, niſi rixantibus ſummus vnus Pontifex ius diceret; niſi ſcripturarum obſcura & ambigua, luce ſua diſcuteret, ſic ſanguinolentæ populiſque fatales de Religione controuerſiæ dirimerentur. Sub hoc vno Præſule conſeruatur per vniuerſum orbem à naſcentis Eccleſiæ temporibus vna fides, vnicus ſibique ſemper par de rebus diuinis ſenſus; Veritatis enim vna vis, vna facies eſt; at nunquam in falſis conſiſtentia, variantur & diſſident. Apud hæreticos quot capita, tot ſenſus, tot errores, tot ſacrilegia, licèt odio communi, & facta in ſedem Romanam coniuratione, vnitatem mentiantur. In præcipuis fidei myſteriis contradictoriis ſe lacerant dogmatibus, conueniunt tamen vt lupi ad diſpergendum Chriſti gregem; [o] vt dæmones non ſe diligunt, licèt concordent in malo, [p] ſicut olim Melitiani cum Arianis, vt Eccleſiam validiùs oppugnarent. [q] Concordes ad diſcordiam, conciliant inter ſe inimiciſſimas amicitias, & pari conſentaneæ malignitatis affectu celebratur odioſa collatio.

[o] D. Thom. 1. q. 109. a. 2. ad 2.
[p] Baron. a. 316.
[q] D. Bernar. ſer. 24. ſup. cantica.

Vidit & paſſa eſt illos ſeu ſucceſſiuè ſeu turba ruentes Eccleſia, at deletos innumeros recenſet, & immotæ rupis inſtar exſiccato tot errorum torrente, ſtat firmior in traditis ſibi æternæ veritatis regulis. [r] Antiqua dici poteſt Religio, propter prædictiones & figuras quæ præceſſerunt; noua propter nouum aduentum Dei: ſed iterùm antiqua nuncupatur reſpectu fidei, nunquam ab exordio ſuo varietatem paſſæ, tum hæreſum comparatione, quarum in diuerſis temporibus vidit natales & occaſum. [s] Prius ſeminatum eſt triticum, dein inimicus homo ſuperſeminauit zizania, prius eſt corpus quàm vmbra, prior veritas quàm mendacium veritatis æmulum, prius vnum, quàm multa. Ex ipſo, inquit Tertulianus, [t] ordine manifeſtatur id eſſe dominicum & verum, quod ſit priùs traditum, id autem extraneum, falſum, adulterinum quod ſit poſteriùs immiſſum. Ita D. Auguſtinus [u] de ſua conuerſione conſultans, dùm ex vna parte videt antiquitatem & firmitatem fidei, ex alia hæreſum ſucceſſiuos ortus & interitus, concludit; Tenet me in Eccleſiæ Catholicæ gremio, conſenſus populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata, tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum: Tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter multas hæreſes, ſola Eccleſia obtinuit.

[r] D. Greg. Nazianz. orat. 3.
[s] Matth. 13.
[t] Tertulian. de præſcr. cap. 31.
[u] Lib. contra Epiſtol. Manich. c. 4.

Vnitati diuinæ & mundanæ cætera nituntur conformari.

§. 7.

RESpublica corpus eſt, quod vt ex omnium votis ambitioſis eſſe poſſit æternum, informari debet anima ſimul immortali, & corpori ſuo immortalitatem præſtante. Lex illi pro anima, & quidem non ea lex quæ ſit ex hominum inſtituto, velut forma quædam artificialis vim inferens & tantùm ſuperficie tenùs inhærens, ſed ad inſtar eius quæ corporibus noſtris dat vitam, ſpiritualis, immortalis, à Deo procedens, in Deum rediens, & quod amplius eſt, nunquam ab eo corpore cui iungitur ſeparanda. Hæ conditiones duplici legi diuinæ congruunt, primo naturali, quâ lux primæua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ita ſæculis omnibus coexiſtens & ipſi mundo ſuperſtes.[x] Huic qui non paret, ipſe ſe fugit, naturam ſuam aſpernatur, nullis valebit imperare,[y] quia nec illi licet ſine hac ſuæ rationi à Deo patre præpoſita tutela viuere.[z] Propstereà caput imperantis corona cingit, vt intelligat ſe hac conditione fieri caput hominum, ſi fuerit ſub omnium capite Deo, regnantemque vt alios conſtringendi ius habeat, ipſum hoc vinculo cæterorum primo debere conſtringi. Sic victitant licèt languidè regna, quæ cùm in multis aberrent, ſeruant tamen vt plurimum legem naturæ, ſicut quædam corpora, ſuis vitalibus partibus integris, viuunt externis arthritide tortis, ſyderatione corroſis, elephantia diffluentibus.

[x] Lactantius lib. 6. Inſtit. c. 8.

[y] Plutarch. lib. de regno.

[z] Ex D. Chryſoſt. Photius Biblioth. c. 277.

Secundaria lex, primam implens & perficiens, eſt vera Chriſtiana Religio, quæ quia durabit ex diuinis oraculis vſque ad finem ſæculorum, etiam illuc perducit ſibi commiſſum & docile regimen. Habere ſe videtur ad legem naturæ, ſicut mens ſuperior noſtri pars ad animam ſenſibus & rationi præſidentem. Nam ſi rectè ſeruetur, varios mortalium affectus conſolidat æternorum contemplatione; altis imprimit pectoribus æquitatem, quam fruſtra vis legum tentat extorquere; fœdifragos continet Iuriſjurandi ſacramento, tunc enim humana fides efficitur conſtans, cùm accedit diuinæ, & fugitiuæ mentes hoc duplici vinculo colligantur. Quod præcipuum eſt, rationem fœliciter captiuat in obſequium fidei, ſupremis illuſtrat fulgoribus, hominemque tot ſuſtollit gratiarum ſubſidiis vt diuinæ fiat conſors naturæ.

Suprema vis, ſed ſupremum merumque deferri ſibi vult imperium, nihil contra leges à ſe poſitas moueri; nam ſi varia ſit de rebus diuinis fides, ſi ſectis in contrarium nitentibus ſint partitæ men-

Digitized by Google

res, Religio iam non erit vna forma vniens, ſed multiplex poſſidens & torquens vt in energumenis; erit ſua cuique parti coniuratio, ad nocendum ipſamet vnione validior; erunt inter oppoſitas mediæ, proditionibus peruiæ, populuſque ſibi factus hoſtis, mutuis cœdibus & direptionibus ſe conficiet. Ex oraculo Domini [a] regnum in ſe diuiſum deſolabitur, maximè pretextu religionis, nulla namque maior diuiſionis cauſa, quàm quæ reperitur in ipſomet vnionis principio; vt vitæ nihil magis aduerſum, quàm lethale vulnus partibus ipſis inflictum, vnde dependet vita. Si lumen quod in te eſt tenebræ ſunt; ipſæ tenebræ quantæ erunt; ſi Prælati, ſi Doctores, qui toti debent eſſe in dirimendis aliorum controuerſiis, ipſimet diſſentiant & in contrarias opiniones ſcindantur, meritò velut perituræ mox Eccleſiæ, plaudunt hæretici, conclamant fideles, cùm vnitatis immotæ locum ſubeat ruinæ prœnuntia diuiſio, & quæ viribus alienis ſuperior extiterat, propriis in ſe conuerſis, motoque fundamento dilabatur. Sit igitur vnum ante multa, & inconcuſſa fides cohibeat opinionum veritatem.

[a] Matth. 6. 25.

Quælibet regiminis ſpecies habet ſibi propriam fundamentalem legem, velut omnis motus ſui cardinem; Democratia libertatem; Ariſtocratia præſtantiorum contra populum & tyrannum tutelam; Monarchia, ſummum ius pro populi ſalute, cui ſe Rex dum inauguratur adiecta iuramenti religione deuouet. Huic ab ipſo regiminis ortu regnanti legi, æquum putant ſeruire cæteras mutabiles, prout exigit rerum, perſonarum, temporum ratio, & quæ projectæ jacent, iterùm aſſumendæ, vel remouendæ, velut inſtrumenta quæ ſummo iure ſibi dominantem ideam, manumque artificis expectant & ſequuntur.

Æquiſſimns tamen & populis conuenientiſſimus debet eſſe finis qui proponitur, ſic vt de ipſo nulla facta conſultatione, habeatur tantùm de mediis quibus poteſt obtineri. At quæ tandem Reſpublica ſic ſibi proponit verum & optimum finem, vt ad illum mouendum ſæpè ratio, aliquando neceſſitas, tandem fatalis illa rerum omnium conuerſio non iudicat, & cui, licèt in contrarium mutato, ſæcula non præſcribant? Nam quæ poteſt eſſe in hoc vniuerſi fluxu ſoliditas? quid cum vniuerſo non rapitur? heu quàm anguſta mens homini, quàm fallax, quæ præſentibus ipſis non ſufficiens, ignotis ſibi futuris, & extra ſortem ſuam poſitis, audet leges dicere. Impugnat Ariſtoteles ſingulas plurium ciuitatum leges, quæ ſibi pro fine conſtituerant, aliæ rem bellicam, aliæ pecuniarum theſauros, commercia, pacem, voluptates; vnaquæque pro diuerſo ſibi genio præſidente: & hæ omnes diu variam rerum alterabilium ſortem expertæ, tandem deſierunt, ſuis & alienis ſuperiniectis ſepultæ cineribus.

Digitized by Google

Quot publicis Comitiis Romæ laboratum eſt pro ſtabilienda monarchia, Ariſtocratia, Democratia, & mixto ex omnibus regimine, cùm tamen in ſingulis, dum vigebant, æternitatem ſibi polliceretur; at periere tùm fines, tùm media, & peracto in Monarchiam circulari reditu, eadem fati lege quâ cœperat occubuit. Porrò vnum eſt neceſſarium, ſcilicèt inhærere Deo, ſummo noſtro bono mediâ quam nobis impreſſit ad ipſum & ad probitatem conſcientiâ, etiam ea quam nobis reuelauit Chriſtiana religione: ex hoc tantùm beatitudinis & æternitatis fonte, licet perſonis & regnis haurire veram perpetuamque, quam augurantur, & quam ex humana ſapientia falsò ſibi ſpondent, fœlicitatem.

Vnicuique ſua ſingularis exiſtentia ſic eſt chara, ſic pretioſa, vt videatur illi ſummum bonum, quod propter ſe, & propter quod aliud omne quæritur. Huic amor concupiſcit, ira militat, metus agit excubias, congerit auaritia, deſudat ambitio, etiam quæ boni publici titulo fulgent, illi ſeruiunt. At ſi res attentiùs perpendatur, conſtabit hanc non eſſe veram & dominantem quam quærimus vnitatem. Quòd tot circa vnum occupentur potentiæ, non eſt effectus bonitatis quæ ſe diffundat, ſed infirmitatis quæ ſubſidia ſibi conquirit, & cui fulciendæ, cuius votis implendis, ſcilicèt incertis & illimitatis impar eſt ipſa rerum natura. Non eſt vna mens in ſe nunquam collecta, ſed per creatas res omnes affectibus diſperſa, vaga, mendicans, paſſionum fluctibus, fortunæ ludibriis expoſita, mutatis ad horam, & prout ſe ſe res offerunt, cupiditatibus multiformis. Quærendus eſt igitur ſtatus aliquis in bono, cui cùm ſe noſter animus totum dederit, ſibi conſtans & fidus vnus ſimul & beatus dici mereatur.

Nemo quamuis paratos habeat colores ſimilitudinem reddet, niſi iam conſtet quid velit pingere; qui ſagittam dirigit, prius notat ſcopum in quem mittatur; ignoranti quem portum petat, nullus erit ſecundus ventus; ſic de tota vita prius deliberandum, quam de ſingulis eius partibus, & de totius propoſito cui cætera conſentire debeant. Id ſanè non aſſequetur, etiam qui ſelegerit genus aliquod vitæ genio ſuo par, & quod naturæ guſtum impleat; nam in talibus nihil eſt ſtabile, cui perpetuò ſit inhærendum; mores enim ſequuntur varios ætatis gradus & quod adoleſcens probauerit, factus vir & ſenex, meritò velut incongruum auerſabitur. Licèt vota ſint eadem, res tamen & perſonæ non eædem manent, vnde qui vitam addicit futuris, ædificat in alieno; maximam enim noſtri partem ſibi vindicant, patria, parentes, amici; mille corporis, animi, fortunæ caſus; rapimur, & in nunquam præuiſa nos huius feri maris fluctus deportant; mergitur autem qui contra niti tentat, curſu & habitu ſemper eodem, rigido, flectique neſcio. Non eſt igitur nec in amore proprio, tot

Digitized by Google

tot paſſionibus concuſſo, nec in rerum humanarum fluxu conſtituenda ſtabilitas, certuſque vitæ finis, ſed vt mundus ipſe, vt Reſpublica, ſic vtriuſque compendium homo, debet ab vnitate quadam diuina firmitatem inſtitutionis ſuæ mutuari.

Id igitur fixum in mente habeat, Dei ſum creatura ad eius imaginem primò formata, tùm Chriſti meritis reformata; vt breui præſentis vitæ militia, diuinæ gratiæ fretus auxilio, gloriam, perpetuamque Dei fruitionem poſſim in cœlo conſequi. Tali donatus beneficio, tali prouocatus ſpe ſimul & amore, Deo gratus & fidelis eius implebo legem, nec vnquam ab hoc obſequio me mundi vel concupiſcentia, vel metus deterrebit. Hoc eſt vnum ante multa neceſſarium; hic eſt finis agendorum, propter ſe appetendus, & propter quem omnia debent appeti: hæc eſt ars vitæ quæ data quacumque materia ſe fœliciter explicabit: qui ſe ſic ad totam vitam inſtruxit, non deſiderat particulatim admoneri doctus in totum; certus quid in aula, quid in foro, in commerciis, quid cum amico, cum principe, domi foriſque ſibi agendum ſit, nam vbique & ſemper agit ex conſcientia, ex Dei voluntate ſibi modis legitimis cognita; nulli tradit oppignoratam ſummo ſuo Principi mentem; vbique verax, iuſtus, paratus mori potiùs quam peccare. Hanc directricem vnitatem habeat Chriſtianus, ante multitudinem humanarum actionum, nautaſque imitetur qui ſe non committunt maris fluctibus niſi ſub acus magnetici ad vnum polum ſemper vergentis fiducia, vagoſque motus vnitate ſua reſtituentis.

Multitudo videtur prius exiſtere quàm vnitas, nam fatentur omnes formam qua res ſit vnum ſuperuenire materiæ, quam Plato vocat infinitum propter indeterminationem, & non modò multiplicem, ſed illimitatum appetitum ad omnia. Corpus dicunt congruis veſtiri diſpoſitionibus, priuſquam in illud infundatur anima; eſſe ligna, cæmenta, lapides, antequam ſurgat ex illis conflata domus; initio fuiſſe vagos & diſperſos populos, qui poſtmodum in ciuitates inito communi legum fœdere conuenerunt.

Sed obſerua quòd in his & ſimilibus exemplis vſurpatur vox vnitatis pro vnione, nam vnio eſt diuerſarum partium quæ natura ſua diſcretæ, tamen coëunt ad conſtitutionem compoſiti, vi ſuperioris, ſimplicis, & dominantis, vt diximus, vnitatis. Igitur vnio habet vnitatem velut efficientem cauſam, quæ ſuos effectus naturaliter tempore ſimul & dignitate præcedit. Supponamus in rebus corporeis materiam priorem eſſe forma; at nunquam fit reſolutio vſque ad materiam primam, ſic vt exuatur omni forma; vtriuſque creationem præceſſit Deus, præceſſit verbum, mundus archetypus & idealis per quem omnia facta ſunt. Corporis animalis diſpoſitiones præceſſit vis

E

Digitized by Google

formatrix in ſemine deliteſcens ad operationem ſuo & matris calore prouocata; præceſſit plaſtes Deus, cui corporis ſui formationem adſcribit Iob.[b] Fuerunt ſyluæ, arbores, lapicidinæ, & totum aliquod vnde partes ad conſtructionem domus fuerunt deciſæ; præceſſit totum opus artificis idea, & ars quæ tot indigeſtas partes collimauit. Homines adhuc vagi ferebant implantatum ſuis in pectoribus ſocietatis amorem,[c] cum inter nos cognationem quamdam natura conſtituerit: erat ſapiens legiſlator qui propenſos ad vnionem aureis catenulis & harmonia, vt ferunt fabulæ, ideſt forti ſimul & ſuaui ratione vt conuenirent pertraxit. Ipſe, vt ait Plato, prius habuit in mente, bonis moribus formatam, quàm ciuium municipio, legibuſque ſtabilitam Rempublicam. Sic conſtat quòd vnum eſt ante multa; vnus Deus ante creaturas; Vnus Chriſtus, omnis creaturæ primogenitus, vnus nobis inditus ab ipſo veri, rectique ſenſus ante diſcurſum rationis; vna lex naturæ præcedens ciuiles, vna vera Religio politiæ fundamentum; Eccleſiæ viſibilis, vnum caput viſibile, Vnum nobis neceſſarium, omnis motus moralis principium, medium, finis, adhærere Deo & ponere in ipſo ſpem noſtram.

[b] Iob. 10.

[c] l. 3. ff. de iuſt. & iure.

Oportuit mundum conſtare multis, diuerſis, etiam contrariis quæ venirent in vnionem.

Lex 2.

QVòd rebus ſit aliquid decorum, optimum, neceſſarium; quòd ſuo ſemper tramite decurrat fatalis cauſarum ſeries, neceſſitatem hanc fecit ſumma Dei libertas & ſapientia, cui cùm optima tantum placuerint, dum creandis legem fineſque diceret, non mutanda decreuit. Oportuit igitur mundum conſtaie multis, & diuerſis, quia ſic viſum eſt primæ rationi, cuius etſi nos lateat in hoc ordine conſtituendo diuinis humaniſque fauens æquitas, id tamen optimum fuiſſe conſtat, vel ex eo quòd à ſummo bono ita decretum, ita factum eſt Licèt præſens in qua volutamur rerum caligo, neget nobis huius artis diuinæ leges certas & pulcherrimas contueri, nihilominus quia vocamur ad eius tyrocinium, & quæ facta ſunt nobis imitanda proponuntur, licebit hîc ducem facti rationem, quibus poterimus coniecturis inquirere. Imaginem vnitatis ſuæ Deus impreſſerat creatis omnibus, vt proximè dictum eſt: at quia ſingularis quælibet exiſtentia vna quidem eſt, indiuiſa in ſe, & diuiſa ab omni alio, ſed cùm non ſit omne aliud, pro hac exiſtentia ſua ſolitaria patitur infinitas priuationes, ita penitùs deficit ab vnitate diuina, ſimpliciſſima, ſimul & infinita, omnis boni ſuâ ſupereminenti vitâ ſibi fons indeficiens. Ideo deformitatem hanc neceſſariò limitatis rerum

Digitized by Google

eſſentialis annexam, emendauit ad lucrum, ſuique magis expreſſam imaginem orbis ſapientiſſimus opifex; nam defectum ſingularem bonorum multitudine, diuiſionem vnione, partium rugas totius pulchritudine, cuimet ipſæ ſeruiunt, compenſauit.

Infinitatem æmulatur multitudo.

§. 1.

SI quæras cur Deus ſit bonus, ſapiens, æternus, omnipotens, quidquid perfectionis illi mens humana tribuerit, omnium hæc vna ratio reddi poteſt, quòd ſit infinitus; omnis ſcilicèt boni latitudinem, ómnia loci, temporiſque ſpatia eſſentiæ ſuæ ſupereminentis dignitate, ſic præueniens, implens, excedens, vt ei nihil addi nihil detrahi poſſibile ſit. Magna quantitas ſeu diſcreta ſeu continua, multitudo ſcilicèt vel extenſio ampliſſimam nacta diffuſionem, diuinæ huic infinitati ſic conſentit, vt idem ferè ſit vtriuſque conceptus, nec imaginari poſſimus infinitatem & immenſitatem niſi cum extenſione. Huic intelligendi modo fauet, quòd diuina bonitas in productionibus ad extrà, quæ ſenſibilem infinitæ ſuæ naturæ præferrent imaginem, primò deſcribitur feciſſe cœlum & terram, ſic omnis temporis & loci ſpatia, omnium actionum & paſſionum numerum, vaſtis hiſce duobus ſubiectis connotauit. Ita ſe habet elementorum & orbium cœleſtium ordo, vt ſphæra ſuperior nobiliorque complectatur inferiores, & illas ampliſſimâ mathematicis notâ, cæteris vix credibili dimenſione ſupereſt. Prima die dicitur facta lux, quæ momento diffuſa totum implet aëris locum; tunc & creati ſunt Angeli, quibus infuſæ fuerunt ſpecies rerum omnium; [d] eorum dicuntur eſſe millies millia, deciesque millies dena millia, hos per ſe multiplicando numeros, vt apertè declaretur cœleſtium eſſentiarum ordines à nobis annumerari non poſſe, his quibus vtimur numeris; ipſi tantùm multitudinem ſuam intelligunt ſupramundana & cœleſti intelligentia, quæ illis abundantiſſimè conceditur à Dei principali & infinitorum conſcia, creatrice ſapientia. [e] Vt igitur in ſphæris corporeis ſuperioribus & nobilioribus, eſt exceſſus ſecundùm magnitudinem, ſic in rebus incorporeis attenditur ſecundùm multitudinem.

[d] D. Dyoniſ. de cœl. hierar. c. 14.

[e] D. Tho. 1. q. 50. a. 3.

Inde fit vt naturali quodam inſtinctu magna vel extentione vel numero ſuſpiciamus, velut diuinitati ſimiliora. Ideo Mahumetes impoſtor, totus in ſenſibus, vt nugis ſuis aliquam concilient majeſtatem, Angelos ſe vidiſſe teſtatur tantæ molis vt plures mille leucas æqua-

Digitized by Google

rent. [f] Ita mos olim fuit excelſas arbores habere ſacras, [g] templa in locis editiſſimis conſtruere, in illis ad altare, ab altitudine ſic dictum, multis gradibus aſcendere. Inde putant meritorium in Gange lauari, quia cùm ſit fluuiorum maximus cenſetur diuinitati proximior. [h] Diuinitatis æmuli principes, procera ſtatura, numeroſo famulitio, palatiorum amplitudine, conuiuiorum, veſtium luxu gloriantur; præualuit Remo Romulus plurium à ſe viſorum vulturum augurio. [i] Nero Cæſar magna & ſpatioſa omnia ambiebat, laxas porticus, ſtagnum maris inſtar circumſeptum ædificiis ad vrbium ſpeciem; rura inſuper aruis atque vinetis, & paſcuis ſyluiſque varia, cum multitudine omnis generis pecudum atque ferarum. Magnatibus etiam populus blanditur erectis coloſſis humani corporis quantitatem multum excedentibus, tandem vita functis olim colomnis, pyramidibus altitudinis ſtupendæ parentabat.

[f] Plin. lib. 21. c. 1.
[g] Vitruuius. lib. 3. c. 3.
[h] Sueton. in Auguſto. c. 73.
[i] Id. in Nero. c. 31.

Non immeritò ſtellarum vires, ſeu errantium ſeu fixarum, ex magnitudine metiuntur Aſtrologi, quia in illis ſicut in cæteris magnitudo refert dotes diuinas, infinitatem, æternitatem, omnipotentiam, virtutem, gloriam. Diximus de infinitate; quo ad durationem, certè magna ſeu quantitate ſeu numero, coaceruatis viribus minùs ſubjacent corruptioni, minùs patent contrariorum incurſibus ipſa ſua mole munita; altiores & abundantiores aquæ faciliùs naturam ſuam ſeruant: externis enim partibus hoſtili qualitate debilitatis, ſuperſunt longè majores intimæ quæ ferunt auxilium, ſociaſque diminutionem paſſas poſtliminio reſtituant. Poteſtas multitudinis apparet, ex eo quòd vectis quò maior eò validior eſt ad mouendum; fortiùs vrbis obſeſſæ mœnia diſcutiunt magnæ, quàm minores bellicæ machinæ; opprimit quælibet reſiſtentia cadens magna corporis moles, & [k] qui confodit Elephantem Eleazarus, ſuo ſepultus eſt triumpho. Multi præualent in bello, in oneribus ferendis & trahendis, in famæ & opinionis promulgatione, in introducenda conſuetudine quæ legis habet vigorem, in conſultationibus, Conciliis, publicis Comitiis, vbi judicia non ponderantur, ſed numerantur.

[k] 1. Machab. 15.

Tandem ipſa multitudo, virtutis præſumptionem inducit; [l] nam fiſcus ſemper præſumitur diues & probus, ideo ſatiſdare non cogitur, [m] & contra vniuerſitatem, municipium corpus non datur actio de dolo. Modus tantùm ſeruandus eſt in mediis, non verò in poſſeſſione finis, qui eò melior eſt, quò magis poſſidetur: ita virtutes morales quæ circa jucundum & vtile verſantur ſunt in mediocritate; intellectuales verò honeſtum ipſum pertractantes in exceſſu refulgent, vt amor Dei, [o] cuius modus eſt eſſe fine modo. Ingenium, inquit Gellius, [p] officium, forma, diſciplina, conſilium, victoria, facundia, ſicut ipſæ virtutum amplitudines, nullis finibus cohibentur,

[l] L. 1. §. 18. vt legato. nom. caueat.
[m] l. 13. ff. de dolo malo.
[o] D. Bernard. lib. de diligendo Deo.
[p] Lib. 4. c. 6.

ſed quantò maiora auctioraque ſunt, ita tantò ſunt laudatiora; hinc viros heroïcos, & virtute præſtantes magnos vocamus, ad inſtar Dei qui dicitur optimus, maximus. [q] Virtus enim hæc magnifica eſt quæ animum laxat, erigit ſupra ſortem humanam, dignumque efficit qui in conſortium Dei veniat. [r] Hinc vitia quæ ſunt in exceſſu minora ſunt, quàm ea quæ ſunt in defectu, magis enim ad rationem boni pertinent, vt prodigalitas minus vitium eſt quàm auaritia. Igitur optimè rerum multitudinem conſtituit Deus, velut infinitatis ſuæ, & cæterarum perfectionum, quas ipſa complectitur, imaginem.

[q] Seneca initio natur. quæſt.

[r] D. Tho. 2. 2. q. 119.

Multitudinis complementum eſt differentia.

§. 2.

VT res quælibet conſtat vna forma, ſic vnam propriam ex ea manantem producit actionem, quæ dicitur formalis quia latentis illius virtutis prole ſimili materiam fœcundat; humidum humectat, calidum calefacit, & vt infra dicetur, omne agens agit ſibi ſimile. Neceſſaria quadam emanatione fluens hæc actio, naturæ vires explicat non exoluit, vnde nunquam laſſata poteſt in infinitum iterari, datis quæ hanc excipiant ſubiectis, lucidum ſemper illuminabit, frigidum frigefaciet: ſed hæc eſt anguſta multitudo, quia vnum tantùm fit, & toties repetitum, non excedit ſingularis qualitatis limitem; ſic habetur pro vno qui ad certum opus licèt perpetuum in Republica deputatur; non æquat amplitudinem totius artis pictoriæ, qui ſcit tantùm exprimere caput hominis; [s] non medicæ, qui vnius tantùm partis ſanandæ methodum profitetur; ſic opus creationis non reſponderet diuinarum idearum fœcunditati, nec immenſis materiæ potentiis, ſi productæ tantùm fuiſſent res multæ, non etiam diuerſæ.

[s] Galen. lib. de partib. medicæ.

Infinitas Dei eſt omnis loci locus, magnitudinis omnis illimitata circumferentia cuncta penetrans, ambiens, ſuperans: cùm igitur ad eius expreſſionem inducitur ſola magnitudo, ſoluſque numerus rei eiuſdem naturæ, eſt vnitas ducta per ſe, & velut fluxus puncti, lineam formans, nec reſpondens cœteris infiniti dimenſionibus noſtro concipiendi modo: quòd ſi multitudini ſuperaddatur diuerſitas etiam contrarietas, fit velut ſuperficies & ſolidum quibus naturæ conceditur explicatio tota quam habere poteſt ad expreſſionem infiniti ſui principij. Sic in Angelis multitudinem quam diximus numeris noſtris humanis incomprehenſam, æquat imo ſuperat diuerſitas, cùm ex opinione D. Thomæ, [t] ſinguli ad inſtar numerorum ſuam conſti-

[t] 1. q. 50 a. 4.

Digitized by Google

tuant ſpeciem à nullo participandam, & iterùm in ſingulis innumeræ ſint ſibi nunquam in totum pares illuſtrationes, operâtiones, concentus, ſemper nouum in æternitate canticum, ex liberis ſuperiorum & Dei ſplendoribus. Materia non fuit creata ſub vna forma, ſed ſub diuerſis; cœli corporeæ naturæ ſub Deo rectores, tot habent varias periodos, vt ſimul in contraria moueantur: ſtellæ differentes inter ſe, ſitu, magnitudine, luce, viribus occultis, iterùm variant influxus ſuos, prout ſub ipſis eſt orbis varia poſitio, & hinc pendet tota, quæ nos rapit, quæ delectat, quæ deludit in inferioribus diuerſitas.

Grata & vtilis diuerſitas.

§. 3.

EX diſſimilibus homo compoſitus, nouaque ſemper rerum acceſſione ſubſiſtens, nunquam ſibi par, ſub cœlo motibus & viribns ſemper vario, ſub fluidis temporum & elementorum qualitatibus, ipſâ naturæ ſuæ ſympathiâ, gaudet rerum diuerſitate. Auget affectum hunc ex corporeis naſcentem, immortalis animæ noſtræ proprietas, [v] infra ſeparatas mentes mobilis, vt diximus, tùm virtute, tùm actione, & innata declinatione ad multitudinem, ad motum, ad congruendum cum omnibus, partim manentibus, partim verò fluentibus, & omnia in ſe & per ſeipſam contemperanda. Infiniti boni proles & imago, affectibus immenſis res omnes perluſtrat, & cum ſingularibus limitatis non poſſit impleri, non otioſa iacet, ſed ſpe magis erecta, quod in omnibus ineſt veri bonique conatur delibare, vt ſic habeat quo ſuas non ſine fructu potentias explicet, & ad infinitatem multitudine, irrequieto quodam circulari motu magis accedat. Ita nihil eſt in mortalium rebus tàm exactæ pulchritudinis, quod tandem non fatiget contemplantem, niſi aduerſantium dotium beneficio, in aliam, aliamque venuſtatem mutetur, ſemperque laſſatos improuiſa nouitate reficiat. Quandiu ſolita decurrunt, magnitudinem rerum conſuetudo ſubducit, [x] quotidiana licèt admiratione digna nos non afficiunt: contrà minimarum, cùm inſolitæ prodierint, ſpectaculum dulce fit, adeò naturale eſt, magis noua quam magna mirari. Permutare jucundum eſt, inquit Ariſtoteles, [y] quia naturæ accommodatum; nam idem ſemper exuberantiam efficit conſtituti habitus; permutatio etiam ex præſenti eſt, vnde raritas, diſcere autem & admirari jucundum. Hinc artium omnium labor & pretium in rebus variè fingendis, quæ ſenſus mentemque voluptate deliniant. Id aſſequi conatur Rhetorica in ſententiarum, periodi, geſtus, vocis copioſa per-

[v] Iambli. de myſter. c. 3.

[x] Senec. 7. natur. queſt. initio.

[y] 1. Rheto. c. 12.

mutatione; ſimiliter nobis blanditur muſica, pictoria, hortulana, ſaltatoria, coquinaria: olim in magnificis conuiuiis verſatilia cœnationum laquearia ita coagmentabant,[z] vt ſubinde alia facies atque alia ſuccederet, & toties tecta, quoties fercula mutarentur.

[z] Senec. Epiſt. 9.

Primum & maximum hoc eſt ſapientis diuinæ bonitatis in nos beneficium, quòd diuerſitas toti mundo neceſſaria nobis facta ſit grata, quòd quæ iuuant etiam delectent, quòd vniuerſo poſita lex, non ſit nobis oneri, ſed voluptati; quòd humanis infirmitatibus velut alimentoſo medicamento ad ſenſum jucundiſſimo ſubueniatur. Saltatio cum mundo cœpit, inquit Lucianus[a] nam ſydera, dum in-incorrupta conſeruationi rerum ſublunarium præſident; choreas agunt, errantium cum inuicem, & cum non errantibus modulata coniunctione, ſemper ſemperque aſpectu variò, peritis nunquam ſatis mirando. Cœlis ſic lætitia geſtientibus reſpondet orbis inferior, diuerſa poſitione, fœcunditate, conſuetudine regionum quas nullis parcens laboribus auidè luſtrat curioſitas; etiam tempeſtatum anni mutationibus, quarum ſucceſſio vitæ tædium alterna nouitate mitigat; pratorum, ſyluarum, camporum, florum, auium, inſectorum, odoramentorum, foſſilium, gemmarum, artium denique naturam, imitando ſuperantium amœna varietate, quam philoſophia ſimul & cupiditas habet in pretio.

[a] Dialo. de ſaltatione.

[b] Ad miraculum ſe ſemper ſpectandam exhibet ipſa pauonis cauda, multicolor, diſcolor, verſicolor, nunquam ipſa, ſemper alia, toties mutanda, quoties mouenda. In[c] concharum generibus magna naturæ varietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ, planis, concauis, longis, lunatis, in orbem circumactis, diſtinctione virgulata, crinita, criſpa, caniculatim, pectinatim, imbricatim vndata, cancellatim reticulata: ſic non furit tantùm, ſed & ludit occeanus ſtupenda diuerſitate, vimque nobis toties illatam, his compenſat muneribus. Miram hanc naturæ varietatem homini ad Dei contemplationem nato ſeruire vel ex eo conſtat, quòd animalia domeſtica ad vſum ſimul & delectationem, variis ſunt diſtincta figuris, coloribus, proprietatibus, canes ſcilicet, equi, columbæ, greges, armenta, cùm inter fera animalia oculis noſtris non expoſita, quælibet ſpecies eiuſdem ſit coloris, habitus & figuræ.

[b] Tertulia. apol. c. 3.

[c] Plin. lib. 9. c. 33.

Hæc diuerſitas oculis & mentibus humanis gratiſſima eſt etiam mundo non minus ad actionem, quàm ad ornatum neceſſaria; itaut quemadmodum eſt in multitudine diuerſitas, ſit in diuerſitate ſit inæqualitas, quâ ſublatâ nulla niteretur ratione rerum ordinatio; nec enim æquum eſſet, æqualibus in æqualia ius concedi, parem pari dominari, vel ſubeſſe, denique non eſſet nec actio nec paſſio, ſi non eſſent infirmiora quæ vim potentiorum ſubirent. Non eſſet

Digitized by Google

corpus ad varios ſibi proprios motus aptum, ſi rigido tantùm vnico conſtaret oſſe, & niſi partes aliis aliæ ſubiectæ motum ſuperioris ſequerentur. Ipſæmet organicæ ſuis non fungerentur muneribus, niſi forent diſſimilares ex arteriis, venis, neruis, oſſibus, carne contextæ. Nulla ſine partium inæquali, ordinatâ tamen poſitione machina. [d] Si non eſſet diuiſa manus, contingere tantummodò poſſet æqualem ſibi corporis cuiuſque admoti magnitudinem; at in multas inæquales partes diuiſa, moles ipſa maiores amplectitur, minimas colligit, circa corpus ſphæricum contrahitur, ſic omnem comprehendit figuram ex tribus lineis curua, caua, recta conſtantem.

[d] Galen. 1. de vſu part.

Vt vniuerſi compago & cœleſtibus reſpondens harmonia conſtat ex diuerſis, ſic vtrumque mundum intellectualem & corporeum compendioſè complectens homo naſci & propagari debuit ex diuerſis. Ex Adamo facta fuit Eua diuerſi ſexus, vt ex diuerſitate fieret humani generis propagatio. Cùm non eſſent vlli homines [e] niſi qui ex illis duobus nati fuiſſent, viri ſorores ſuas coniuges acceperunt, compellente propagationis neceſſitate, ſeruato tamen aliquo hac in coniunctione temperamento. Nam Doctores Hebræi referunt gemellos tunc fuiſſe Euæ partus, ſingulos ex maſculo & fœmina: prohibitum autem fratri ſororem vterinam in vxorem accipere, & hoc fuiſſe primum Caini peccatum; quòd vterinam ſuam Abeli debitam impotentiùs ambiret, etiam fratricidio poſſidendam. Teſtatur natura [f] ſe coniunctionem hanc auerſari cùm gemellos diuerſi ſexus diſtinctis includit ſecundinis, diſponitque vultus in contraria conuerſos. Hæc prohibitio nuptiarum inter gemellos ſimul in eodem vtero conceptos, velut non ſatis inter ſe diſſimiles, præludium fuit futuræ legis quæ matrimonia fieri vetuit inter perſonas eiuſdem ſanguinis & familiæ. [g] Nam duæ vel tres neceſſitudines quæ tunc in eodem homine concurrent, diffundi debent in multos. Ab vno procedens longa natiuitatum ſeries, & in maximam effuſa diuerſitatem, ſub diuerſis naſcendi conditionibus per ciuile ſacrumque nuptiarum vinculum reſtitui debet in vnionem, ne tranſeat in pugnantes humanæque ſocietati contrarios nimiùm affectus; hinc iure gentium, legibus humanis diuiniſque, incœſtus fuit prohibitus: velut ſit graue crimen humanæ naturæ, paci, puritati contrarium, innocentem ſcilicèt inter conſanguineos dilectionem fœdans, & detorquens in laſciuos amores, inter quos nullius in ſingulis familiis tuta foret caſtitas. Si Regum quorundam Perſarum incontinentiæ, priuatum ſuum ſcelus vt tegerent, publicum effecerint, incœſtum lege lata permittentes: monſtrum fuit, ſingularis aberratio ſuâ turpitudine gentium cæterarum commune ius non abrogans, ſed commendans. Melius igitur eſt, & legi naturali magis conſonum, celebrari matrimonia inter perſonas ſanguine non coniunctas.

[e] D. Auguſt de ciuit. lib. 15. c. 16.

Philo lib. de ſpecial. legib.

[f] Fernel. phyſiol. lib. 7. c. 12.

[g] Leuit 18. 6.

Non

Digitized by Google

Non ſtaret domus vel ciuitas niſi quoſdam ad miniſteria parùm viuax animus in vegeto corpore deprimeret; alios quidam diuinitatis ſuæ ſenſus ſcientiis & contemplationi ſeponeret, rerum publicarum adminiſtrationi natos ſupra turbam attolleret. [h] Hæc diuerſa diuerſis largitur vnus atque idem ſpiritus diuidens prout vult. Si placet, ſi proficit diuerſitas, maximum illius homini ex hominibus exhibetur ſpectaculum & commercium. Tanta ſingulis vultuum, ſermonum, morum, geniorum varietas, vt illam Angelis nimirum conterminam, nullus nec ſermone nec cogitatione aſſequi valeat. Hinc habetur ampliſſima materia exercendis omnibus artibus, ſcientiis, officiis ad quæ lubens natura fertur, conſultatrix prudentia dirigit, & vocat multiformis gratia Dei. Abſit torquens inuidia, nobis laborat quælibet tùm depreſſa, tùm ſublimis indoles, operas enim ſuas in commune bonum conferunt tùm hi qui hoc in morali corpore viſcerum, capitis, oculorum, quàm qui manuum & pedum vices agunt, cultu quidem impari, ſed æquali neceſſitate. Ita ſingulis dotes ſuas ſuaque munera diſtribuit iuſtitiæ ſuæ legibus, optimus maximus orbis tùm naturalis, tùm ciuilis conditor, vt quod vni videtur eſſe proprium, commune reddat multis charitas, Deo largitori, proximo poſſidenti, Eccleſiæ & Reipublicæ ſic ſubſiſtenti, gratulabunda.

[h] 1. Cor. 12.

Diſsimilitudinis extremum eſt contrarietas.

§. 4.

AMoris diuini fœcunditatem ad extra D. Dyoniſius [i] exprimit per circulum boni, qui à bono, per bonum procedens ad extremum eorum quæ exiſtunt, in bonum reuoluitur. Hoc boni ſe largè diffundentis progreſſu, fit longa ſeries graduum qui à ſupremo & illi vicinioribus ſenſim recedentes, tandem fiunt oppoſiti, ſic inter diuerſos diuerſiſſimi. Extremum attingere videntur differentiarum terminum quem nobis imaginamur in immenſitate diuina; ſic enim ambit totam entis poſſibilis ſphæram, vt in vnitate ſua ſimpliciſſima & perfectiſſima, complicet quod in creatis eſt diuerſum & contrarium. [k] Deus infinitus eſt circulus in quo, quia nihil niſi infinitum, diameter erit centrum & circumferentia, omnis diuerſitas identitas, omnis duratio æternitas, omnis diſcretio ſimplicitas, omnis motus quies, omnis inæqualitas æqualitas, maximum in quo coincidit minimum, quia diuerſitas complicata, identitati complicanti non opponitur; omnia complicans, quia omnia in eo; omnia explicans, quia ipſe in omnibus. Igitur contraria habere videntur in diuerſita-

[i] De diuin. nomi. c. 4.

[k] Card. Cuſa. lib. 2. de docta ignorantia. c. 5. & in complemento Theol. c. 3.

Digitized by Google

te, quod ipſe habet in vnitate, & rerum diuerſitati ſuperaddita contrarietas, infinitum eſſentia, virtute, fœcunditate magis exprimit.

Rerum principia ſunt inter ſe contraria.

§. 5.

PHiloſophi diuerſa quidem ſenſuerunt de rerum principiis, quidam enim calidum frigidumque, quidam humidum atque ſiccum, alij par & impar aſſerunt cauſas eſſe generationis; omnes tamen in hoc conueniunt quòd affirment eſſe principia inter ſe contraria; non ſine ratione, [l] principia namque nec ex ſe ſe mutuò, nec ex aliis ſunt, ſed omnia ex ipſis eſſe oportet; hæc autem inſunt primis contrariis; nam quia ſunt principia non ſunt ex aliis; quia contraria, non ſunt à ſe mutuò, non fit enim quodlibet ex quolibet; fiunt autem omnia ex ipſis, quia quoduis in contrarium corrumpitur, fit album ex non albo, domus conſtructa ex non conſtructa; omne igitur quod fit, è contrario aut è medio fit, & omne quod corrumpitur in contrarium corrumpitur, vel in medium. Media verò ſunt ex contrariis vt colores ex albo & nigro. Empedocles duo conſtituebat rerum principia amicitiam & litem, ſeu concordiam & diſcordiam, nam omnia fierent vnum ſine diſcordia, quæ ſic non minus quàm concordia, rerum cauſa dicenda eſt.

[l] Ariſt. 1. Phyſic. c. 5.

[m] Ægyptij mundi conſpicientes ornatum, duos eſſe Deos arbitrati ſunt, Solem videlicet & Lunam, ab his gigni omnia, cùm alter igneus & ſpiritualis exiſtat, altera aquea humida, frigida. Vnde nuptis apud Romanos ignis & aqua præferebantur, velut generationis principia, quæ ſignificabant marem & fœminam & pricipuas corporis humani partes, cor & cerebrum. [n] Semen ipſum animalis eſt aqueum ratione materiæ humidæ, & igneum propter copiam ſpirituum; in ouo continetur vitellus & albumen, contrariæ naturæ, non tantum colore ſed etiam virtute.

[m] Diodor. ſicul. rer. antiq. lib. 1. c. 1.

[n] Ariſt. hiſt. anim. lib. 6. c. 2.

Notant aſtrologi planetarum inimicitias, contrarioſque motus in cœlo inferiorum motore, ſcilicet à dextris ad læuam, & à læua ad dextram; [o] quos ideò motus Græci circuientes aras in ſacrificiis, ſequi religioſum ducebant. Sic obſeruat Ariſtoteles [p] miros effectus qui fiunt in mechanicis, à circulo prouenire, qui ſimul facit contraria. Effectus enim eſt ex commoto & manente, quorum natura ad inuicem eſt contraria; fit ex recta & curua linea; ex indiuiſibili in latitudinem linea, & concauo diuiſibili; contrariis mouetur motibus, ſcilicet ſimul ad anteriorem & poſteriorem partem, extremum accedit ad primum, vnde eſt miraculum omnium principium.

[o] Rhodig. lib. 1. c. 8.

[p] Lib. de quæſt. mech. initio.

Hæc igitur naturalia principia conſtant ex contrariis, ad imitationem

Hæc igitur naturalia principia conſtant ex contrariis, ad imitationem primi omnium principij, contraria vt dictum eſt in ſua ſimpliciſſima vnitate complicantis: & vt eſt primus actus, ex principiorum contrarietate pendet actiuorum tota vis, cùm enim ex diametro, recta linea & perpendiculariter qualitates ſuas in ſe mutuo jaculentur validiùs agunt, & irritata metu periculi, contractione & vnione fortiora, ſtatum ſuum hoſte iam mouente, iam depaſcente, non relinquunt torpori locum, ſed omnes vires ſuas ardentiùs explicant, vt ſe vi contra vim illatam tueri poſſint. Cùm autem ferè paribus armis decertetur, & ſitus oppoſitus vtrique parti ex æquo faueat, fit vt nulli citò ſe concedat victoria, ſed pendeat vſque dum præfixus à natura durationis terminus, velut nox quædam, obſtinato certamini finem impoſuerit. Interim exultant agentia ſuis expertis confiſa viribus, reportatis etiam de hoſte ſuo ſpoliis, quæ damna viciſſim illata ſibi reſarciant, continuamque hanc efficiant, alterationum & generationum ſeriem quam Plato vocat ludum deorum.

Si quando rebus ex voto non ſuccedentibus ingemiſcis, immortalem tuam animam immerſam eſſe mortali corpori etiam in contraria nitenti, carne contra ſpiritum concupiſcente, cogita te vniuerſi compendium ex contrariis conſtare debere, vt ſis vniuerſo & prototypo tuo conformis. Hominem, inquit Triſmegiſtus, [q] voluntas Dei conformauit ex anima & corpore, ideſt ex æterna & mortali natura, vt animal ita conformatum vtrique origini ſuæ ſatisfacere poſſet, mirari, orare cœleſtia, & incolere atque gubernare terrena: non eſt ex eo minor, quòd ex parte mortalis ſit, ſed ex eo fortè aptiùs, efficaciuſque compoſitus; quoniam vtrumque ſine vtraque natura ſuſtinere non poſſet, ex vtraque formatus eſt, vt & terrenum & diuinum poſſet habere delectum. Marcet ſine aduerſario virtus, cœlo nata mens, ipſo ſocij ſui languore ad maiora ſtimulatur, gaudet beatos antecedere in hoc quòd bonum etiam impugnata conſequatur, quòd ſibi militique ſuo corpori coronas mereri poſſit; quod corporea ad intellectuale ſuum principium Deum, grata, victrix, illo tantùm ſatiata, reducat.

[q] In Pymand.

Digitized by Google

Ex æquali principiorum reſiſtentia nihil fieret, ex inæquali procedit actio temperata.

§. 6.

COntrarietatem naturæ principiorum annexam, viribus etiam eorum ad bonum vniuerſi temperandis, & exceſſibus in concentum adducendis neceſſariam effecit rectrix omnium ſapientia. Si æquatis in totum eſſent viribus ſingula, neutrum eorum præualeret, ſic ceſſaret actio, natura langueſceret, fractis omnium ex pari reſiſtentia viribus. Nauis in contrarium æquali conatu tracta non procedit: ſic olim in Serapidis templo ferrea Martis ſtatua pendebat in aëre, media inter quatuor paris virtutis lapides magneticos. [r] Ideò non datur mixtum in quo quatuor elementa ſint æqualia pondere, nam tale corpus nec ſurſum nec deorſum poſſet moueri, & ligna non erecta ſed ſtrata fluitant, quia cùm æquale ſit vtriuſque partis pondus, debent in æquali loco conſiſtere. Si tubus conſtet duplici crure, totuſque aqua repleatur, ita vt crura obuertantur ſolo, quandiu crurium extremitates æquè diſtabunt à centro terræ, per neutrum effluet aqua, quia non eſt potior ratio cur effluat per vnum, quam per alterum, per vtrumque effluere nequit, ne detur vacuitas. Hac ratione ductus Auerroës exiſtimauit terram in aëre pendere, quia non eſt cauſa cur in medio exiſtens accedat potius ad vnam, quàm ad aliam cœli partem; [s] qui valuas ex ligno faciunt ex diuerſis tabulis ligna permutant, quod radicem verſus, quodque in cacumine fuit, ſic enim inter ſe coarctata, vtrumque alterius impetum prohibet, cùm ſuapte natura aduerſentur; nam ſi alterum per naturam eodem tendat, contorquebuntur. Inde decernunt Iuriſconſulti, [t] quod vbi pugnantia in teſtamento iubentur, neutrum ratum eſt; [u] Si Appollonius ſeruus teſtamento donetur libertate, & duo ſint eiuſdem nominis neuter erit liber, quia ſibi mutuò obſtant ſi vnus tantùm ex lege ælia ſentia libertate donari debeat. [x] Si inſtrumentum duobus agris æqualiter ſeruiat, neutrius erit; [y] ſcripturæ diuerſæ fidem ſibi mutuò derogant. [z] Hermaphroditus in quo ſexus maſculinus non præualet, non poteſt ordinari quia non cenſetur vir. [a] Nihil tam naturale, inquit lex, quàm vnumquodque diſſolui eodem genere quo colligatum eſt, quia non ſtat ex mutua voluntate conſtans obligatio, quam æqualis contraria voluntas perimit, & ſimilia multa referuntur in iure ex eo fundamento, quòd ex æquali reſiſtentia nihil fit.

Oportuit igitur ex principiis quædam eſſe validiora, ſed tamen aliis

[r] Albert. Magn. lib. de mundo & cœlo. tr. 1. c. 3.

[s] Theoph. hiſt. plantar. lib. 5. c. 4.

[t] l. 148. ff. de reg. iur.

[u] l. 41. & 43. ff. de hær. inſt.

[x] l. 12. §. 14. ff. de inſt. leg..

[y] l. 14 ff. de de fide inſtr.

[z] Bonaci. de ſacram. ord.

[a] l. 35. ff. de reg. iur.

Digitized by Google

in contrarium nitentibus velut fræno cohiberi, vt non impetu ruant ſed ſuſpenſo libratoque procedant gradu, ad arbitrium primi mototoris: ſic in horologiis pondera feruntur quidem deorſùm, ſed illis plures in numerato rotarum articuli, ita moras imponunt vt ad inſtar cœli regulatiſſimo motu tempus nobis metiantur: ſic ex contrariis cœli motibus ab Oriente in Occidentem, & ab Occidente in Orientem, oritur hæc qua mundus ſtat partium concinnentia, à beatis tantùm ſatis intellecta: ſic ex aſtrologorum aphoriſmo, Saturnum ſiccum frigidum in geneſi, bono ſuo aſpectu vel corpore ligat Iupiter calidus humidus, & generaliter ſuperiorum planetarum vires, velut captum noſtrum excedentes infra Solem poſiti moderantur, Saturni rigiditatem Luna mutabilis: Iouis irrequietas in regimine curas, Mercurius ſcientiarum abſtractione ſolatur: furentem & in pericula præcipitem Martem demulcet, & velut vinculis irretitum ſiſtit Venus. In ſignis Zodiaci, igneis terra, terreis aërea, aëris aquea ſibi ſuccedunt, etiam fœminea maſculis, Orientalibus meridionalia, imperantibus obſequentia, feris humana, vt dum illa planetæ decurrunt, variè temperentur. Hi diuerſam iterùm ſortem ſubeunt ex eo quòd quilibet ſingulari ſuo motu ſit ſucceſſiuè directus, retrogradus, exaltatus, deiectus, exul aut in domo tandem; omnes deueniunt in tam varios fœlices aut infœlices aſpectus, qui vires aut augent aut infirmant, vt ſubſtantia non mutabiles, nunquam ſint paris influxus, & per tot tempora nunquam redeat bis eadem cœli facies.

Elementa ſimiliter oppoſitis ſuis viribus exercentur & ab exceſſu ſe vindicant, ignis ætherei vim cedendo frangit aër, dum vicinis illi partibus iam incaleſcentibus, frigidiores & humidiores ſucceſſione nunquam interrupta ſubſtituit, & hic medius rerum arbiter, qui ſurſùm calorem, infrà ſiccitatem & frigus terræ temperat, motæ ſenſim illabitur, & facit ex alteratione generationem: confluunt in idem centrum, & contrariis ſibi mutuò medentur qualitatibus, aqua, terraque. Aquæ fluiditatem ſua ſiccitate velut hoſpitio excipit, & vaſe continet terra; terræ ſiccitatem ſibi non cohærentem conſolidat, ſterilem fœcundat aqua & ipſa duplici ad centrum & ad ſuperficiem, ad ſe & colligendum & diffundendum prædita motu, innoxios & ſtato tempore reuocandos fluctus in nos emittit; fortiori ſcilicèt ad centrum, quàm ad euagationem inclinatione.

Maximè confert ad firmam ſtabilemque vniuerſi diſpoſitionem, & conſtantem ex contrariis temperaturam, quod elementa ſuperiora, vt plus habent actiuitatis, ita minus habent reſiſtentiæ, propter raritatem partium ſibi mutuò non ſatis cohærentium. At ex oppoſito, quæ tenent imum orbis, terra ſcilicet & aqua, minùs habent actiuitatis & plus reſiſtentiæ quia ſunt denſiora, ſic eorum partes fortiter vni-

Digitized by Google

tæ compactæque murum efficiunt, ne pateant hoſtium incurſibus, & vt vim ſibi factam illæſam ſuſtineant & retundant. Conſtat experimento longè faciliùs ignem extingui, quàm terram corrumpi: ſuper ipſo ſi vaſe concluſam aquam teneas, feruet, & carceris ſui muros tranſiliens hoſtem effuſa perimit, propriiſque paulo poſt qualitabus reſtituitur. Citò diſſolueretur vniuerſum ignis omnia depaſcentis, & in ampliori materia potentioris incendio, ſi non actiuitatem hanc ſe liberius effundentem caſtigaret innata ad reſiſtendum debilitas, & niſi flammæ latiùs exundantes, vt videmus, euaneſcerent etiam in aëris regione ſibi ſympathici, & qualitatibus affinis. Periret humana ſocietas ſi motus ſuos ira tàm haberet obſtinatos, quàm celeres, & niſi ſuomet impetu fatigata, cæteris paſſionibus, amori, timori, pudori, miſericordiæ, tandem rationi loco cederet. Non tantùm rapiunt lupi, pantheræ, leones, quantùm agit illos ad ſanguinis effuſionem immanis feritas; ſi celeres ſunt ad prædam quæ venantur animalia, etiam valent pernicitate, dolis, viribus vt ſe tueantur, ſic etiam in illos concurritur vt in deſertas regiones proſcripti, fame depereant; Si cani ad aggreſſionem, maior eſt lepori ad fugam velocitas: irritos accipitris volatus efficit frequens auium, quas impetunt, effugium; falcones ſæpè confixit ardea; moloſſos diſcerpſit aper; tyrannum ſæuientem, populus ipſa diſperatione furens, aut oppreſſit coniuratione, aut timore continuit; Mali rapinis & cædibus prouincias depopularentur, jus tantùm eſſet in armis, ſi vim priuatam publicamque leges & Magiſtratus metu ſuppliciorum non cohiberent. Tandem ſic vbique contra ſe poſitis & ponderatis viribus, non ex æquo tamen, ſed quibuſdam ſenſim præualentibus perpetuæ fiunt in mundo conuerſiones, alterationes, generationes, & in temporis fluxu, manentis æternitatis imago.

Si non ſimul eodemque momento, ſaltem ſucceſſiuè ſe temperant in mundo contraria alternantque vices, priuſquam in defectum aut in exceſſum tranſeant, aut ſibi iam à mediocritate lapſis medentur. Singulis annis hyems æſtatis, ver & æſtas hyemis remedium eſt. Similia fiunt impetu tamen maiore, durationi commenſurato in magnis annis & conuerſionibus mundi, de quibus Ariſtoteles in meteoris. Stetit ſimul contrariorum vnione Romana Reſpublica, cùm Senatorum authoritatem Tribunus plebis temperaret; ſucceſſiuum illi fuit ex contrariis remedium, cùm Deo ſic prouidente, Principibus bellicoſis pacifici, quietis bellatores, tyrannis æquiſſimi, boni, ſæuique per vices dominati ſunt. Sic mundum, regna, familias, etiam priuati cuiuſque vitam mira, & ſi neſcis, vtiliſſima varietate Deus contexit.

Digitized by Google

Contrariorum vnione ſtat vniuerſum.

§. 7.

PArùm eſt contraria diſſitis locis in mundo conſiſtere, & velut timida tantum ex longinquo ſecuroque miſſilibus ſuis qualitatibus, velitatione quadam experiri; etiam veniunt in præſentiam, in anguſto cum hoſte congrediuntur, certamine tamen ſic ponderatis viribus temperato, vt ex bello pax, ex alteratione ſingularum rerum exiſtentia, totiuſque mundi pulchritudo conſurgat. [b] Hypocrates aſſerit hominem non vno conſtare, ſed contrarijs pluribus, quia dolet, quia diuerſas patitur infirmitates, quia non vno curatur remedio. [c] Bonus in eo corporis habitus, eſt temperamentum & conſonantia quatuor principum qualitatum ex contrariorum elementorum permixtione; & hinc fit eius temperamenti per ſingulas ætates conuerſio, ex hac inſita cauſa procedit morbus, ſenium, interitus, tandem compoſiti in ſua principia reſolutio. Illam non expectato naturæ termino præceps accelerat chymia, & igne, cribratione, fermentatione, mille tormentis ludens, experitur quòd omnia conſtant ex contrarijs quæ vel ſoluit, vel miſcet ad libitum.

[b] lib. de natura homini.

[c] Fernelius de temperam.

Naturam contraria miſtione temperantem imitantur artes omnes; pictura colorum plus minuſue lucis habentium, vmbrarum etiam commiſſuris; muſica vocum grauium, acutarum, mediarum concentu; moralis, motus ſenſibiles qui rapiunt ad contraria, ſic ſub rationis diſciplina continendo, vt militent virtuti; œconomica, coniugio inter pauperem & diuitem, quale diſcribitur à Platone [e] inter Porum & pœniam vnde natus amor, quia tàm gratum eſt abundantiæ ſe diffundere, quàm indigentiæ ſubleuari. Fœlix etiam initur matrimonium ferocioris naturæ cum quieta, luxuriantis cum continente, vt ſibi mutuò ſint exceſſus & defectus remedium, ſicut muſtum feruidum alterius miſtione temperatur. Politica conflat ciuitatem, ex omnium hominum pugnantibus etiam animis, qui poſſint pacis & belli, quietis & laboris muneribus ſufficere. Ita lex [f] non permittit aliquem adminiſtratoris, vel aſſeſſoris officio fungi, in ea prouincia vnde ſit oriundus, ne aut gratioſus aut calumnioſus apud ſuos eſſe videatur. In cæteris muneribus eligi ſolent collegæ, genio, fortuna, familia diſpares, ortis etiam priùs inter ſe diſſidijs æmuli, ne conſpirent, ſed in inuicem cenſores, nihil patiantur elabi, nihil tegi quod bono publico noceat. Societas hominum fornicationi lapidum ſimillima eſt, caſura niſi inuicem obſtarent: Sic ad motum corporis

[e] In conuiuio & 6. de legib.

[f] Ne cui patriæ ſuæ adminiſtratio concedatur. C. 1. t. 41. & l. 3. de off. aſſeſſ.

diſponuntur muſculi, vt vnus alteri contrarius ſit, & ad oppoſitos trahens ſitus, quod ſi abſcindas eum qui eleuat, alter qui contrahit ſuo ampliùs non fungetur officio, ſed pars indecorè iacebit immota, vt patet in oris toruitate. [g] Corporis noſtri membra commutatim diſpoſita ſunt, contrarioſque habent inflexus; brachia flectuntur ad concauum, crura ad curuum, cubitus ad cancauum, manuum carpus & humerus ad curuum, femora ad concauum, genu ad curuum, pes ad concauum; ſuperiora membra ſunt ad inferiora contrario modo; humerus ad curuum, femur ad concauum; cubitus ad concauum, genu ad curuum; pes ad concauum, manus ad curuum. Vt corpus taliter conſtitutum obit facilè motus omnes ad ſui tutelam, & ornatum neceſſarios: ſic dum alius aliud & aliud, contrariaque ducente genio perficiunt in Republica, totum regiminis negotium collatis operibus fœliciter abſoluitur.

[g] Ariſt. lib. de part. anim.

Ex opinionum pugna veritas eluceſcit, vnde præcipitur [h] in negotijs vt ſecurè fiant, vocandos eos qui poſſint contradicere [i] Catonis tempore fuerunt maximorum ſcelerum molitores, inquit Seneca, vtraque turba opus erat: vt Cato poſſet intelligi, habere debuit & bonos quibus ſe approbaret, & malos, in quibus vim ſuam experiretur. Eo ſenſu dicit [k] Apoſtolus oportet hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant: vtitur illis Eccleſia, inquit D. Auguſtinus, [l] tanquam ſubditis ſuis, vt bonorum fides prauorum contumaciæ comparata firmetur, ſicut olim rectam ingenuorum adoleſcentum inſtitutionem commendabat turpis ſeruorum temulentia. [m] Eccleſia Cathoca per totum orbem validè latéque diffuſa, omnibus errantibus vtitur ad profectus ſuos & ad eorum correctionem, cùm euigilare voluerint; vtitur enim gentibus ad materiam operationis ſuæ, hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ, ſchiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ, Iudæis ad comparationem pulchitudinis ſuæ, alios ergo inuitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit, omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat poteſtatem. [n] Si fides Catholica nullis extrinſecùs cingeretur hæreticorum dogmatibus, non poſſet tam clara, & tam examinata videri, nam expugnata conſideratur diligentiùs, intelligitur clariùs, inſtantiùs prædicatur.

[h] l. 39. ff. de adoptio.
[i] Seneca lib. de tranquil. vitæ. c. 9.
[k] 1. Cor. 11.
[l] lib. 12. contra fauſt. c. 24.
[m] Id. de vera religio. c. 6.
[n] Id. ſerm. 98. de tempor. & lib. 16. de ciuit. c. 2.

Quamuis ſapiens vitæ ſuæ legem ita dixerit, vt ſui iuris effectus minùs pendere videatur ab externis, concutiet tamen illum ipſa rerum & temporum qua vehitur fluens vnda; domeſticos, ciuiles, etiam internos motus patietur ad arbitrium penitus non ſedandos: ipſa probitas quæ ſummam vitæ promittit æqualitatem, fit potiſſima cur impugnetur occaſio, deſertore magnis in conatibus natura, dæmonum tentatione, tyrannorum, malorum, inuidentium dolis & viribus, Deo denique ſic electos ſuos, probante, perficiente; vt

re; vt enim ſingulis annis hyems æſtatis, ver & æſtas hyemis remedium eſt, ſic extrema gaudii luctus occupat vt inſoleſcens proſperitas aduerſitate caſtigetur. Plato [o] ſæua diluuia & conflagrationes mundi, dixit eſſe purgationem terrarum, nec vir prudens extimuit humani generis ſubuerſionem; clades, ruinas, interitus, funera, rerum innouationem vocare, & iuuentutem his velut redintegratis viribus comparatam. Non vna malorum facies, ſed quotidie noua & inſperata pacis auidos vocat ad certamen, quia non vna tantùm virtus illis neceſſaria, ſed omnium habitus tali militiæ tyrocinio comparandi ſunt, vt tandem inter emeritos cenſiti, præmiis coroniſque donentur. Etiam hi quos Deus recipit in abſcondito faciei ſuæ, procul à conturbatione hominum, vices patiuntur diei & noctis, lucis & tenebrarum, eleuationis & depreſſionis; nunc fluunt conſolationis, nunc doloris & derelictionis lachrymæ, ſemper tamen dulces quia ſunt ſeu fruentis, ſeu deſiderantis amoris effectus. Quid indignamur? hæc eſt vniuerſo lex poſita, vt omnia conſtent ex contrariis, vt vita militia ſit ſuper terram, huic ſe ſubtrahere ſi quis fortè tentauerit; fugienti crudelior inſtabit hoſtis, itaque ſuccincti lumbos mentis noſtræ, vt ait Apoſtolus, [p] ſemper in procinctu nobis agendum eſt, non cedendum, ſed occurrendum aduerſis, donec vltima dies receptui cecinerit & triumpho.

[o] Arnobius lib. 1. contra gentes.

[p] 1. Petr. 1.

Docet ipſa ſocietatis humanæ neceſſitas, omnibus etiam pugnantibus geniis vrbaniter conuiuere, pati mores quos immutare non conceditur: inſtar aëris ex occaſione contrahi, dilatari, loco cedere, vacuum implere, cuilibet quantitati vel figuræ commenſurari, ne mundi ciuilis vnitas & compago, ſolutione continui depereat. Hoc ingenium verſatile, non humana tantùm prudentia, ſed naturalis & religioſa lex commendat: quid enim æquius quam eorum onera portare, qui viciſſim noſtra patiuntur: [q] perſonarum vt rerum non minus incommoda, quàm commoda partiri, earumque duras conditiones, ſi beneficium accipimus, obſequio; ſi conferimus, gemina gratia tolerare?

[q] l. 10. ff. de reg. iur.

Aliquid ampliùs præcipit lex Euangelica, & non vrbanitatem tantùm, quæ vultus & ſermones officioſè componat, ſed charitatem quæ altis inſita pectoribus extinguat in illis quælibet odij ſemina, & vnitatis diuinæ vi, contraria conciliet ad inimicorum vſque dilectionem. [r] Deus charitas eſt, & in eo vltimo noſtræ beatitudinis fine coincidentes humanæ mentes, ſicut lineæ ex oppoſitis circumferentiæ partibus ductæ, in communi ſuo centro ſunt vnum. Hominem vnum cum Deo efficere voluit Chriſtus homo Deus; fideles omnes diuino ſuo voluit viuere ſpiritu, eo ſcilicet quo ſe pro peccantibus hoſtibus ſuis interceſſorem, ſacerdotem, victimam obtulit, & vt eodem

[r] Math. 5. 44.

Digitized by Google

viuentes eadem præſtaremus, nouo nobis mandato præcepit. Fiet irritum ab his qui feruntur in vindictam, ſic continui ſolutionem patietur corpus ſuum Eccleſia; tot confodietur vulneribus, quot ex odio naſcentur peccata: peccat autem qui lædit, peccat qui læditur furens ad vltionem: creſcit in vtriſque velut cauſa iuſtæ defenſionis lædendi cupiditas, hæc multorum exemplis ſtabilita conſuetudo tranſit in legem humanam, vnde fit infinitus quidam malorum circulus, & iræ ſæuientis incendium, non niſi conſumptâ penitùs materiâ finiendum. Chriſtianus ciuis ſanctorum & domeſticus Dei, coram illo vitam agit in ſanctitate & iuſtitia; in ſanctitate, quæ procul ab externis pro quibus decertatur poſita, non læditur hoſtium iniuriis; in iuſtitia, quæ non læſa non lædet, quæ amoris proprij cæco ductu, proprium alienumque non profundet ſanguinem; proximi, Chriſti, Dei, ſingulare, publicumque ius non præuaricatur. Quantò meliùs eſt ex imperantis Euangelij lege iniurias pati, condonare, contentionibus finem imponere, hoſtibus paſſione debilitatis indulgere, non iraſci, hiſque charitatis officiis conſentire vniuerſo quod ſtat vnione contrariorum, & conſequi pacem, quæ animum Deo dignum efficiat.

Primæ cauſæ ſubordinantur inferiores.

Lex 3.

VNITAS non eſt numerus, licèt ex illa numeri ducant initium, & accipiat vnuſquiſque vim, qua producitur, terminatur, ſuamque conſtituit ſpeciem: punctum non eſt quantitas, licèt ex illo quantitas incipiat habere partes extra partes loco commenſuratas, ſuoque concluſas termino. Ita Deus non eſt in cauſarum naturalium categoria, quamuis illarum ſit origo, illiſque qua ſint & agant vim intimam infundat; ſupereminet & cùm ſit infinitæ perfectionis, quæ eſt ab ipſo ſecunda cauſa, cæteris ſuperior, diſtat tamen ab ipſo infinitis defectuum gradibus, cùm ſit tum exiſtentiæ, tum virtutis finitæ, immediatè ſibi ſuccedenti cognata, paribuſque ferè titulis connexa. Cùm igitur dicitur Deus cauſa cauſarum, piiſſimus tantæ maieſtatis cultus, tum imaginationis tum mentis conceptum corrigat; ne ſicut ante vnitatem numeros incipientem, ante punctum quantitatis initium, vacuum eſt, & vtrumque cenſetur compoſiti pars; ſic Deum repures non exiſtentem ante mundum, vel continuum cum illo facientem. Æternus, infinitus, vt perfectione, ſic duratione, ſibi ſufficiens in immenſis gloriæ ſuæ

Digitized by Google

ſplendoribus, æquè ſemper ſemperque ſua ſibi fœlicitas, liberrimè cum voluit, & vt ab æterno non mutabilis voluit, cœlo tempori, mundo, cauſarum ſubordinationi dedit initium. Hunc igitur infinite magis ſuper creatas res elatum cogita, quàm ſit figulus ſuper vaſa terrea quæ finxit inſerta ſibi, & certâ proportione complexa; quàm ſit ſol ſuper roſam, cuius folia duxit è gemma, explicauit ſerie multiplici, purpura pinxit, odore ſuauem efficit. Nam omnes cauſæ ſeu naturales, ſeu artificiales materiam deſiderant, ex qua, & in qua ſuos producant effectus; vim roſæ radicibus inhærentem blando ſuo calore ſol eduxit, lutum figulus rota manuque conformauit; ac Deus omnipotentia ſua, cauſæ nullius ſubſidijs indiga, ipſam mundi materiam & formam ſimul creauit in principiiſ, vt dicit geneſis, ideſt per ſe & in ſe, cùm nihil extra ſe præceſſiſſet. Ideo ſummè colendus, cogitationum, affectuum, bonorum omnium noſtrorum primitijs, ſcilicèt oblatione perpetua propter exiſtentiæ noſtræ fluxum, omni momento vita nos priuantem, & propter conſeruatricem prouidentiam noua nos ſucceſſiuè vita donantem.

Primæ cauſæ proximiores ſunt perfectiores.

§. I.

SI ad perfectionem vniuerſi conueniens fuit eſſe multa, diuerſa, etiam contraria, quæ magiś exprimerent infinitatem Dei; hæc etiam oportuit inter ſe, loco, virtute, potentia, ſic aptè commenſurari, vt vnum quid efficiant, quod ſit vnitatis diuinæ ſimulachrum: nam plures formæ ad vnam vniuerſi formam & pulchritudinem diſpoſitæ imitantur, quantùm licet, eſſentiam vniformem in natura ſua ſimplici ac ſupernaturali, omnem vniuerſi pulchritudinem eminenter anticipantem & præhabentem, inquit D. Dyoniſius. [s] Vt autem fiat illa ſeries & ſubordinatio cauſarum, aliqua debet eſſe primæ proxima; primam hanc debet ſequi ſecunda, ſecundam tertia, & ſic deinceps, vt videre eſt in partibus quantitatis continuæ; cùm autem vniuerſi machina, partiumque ſeries limitata ſit, tandem à primo deuenitur ad vltimum, vnde rurſùs entia, vt dictum eſt, velut à circuli perigæo ſenſim eleuantur, donec in principium fiat reditus. Actui primo concipimus oppoſitam materiam primam, omni carentem actiuitate, totum in potentia ſubiectum, excipiendis aliarum formis paratum & auidum; Igitur à maximo ſupremo virtus emiſſa, gradatim minor erit in ſequentibus, prout maior erit à primo receſſus: [t] velut ſi ſuſpenſo lapidi magnetis ferreum iungas annulum,

Vide infra l. 10. §. 1. & l. 14. initio.

[t] Card. Cuſa de con-

Digitized by Google

cord. Catho l.lib. 1. c. 2.

huic alium & alium, tandem plures, fortiùs adhærebit prior lapidi, quàm ſecundus primo, quàm tertius ſecundo, virtuſque paulatim debilitata, recipietur in eo qui tractus non valebit trahere. Similiter ſi fax accendatur, plus erit lucis in loco proximo, quàm in remotiori, vbi cedet tenebris, & tantùm dat ſpeciem ſui, non obiectorum illuſtationem.

Defectus ille procedit ex agentium limitata virtute, quæ ad extremum ſui procedendo labitur, & provt decreſcit, augetur infirmitas, qua tandem emoritur. Par quidem eſt ordo cauſarum quæ diminutionem patiuntur, ſecundùm quod illas concipimus à Deo recedentes: ſed par non eſt ratio talis defectus ex parte Dei; eſt enim infinitæ potentiæ quæ nullo termino continetur, vbique tota, non minor in gleba terræ quàm in cœlo; eſt immenſus, implens, excedens omnia; loci locus, ſucceſſiuæ durationis in æternitate ſua fons, cuius ideo virtus ad extrà nec loci, nec temporis limitibus coërcetur aut minuitur. Hæc igitur rerum imminutio procedit ex eo quòd repugnat infinitum multiplicari, itaque entia finita creata ſunt multiplicia, diuerſa, ad contrarietatem vſque, & cùm hæc debuerint ordinari vt referrent non minùs vnitatem quàm infinitatem diuinam, etiam oportuit inæqualis eſſe virtutis. Initio creauit Deus cœlum & terram, vt influens cœlum haberet ſub ſe terram influxus excipientem; ſic agentibus cauſis reſpondent ex æquo patientes; datur quod mouet nec mouetur, quod mouetur & mouet, tandem quod moueetur ad mouendum impotens.

Hanc virtutis à ſuperioribus ad inferiora languidè peruenientis defectum, non prouenire à defectu primi argentis, conſtat ex eo quòd licèt vis magnetica lucidi corporis, aut alia quælibet vltimum habeat terminum in quo concidit; virtus tamen naturalis à ſuo perigæo, ſurgit ad apogæum iiſdem quibus deſcenderat gradibus, ſic ex corruptionibus quotidianæ fiunt generationes, quibus materia nobilioribus formis illuſtrata in principium ſuum refunditur. Plantæ ſeruiunt animantibus, animantia homini, qui per holocauſta, thuris oblationes, ſed maximè per ſacrificium iuſtitiæ & orationis totum Deo reſtituit, illique pro tota natura gratulatur, vt olim ſummus ſacerdos qui propterea totius mundi figuram veſte myſtica præferebat. [v] Id innuere videtur domorum cœleſtium apud Aſtrologos diſpoſitio, ſic vt primæ vitam ſignificanti, reſpondeat ex diametro ſeptima, quæ mortis locus eſt ſimul & nuptiarum, quibus fit humani generis propagatio, mundique velut ex ſuis cineribus reſurectio. Videtur id imitari muſica dum vel cytharæ vel vocis in vltimo tonorum centro fictè morientis vires, eodem ſpriritu ſibi ſenſim accreſcens modulatio in acutum reſtituit. Summæ poteſtatis ius eſt, vt alta deprimere, ſic

[v] Philo Iudæ lib. 2. de Monarchia.

Digitized by Google

extollere jacentia: inſtar cœli, terræ fumos vel in nebulas illi circumfundere, vel iam ignitos ſublime tenentes in fulgorem ſtellis parem ſuſpendere, aut eos in illam omnium metu, paucorum periculo iaculari. Non eſt hæc indecora maieſtatis commendatio, ſi ſaluis iuſtitiæ legibus fiat.

Igitur hoc entium ordine ſuppoſito, rationi congruit vt ens primæ cauſæ proximus, etiam virtute, puritate, poteſtate, cæteriſque dotibus fiat ei ſecundum, cæteris eminentius. Vires agit, ſummæ bonitatis, ſuis ideo debet fulgere ſplendoribus, indigentiam non pati donorum, quæ ipſo mediante diffunduntur, ad diuinam pertinet maieſtatem, ab omni defectu penitùs alienam, nihil iuxta ſe pati quod non emineat, ne videatur arguere vel decoris neglectum, vel infirmæ pulchritudinis conſcientiam, quæ velit ex deformitatis oppoſitione commendari. Ideo docet Theologia eo momento quo Deus dixit fiat cœlum & lux, creatos eſſe Angelos, ſeparatas ab humilibus materiæ conditionibus mentes, [x] quarum prima ex tribus hierarchia, circa Deum aſſiduè verſatur, illique iugiter inhæret; in illa primus ordo ſeraphim immediatè iuxta Deum ante alios eminente propinquitate locatur, qua non eſt alia deiformior, primoribuſque diuinitatis illuſtrationibus immediata coniunctione propinquior. Denique tota ratio ordinis in Angelis eſt ex propinquitate ad Deum, [y] nam illi propinquiores, ſunt gradu ſublimiores, & ſcientia clariores. Omnes ordines primæ hierarchiæ aſſimilantur miniſtris Regis circa perſonam eius; ſcilicet cubiculariis, conſiliariis & aſſeſſoribus. Secundæ autem, officialibus regni in communi, ſcilicet dominis curiæ, principibus militiæ, & iudicibus curiæ; Tertiæ verò, deputatis ad certas partes regni, ſcilicet præpoſitis, baliuis & huiuſmodi. Ad primam hierarchiam pertinet conſideratio finis; ad ſecundam diſpoſitio vniuerſalis de agendis; ad tertiam verò executio operis. Hinc ait D. Dyoniſius [z] inferiores tantùm Angelos mitti ad nos, vt inferiora reducantur ad Deum per media, & quando dicuntur miſſi ſeraphim, intelligendum de Angelis munus ſeraphim, quod eſt incendere, in nos exercentibus, etiam authoritate ſeraphim.

Ex Pythagora [a] primum vnum bonum, proximè vni præeſt menti; hæc vna mens multis mentibus; vna anima mundi duodecim animabus ſphærarum; in qualibet ſphæra, duodecim principes animæ cæteris innumerabilibus præſidentes. Eadem ratione populus Iſraël in duodecim familiarum capitibus præſidentes. [b] Triſmegiſtus planetas vocat ſeptem à Deo factos gubernatores, qui mundi circulum ſenſibilem complectuntur certa diſpoſitione, vnde conſtat fatum. Hos dicit Plotinus eſſe velut ſenſus internos animæ mundi; Paracelſus [c] exiſtimat eſſe fontes medicinæ, quaſi nihil poſſit elici ex mortali

[x] D. Dyoniſ. de cœleſti hierar. c. 7. D. Tho. 1. q. 106. a. 3.

[y] D. Tho. 1. q. 106. a. 3. ad 1. & q. 108. a. 6.

[z] c. 13. cœleſt. hiera.

[a] Marſ. Ficin. Theol. Plato. lib. 4. c. 1.

[b] In pyma. c. 10.

[c] lib. 1. de vita longa. c. 2.

Digitized by Google

quod vitam longam pariat. Iulianus Apoſtata [d] dicit eſſe Dei vicarios orbis regimini præfectos; eorum corpora corporibus inferioribus, mentes motrices mentibus præſidere. Inde fieri vt diuerſis populis ſint diuerſæ leges, diuerſi mores & habitus, quod quidam valeant audacia, quidam induſtria, habeantque proprias denominantis ſibi planetæ dotes. Octaua ſpæra ſtellarum fixarum eſt velut vniuerſale mouens quod præſidet ſpeciebus & rebus in natura aut nullo modo, aut parum mutationibus obnoxiis, à ſequentibus autem cœlis procedunt differentiæ ſecundùm proprias rerum quidditates, & inde generationes & corruptiones rerum alterabilium legem accipiunt, inquit Albertus. [e] Generaliter dicit D. Dyoniſius [f] à Dei bonitate pendere ſolis, lunæ, cæterorum ſyderum conuerſiones, quibus dies & noctes, tempora, & ea quæ in tempore ſunt, diſtinguntur, ordinantur, continentur. Exponit hæc D. Thomas, [g] docetque quod etſi Deus ſeipſo mundum creauerit, licèt ſeipſo quoad ordinationem regat, tamen quoad executionem vtitur corporibus cœleſtibus velut inſtrumentis. Non eſt hic inſtituti noſtri vim cœleſtium corporum in inferiora probare contra proteruos blaſphemantes id omne quod ignorant, pertinaciam hanc religionis ſpecie palliatam, conuicimus in quodam opuſculo; [h] Ita nunc iure ſupponimus, quod etiam omnium ratio ſenſuſque percipit, noctis & diei, tempeſtatum anni conuerſiones, maris æſtus, generationes & corruptiones à cœlo pendere.

Immediatè cœlo ſubiicitur elementum ignis, inter alia purius, velocius, actiuitatis motuſque, vt dicemus, principinm. Ignem cœlo lunæ proximum dari probat Ariſtoteles, [i] quia dato vno contrario in rerum natura debet dari alterum quod illi reſpondeat, vnde ſicut videmus terram ſummè frigidam & grauem, admittendus eſt ignis ex oppoſito calidus, leuiſſimus. Calor in omnibus mixtis operationum artifex, debet ad inſtar cæterarum qualitatum, ſummum ſuum gradum obtinere in aliquo ſimplici corpore, nec tantùm inhærere accidentis modo materiis quibus nutritur, quibus conſumptis ſtatim deficit, ſed conueniens eſt eum, vt cætera elementa, ſphæram ſuam habere, in qua procul ab alterationibus ſeruetur ad mundi perfectionem. Ad hunc ignem ſurſum ſedes proprias obtinentem, dirigitur naturaliter hic noſter ignis, ſuoque motu quo conatur ferri ſuper aërem, demonſtrat illic eſſe centrum ſuum, quod quidem in auras euaneſcens non obtinet, ſed quod ſemper à maxima elementi ſui parte poſſidetur, ne violentum, vacuum, fruſtratio priuatioque præualeat in rerum natura.

Ignem ſequitur aër, illi caliditate, ſubtilitate, mobilitate familiaris, opportuna raritate & condenſatione omnium figuris & motibus ſe conformans, vt vnitas mundi, citra vacui periculum ſeruetur; virium

[d] Apud Cyril Alexand. lib. 4. contra Iulia.

[e] Albert. Magn. de cœlo & mundo. tr. 3. c. 15.

[f] De diuin. nomin. c. 4.

[g] Lib. 3. contra gentiles. c. 81. 83. & lib. 4. 91.

[h] In Apologia fati vniuerſi.

[i] Lib. de cœlo & mundo.

Digitized by Google

cœleſtium fidelis diſpenſator, cordis noſtri omni momento calore pereuntis præſens remedium, ſpirituum in corpore exquiſita materia, nauium vector, ignis fomentum, lucis & odoris ſequeſter, imago quædam infinitatis intra quam ſit omne quod noſtrum eſt. Tandem ſequitur orbis terræ & aquæ, ſocietate, ſedibus nunc partitis, nunc commixtis conflatus. Hæc duo elementa ſunt quidem ex ſe minùs actiua, ſuperiorum tamen largitione cæteris ditiora, nobiſque plurimum benefica; quodlibet eorum ſuos habet ciues, ſuis viuentes legibus, interdum communibus, ex principiorum ſuorum confœderatione; illic ſpectare licet mirum ordinem vegetantium, animalium, mixtorum de quibus dicetur infra. In his inferioribus eminet homo, creatus paulo minùs ab angelis, omnium dominus, ſpectator, etiam artifex, ſupra fatum intellectus præſtantia, affectuum libertate; naturam æquat, continet, regit, iiſdem ipſis legibus quas ab ipſa mutuatur. Ex hac enim rerum ſubordinatione didicit populis vnum præficere, à quo pendeat ſumma rerum; regem immediatè ſequuntur ipſi ſanguine iuncti principes, prout eminent affinitatis gradu proximiori, vt cæteris maior eſt ſtatim ab hepate naſcens vena, & à corde arteria: tandem ſequuntur nobiles, [k] quos ſemper in omni rerum commercio, potiſſimum in dignitatibus obtinendis, originis ſuæ ſplendor prætulit; nam vt aquæ, [l] ſic familiæ meliores habentur quæ fluunt ex altiſſimis locis.

[m] Cor palpitat motu ſibi proprio, & quaſi proprium mouetur animal; cœlum inferioribus elementis in propria regione relictis, partes ex his aliquas attollit in ſublime, ſibique magis vicinas efficit in modum ſtellarum fulgentes; ſol virtutem ſuam viuificam & vniverſalem largitur planetis quos in cazymi & in corde ſuo receperit; ita Rex in argumentum poteſtatis ſuæ, in ſolatium animi curis publicis concuſſi, in fidem conſiliorum & rerum ſuarum tutelam, quos placuerit eleuat, & præter ſolitum ordinem ſui ſplendoris participes efficit. [n] Sic honoratur, quemcumque rex voluerit honorare, vt contigit Ioſepho apud Pharaonem, Danieli apud Nabucodonoſor, Mardochæo apud Aſſuerum, & alijs. Principibus placuiſſe viris non vltima laus eſt, ſcilicèt in partem regiminis aſſumi, affectus promereri eius cordis [o] quod in manu Dei eſt, vt quô voluerit inclinet; vnde [p] ſacrilegii genus habetur aliquem reputare indignum, quem Imperator approbauit; omnis poteſtas à Deo, inquit Apoſtolus: hac ratione Concilium Toletanum [q] præcipit Epiſcopis, eos in Eccleſiæ communionem recipere, quos Rex in gratiam benignitatis receperit. [r] Inde factum eſt vt Imperatori vel Regi præſtandum officium, quod aliàs ſeruitutem redoleret, honoris & excellentiæ titulus ſit: alia licèt ex ſe deiecta miniſteria, inter dignitates habentur; ipſimet

[k] L. 5. ff. de ſenator. Vt dignitatis ordo ſeruetur. cod. lib. 12. tit. 8.

[l] Hypocr de aëre, aquis & locis.

[m] Plin. lib. 4. c. 37.

[n] Eſther. c. 6.

[o] Prouerb. 21.

[p] L. 5. c. de diuerſ. reſer.

[q] xii. c. 3.

[r] L. vn. c. de comit. & archia. lib. Chaſſan. in Cathol. gloriæ mundi 1. par conſid. 66.

Digitized by Google

[s] Cod leg. antiq. lib. 2. tit. 4. l. 4.
[t] Plini. lib. 2. c. 103.

olim Imperatoris ſerui, [s] velut liberi ad actus ciuiles admittebantur. Ita fulget quidquid Regi fit proximum; in aula videntur omnes aurei, [t] ſicut in Carinenſis agri fonte piſces. Reliquæ regiminis dignitates fixo rerum ordine ad inſtar cœlorum & elementorum, ſuperiores habentur prout magis accedunt ad principem.

[v] Math. 9. 15.

Veritatem æmulantur ſpiritus erroris, dum aureum primum ſæculum celebrant Poetæ; didicerant à Iudæis primum orbis conditi tempus extitiſſe fœlix innocentia quæ conditoris ſanctitatem referebat: ſic veneramur naſcentem ſub Chriſto Eccleſiam, velut ſponſi præſentia magis lætam; [v] acceptis ex eius ore fidei documentis, illuſtriorem; zelo, charitate, magis feruentem; ad eam itaque multi prouocant, quaſi tunc veritatis & pietatis aquæ ſalientes in vitam æternam, eo fuerint puriores, quo fonti ſuo proximiores. Fœliciter ad inſtar hominum Eccleſia naſcitur à capite, ſcilicet à Chriſto, qui receſſurus ex hoc mundo, Petrum viſibilis corporis viſibile caput conſtituit, vnde motus iuriſdictionis & ſenſus veritatis cæteris partibus infunderetur. Illi proximiores dignitates, etiam eminentiori dignitate præſtant cœteris; ſicut in arboribus quibus eſt ramorum ordo, vt piceæ, abieti, latiùs diffunduntur qui à trunco minùs diſtant; fiunt ita diuerſi dignitatum gradus, donec à ſupremis ad minores deueniatur, & hac ordinum diſtributione conſeruatur vnitas Eccleſiaſtica, [x] ad exemplum cœleſtis hierarchiæ. Tandem præcipua gentium, familiarum, perſonarum, officiorum tum ciuilium, tum Eccleſiaſticorum nobilitas & prælatio [y] naſcitur ex antiquitate, quæ quos effecit tempore primo principio viciniores, ſimul & iure quodam primogenituræ donat.

[x] Can. ad hæc diſt. 89.
[y] Chaſſanæ in catal. glo. mundi p. 4. conſ. 53. & p 11. conſ. 41.

Vt centrum eſt immobile, ſic illi vicinæ partes minus ſunt mobiles, & hinc mechanica mille ludit exprimentis & machinis, quibus grauia facilè mouet, eo poſito fundamento, quod motus in circumferentia longè facilior eſt quàm in centro, & multiplicatur per quadratum numeri, vt patet in in vecte & pondo romano. Sic qui non valent aperto marte Principem aggredi, vel adhærentium ſibi miniſtrorum fidem infringere, commouent populum ipſamet à principe maiori diſtantia faciliùs mobilem, rebuſque turbatis illo motu violento, cæteros rapiunt. [z] Ita qui nobis inſidiantur, afficiunt ſenſus, phantaſiam, paſſiones, vt conturbent rationem, quam aliter non potuiſſent in ſuas partes trahere. Inter tot aberrantium, & auocantium te fremitus, inter mundanos & tartareos motus vis non moueri; à circumferentia deducendus eſt ad centrum animus, ad vnitatem ſuam, qua diuinam contingat. Adhære Deo, habebis Thronorum firmitatem, fixas Cherubim illuſtrationes, Seraphim charitatem quæ nunquam excidit. Illæ beatiſſimæ mentes ſtationes ſuas tenent quibus

[z] D. Thom. 1. q. 106.

Digitized by Google

bus fiunt plus minuſue Deo proximæ. O nunquam ſatis miranda mentis humanæ dignitas, poteſt angelos non æquare tantùm, ſed & ſuperare, qui fuerit vnus cum Chriſto ſpiritus; eſt enim caput Angelorum & vnus cum Patre primo beatitudinis fonte.

Spiritualia præſunt corporeis.

§. 2.

VNiuerſaliſſima diuiſione complectimur id omne quod exiſtit, cum dicimus eſſe aut ſpirituale aut corporale: hanc tantùm diſtinctionem feciſſe videtur Moyſes deſcribens mundi geneſim: in principio, inquit, Deus creauit cœlum & terram. Notat Deum ſpiritum cauſam efficientem; cœlum & terram; ideſt ſuperiora & inferiora corpora, vt effectus procedentes ab eo ſpiritu, qui poſteà dicitur aquis incubuiſſe. Prima tamen die creatos Angelos ſub nomine aut cœli aut lucis aſſerunt doctores,[a] ſed pronis ad idololatriam populis id clarè legiſlator non expreſſit, ne Deo creatori videretur aſſignare collegas, quibus debitum illi ſoli cultum ignara gens ſuperſtitiosè deferret. Angelos tamen exiſtere Dei miniſtros, rebus corporeis præpoſitos, ſtatim probant quæ referuntur[b] de Cherubim flammeo gladio aditum paradiſi cuſtodiente;[c] de figuris duorum verſis in ſe mutuò vultibus ſuper arca;[d] de angelo Agar ancillæ loquenti; de tribus ſub ſpecie peregrinorum ab Abraham hoſpitio exceptis,[e] & Loth de Sodomorum incendio eripientibus: & paſſim tàm in veteri quàm in nouo teſtamento, ſic frequens eſt ſermo de Angelis vt eos exiſtere nemo fidelis ambigat. Apud infideles autem in omni gente, ab omni æuo, firma fuit de ipſis fides, & quia ſemper mortalibus fuerunt benefici, pro diis habiti ſunt. Iulianus Apoſtata[f] ſic idololatriam tuetur, aſſerens Deos eſſe alios incorporeos, ſcilicèt mentes cœlorum motrices: alios corporeos, ſcilicet corpora ſolis, lunæ, aliarum ſtellarum, quibus vt à Deo præpoſitis rectoribus iuſtiſſimè cultus exhibetur. Illos eſſe probat ratio,[g] quia cùm Deus ſit intellectus & per intellectum creaturas produxerit, eminentiores voluit eſſe intellectuales, ſubſtantiæ & operationis puritate ſibi magis ſimiles; vtque ſuperior cœlorum ſphæra cætera corpora ſuo cingit ambitu, ſic Angeli res omnes creatas intelligendo complecterentur. Eorum quoſdam inferioris ordinis ineſſe ſphæris elementorum ſicut & cœlorum aſſerunt multi,[h] vt in omni mundi parte corporea ſit aliquid ſpirituale.

Formas mixtorum, plantarum, animalium, nobilioris eſſe conditio-

[a] D. Thom. 1. q. 61. a. 1. ad 1. Rupert in c. 1. Geneſ. cap. firmiter. de S. Trinit.

[b] Gen. 3.

[c] Exod. 25.

[d] Geneſ. 9.

[e] Gen. 19.

[f] Apud Cyrill. Alexandr. lib. 4.

[g] D. Thom. lib. 2. contra Gentiles.

[h] Paracelſus. lib. de nymphis, pigmæis. &c.

Digitized by Google

nis quàm elementa, & ineſſe corporibus ſpiritum, caloremque non igneum qui conſumit, ſed cœleſtem & naturæ diuinioris aſſeruit Ariſteles [i] & eum ſequens turba philoſophorum. [l] Animæ functiones perfici mediis ſpiritibus qui ad naturam ſpiritualem accedunt, & medij quodammodo ſunt inter corpus & animam, tum ſingulis organis inhærentes, tum à iecore, cerebro, corde diffuſi, eſt in confeſſo apud medicos. Plato [m] duplex bonum conſtituit in ciuitate, ſpirituale ſcilicet poſitum in Religione & virtutibus, & corporale in rebus ad corporis commoda ſpectantibus; præcipit rectores vtriuſque curam habere, vtriuſque fruitione ciues efficere beatos. Ita Chriſtus [n] hominum in ciuili ſocietate viuentium officia, duplicia notat eſſe corporalia & ſpiritualia, cùm dicit, Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Etiam Iuriſconſulti [o] res humanas de quibus ius dicitur recenſentes, eas diuidunt in corporales & incorporales; corporales ſunt quæ tangi poſſunt, veluti fundus, veſtis, aurum: incorporales autem quæ tangi non poſſunt, qualia ſunt ea quæ in iure conſiſtunt, ſicut hæreditas, vſusfructus, ſeruitus, ideſt ius ad talia hæc poſſidenda, & ſi negentur, actione petenda in iudicio. Tandem vt homo compoſitus eſt ex corpore & anima, ita res cunctæ ſtudiaque omnia noſtra corporis alia, alia animi naturam ſequuntur; Ipſe ſermo quo conſtat humana ſocietas ſenſibilem habet ſonum, ſignificationem velut animam ſpiritualem, intellectionis imaginem, & quia verbum communicat partim cum ſpiritu, partim cum corpore, aptiſſimum eſt medium homines cum Deo conciliandi, & vt cætera ſic & ſacra quædam ſunt nomina Deo dicata, maximè Hebræa, * quæ in aliam linguam non ſunt mutata, ne velut corporis & ſpiritus compage deſtructa, vis euaneſceret.

[i] De generat. animal. lib. 2. c. 3.
[l] Scaliger. exercit. 307. s. 20. Fernel. Phyſiol. l. 7. c. 5. & lib. 4 c. 7.
[m] lib. 1. de legib.
[n] Luc. 20.
[o] Inſtit. de reb. corporal. & incorporal.
Vide infra l. 4. §. 5.
* Reuchlinus de verbo mirifico.

Igitur vbique corporeis adſunt ſpiritualia, & quidem non indigna nec inani ſocietate, ſed cùm referant Deum, qui ſpiritus eſt omnium creator & gubernator, etiam ipſa velut nobiliora corporeis imperant. [p] Corpus enim habet qualitates ineptas ad actionem, partes in quantitate diſperſas, cùm vis ſit ab vnione, molem quæ torpeſcit ipſa, & ab alio motum impreſſum tardat; craſſitiem & denſitatem, qua præpeditur ne in ſubiectam materiam penetret: his impedimentis liberi ſpiritus actiones ſuas obeunt fortiter, facilè, citiſſimè, ſubiectamque materiam peruadentes, quò voluerint agunt. Cœlos mouent intelligentiæ, motuque circulari perpetuos à Deo in ſe, & à ſe in Deum reditus exprimunt. Præſident etiam rerum inferiorum ſpeciebus, [q] & ideò fortè ſub irrationabilium imaginibus in ſcripturis ſacris referuntur, [r] multipedes, multiformes ad boüm, pecuariã, ferinam, leonũ, auium naturã efformatæ. Quidã enim [s] præcipuos cœlorũ influxus refunt in Angelos cœlorũ motores; quia ſicut in arte forma operis artificioſa etſi fieri videatur

[p] Marſ. Ficin. Theol. Platon. lib. 1. c. 2.
[q] D. Thom. 1. q. 110. a. 1. ad 3.
[r] D. Dionyſ. de cœl. hier. cap. 2.
[s] Marſ. Ficin. in Plotin. lib. 3. enea. 2. c. 8.

Digitized by Google

per inſtrumentum, efficitur tamen artificioſæ intelligentiæ formâ, quam ſolam imitatur; ſic formæ rerum naturalium pluſquam artificioſa ratione diſpoſitæ, non tam cœleſtium corporum, vel moles vel qualitates, quàm animarum cœleſtium motiones imitantur atque ſequuntur. Sic in animali calor non redigit cibum in vitæ formam, in quantum calor eſt, cuius officium eſt diſſoluere, ſed in quantum ductus à vita; rebus autem inferioribus cœleſtes mentes præſidere probant [t] ex eo quòd motus fit propter finem, at finem non intendit, nec in eum dirigit niſi intelligentia. [t] Cuſa excitat. l. 8. c. 8.

Omnis in ſeminibus & in corporibus actio pendet à formatore, rectore, conſeruatore ſpiritu; denique quæcumque agunt in natura, aut ſpiritus ſunt, aut accedunt ad ſpiritum ſubtilitate ſua. Ignis rariſſimus eſt maximè actiuus, quia ſimulachrum eſt cœleſtis & fulgentis luminis, fugat tenebricoſos dæmones, propterea vtuntur eo gentes omnes in ſacris & funeribus. Poſt ignem ſubtilis aër intrat in cæcos corporum meatus, & fit materia ſpirituum, vnde vis omnis. Dicunt Epicurei Philoſophi, [v] quòd nihil in natura eſt potentius, & nihil acrius ſpiritu ventoſo, ſine quo nec illa quidem quæ vehementiſſima ſunt valent; ignem enim ſpiritus concitat; aquæ ſi ventum detrahas, inertes ſunt; tunc demum impetum ſumunt cùm illas agit flatus qui poteſt diſſipare magna ſpatia terrarum, & nouos montes ſubiectos extollere, & inſulas non ante viſas in medio mari ponere. [x] Omnis ſimiliter in ciuilibus actio pendet ab incorporali iure, quod qui habet, rem ipſam habere videtur. [v] Albert Magn. meteo. lib. 3. tr. 2. c. 19. [x] l. 15. ff. de Reg. Iur.

Tandem vt homo in res omnes ſublunares iuſto naturæ ſuæ titulo teneret imperium, inſpirauit Deus in faciem eius ſpiraculum vitæ, [y] fecitque eum ad imaginem ſuam, ſpiritualis ſpiritualem, compendium mundi corpore & ſpiritu conſtantis, vt ea parte qua rationalis eſt, cæteris dominaretur. Nam rationis proprium eſt [z] præcipere & præſidere; vnde ſapientibus olim delatum eſt imperium, & quia vix reperies aliquem qui cupiditatibus à recto deuiantibus non ſubiaceat, voluerunt legem, velut rationem diuinam, his perturbationibus liberam quantùm fieri poſſet, dominari. [a] [y] Gen. 1. [z] Ariſt. 1 polit. c. 8. [a] Id. 3. polit. c. 7.

Quid poſſit in homine ratio patet ex eo quòd in naturalibus ſtatui innocentiæ perdito ſubſtituta videatur, [b] vt tantum nunc poſſit ars, quantùm olim potuit innocentia, & per verbum, ideſt per rationem omnia reſtituantur: hæc enim terris & aquis indicit fertilitatem, peregrini ſeminis adoptionem; feras ſicurat, efficit vt homini fœtificent animalia, canes & accipitres rapiant, laborent iumenta, leones & elephantes capiantur, & in triumphis ſub iugum miſſi ſint. Ideo reis olim læſæ legis & rationis per inordinatos paſſionum motus, pœna fuit ad beſtias damnari, [c] vt ij qui deſerta ra- [b] Chryſol. ſerm. 148. [c] Plutarch.

Digitized by Google

tione beſtijs dominante, ſenſibus tantùm vixerant, ipſis ſenſibus beſtijs infirmioribus relinquerentur. Ars vtitur proprijs naturæ viribus, vt ipſam perficiat, moderetur, ſuperet; compoſita diſſoluit, diſſoluta componit, ex ſiccis aquas, ex aquis ignem, contraria ex contrariis elicit; nouumque in antiquo mundo, mundum fabricat.

lib. de induſtria animal.

In moralibus prudentia eſt motor & auriga virtutum, ideo quælibet cum motu proprio habet aliquid de motu eius. Tot fortiſſimos bellatores, ingentes exercitus agit ad pugnam, victores efficit, populorum natiuam libertatem continet ſibi ſubditam vnius regentis prudentia; hinc imperantium animas Plato [d] dicit eſſe generis aurei, dæmonas, & præſtantioris ſuper hominem ordinis; ſemper enim melioris eſt naturæ quod alteri præeſt, vt homo gregibus, par enim in parem non habet imperiam; ita pro diis aut Deo genitis, etiam edoctis ſpeciali numinis afflatu, haberi voluerunt antiqui Reges. Etiam nunc Chriſtiana Theologia [e] fatetur principibus angelos adeſſe principes qui publicam curent perſonam, dum priuatæ cuſtos ſingularis inuigilat. Ita qui regunt, imperij jus ſibi vindicant ex ratione, ſapientia, virtute qua fiunt Deo ſimiliores & proximiores. Vtinam ſicut à Dei miniſtris inaugurantur, ſicut ſceptrum & enſem ſumunt ex altari, ſic vtrumque pro diuinis impendant; vtque Chriſtianæ moralis ſumma eſt, ſenſus rationi, rationem fidei ſubmittere, ſic politia leges ſuas humanas ex diuinis metiatur, Religionem habeat non vt inſtrumentum, ſed vt principium cui debitos honores referat.

[d] lib. 4. de legib.

[e] D. Tho. 1. q. 113. a. 2. ad 1.

Extrema medijs interjectis connectuntur.

§. 3.

Hanc quam ſequuti ſumus cauſarum ſubordinationem, & hunc diuinæ perfectionis à ſupremo ad infimum per varios ſibi ſuccedentes dignitatis gradus deſcenſum, exponit Cardinalis Cuſa [f] hac ſenſibili demonſtratione: duos conſtituit triangulos ſe mutuò penetrantes, vnum lucis qui perfectionem, alium tenebrarum qui defectum ſignificat: baſim tranguli lucis conſtituit in Deo, acumine in materiam primam illi oppoſitam deſinente; baſis trianguli tenebrarum eſt in materia prima, inde ſurſum eleuantis ſe vſque ad Deum excluſiuè: ita ſpiritualitas deſcendit in corporeitatem & corporeitas aſcendit in ſpiritualitatem; in ſuperioribus tenebroſitas abſorbetur à lumine, in inferioribus lumen à tenebroſitate. Deus lux eſt primæua, vnitas infinita, fons & abyſſus bonitatis procul ab omni defectu. Illi proximiores angeli plus cæteris participes fiunt eius immen-

[f] De coniecturis lib. 1. cap. 11.

Digitized by Google

ſæ lucis, habent tamen aliquid tenebrarum quia conſtant ex actu & potentia: [g] ſequentes ordines, pro ratione deſcenſus plus habent tenebrarum, ob quas aſſiduè debent à ſuperioribus purgari, illuminari, perfici.

[g] D. Th. 1. q. 47. a. 1.

In medio triangulorum conſtituitur homo mixtum animal ex eſſentia ſpirituali & corporali, non niſi rerum mediarum capax, illi mediocritatem, ſi non ſuadet virtus, imponit neceſſaria vitæ ſuæ ſors, malis ex exceſſu naſcentibus, lucis & tenebrarum, lætitiæ & doloris, amoris & odij nunc indigeſta permiſtione, nunc vt tempeſtatum anni perpetua quadam circulatione. Creditum eſt olim humanam ſpeciem habere latitudinem quandam, & inter homines eſſe quoſdam ſeparatis mentibus vicinos, natos ad aliorum regimen, artium, ſcientiarum inuentores; legum, ſocietatum inſtitutores, quorum animæ intelligentijs affines, in illarum ordinem hac mortali vita functæ tranſeunt. Alios homines dicunt eſſe mediæ cuiuſdam capacitatis, non mente ſed ratione vtentes; tandem alios eſſe ſenſibus deditos à beſtijs non affectibus ſed vultu tantùm diſtinctos: hos immediatè ſequi videntur animalia induſtria, docilia, quæ variis in caſibus variant artes, quales ſunt ſimiæ, canes, feles, & alia tum terreſtria tum aquatilia, quorum comparationem curioſè proſequitur Plutarchus, [h] ab his tandem deuenitur ad ea, quæ ex quinque ſenſibus ſolo tactu prædita ſunt.

[h] lib. de Sagacitate animal.

Nos hîc legem naturæ recenſentes, altius repetere debemus hanc in rerum omnium ordinatione medietatem. Aſſerit D. Thomas [i] duos Angelos qui ſunt in confinio duorum ordinum, magis ſecum conuenire ſecùndum naturæ propinquitatem, quàm vnus eorum cum aliquibus aliis ſui ordinis: propter hanc connexionem ordinum, vnam dicit eſſe hierarchiam hominum & angelorum, qui ſacrorum poſſunt eſſe participes ſub Principe Deo; ita dicit D. Auguſtinus [k] duas eſſe ciuitates id-eſt ſocietates, vnam in bonis Angelis & hominibus, alteram in malis.

[i] 1. q. 108. a. 3. ad 3.

[k] 12. de Ciuit. Dei.

Inter pugnantes duorum planetarum influxus, mediæ ſunt quædam ſtellæ fixæ vtriuſque participes: vt lucida hydræ, Saturni & Veneris; cor Leonis, Martis & Iouis; ſic de cæteris. Inter ſigna fixa & mobilia, ſunt communia in quibus Sol exiſtens vtriuſque temporis conſtitutionem oſtendit, vt in geminis videtur ver & æſtas eſſe; in virgine æſtas & autumnus, calor enim tepeſcit; in ſagittario eſt autumni & hyemis conſtitutio; in piſcibus, hyemis & veris: Mercurius partitur vires Saturni & Iouis, inclinat enim ſimul ad contemplationem & actionem; Luna per varias mutationes motus, lucis, influxus, videtur mediæ cuiuſdam conditionis inter cœleſtia & infima alterationibus expoſita, cùm ſit vltima cœleſtium, elementis contermina.

Quodlibet elementum conuenit cum duobus extremis ſibi iun-

ctis, in vna qualitate cum vno, in altera cum alio; aër cum igne per caliditatem, cum aqua per humiditatem; aqua cum aëre per humiditatem, cum terra per frigiditatem; terra per frigiditatem cum aqua, per ſiccitatem cum igne: quem ne reputes extraneum ab ipſa propter regionis diſtantiam, propriis eum excipit viſceribus, ciuitate donat, & hac vnione claudit elementarem circulum. Inter aërem & aquam eſt medius vapor, qui eſt aqua aëreſcens; vel aër aqueſcens: ſic Anaximander poſuit aliquid medium inter ignem & aërem, vt eſt lutum inter aquam & teram. Aër aqua, terra habent ſuos ſpeciales incolas; aër aues, aqua piſces, terra tot greſſilia & reptilia; ſunt tamen amphybia quæ natant in aquis, volant in aëre, paſcuntur in terra; vt ſunt anates & ſimilia; piſces volantes, cùm ſint apodes, ſunt tantum in aqua vel aëre, terram neſciunt. Inter aues & greſſilia ſunt ſtruthiones & gallinæ quæ vix vtuntur alis ad volandum: lacertæ quibus eſt longitudo corporis cum quatuor pedibus diductis, ita vt verrant terram, mediæ ſunt inter ſerpentes & quadrupedia.

Tandem inter elementa & perfectè mixta ſunt meteora; inter metalla & lapides, marcaſſita; inter plantas & arbores, arbuſta; zoophita inter animalia & plantas, qualis eſt ſpongia, vrtica maris, & planta quam in ſpectaculum coluimus, & mirati ſumus eſſe ſenſitiuam: vel minimum tacta, contractis ſtatim foliis tota cadit in terram, ibique iacet velut mortua, donec tranſacto periculo, ſenſim non ſine metu ſurgit motu ſic æquali, vt progreſſum oculi non percipiant. Videtur hæc ſublimior plantarum, quæ iungitur animantibus per tactum, minorem ſenſuum, quia non indiget tam exacto organo; ſic ſuperius vegetatiui, attingit inferius ſenſitiui, quod aliàs à me demonſtratum eſt.[b]

[b] Moral. Chriſtia. to. 2. parte. 2.

Totum hoc compendio contractum mirari licet in Iride, quæ quatuor elementa, quatuor exprimit coloribus, ſic ſenſim in ſe tranſeuntibus, vt inter ipſas non poſſit imaginari linea, & hoc eſt vnum de miraculis naturæ, inquit Albertus,[c] quod incipit à tam ſimilibus, vt indiſtincta videantur, & in tam diuerſa terminetur opus eius; non poſſunt autem pictores illam imitari, quia colores eorum non ſunt in materia tam peruia: id tamen aſſequi conantur artis raro ſucceſſu,[d] extremitatem corporum ſic finire, vt promittat alia poſt ſe, oſtendatque etiam quæ occultat. In ſociandis coloribus hæc eſt regula, vt ſplendidi ſplendidis, obſcuri obſcuris foueantur, & proximi inuicem modò poſſint diſtingui; itaque nec albus nigro, nec vterque rubro ob diſtantiam rectè iungitur.

[c] Meteor. lib. 3. tr. 3. c. 7. Seneca nat. quæſt. lib. 1. c. 3.
[d] Plin. l. 35. c. 10. Cardan. de rerum varietate. cap. 14.

Simile quid politia conatur efficere, dum diuiſis poſſeſſionibus, medias quaſdam inter dominum & non dominum inſtituit conditiones, quæ priuationis omnimodæ pudorem & incommoda lenirent,

Digitized by Google

ſcilicet contractus commodati, mutui, precarij, locati, conducti, pignoris & hypothecæ, vſus fructus & vſus, qualis eſt rerum publicarum ſalua proprietate, rerum dotalium quæ non poſſunt alienari, ſeruitutis quæ ius dat in alieno fundo; his addi poſſunt ſubſtitutiones, ſtipulationes, ſub conditione, de in diem addictione, & legis commiſſoriæ. Inter iſta directo dominio proximius accedit emphyteuſis, ad centum ſcilicet annos locatio, & feudum rarò, nec niſi violata fide reuocandum. Sic etiam dignitates eo diſpoſitæ ſunt ordine, vt à ſuprema ad infimam fiat tranſitus per medias, vtriuſque præcedentis & ſequentis participes.

Formatum eſt corpus politicum, ad inſtar naturalis: [d] nam in noſtro oſſium extremas partes natura cartilaginibus obduxit, obliniuitque lubrica læuique materia, quò ſint in motibus ab attritu & quaſſu tutiores, iiſdemque auriculas, nares, extremaſque coſtas muniuit, vt duriorum corporum occurſu cederent, & vicinis partibus illæſis, ex duro flexiles mitiùs iungerentur: inter oſſa dura & molles neruos, ad pondus hoc mouendum minùs validos, ſunt vincula, & tendones, ex tenuibus nerui & vinculi fibris concreti: tenuia neruorum fila, caro mollis excipit, & ſenſim ſolidior eos ab externis tuetur. Quis obſeruauit diem in qua cœpit adoleſcentia, ætas virilis, ſenectus? Certè non per gradus, ſed per plana ducimur; quamuis hæ ſibi ſuccedant ætates, adhærent tamen ſibi, tanta temperamenti, morumque ſimilitudine, vt tranſitum nullus aduertat: interim tranſcurrit vita, & qui progredi ſe neſciuit, tandem ſtupens à canis & incommodis diſcit ad vltimum ſe perueniſſe. Non inſidiatur nobis prouidentia nec incautos decipit, ſed vitam noſtram eadem qua mundum vniuerſum, texit identitatis æmula varietate. Ita fit vt amor vitæ quem indidit, non torqueat eos dolore continuo qui ſe intelligerent quotidie mori; nemo tamen non aduertit ſuis & aliorum experimentis edoctus, quòd tempus elabitur, quòd extremum inſtar furis ſubrepit; ſcit itaque ſibi vigilandum, & quia extremum alteri ſine medio conuenienti non iungitur, vltimam manum adhibendam vitæ mortali, vt cum immortali ad quam mox eſt tranſitura, per ſanctitatem benè diſpoſita concordet.

[d] Fernel. phyſiolog. c. 2.

Vt ad phyſica regrediamur: [e] conſtat in noſtro corpore ſpiritum, inter illud & animam, mediæ cuiuſdam conditionis, velut vinculum interponi, vt aduerſas naturas interiectu ſuo conciliet, nam extremo vtrique familiaris, & accommodatus, cùm non ſit penitùs ſine corpore, craſſo quidem corpori inſeri poteſt; cùm verò tenuior, ſplendidiorque ſit, poteſt cum animo connecti. Omnium animantium anima, licèt mortalis, longo tamen interuallo, terreni huius concretique corporis ſtatum antecedit, vt citra vinculum ei nequeat inhære-

[e] Fernel. phyſiolog. lib. 4. c. 2.

Digitized by Google

re; quocirca rectè prodit Ariſtoteles [f] in ſemine ſpumoſoque corpore ſpiritum, in ſpiritu naturam contineri, quæ proportione reſpondet elemento ſtellarum, inter ſupremam illam naturam & corpus medium. Corporeus eſt & locum occupat vt patet in arteriis, in cerebri ventriculis, in cordis ſinibus ferè vacuis in mortuo animali, quos tenuis hæc aura replebat dum viueret. Accedit tamen ad naturam ſpiritualem, motus velocitate, partium penetratione, & inſtar luminis momentanea quadam traiectione, vt ſit caloris, facultatumque ſedes & vinculum, primumque obeundæ facultatis inſtrumentum.

[f] 2. de animal generat. c. 3.

Spiritum quem experimur in noſtro & animalium corpore, multi aſſerunt [g] eſſe in vniuerſo, ſed puriorem, ſubtiliorem, vegetiorem, quippe noſtri fontem. Hunc dicunt eſſe nexum formæ & materiæ, cœleſtium & inferiorum; actiuitatis & potentiæ, quæ propter diſſitam ſuam naturam non venirent in coniugium, ſi non interueniret hic proxeneta. Efficit, inquiunt, vt priuatio aſcendat verſus formam, & vt forma perficiens & terminans poſſibilitatem deſcendat ad ipſam; ſic ex aſcenſu & deſcenſu motus oritur qui eſt medium connexionis potentiæ & actus, & hic motus natura dicitur. Deus qui ſpiritus eſt, per hunc ſpiritum omnia mouet, & eo motu amoroſæ connexionis, fit ex omnibus vnum vniuerſum. [h] Aſſertores pulueris ſympathici, quo vulnus inflictum curatur in linteo læſi ſanguine infecto, dicunt id fieri actione non in abſens & diſſitum, ſed per medium ſpiritum mundi, cuius fons eſt in ſole velut orbis corde, & ideo puluis ille componitur ex vitriolo venereo, calcinato ad ſolem dum viget in leone domo ſua, & per venerem fortunam conciliatricem, immediatè ſibi iunctam, vireſque ſuas ad inferioris naturæ captum temperantem: ſic aſſerunt ſæpè factum, vt mulier horrore ſubito concutiatur, edat gemitus, fundat lachrymas, & aliquid aduerſi marito contigiſſe conſternata præſentiat, cùm eodem momento abſens ipſe ab hoſtibus vulneratur, aut aliud graue periculum incurrit; id tamen verius angelis cuſtodibus tribuendum.

[g] Marſil. Ficin. lib. de vita cœl. comp. c. 1. Card. Cuſa lib. 3. de docta ignora. c. 10.

[h] Goglenius lib. de vnguento armario.

Addunt quòd cùm ad longiſſimum ſpatium, videtur ſcintilla; apes & formicæ mella ſentiunt; vultures & lupi cadauera; à minimo obiecto longiſſimum ſpatium non poſſe frangi, & qualitates ad ſenſum tranſmitti, ſed ſpecies illas transferri per virtutem vitæ communis, cuius beneficio cuncta ligantur, & ſimilia patiuntur à ſimilibus. Ab eo ſpiritu harmonico putant fluxum & refluxum maris cœleſtibns conſonum, ſtatis horis fieri; aquas contra naturæ ſuæ grauitatem, in montes ex abiſſo aſcendere, per terræ venas diſtribui, ad inſtar ſanguinis in noſtro corpore; tandem omnia ipſo mediante perfici & connecti. Sic, inquit Cardinalis de Cuſa, vniuerſum fit vnum trinum, ex potentia, actu & connexione; vnitatem diuinam differentias & contrarietates omnes

Digitized by Google

omnes complicantem, exprimit illa diuerſorum, interiectis mediis vtriuſque naturam ſapientibus, inſinuatio; ita fit vt vacuum inter partes non intercedat, ſed alteritas deſinat in identitatem, identitas in diuerſitatem protendatur, multiplicata ſic in quolibet ſubiecto vnitatis & immenſitatis imagine.

Fuit hæc ſapientum omnium antiquorum ſententia, hominem inter intellectuales ſubſtantias vltimum non poſſe ſuis viribus ad Deum, qui primus eſt ſpiritus, ſine medio conſcendere; [i] propterea confinxerunt aſſiſtentes ſibi genios, dæmonas, heroas, tamen infœliciſſimo ſemper exitu, cùm ſub tartareis illis ducibus, homines à diuinis auerſi, ad vitia, ad impia & horrenda quæque prolapſi ſint. Iudæis quibus ſolis inerat verus Dei cultus, conſilium ab ipſomet Deo fuit, probatiſſimum ex hominibus aſſumere, in ſacerdotem conſecrare, maximo vnctionis, veſtis, cæremoniarum myſterio, [l] vt inde cæteris excelſior factus, pro hominibus conſtitueretur in his quæ ſunt ad Deum, [m] vt offerret dona & ſacrificia pro peccatis; vt medius & ſequeſter contra Dei iuſtitiam in homines ſæuientem ſtaret ex aduerſo, ſanctitatem velut murum opponeret, hominibus miſericors, gratus Deo, qui nolens mortem peccatoris, gaudet inuenire parcendi cauſas. Sed heu! qualis interceſſor quem peccata quotidiana reum conſtituunt, & qui non minus pro ſuis quàm pro peccati populis tenetur offerre ſacrificium!

[i] Iamblicus de myſteriis c. 2.

[l] Leuit. 8.

[m] Heb. 5.

Humano generi ad diuina ſuſpiranti tandem à Deo prouiſum eſt, Verbum caro factum eſt; [n] Chriſtus homo Deus, melioris teſtamenti ſponſor factus, cùm maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium. Vnde ſaluare poteſt in perpetuum accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat, vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus; [o] nec aliud nomen eſt ſub cœlo, in quo nos oporteat ſaluos fieri. Deus ſpiritualem & corpoream naturam, præcipuaſque mundi dotes compendio complexus fuerat in homine; nunc humanam naturam vniens hypoſtaticè verbo diuino; implet ſpatium quod inter nos & Deum interjacebat; naturæ noſtræ laboranti remedium, cæcutienti lux, aberranti rector, toties reæ, de iudice fit aduocatus, à Deo longiùs exiſtentem effecit propè; denique mortuam reſtituit mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.

[n] Hebr. 7. 21.

[o] Act. 4.

Digitized by Google

Omnia ſunt in omnibus.

Lex 4.

RErum diuerſitatem ab vnitate procedentem, & ad vnitatem velut in ſuum principium redeuntem, iam expreſſit ipſarum ex diuerſis contrariiſque conſtantium conſonantia, & inſertis inter ſe mutuò qualitatibus commiſſura. Sed id apparet maximè in eo quòd, cùm omnia ſint in vniuerſo ſub vna forma generali, ſic illud vniuerſum ſit in ſingulis ſub vna forma particulari; omnia ſint in omnibus, vt partes in toto, ſic totum ſit in partibus; maximum in minimo, quod infinitæ Dei vnitati diximus eſſe proprium.

In cæleſtibus partes referunt totum.

§. 1.

INtelligibilia cùm entia multa ſint, ſunt tamen inquit Plotinus, ſimul & vnum, multa in vno ob amplitudinem naturæ: & in multis vnum, propter adhæſionem vni ſummo bono, omnium communi centro. Hæc ſublimiùs attingit D. Dionyſius: [p] viget, inquit, in beatis mentibus ſacer amor virtutis cuiuſdam vnificæ, & collectiuæ & contemperantis, quæ in pulchro & bono per pulchrum & bonum præexiſtit: & ex pulchro & bono, propter pulchrum & bonum emanat, continet quidem æqualia per mutuam connexionem, ſed & inferioribus ſuperiora, ſuperioribus inferiora per conuerſionem inſerit, & per ſummæ charitatis complacentiam fruenda concedit.

[p] De nomin. diui. c. 4.

Cœlum motores ſuos imitatur, vniuerſæ ſuæ virtutis in ſingularibus collectione: quælibet ſtella eſt circularis figuræ, & mouetur ab Oriente in Occidentem & contra, ſicut omnes ſphæræ: in qualibet triplicitate ſignorum zodiaci, eſt ſignum fixum, mobile, commune: [p] in quolibet ſigno, omnium aliorum qualitates continentur, per quinque terminos, quorum quatuor deſignant quatuor primas qualitates, & quintus ſignificat commiſtionem earum, ſecundùm naturam Mercurij, qui eſt vna vice ſiccus, alia calidus, alia frigidus, alia humidus. Innumeri poſſunt eſſe planetarum aſpectus inter ſe, hi tamen ſoli conſiderantur ab aſtrologis qui vim quandã totius circuli in ſe habent:

[q] Haly. 1. parte. c. 2.

ita ſextilis continet ſexaginta gradus, ſexcies autem 60. faciunt 360. quadratus continet 90. partes, qui in 4. ductus facit 360. trigonus continet 120. qui in tria deductus facit 360, oppoſitio continet medium circulum ideſt 180 qui duplicatus facit 360. Non eſt Aſtrologorum commentum, ſed veritas diuturnis experimentis à Galeno [r] probata, partes cuiuſlibet diei naturalis reſpondere partibus anni; manè veri, meridiem æſtati, veſperam autumno, noctem hyemi: [s] & hinc fortè Dionyſius junior Siciliæ tyrannus in Pritanneo Tarentino candelabrum dicauit, in quo totidem erant lychni quotidie ſuccenſi, quot in anno numerantur dies. [t] Ita Perſæ ad bellum procedentes habebant iuxta Regem ignem ſacrum, quem magi comitabantur, cum 365. iuuenibus purpuratis qui ſignificabant totidem anni dies. [v] Luna in quolibet menſe facit quatuor anni tempora, in prima enim ſui quarta eſt calida & humida, in ſecunda calida & ſicca, in tertia frigida & ſicca, in quarta frigida & humida: quotidianus eius curſus in quatuor diuiditur partes, ab oriente ad medium cœli aſcendens, humorem & ſpiritum naturalem auget; à cœli medio ad occaſum facit contrarium, ab occaſu ad quartam domum auget ſpiritum illum, à quarta ad primam minuit. Id apparet in ripis oceani qui tunc accedit & recedit: eodemque ordine vigor in ægrotantibus; quod de ſole pariter eſt dicendum quoad calorem naturalem, & ſpiritum vitalem; nam cum occidit hic ſpiritus ad intrà mouetur, & ad extrà cùm oritur. Idem dicendum de cæteris planetis, ſecundùm proprias eorum vires.

[r] lib. 6. epydim.

[s] Rhodig. lib. 6. c. 18.

[t] Curt. lib. 3.

[u] Marſ. Ficin. lib. de vita cœl. comp. c. 6. Albert. Magn. tract 1. de nutrimento. c. 3.

Elementa ſunt in ſe mutuò.

§. 2.

Diximus elementa ſibi vicinis ita conſentire, vt commiſſura decipiat, arte naturæ, quæ à ſimilibus incipiens in diſſimilia deſinit: ſed iterùm magis commiſcentur, quia ſunt in inuicem & mutuo ſe velut hoſpitio familiariter excipiunt. Ignis eſt in aëre, quem toties eo ſurſùm ferueſcere, micare, horrendum intonare ſentimus; & infrà non niſi aëre perflatus, velut ſimili paſcitur. Eſt in terra, cuius vim ad generationes frigiditate concretam diſſoluit, torpentem excitat, his ardoribus quorum exceſſus exhalat per tot montes vulcaneos: apparet in ſulphure, naptha, bitumine, ſale petræ, in plantis calidiſſimis, rutha, naſturcio, pyrethro, pipere, cœpis, ſynapi. Eſt in ſilicibus & calibe, ex quibus cùm multum habeant ſulphuris ſcintillæ excutiuntur, ſicut ex arundinibus, lauro, & leonis oſſi-

Digitized by Google

bus. Eſt in cæteris terreis animantibus quibus eſt igneus vigor; nam cor vitæ principium calidiſſimum eſt, igneoſque fundit ſpiritus per arterias, ideo vitæ motuſque cauſa & ſignum eſt calor, mortis autem frigiditas. Similiter ignis eſt in aquis calentibus; eſt in mari, quod ventis agitatum tepeſcit & ſcintillat; quod ſalſum & amarum eſt propter aduſti commixtionem; quod nutrit animalia calidiora, quippe oleoſa maximè, vt vita nihil patiatur à frigido naturaliter elemento: ſunt immani feritate voracia, & ad inſtar ignis quod occupant cita digeſtione in ſuam ſubſtantiam conuertunt. [x] Hinc olim fel hoſtiarum Neptuno dicatum erat, vt humoris huius ignei auctori.

[x] Alex. ab Alexa. lib. 5. cap. 25.

Aër eſt in igne quem paſcit, vt alimentum in corpore; ſubtilitatem ſuam nimia raritate ſibimet non cohærentem ita ſtipat, vt lucere poſſit & in flammam aſſurgere: eſt in aquis quas ſpiritu ſuo concitat, ab imo feruentes & ſalientes efficit: eſt in terra cuius poros penetrat, cauitates implet, & vnde nimium rarefactus euolat, horrenda commotione.

Aquæ terram nimia ſiccitate ſibi non cohærentem conſolidant; terra diffluentes aquas ſinu ſuo velut vaſe continet; illis vt centri, ſic qualitatum magna communio, nihilque ſic ſolidum ex quo non ducatur humiditas; nihil ſic humidum in quo factis euaporationibus, terreum quid non ſubſidat. Tandem terra eſt in aëre per continuos vapores, qui ſæpiùs in lapidem concreſcunt; eſt in igne per ſolidas materias quibus alitur, quæ ſurſum euolare conantem infra detinent, quæ ſic in illum transformantur, ſic calent, ſic lucent, vt in illis ſolum ignem ſenſus percipiat, ſermo ſignificet. Vt ſplendeant propriam amittunt ſubſtantiam, ſicut libertatem & vitam ſpe fauoris, aulici quibus ſimiliter familiare eſt conſumi, dum luceant.

Palam eſt in homogeneis ſubſtantiis, partes eſſe eiuſdem eſſentiæ & naturæ cum ſuo toto, ita vt ſingulæ proprietates & omnia accidentia toti conuenientia, etiam partibus neceſſariò conueniant, vt patet in igne, cuius ſcintilla altum petit, vt vis maxima flammarum: in aqua, cuius guttula eſt humida frigida vt totum, conformatur in orbem, vt vniuerſum, ſi miſceatur hæc vino in calice altaris, ſaluatur ſignificatio propter quam aqua adhibetur. Terræ gleba ſi non alteretur eſt ſicca frigida, grauis ad imum declinans, ita ſui totius habens qualitates omnes, eius nomine dicitur terra. [y] Vnde litigantes olim in agrum de quo litigabatur profecti, terræ aliquid ex eo deferebant ad Prætorem, & in ea gleba tanquam in toto agro vindicabant. Si magnes in formam ſphæricam adaptetur, terræ proprietates omnes, ſitum & ſymetriam, polos, ſic exprimet, vt totum in hac particula videatur. Nunquid ipſa terra, vt centrum ita compendium eſt mundi; habet enim in ſe virtutem cœlorum in gemmis, plantis

[y] Gellius lib. 20. c. 9.

Digitized by Google

metallis quæ ſtellarum nominibus nuncupantur; habet ignem, aërem, aquam, [z] & rurſus totum in magnis montibus, vt Parnaſſo, Olympo, & cæteris in quibus certum eſt naſci omnia, ratione varietatis locorum; habent enim ſtagnantia, madentia, ſicca, craſſa, ſaxoſa, prataque, media omnia telluris diſcrimina; adhæc alia concaua, alia tranquilla, alia ſublima & ventis expoſita, ita vt permulta & varia gignere poſſint, & quæ planis proueniunt ipſi quoque præſtare poſſint. Illic naſcuntur conchylia ſed vacua, ſicut in mari piſce ſuo plena, nam vtrobique concreſcunt ex ſucco terreo lapideſcente. In montibus plurimis, ſicut in mari ſal generatur. [a] In foſſilibus videre licet rerum omnium ſpecies & imagines, ſolis, lunæ, ſtellarum, fluminum, nemorum animantium, partium, humani corporis, nam ſicut vapores terræ referunt in nubibus figuras hominum, beſtiarum, quæ euaneſcunt quia recipiuntur in materia fluida, ſic intra terram cum recipiuntur in materia ſenſim lapideſcente, taliter remanent efformati. Concurrit ad id, inquit Albertus, [b] cœleſtis conſtitutio ſub qua ſicut in ordinatis ſpeciebus fiunt interdum monſtra, ſic vbi fœlix eſt, fiunt in inanimatis animatorum figuræ. Conſtat igitur elementa in ſe mutuo reperiri, & id ipſum aſſerit tritum apud philoſophos axioma, non dari purum elementum.

Quis non aduertit mixtum quodlibet vel minimum, conſtare ex materia & forma, ex quatuor elementis & quinta quadam eſſentia cœleſti, ſicut vniuerſum. In quolibet indiuiduo eſt tota ratio ſpeciei; [c] Collegium remanet, etiam vna eius perſona ſuperſtite; [d] ſufficit vnus ex ſcriptis hæredibus hæreditatem adeat, vt tutelæ valeant; [e] vnius appellatio in cauſa communi cæteris prodeſt. Vnus mihi pro populo, & populus pro vno, inquit ſtoicus, totam [f] ſpeciem, imo totum orbem in vno viro bono conſiderans.

[z] Theophraſt. hiſto. plant. lib. 3. c. 3.
[a] Georg. agricola. lib. 1. de natura foſſiliū.
[b] De mineralib. lib. 2. tr. 3. c. 2.
[c] l. 7. ff. quod cuiuſq. vn.
[d] l. 9. ff. de teſtam. tut.
[e] l. 1. C. ſi vnus ex plumb. appella.
[f] Seneca.

Homo compendium eſt mundi.

§. 3.

ARtifex verbum [g] ex viſibili & inuiſibili natura hominem formauit, velut alterum quendam mundum, paruo-magnum, in terra collocat; Angelum alium, mixtum adoratorem, viſibilis naturæ ſpectatorem, intellectualis myſtem; eorum quæ in terra ſunt, regem, ſuperis autem ſubditum, terrenum & cœleſtem, caducum & immortalem, viſibilem & intelligibilem; medium inter magnitudinem & humilitatem: ſpiritum ad Dei laudes celebrandas & gratias excipiendas, carnem ad tolerantiam, & virtutis augmentum. Etiam vtriuſque

[g] D. Greg. Nazian. orat. 42.
Vide ſupra. l. 3. §. 2.

Digitized by Google

partis diſtincta ratione, res omnes creatas exprimit. Tres dicuntur eſſe mundi, intellectualis, cœleſtis, elementaris, tres iſtos refert hominis corpus: caput intellectualem; pectus in quo eſt fons caloris, cœleſtem: inferiores partes elementarem ſignificant: ſunt in corpore, vt in terra humorum venæ, ſunt oſſa quæ lapides & metalla referant: ſunt ab interno calore, alterationes & nutritiones. [h] Aſpice muſculos vt glebas, neruorum tenaces connexus vt traduces radicum; & venarum ramoſos diſcurſus vt ambages riuorum; & lanugines vt muſcos; comam vt ceſpitem; ipſos medullarum in abdito theſauros, vt metalla carnis. Vnde concludit Tertulianus, Chriſtum in humana carne omnia quodammodo aſumpſiſſe. Probant ampliùs corpus noſtrum eſſe compendium totius orbis, ex eo quod quælibet pars reſpondet vni ſigno zodiaci, caput arieti, collum tauro, &c. planetis ſimiliter & elementis, cor ſoli & igni; cerebrum lunæ & aquæ: caro ioui, veneri, & aëri: oſſa Saturno & terræ; ſimiliter philoſophantur de quatuor humoribus. [i] Multi curationes inſperatas morborum abſque medicinæ ſubſidiis, referunt ad latentes omnium medicamentorum vires in humano corpore collectas, & interdum vi ſolius imaginationis expreſſas. Omnium conſenſu vera ex ſano corpore mumia, præſens eſt ad omnes infirmitates alexipharmacum, non ob ſubſtantiæ ſimilitudinem, ſed propter eſſentiale balſamum & elixir, ex totius medicinalis orbis virtutibus operante natura compoſitum. Vt autem corpus totum refert mundum, ſic vna corporis pars, ſcilicet facies totum exprimit corpus, ita vt viſo in ea næuo poſſis coniicere quæ ſit alia pars eo ſimiliter affecta Nam frons refert pectus, ſupercilia humeros, eorum cauitas axillas, aures brachia, mala coxas, manus pedem, brachium femur. [k] Vtebantur ſimili coniectura, & ex parte ſui totius fortunam augurabantur hetruſci: vt enim haberent vrbis alicuius præſagium, obſeruabant aliquem eadem die natum, qua vrbs ædificata fuiſſet, qualis ille vixiſſet inter homines, talem putabant futuram ſuam ciuitatem inter ciuitates, habita temporum proportione. Sic Numa Pompilius decimo tertio calendas maias ortus, & qua die Roma ædificata eſt, regnauit, atque Roma regina vrbium facta eſt.

Si ratione corporis dicitur homo parua ciuitas & microcoſmus, quid cenſendum eſt de anima quæ tota eſt in toto, & tota in qualibet parte, quæ cœli lucem, cognitione: motus, ratione: ignis ardores, affectibus; aëris flexus, vrbanitate: terræ ſoliditatem, fortitudine: planetarum vires, virtutibus exprimit; eorum ideo nomina principibus ſuis dedit antiquitas. Animam Plato [m] dicit eſſe harmoniam, quia inconfusè congeriem rerum omnium complectitur, vnde poteſt res omnes iudicare, agere, diuidere, componere; quæ natura pugnant conciliat inuicem, conciliata connectit, connexa conſeruat;

[h] Tertulia. lib. de carne Chriſti. c. 9.

[i] Marſil. Ficin. Theol. Platon. lib. 13. c. 5.

[k] Cardan. lib. de rerũ varietate. cap. 78.

[m] in Timæo.

Digitized by Google

animantium omnium induſtrias, opera quælibet naturæ, variis artibus aſſequitur & ſuperat; dumque regit infima, poteſt tamen inhærere diuinis, maximo ſanè miraculo; cætera enim vnum quidem in ſe ſingula ſunt, hæc omnia ſimul, centrum naturæ, vniuerſorum medium, mundi ſeries, vultus omnium, nodus & copula mundi. Vt quæ in integro ſpeculo videtur facies, eadem in ſingulis fracti partibus apparet. Ita ſi totum vniuerſum contemplemur, effulgebit expreſſa creatoris imago: eadem in ſingulis vbique creaturis ſeſe nobis ſpectandam exhibet vt nunquam ab ea contemplatione vacare liceat; & quis dubitet humanam mentem eſſe omnia, quæ vniri poteſt Deo, in quo omnia & per quem omnia; [n] Id etiam alio titulo cuilibet fideli competit, in quantum ſic eſt pars Eccleſiæ vt totam referat, propter diffuſam charitatem in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Hic ſpiritus qui eſt vnus in majeſtatis eſſentia, multiplex per diuerſa chariſmatum dona, dat Eccleſiæ ſanctæ quam replet, vt in vniuerſitate ſit vna, & in ſuis partibus tota; credentes enim in Chriſtum, vnum ſunt cum eo, vnde & pars in toto, & totum in parte cenſetur.

[n] Petrus Damiani opuſ. 11. c. 5.

Quidquid exiſtit agit, & vult eſſe cauſa.

Lex 5.

LEgibus præcedentibus actum eſt de rerum multitudine, diuerſitate, contrarietate, tandem ſubordinatione & connexione, vnde mundus fit vnum quid vnitatis infinitæ ſenſibilis imago: ſed vt in horologiis rotarum certa proportione ſibi ſuccedentium ordo conſtituitur propter motum, inde regulariter à prima ſequentibus imprimendum: ita rerum creatarum in multitudine diuerſitas, & ſupremarum, mediis interiectis, cum inferioribus concentus, ſic à diuina ſapientia diſponitur, vt ſit locus actioni, ſubjectis ad eam eliciendam, aliis ad excipiendam paratis, & de hac cauſarum in ſuos effectus effuſione hoc primo libro nobis dicendum eſt.

Agunt omnia primum pro ſui conſeruatione & accretione, tùm in alios efluxu benefico, & ad ſui propagationem neceſſario. Vnde priùs videbatur agendum de indiuidui conſeruatione & accretione, quàm propagatione; quia tamen res prius eſt quam agat, & quia non eſt à ſe, priùs dicendum eſt de cauſis vnde procedit, quàm de actionibus ab entitate ſua fluentibus. Propoſuimus etiam vnum ante multa, Deum ſcilicèt rerum omnium creatorem, ſapientiſſimum naturæ

Digitized by Google

legiſlatorem, de quo vt priùs loquuti ſumus; ſic de cauſis bonitatis & potentiæ ſuæ vicariis, ſeruato rerum ordine conſiderandum eſt.

Non eſt vnicum ſolum agens in mundo.

§. 1.

[o] Lib. 4. de fato c. 4.

NOn eſt exiſtimandum, inquit Plotinus, [o] mundum ſic vnum eſſe animal, vt eius non ſit niſi vnum corpus, in eo vna tantùm anima, motionum & actionum omnium vnica cauſa: ſic enim tolleretur ordo cauſarum in quo fatum conſiſtit, & ſumma dignitas mundo detrahitur, ſi vnicum ſit tantùm agens, cætera patiantur tantùm & moueantur: perfectio enim mundi conſiſtit potiſſimùm in eo, vt vniuerſum hoc formale ſit & agens, in eoque ſit agentium & formarum ordo quamplurimus. Nam cùm tota primi agentis natura ſit efficacia prorſùs immenſa, res plurimas efficaces, ideoque agentes ex ſe propagat, quandoquidem & ignis agens agentem producit ignem. Primus ipſe motor, quæcumque ſolus agit & mouet, quàm optimè peragit, at multa præter ordinem exactiſſimum & optimum in ſingulis naturis videntur accidere. Denique intellectualis anima, dum ad ſe conuertitur: dum conſultando in oppoſitas ſe diſtrahit coniecturas, dum opera naturæ imitatur, emendat, inſtaurat: dum aliàs quidem rectè progreditur, aliàs verò præuaricatur: dum & corporum & animarum ſupergreditur ordinem, profectò declarat ſe non eſſe animalis vniuerſi partem, nec illi neceſſariò ſubditam. Ita Galenus, [p] ex eo quod ſint aliqui audaces, timidi, implacabiles, & diuerſi circa eadem diuerſè afficiantur, ſintque pugnantes eorum actiones, infert non omnibus eandem eſſe animam; ſed ſingulis ſuam. Quod D. Thomas pluribus probat rationibus. Simile fieri debet judicium de rebus cæteris quæ vi ſibi naturaliter à Deo impreſſa, agunt in bonum ſuum, & totius vniuerſi.

[p] libro quod animi mores temperamentum corporis ſequantur.

Agunt ſingula forma ſua & cauſarum ſuperiorum viribus.

§. 2.

ETiam feriatâ ratione ſoli ſenſus ſatis probant, naturam ſecluſo penitus otio, eſſe totam in actione, inde rerum exiſtentiam, vitam, ſanitatem, vt ex eius defectu morbum & mortem æſtimari. [q] Corpus cœleſte celerrimo, regulatiſſimo tamen circulari motu contendit

[q] D. Tho. contra Gentiles lib. 3.

Digitized by Google

contendit aſſequi ſucceſſiuè totum vbi ad quod eſt in potentia, tum lucis & variæ ſemper virtutis effuſione cauſat in inferioribus generationes & corruptiones; vnde pendet mundi perennitas.[r] Cœlum empyreum eſt immobile, vt ſit congrua ſedes beatorum æternam & inalterabilem gloriam poſſidentium; ne tamen videatur otiari, fœliciſſimos in inferiora mittit influxus, ad congruam illorum ſtabilitatem, & ſpecierum conſeruationem.

[r] D.Thom. 1.4.66 ar.3.

Ignis æthereus natura ſua & cœlorum conſortio etiam in ſphæra ſua mobilis, omnia peruadit, vt ſit in illis actiuitatis principium: aër illi proximus eſt in motu continuo, ſequitur enim omnium motus; ſuos ex rarefactione vel condenſatione, & quos habet à planetis tempori dominantibus, vndis veliſque ſemper imprimit; terreſtrium omnium animantium vitam fouet, intrat omnes inferioris mundi ſinus; omnium hoſpes, omnium exceptus hoſpitio, ne ſolutionem continui natura patiatur. Hæc prouida collectas ex ſuperfluo alimenti terræ, & ex abyſſi vaporibus aquas, habet in theſauris, vnde perenni curſu fluunt fontes, inexhauſtâ & nunquam ſatis mirandâ largitione. Currunt quà datur exitus riui, & relicta pratis fœcunditate, iunguntur tandem fluminibus, vt curſu velociore properent in locum ſuum, nequidem illic quietem habituri; nam, vt cecinit Propheta[s] mirabiles elationes maris tot concuſſi motibus, & regulatiſſimos in ſumma ſemper ſibi ſeruans irregularitate. Quot pretioſis productionibus piſcium, vegetantium, conchiliorum, margaritarum, gemmarum ferax ſit, infinitum eſt dicere; [t] cùm vera ſit opinio vulgi, quidquid naſcitur in parte naturæ vlla, & in mari eſſe, præterque multa quæ nuſquam alibi; ita pluſquam ſibi ſufficiens, ad reliquias & neceſſitati & voluptati noſtræ profituras nos patitur conuolare, etiam eas ſi moramur littoribus exponit. Aquæ dulces, ſi præcluſo ſibi quo defluant exitu ſtagnare coactæ ſint, dum incipiunt non moueri, corrumpuntur: tunc tamen terrenum quid euocant in ſuperficiem, qua condenſata fiunt virides, herbaceæ: inſecta, ranas, & ſimilia producunt, etiam in ergaſtulis operoſæ.

[s] Pſ. 92.

[t] Plin. lib. 9. c. 2.

Superiorum ſeminibus prægnans terra mater, Iſis multimammia, mirabiles varietate, vſu, pulchritudine, etiam cœli nomine dignos fœtus producit: Iouem in ſtanno, venerem in cupro, lunam in argento, ſolem in auro, & immota ſitu, cæteris elementis fœcunditatis actiuitate præſtantior eſt. Etiam dum ſole per hyemem abſente, depoſitis ornamentis jacet velut mortua, tunc calorem internum pugna contrarij & concentratione validiorem impendit propagandis radicibus, congerendis theſauris virium, quæ proximis per ver & æſtatem productionibus ſufficiant. Semper in officina ſecretiori laborat in formandis lapidibus, metallis, gemmis: ipſæmet rupes, ſi deſit ma-

Digitized by Google

teria quam adhæſione ſuam faciant, aquis quibus alluuntur vim imprimunt lapidificam, mollia quæque in ſaxa conuertentem, ſtupentibus nobis quod liquidis immerſa non liqueſcant, ſed indurentur. Ipſæ quæ jacent, quæ conculcantur res viliſſimæ, quantum valent contrariis in ſe pugnantibus reſiſtunt, & patiendo reagunt; quòd ſi nihil amplius illis licet, ſui ſpecies per aërem illuſtratum diffundunt immenſa quadam propagatione, ſic in aliis ſaltem prouocant, quos in ſe non habent, affectus & motus.

Langueſcunt elementa ſi comparentur animantibus, quorum formæ nobiliores cœlo & igni multum affines, etiam cæteris præſtant actiuitate. Nocte, dieque diſcurrunt, volant aues, natant piſces, & aërem vento in partem vnam fluentem, ſuperat motus animalis in omnem locum & ſitum, ad omnes vndique lationes momento varius. Agunt tum neceſſitatis, tum voluptatis, tum propagationis cauſâ, de quibus ſigillatim ſuis locis dicemus: ſufficiat hîc præmiſiſſe, naturam in nulla ſui, vel minima parte otium pati; potiſſimùm in homine qui ad laborem natus eſt, inquit ſapiens, id eſt ad actionem non tamen ſine voluptate. [v] Ideo nutrices vſu ipſo edoctæ tribus modis placant gementes infantes, ſcilicèt papillam ori admouendo, motu mediocri in cunis, in pendentibus lectulis, & in ipſis vlnis, tandem vocis modulatione, quia ſpiritus natura mobilis delectatur motu tanquam propria operatione, qua ſeruatur in eſſe ſuo, purgatur, attenuatur, diffunditur, augetur, viuificatur: propterea ſoni vim magicam obtinent qui mouent ipſum ad diuerſas affectiones, aſperi vt tubæ, ad iram: molles planique, ad amorem. Delectat igitur infantes motus ab aliis impreſſus, cùm ad illum ſibimet præſtandum vires non ſuppetunt; at cùm adoleuerint, ſic diſcurrunt, ſic laſciuiunt, vt nequidem eos parentum amor aut metus continere valeat & ab exceſſu reuocare. Sic quodlibet animal in iuuentute lætitia geſtit, inordinatis motibus exultat, ad voluptatem confictо vi doliſque certamine; ſi parem non inuenit, ſolitariè ſecum exercetur, in vnam corporis partem, velut in hoſtem inſiliens nunc fœlici, nunc vt placuerit fruſtrato conatu. Hominem vt infantem & adultum, ſic virum & ſenem actione delectari ſatis probant belli munia, venationes, tot ludi ſpecies, ſaltationes, condicta certamina quæ cedunt in gloriam nobilium. Inter hæc quis ferat, quis non habeat velut publico mundi judicio damnatos reos, homines qui deſidia langueſcunt, in domo iacent, tanquam in ſepulchro, mortemque corporis ipſo torpore præueniunt. Auarus ſibi laborat, prodigus aliis, deſes nulli, nequidem ſibi, cùm ex inertia ſequatur rerum omnium, bonorum, amicorum, virtutum, honoris egeſtas, vitiorum propago, & dejectæ mentis, naturæ Deique dona inficiantis, ſe tandem torquens conſcientia.

[v] Galen. lib. 1. de ſanit. tuenda.

In illos itaque merito ſeueriùs inquirebant [x] Athenienſes, Ægyptii, Romani, conſtitutis Magiſtratibus qui de ſingulorum profeſſione, moribuſque cenſerent, & otioſos velut inutilia terræ pondera, velut inauſpicata Reipublicæ monſtra profligarent. Vt quid lethargiam hanc referunt in frigidam corporis temperiem, pituita diffluentem, cùm luna huius humoris domina, ſit omnium planetarum mobilior, vt eorum vires curſu citiſſimo colligat, & ex propriis indiga, aliorum beneficio fiat diues. Heu ætas nunquam reditura, fortè ſimul virtutis & ſalutis occaſio labitur! & tanto langore ſoluuntur mentes, vt damnum hoc non ſentiant, vel ſe non ſentire fingant, cùm interim ad latus mors eſt, quæ miſeros Dei iudicio ſiſtit, iudicium addicit morti ſecundæ ad ſupplicia ſemper viuificæ.

[x] Plutarch. in Solone. Diodor. Sicul. rer. antiq. lib. 1. c. 3.

Non eſt verè quod multùm conqueramur de torpore hominum in obeundis vitæ ciuilis muneribus; paucis latere & ſibi viuere propoſitum eſt, cæteris omnibus in lucem proferri. Tales maximè ſunt quibus contigit ſub igneo temperamento, animus ad quælibet officia cum periculo promptus, quia ſpiritus calore repurgati, difficilia quæque penetrant: Tales fuere gentium vaſtatores, qui ſummum bonum ducebant eſſe terrori cæteris mortalibus: tales ſunt qui dignitatibus, diuitiis, ſuperbo rerum omnium apparatu, cæteris volunt præferri. Vndique perſtrepunt ambientium fremitu regum aulæ, iudicum fora, etiam Eccleſiarum ſedes; quod negotiatur, quod negat, quod rapit auaritia: quod obſcurat & deiicit inuidia: quod ardet, quod furit improbus amor, id totum aggreditur inquieta mens, vt cupiditatibus ſuis indulgeat, vt peruerſa libertate, poſſit omne quod placuerit, cæteriſque, nihil ab illis patiens, dominetur. O lugenda mortalium actiuitas, in damnum ſuum potens & ingenioſa! ſatius eſſet langueſcentes otiari, quàm ad agendum præcipites peccare, cùm otium eo maximè titulo caueri debeat, quòd diſponat ad peccatum. Corpori, ſenſibus, mundo, dæmoni, quod lugendum eſt, æternæ damnationi laboratur, cùm nihil aut parum virtutis, Dei, æternæque ſalutis contemplatione fiat. Non deeſt intimis pectoribus illuſtrans & mouens Dei gratia, ſed deeſt animus qui velit lucenti, mentis oculos, ſuadenti, etiam trahenti conſenſum præbere; & cùm entia cætera, quod naturæ ſuæ proprium eſt, fideliter impleant, ſolus homo rationi ſimul & gratiæ, ad quam natus eſt, reluctatur ſenſibus obſequens, motu tam abſurdo & aberrante, quàm ſi ſphæra cœleſtis terræ locum ſubiret.

Digitized by Google

Agit natura propter finem.

Lex 4.

QVi comtemplatus fuerit partium mundi, pro qualitatum ſuarum meritis, ſitum: commiſſuras à ſimilibus in diſſimilia blandè deſinentes: varios ad ſe mutuò, & ad bonum vniuerſi concentus: cœlorum, elementorum, ſpecierum ordinem, agnoſcet, vt expoſuimus, Deum qui tantum opus omnipotentia ſua de nihilo creauit, ſapientiâ digeſſit, æternis ſuis idæis verbo conformauit; ſi domum ornatiſſimam nemo ſanus dicet caſu & fortuitò ſicconſtructam: à ratione magis alienus erit aſſerens mundi partes ſic harmonicè compoſitas, in hunc ordinem fortuitò confluxiſſe; nam ordo proprius eſt intelligentis naturæ partus, quia finis intentionem, vt obtineatur partium electionem, limitationem, fixoſque certa lege ſitus neceſſariò ſupponit.

Poſſunt aliqua caſu rectè fieri, cæca quidem, ſed breui fœlicitate, nam operatio certam non habens cauſam qua dirigatur non ſibi conſtat, & bis eadem non ſe profert. Cum Protogenes [y] ſpumam equi non valens exprimere, penicillum iratus in tabulam impegit, fortuna fecit naturam, ſed vnico tantùm miraculo, nec enim millies ſimilibus tentata, votis reſpondit. Cæcus poteſt ſagitta ſcopum attingere, quem nec intendit, nec videt, ſed id iterùm etiam impenſo totius vitæ tempore non aſſequetur. At natura conſtanter eadem ſemper agit: cœlis hodie ſunt iidem qui à principio fuere motus, à tot ſæculis ne puncto quidem aberrantes, eædem elementorum ſphæræ: eædem proprietates plantarum & animantium: vnde patet eam caſu non agere, quia quæ ſunt à caſu varia ſunt; ſed agere propter finem in ſingulis, quorum labor in bonum vniuerſi architectonica prouidentia confertur.

[y] Plin. lib. 36. c. 10.

Elementa ſua loca, ſuaſque qualitates ſibi vendicant.

§. 1.

GRauia corpora remotis impedimentis feruntur ſemper deorſum, læuia ſurſùm, motu recto velut citiſſimo; tendunt igitur in

Digitized by Google

terminum, quem vt impetu quærunt; ſic cùm peruenerint quieta, velut impletis affectibus poſſident. Illo gaudere patet ex eo quòd illic non grauitant, & inde vi tantum maxima poſſunt euelli Si corpora certum non haberent locum, ad quem vt finem mouerentur; ſi ad omnem lationem eſſent indifferentia, concurrerent in inuicem; totuſque orbis horrenda partium ſuarum colliſione contritus in antiquum chaos ſolueretur. Elementa ſi ſuas proprias non haberent qualitates, quas intendunt ſibi ſeruare & augere, non agerent; non pugnarent, quia nec haberent hoſtem; & nihil intendentibus, nihil eſſet quod aduerſaretur. Aqua igne ſuppoſito, fugam commota non quæreret, nec poſtmodum ſe ſuæ reſtitueret frigiditati, ſi qualitatem hanc velut ſibi propriam, eliminato calore nociuo, forma non vindicaret. Plantæ radices ſurſùm mitterent innato calore illuc enitente, cœleſtique trahente, & non deorſùm in terram, niſi cæcas indigaſque natura duceret ad paratum illis alimentum, ſicut animal matris vberibus admouet vt nutriatur.

Animalium formatio ſit propter actionem, actio propter conſequutionem boni conuenientis.

§. 2.

ANimantia naſcuntur organis ad actiones ſibi proprias inſtructiſſima, leones vnguentibus, tauri cornibus, elephas dente & proboſcide, quæ tantæ moli non ſatis flexibili manus inſtar miniſtret: rhinoceros tectus lorica, vt cruſtrata omnia quæ videntur in aquis; picus martius vncis eſt vnguibus, quibus ſcandit arbores in ſubreptum, felium modo: cauda breui ne ſupino, ſi longior eſſet, attritu contereretur: percuſſi corticis caui ſono pabulum intelligit ſubeſſe, tum roſtro ad id validiſſimo, quod obſtat diſcerpit: linguam habet plus pedalis longitudinis, in extremo bifurcatam, & in ſe per articulos inſertam, hanc explicatam & tenſione ſubtiliorem immittit in taredulæ ſinus anfractuoſos, latentemque prædam ſic forcipe comprehendit. Auibus aquaticis lati ſunt pedes, vt ſint aptiores ad natandum: ardeæ ſunt eminentia crura, longius collum, roſtro in pugionis modum acuminato, vt piſces in altis etiam aquis poſſit configere. Lucio dentes laterales ſunt acerrimi ſerrati, inſuper palatum vncis ordine multiplici poſitis aſperum, ne lubrici piſces è raptoris faucibus elabi poſſint. Quis neget hæc à natura prouideri propter actiones futuras, & his munitionibus ad conflictum viuentia præparari?

Digitized by Google

Sic agunt propter finem animalia, illum obtinent mediis ſic opportunis, actus ſuos intendunt aut remittunt ex occaſione, tot artibus, tantáque morum diſciplina, vt pleriſque vti ratione videantur. Feles quo ſilentio, quàm leuibus veſtigiis obrepunt auibus, quàm occulto ſpeculatu in muſculos exiliunt: in anguſto deprehenſis vnde duplex exitus, vngue porrecto metum incutiunt ex vna parte, vt eos ex alia qua expectantur, erumpentes corripiant. Quis neget aues futuræ proli laborare cùm fabricant nidum ſub dio, ex ſiccis paleis ne putreſcant, alterno plexu longiùs intextis, ne facile diſſoluantur, & vt pluuiis detur effluxus; anguſta primum capacitas eſt ad caloris fomentum, plumis etiam ſubſtratis quæ pullos implumes molliter excipiant, tùm his creſcentibus quantùm opus eſt dilatatur. Hirundines nidum luto conſtruunt, ſtamento roborant, plumis flocciſque conſternunt tepefaciendis ouis, ſimul ne durus ſit pullis infantibus, & quia ſolidus aquas contineret quibus mergerentur, eum non ſub dio, ſed ſub tecto conſtituunt. Dices araneam non agere propter finem, cùm orditur telas intextis vndique laqueis, glutino tenacibus, muſcarum venationi, & cùm velut certa prædæ, aluum hac lanuginea fœcunditate tumentem exhaurit? Præuident hyemem apes, & melle condito in aluei cellulis, leui cera, ne quid effluat, obturatis, ſibi ſeruant alimentum, opportuno labore, dum ſæuiunt frigora nec conceſſo nec fœlici. Quid de formicis annonam ſimili prouidentia recondentibus? quid de ſcarabæis qui ſemen in æquino ſtercore conuoluendo ſepeliunt, vt calor humidus fœtum educat?

Percurre cæterorum animantium artes, pro alimento, venere, partus educatione, hoſtium pugna, videbis id rationis ductu non fortuitò fieri, quod ſemper & ſic optimè fit, vt nihil melius, nihil aptius humana mens poſſet excogitare. Semper fit, quia neceſſariò fit, hunc inſtinctum imperante & mouente ea quæ naturam regit intelligentia, [z] ſicut in habentibus cognitionem appetitus mouet alias potentias ad ſuos actus. Quemadmodum ars in nobis abſolutiſſima nihil conſultat amplius, ſic ars naturalis, licèt operetur ratione finiſque gratia, nullis tamen rationis diſcurſibus indiget, maximè cum ad intra moueat, inquit Plotinus. [a] Omnium finis proximus eſt indiuidui & ſpeciei conſeruatio: vltimatus autem, vt res dum perfectionem ſuam aſſequitur, diuinam magis exprimat, & diuinam fœcunditatem, bonitatemque ſimilium productione.

[z] D.Thom 12. q. 11. a. 2.

[a] Ibid. q. 1. a. 1.

Proprium hominis eſt, finem noſſe, appetere, ad eum omnia referre, eoque frui, nam bruta incipiunt à mediis ſine vlla ordinatione ad finem, & inde tendunt ad ipſum finem: homines autem incipiunt à cognitione finis, & inde procedunt ad media, ad eum obtinendum congrua; habent à fine ſpeciem & rectitudinem ſuam, præ-

Digitized by Google

mium ſuum ex eo merentur actiones ſeu priuatæ ſeu publicæ [b] Ideo quælibet Reſpublica ſibi finem conſtituit, tum ad eius conſecutionem leges conuenientes, ſunt enim ad Rempublicam leges accommodandæ dum feruntur, non Reſpublica ad leges, & quia lex nihil aliud eſt, inquit Ariſtoteles, quàm libera mens à cupiditatibus, quibus optimus quiſque poteſt à recta via detorqueri, ideo omnia quantùm fieri poteſt ab ea determinari debent, nec hominum arbitrio fallaci relinquenda ſunt, vt finis faciliùs obtineatur.

[b] Ariſt. 4. polit. c. 1. & lib. 3. c. vlt.

Quod eſt indeterminatum & vagum, in iure [c] nullum eſt; ſtipulatio, ſententia, teſtimonium, donationes, legata, debent cadere in rem & perſonam certam. Ita non proficit, ſed inter errores conteritur vita quæ certum non habet ſibi propoſitum finem: non enim benè diſponet ſingula, niſi cui iam vitæ ſumma conſtiterit; hæc erat antiquis Philoſophis ad naturam, ideſt ad rationem quæ eſt hominis natura, viuere. Ad ſublimiora fertur Chriſtianus, ipſum mouente ſpiritu qui non eſt huius mundi; vt huiuſce magnæ domus paterfamilias, vt huius mundani templi ſacerdos, ſibi proponit hoſtias laudis iugiter offerre Deo: rebus ſeu ſecundis ſeu aduerſis, quidquid aget in verbo aut in opere, omnia referre ad eius gloriam. Charitatem hanc ſequentur virtutes omnes, fidelis in pauco diſpenſator ſuper omnia conſtituetur; ſic vnum ſemper aget in diuerſis, maximum etiam in minimo, ex rectis actionibus in vltimum finem directis, ex placido continuoque vitæ tenore, conſcientia ſua fœlix exiſtet. Heu quàm pauci ſunt, qui hoc cœleſti conſilio, ſe ſuaque diſponant: cæteri, eorum more qui fluminibus innatant, non eunt ſed feruntur: ex his quoſdam leuior vnda detinet, & molliùs vehit, alia vehementiùs rapit, alia proximè ripam curſu langueſcente deponit, alia torrentis impetu in mare proiicit; omnes citra fixum virtutis, pietatis, Deo ſeruiendi propoſitum, vita turbulenta & infœlix manet exitus.

[c] l. 3. ff. de obligat. & act. l. 1. de ſententia quæ ſine certa quanti. l. 4. C. de teſtib.

Aberrationes inſolitæ probant conſuetum ordinem.

§. 3.

HIs quæ diximus obiiciunt, naſci ſæpiùs monſtra præter ſpeciei conditiones, ſic natura videtur vel cæca, quæ ſuas operationes ad finem dirigit, vel impotens quæ propoſitum non obtinet; ſed contumeliam hanc facilè diluet, qui rem ex æquo bonoque perpenderit. Scire debet ſic rebus omnibus adeſſe prouidentiam, vt ſeruato generali rerum ordine, non excludat in ſingularibus contingen-

Digitized by Google

tiam, malum & defectus. Conſtat ars quælibet certis ſuis præceptis, & tamen ſæpiùs aberratur, aliquo ex principiis deficiente: ſeruatur elementis ſua cuique regio, nec mouentur illis à Deo poſiti termini, cùm tamen eorum partes aliquæ miſceantur, alterentur, modis innumeris tranſmutentur. Seruantur ſimiliter rerum ſpecies immotæ, ſuis ſemper dotatæ ſimilibus figuris & proprietatibus, cùm tamen illis quædam incidant aberrantia. Id procedit ex defectu, vel exceſſu materiæ, quæ mollior in animalibus quàm in plantis faciliùs vitioſas patitur impreſſiones. Fiunt etiam ex ægra & multiformi parentum imaginatione: ex vtriuſque qualitatum repugnantia, quæ non valent in vnum conſentire: ex continentis vteri vitio, tandem ex ſpecierum adulteriis. Ad hæc peccata cœlum inclinat, inquiunt aſtrologi, [d] aſcendentibus ſignis tropicis, Saturno retrogrado cum capite meduſæ: vel ſi malefici cadant ab angulis, luminaribus nullam cum horoſcopo eiuſque Domino cognationem habentibus.

Mirum nobis eſt hominem ex bruto, brutum ex homine, integris vel peruerſis membrorum figuris naſci, prolemque biformem, veneris monumenta nefandæ, ſed rebus vt erant poſitis, talis debebat contingere productio. Apparet his etiam præſidere prouidentiam, ex eo quòd ne ſingularis defectus in ſpeciei detrimentum excurrat, monſtra & ex diuerſarum naturarum permiſtione nata, ſterilitate damnantur. Hæc omnium in ſe non conuerterent oculos, non velut ſtupenda per prouincias circumducerentur, ſi non eſſet ordinaria lex à qua deuiant. Agit natura propter finem quem ſic ordinariè conſequitur, vt eam vel in vno, multis ſæculis elapſis, aberrare mirum ſit. Nihil magis legem in Republica vigere probat, quàm pœna capitis reorum in illam peccantium: ſic naturam in cunctis iudicio ferri conſtat, ex monſtrorum raritate, ex eorum cita naturaliter vel ciuiliter irrogata morte, & ex perpetuo fœcunditatis interdicto, ne viuant in poſteris. Facilis etiam eſt tranſitus à miraculis naturæ, ad miracula artis; ſi enim deprehendatur ſemel natura in variatione ſua, eiuſque ratio manifeſta fuerit, expeditum erit eo deducere naturam per artem, quo per caſum aberrauerit. Igitur exceptio quæ firmat & declarat regulam in iure, [e] etiam ampliat in natura: læſam tamen hac inferiorum præuaricatione crediderunt antiqui, & ne ſumeretur in exemplum legis violandæ, illam Græci, Romanique [f] multis placabant ſacrificiorum & cæremoniarum expiationibus, inſuper deportato & ſuffocato fœtu. Monſtrum eſt homo, paſſione rationem ſubigente ſemi-vir, & vtinam peſſimis ſuis moribus, pares ſibi non gigneret.

[d] Ptolomæ quadrip. lib. 3. c. 9.

[e] l. nam quod ff. de penu. legat.

[f] Alexand. lib. 5. c. 27.

Cuiuſlibet

Cuiuſlibet agentis naturalis limitata eſt poteſtas.

Lex 7.

VT creatum omne tendit in certum & determinatum finem, Vide lib. 2. l. 10. §. 6.
vt exteriùs inſtruitur accommodis ad actiones eliciendas inſtrumentis, ſic habere debet interiores potentias quæ ad tales actus non ad alios inclinent, moueant, dirigant; pro liberius exequendis, decertent, & conuenientis boni poſſeſſione delectentur, opus naturæ non iret in propoſitum, ſi aut inſtrumentis deeſſent potentiæ, aut potentiis inſtrumenta; nam ſine potentiis inſtrumenta mortua ſunt, & potentiæ ſublatis inſtrumentis inermes. Ex eorum mutuo conſenſu fœlix naſcitur actio, dum tamen quæ hanc elicit vis interior, à fine modum accipiat, & in illum recta feratur, ſicut motus naturalis in centrum. Non ergo vaga debet eſſe potentia, ſed certa, determinata, fini congrua, ne vim aſſiduè patiatur, inclinans ad id quod non poteſt aſſequi, aut nihil aſſequatur in ſcopum non directa. Hanc potentiarum limitationem in ſingulis obſeruamus fieri ratione eſſentiæ, loci, temporis, & reſiſtentiæ contrariorum.

Ipſæ rerum eſſentiæ potentiis limites ponunt.

§. 1.

COnſtat ex ſuperioribus diuerſas eſſe rerum eſſentias, & tales eſſe probant tot operationes diuerſæ, quæ ſupponunt diuerſas potentias, eſſentiæ velut filias, actionum matres; nam ex eſſentiis potentiæ, ex potentiis actiones fluunt, ſicut ex fonte certa qualitate prædito, ſimiles riui, nobilitatem originis præ ſe ferentes.

Cùm ex D. Thoma [h] Angeli ſint ab inuicem diſtincti ſpecie, præter naturam ſpiritualem quam habent à materiæ conditionibus ſecretam: præter momentaneos illos ad intelligendum ſplendores: præter tenax voluntatis propoſitum: præter communes illas dotes, habet alias vnuſquiſque naturæ ſuæ, & diuerſis exequendis officiis congruas; cùm autem non ſufficiant ſibi ad beatitudinem, etiam data ſunt illis dona gratiæ ſecundum capacitatem naturalium, [i] quæ ſic & propriam, & diuinitus conceſſam amplitudinem, quibuſdam velut li-

[h] 1. q. 108. a. 4.

[i] 1. q. 10. a. 6.

L

mitibus circumſcribunt. Motores ſuos cælum imitatur in ſtellarum diſtinctione; nam vt ait Apoſtolus [k] alia eſt claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum, ſtella enim à ſtella differt in claritate, ſitu, motu, virtute, modis influendi. Elementa habent id commune, quòd ex ipſis omnia fiant, & in illa reſoluantur; ſed vniuſcuiuſque natura conſtat duabus qualitatibus, quarum vna potentior, alia debilis, per hanc validiorem vnitur inferiori ſibi vicino, vt aër aquæ per humiditatem qua præualet, & qua ſimul hoc humili coniugio depreſſus coërcetur.

[k] 1. Cor. 15.

Mixtorum eſſentiæ quatuor concluduntur generibus, illiſque propriis annexis potentiis, ſcilicèt vegetantis, ſenſitiui, appetitiui, loco motiui. Vegetatiua nutrit, auget, generat: ſenſitiua per quinque ſenſus, aut numero minores obiecti ſpeciem trahit ad ſe: appetitiua operatur per modum inclinationis in bonum ſenſibile: loco motiua conceditur perfectioribus, quæ cùm pluribus indigeant, quibus non ſufficit vnicus in quo conſiſtunt locus, ad alia commigrant fertiliora. Sub his generibus innumeræ ſunt ſpecies, ſingulæ ſuis dotatæ potentiis, ad proprias actiones eliciendas. Vegetant omnes plantæ, ſed earum ſingulæ ſpecies propriis præditæ ſunt viribus, quas æſtimat medicina ratione miſtionis primarum qualitatum, etiam occultarum quæ totius ſubſtantiæ vel familiaritate nos alunt, vel diſſidio, & inimicitia naturam noſtram depeculantur. Inde conſtat medicamentorum vis ſpecifica, quòd reubarbarum bilem educat, elleborum melancholiam, agaricus pituitam: quòd capiti conferat betonica, roſa, viola, maſtiche; pulmoni glycyrrhiſa, amygdala, polypodium; cordi garyophilum, cinnamomum; jecori abſcynthium, ſic de cætetis apud medicos.

Omnia viuentia habent terminos intrinſecos magnitudinis & paruitatis, habitus & priuationis, quos non poſſunt niſi per miraculum excedere, tum quia in natura ſicut in arte, certa debet eſſe partium diſpoſitio, tum quia virtus animæ producentis hos accepit limites à Deo. Ipſe non fecit omnia poſſibilia; nec etiam quæ nos imaginamur, quia fecit conuenientia limitatæ materiæ, diſpoſuitque in pondere, numero & menſura, nec enim poteſt vna ſtatua plures conſiſtentias ſimul habere; à ſole patre genita & terra matre, certam habent formam, certaſque vires ſub idea determinata. Aſpice, inquit Triſmegiſtus, [l] agricultorem ſemina in terræ gremium diffundentem, hîc triticum, hordeum alibi, & reliqui generis ſemina: aſpice eumdem vites, malos & ficus repaſtinantem atque amputantem; eodem modo Deus ipſe in cœlo quidem ſerit immortalitatem, in terra verò mutationem, in toto denique

[l] Pimand. c. 4.

mundo certis quibuſdam legibus actum & potentiam, vitam & mortem. Suam iniuſtitiam manifeſtò produnt qui diuinam iuſtitiam cauillantur, inquit D. Dionyſius; [m] aiunt enim mortalibus debere ineſſe immortalitatem, & rebus imperfectis perfectionem; mutabilibus identitatem, imbecillibus perficiendi poteſtatem; item ea quæ temporanea ſunt eſſe perpetua, & immutabilia quæ à natura mouentur, & temporaneas voluptates æternùm perdurare: atque vniuerſè illa quæ aliorum, aliis attribuunt. Sed ſciendum eſt diuinam iuſtitiam, hoc ipſo reuerà veram eſſe iuſtitiam, quòd omnibus quæ ſua ſunt tribuat pro merito ſingulorum, atque naturam cuiuſque in ordine proprio, potentiaque cuſtodiat.

[m] De Diuinis nomin. c. 8.

Sunt quædam ſingulares potentiæ rebus agendis commenſuratæ.

§. 2.

Differentiis ſpecificis accedunt indiuiduales, quibus earum latitudo, multiplici, ordinata tamen diuerſitate contrahitur: cunctis canibus non eſt eadem fidelitas & ſagacitas, omnibus equis non eadem fortitudo, omnibus falconibus non idem ardor. Inter philomelas aliam alias ſuperat pleno, graui, acuto, continuato, conciſo, vibrato, vndante, ex profundo bulliente ſpiritu; & cum vnicuique ſuus ſit cantus, animoſa contentione pro victoria decertant.

Homines, cum ſint ſuperioris naturæ, etiam in magis multiplici ſunt differentia, ſingularem autem cuiuſque noſſe, operoſnm, ambiguum eſt, & in his humana ſapientia toties deluſa, fateri cogitur [n] diſcretionem ſpirituum diuinum eſſe munus. Se noſſe, primum fuit moralis philoſophiæ præceptum, vt vitæ genus eligatur congruum genio, cœlum enim, inquiunt, ſuis fauet incœptis; inclinandum quo vis illa ſecretior defert; rerum naturæ conſentiendum, qua inuita ingens & vanus labor. Sed Reipublicæ potiſſimùm intereſt noſſe vim ingeniorum, vt illa propriis addicant muneribus, & hæc habeat parata negotiis quibuſque peragendis inſtrumenta: Igitur in vita ciuili, tanquam in vniuerſo, diſtribuendus & ſtabiliendus eſt ordo dignitatum, qui quia lege diuina naturali docetur, eum violare & indebitum locum vſurpare, lex [o] habet vt crimen ſacrilegij. Officiis, inquit Ariſtoteles, [p] velut in theatro conuenientes aſſignandæ perſonæ, ſingulis ſuæ; vnicum enim ab vno melius perficitur, quàm ſi ad diuerſa diſtractus, etiam minor eſſet animus. [q] Ita ſagax natura quo tempore corpus efformat, quod craſſius eſt in materia, ad ſolidiores: quod tenuius, ad molliores: quod calidius, ad calidiores: quod frigidus, ad frigidiores partes conſtituendas attrahit. [r] Fit autem optima cor-

[n] 1. Corinth. 12. 10.

[o] l. 1. Cod. vt dignitat. ordo ſeruetur.

[p] Polit. 1. & lib. 2. c. 9. lib. 4. c. 15.

[q] Galen. lib. 2. de elementis.

[r] Idem lib. de optima corporis conſtitutione.

Digitized by Google

poris conſtitutio in qua ſimilares' partes & inſtrumentariæ propriam temperiem poſſident, ſecundùm magnitudinem, numerum, figuram, mutuamque inter ſe connexionem, tale corpus optimè ſuis fungetur muneribus.

Vt ſingulis ſenſibus proprij ſpiritus inhærent, vnus in aure, alter in oculis; vt ſingulis regnis, prouinciis, corporalium rerum ſpeciebus, etiam ſingulis hominibus, vnus à Deo preficitur Angelus,[t] ſic in Republica diuerſis rebus peragendis diuerſæ aſſignantur perſonæ. Apud Lacedemonios de contractibus cognoſcebant Ephori, de cædibus ſenatores, de aliis alij magiſtratus:[u] Apud Romanos prohibitum, ne vnus plura eodem tempore gerat officia;[v] ne duorum magiſtratuum aſſeſſor ſit, ne dum ad vtrumque officium feſtinat, neutrum bene peragat, inquit Iuſtinianus, nec enim facilè credendum eſt, duabus neceſſariis rebus vnum ſufficere. At cùm vnus vni rei ſe totum dicat, ſtudio & experientia deprehendit quidquid in ea benè præſtari poteſt, fitque peritus artis ſuæ, cuius ignorantia culpæ annumeraretur.[x] Itaque in omni iudicio rectè inſtituto, pro cuiuſque controuerſiæ qualitate competens iudex adiri debet. Hinc maxima magiſtratuum & officiorum diuerſitas de quibus agit Iuſtinianus libro primo digeſtorum, & quid quiſque potuerit, plures authores integris voluminibus proſequuti ſunt.[y] Eadem ratione ſtatutum, negotiatores ne militent, neminem duplici militia vti poſſe, ne ruſticani ad vllum obſequium vocentur; ſingularum rerum mercaturum ſingulos profiteri; addici ſeruos ſingulis agris, quorum naturam vſu nouerant;[z] pro ſingulis partibus ægris, ſingulos eſſe medicos, ocularios, auriculares, & ſic de cæteris. Eccleſiaſtica[a] hierarchia, ad exemplum cœleſtis, res diuerſas diuerſis aſſignat miniſtris; ita prohibet ne Clerici iudicem aut arbitrum laïcum ſibi conſtituant; ne vnus Clericus in duabus Eccleſiis conſcribatur; ne plura beneficia, potiſſimùm curata, obtineat;[b] ne Epiſcopi ſe immiſceant in electione Abbatum, in bonorum monaſterij adminiſtratione, ne miſſas publicas in cœnobiis celebrent, ne in illis aliquam imperandi poteſtatem exerceant; denique ne clerici ſint in monaſteriis abbates; nam inquit D. Gregorius Papa,[c] ſi vni militiæ non ſufficiunt, quomodo duplici ſufficient. Monſtrum eſt corpus cuius caput alterius eſt ſubſtantiæ, quàm ſint ea quibus præeſt, membra, qua ratione præibit exemplo, qui diuerſa imò contraria ſectatur? quo modo docebit inexpertus, & dux erit militiæ, cuius ne quidem egit tyrocinium? ſiue ſe regimini velit immiſcere, ſiue non, ſubditos æqua ferè manet pernities: nam regens auſteriorem diſciplinam ſenſim in ſuos trahet mores, & diſſoluet: quòd ſi peregrinus rector rarò præſens, alienis tantùm videat oculis, alienis audiat auribus, fiet noua & infinita quædam,

[t] D. Thom. 1. q. 108.

[u] l. vnic. C. quemad. ciuil. mun. induc.

[v] l. Fin. C. de aſſeſſor. l. 5. C. qui militare poſſ.

[x] l. 174. ff. de reg. iur. l. 10. § penult. ff. locat. &c.

[y] Cod. lib 10. tit. 14 & lib. 12. tit. 34. & lib. 11. tit. 54. l. 5. Cod. qui milit. poſſ.

[z] Galen. de part. art. med.

[a] Cap cõſtitit. de elect. & elect. poteſt. toto tit. de foro competenti.

[b] 18. q. 2. cap. quam ſit & ſeq.

[c] In Regiſtro. lib. 1. ep. 11. & lib. 4. Epiſt. 1.

Digitized by Google

ex incongruis adminiſtris malorum acceſſio. Sanè mortuum eſt corpus, licèt externa vi moueatur, cùm in eo non eſt anima; perit nauis quam maria ſulcantem, è portu voce, nutibus, litteris regere vellet abſens gubernator. Hæc plurimorum authorum illuſtrata doctrinis breuiter delibaſſe ſufficiat, ad confirmationem legis huius generalis; quòd diuerſitas formalis actuum, procedere debet à diuerſitate potentiarum; variiſque natura ſua inſtitutis, congruos, pareſque rectores eſſe præficiendos; & hoc non tam eſſe priuilegium, quàm ius naturale & commune.

Potentiæ præſcriptis loci limitibus coërcentur.

§. 3.

COelum ampliſſimæ quidem finitæ tamen eſſe quantitatis probat Albertus [d] hac demonſtratione: Cœlum rotundum eſt, vt patet etiam oculis, & ex æqua ſui concaui ad terræ centrum diſtantia; vt ergo ex parte noſtri concauo finitur, ſic ſuperius peripheria & conuexo, nam extrema ſibi ſemper conſentiunt. Hanc limitatam peripheriam admittere neceſſe eſt, alioquin ſi pars ſuperior in infinitum protenderetur, lineæ diametraliter ſe interſecantes ad angulum rectum in centro terræ, protenſæ, in infinitum ab inuicem diſtarent, ſic motus cœli qui eſt finitus, non poſſet tempore finito, infinitum hoc à linea orientis ad lineam meridiei decurrere.

[d] Albert. Magn. lib. de cœlo. 1. tra. 2. c. 2.

In hoc vniuerſali continente finito, nullum eſt corpus niſi finitum, tum ratione continentis, tum quia, cùm vnum non valeat aliud penetrare, ſi in immenſum extenderetur, quodlibet aliud excluderet, & totum ſpatium occupans non poſſet moueri, ſuaque ſic amplitudo, ſibi carcer & catena, cæteris eſſet exitium. Etiam Angeli [e] licèt ſpirituales à materia ſecreti, quia tamen vniuerſi finiti ſunt partes, operationem habent & ſphæram actiuitatis certo loco definitam; quamuis non ſint in loco more corporum, vt pars eorum parti loci reſpondeat, cum ſint ſpirituales & indiuiſibiles, ſunt tamen in loco definitiuè, vt extra nec ſint nec poſſint. Sphæris ſingulis ſua eſt dedeterminara quantitas, quæ medium inter præcedentem & ſequentem impleat; Elementa ſuas habent præſcriptas regiones: de mari dicit Deus, [f] circumdedi illud terminis meis, poſui vectem & oſtia, & dixi vſque huc venies, non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos; terræ ſimiliter poſuit menſuras, & tetendit ſuper eam lineam, [g] aſcendunt montes & deſcendunt campi in locum

[e] D. Thom. 1. q. 52. a. 2.

[f] Iob. 38. 10.

[g] Pſal. 103.

Digitized by Google

quem fundaſti eis, inquit Propheta: [h] Multi quidem Reges Ægypti tentauerunt Iſthmo perforata, mare rubrum coniungere mediterraneo, ſed ab opere deſtiterunt metu, ne Ægyptus mari rubro depreſpreſſior periret inundatione, vel ſaltem aquæ Nili corrumperentur. [i] Alij Principes id iterùm efficere conati multis deterriti ſunt prodigiis, vnde patet periculoſum, etiam prophanum, poſitos à Deo naturæ terminos mouere.

[h] Ariſt. 1. meteor.

[i] Kekerman. in politicis.

Infinitum eſſet recenſere cuiuſque climatis & loci dotes varias, in plantarum, fructuum, animalium, medicamentorum, metallorum, gemmarum fœcunditate; id videre licet apud Coſmographos. [k] Plinius longam texit hiſtoriam animalium quæ extra certa quædam loca non tranſeunt, & tranſportata non viuunt; id procedere dicit Hipocrates [l] ex qualitatibus aëris, aquarum, terrarum, quæ veniunt in compoſitionem & alimentum. Ptolomæus [m] varietatem hanc aſſignat ſignis zodiaci, & planetis, terris illis dominantibus; alij parti cœli, ſtelliſque, perpendiculariter influxum ſuum illic mittentibus. Certè lapides terminos agrorum notant, non efficiunt, quòd enim fundus & menſura protendatur, procedit à jure quæſiti modis legitimis dominij. Ita cœli, elementa, variæ terrarum poſitiones, ſunt non tam cauſæ, quàm inſtrumenta diuinæ prouidentiæ, ſic ludentis in orbe terrarum, ſic pulchrè, ſic harmonicè dona ſua diſtribuentis. Ita nihil eſt amore vacuum, nihil quod non amet & ametur, quod neceſſitas non quærat, quod abundantia non offerat; eo, vt dictum eſt, commercio, diuerſitas refunditur in vnitatem, omniaque ſunt in omnibus.

[k] lib. 8. c. 58. & lib. 9. c. 17.

[l] De aëre, aquis, & locis.

[m] Quadrip. lib. 2. c. 5.

Tandem licèt ſit ardens naturæ fœcunditas, non niſi certis in locis ſe profert, & editos fœtus conſeruat; piſces viuunt tantùm in aquis, terreſtria in aëre; non pariunt apud nos leones, ſimiæ, pſyttaci, natiuum ſuum ſolum deſiderant, nec in alieno prolem exponunt. Non fert aurum omnis tellus, ſed ea quæ ad excipiendum archæi vaporoſum ſemen, matrice conuenienter diſpoſita, ſolè pronubo, homogeneam hanc concretionem pluribus magnis annis efformat, & vtero ſibi fert, nunquam niſi vis inferatur editura. Hinc patet quàm vana ſit chymicorum ſpes, qui alio parente, alia matre, aliis ſeminibus & vaſis vſi, maſculum hunc cœli ſolique partum, & formam ſubſtantialem, quæ naturalis tantum iuris eſt, ab arte ſibi promittunt.

Ipſa rationalis anima licèt ſpiritualis & immortalis, quandiu corporis ſui carcere concluditur, alibi non eſt, non agit, non vegetat, non ſentit, non intelligit; nam hæ quæ rationem dirigunt & appetitum ſolantur imagines, ſignificant abſentem à vera rerum exiſtentia mentem. Videt tantùm in oculo, audit in aure, guſtat in palato, odoratur in naribus, digerit in ſtomacho, caloris fomitem habet in corde, intelligit in cerebro. Videt oculus, auris audit, odoratus per-

Digitized by Google

cipit obiectum ſuum in certa loci diſtantia, extra quam à rebus emiſſæ ſpecies ſenſus non afficiunt.[n] Nimium itaque ſibi plaudunt Platonici, qui mentem humanam potentem aſſerunt non ſolùm in partes elementorum, ex quibus corpus componitur, & quas imaginatio ſæpè commouet, ſed etiam in alias mundi partes, quippe natura ſuperior, & Angelis vt eſſentia ſic virtutibus affinis. Si tale ius datum eſſet mentibus humanis in externa, nullæ mundi partes ſuis iam conſtarent ſedibus, diſſolueretur vniuerſi temperies à contrariis & pugnantibus inter ſe votis hominum. Solius Dei eſt patrare miracula, imperare ventis & mari, & ſe legis naturalis authorem, conceſſis aliquando priuilegiis probare, cùm ſic conuincendam, ſic confirmandam decreuit populorum fidem. At homo nihil in naturam poteſt, niſi mediante natura, dum applicat actiua paſſiuis, & hoc eſt totum rationis imperium quod tamen non immutat poſitas corpori ſuo leges, non poteſt ad ſtaturam ſuam adiicere cubitum vnum;[o] non aliam efficit partium conformationem, qualitatum temperiem; non ſiſtit vegetantis perpetuos motus, non ventris quotidianas exactiones, non ætatis ad ſenium labentis defectum, nec extremam horam inſperatis, inuitis, cum vita externum omne bonum auferentem. Sic mundus, ſic corpus mentis humanæ potentiam coërcet, magno tamen ſolatio, quòd ſi deſit illi facultas ad opera, piis affectibus plurimum poſſit apud Deum promereri.

[n] Marſ. Ficin. Theol. Plato. lib. 13 c. 5.

[o] Math. 6. 27.

Hos paſſa limites, vix vllam in politicis concedit potentiam, quæ vt rerum ſic locorum quibuſdam terminis non concludatur. Regna prouinciis ſuis aſſignant rectores, olim proconſules: ſingulis vrbibus etiam pagis, iudices; itaut nulli liceat extra poſitos ſuæ iuriſdictioni limites excurrere, & in alienam meſſem falcem mittere:[p] eſt enim territorium oppidorum & ciuitatum; eſt territorium iudicis extra quod ius dicenti impunè non paretur;[q] idem enim eſt, ac ſi ſupra iuriſdictionem ſuam vellet ius dicere. Ius omne ſeu dominij, ſeu ſeruitutis, emptionis, emphyteuſeos, vſus, vſusfructus, feudi, certis loci limitibus continetur, expreſſis in contractibus vicinis contermiinis, finibuſque agris à menſoribus auctoritate publica poſitis,[r] quos mouere, delere, exarare, crimen eſt pœnis extra ordinem puniendum.

[p] l. 3. §. non perpetuæ. ff. de ſeruil. viol. l. ſi quis. de leg. 3.

[q] l. Final ff. de Iuriſd.

[r] l. 4. §. 4. ff. fin. regund.

Similiter Eccleſiaſtica hierarchica,[s] Eccleſias ſingulas ſingulis Preſbyteris dedit, parrochias & cœmetria illis diuiſit, & vnicuique proprium ius habere ſtatuit, ita videlicet vt nullus alterius parochiæ terminos aut ius inuadat. Has non patiens anguſtias mens ſanctior, terrenas poſſeſſiones aliis habendas permittit, ipſa verò cœleſtibus afflata donis conſcendit in Deum, bonum omne; in quo iam nec rerum, nec locorum, nec temporis limitibus contenta, immenſitas, æternitas eſt.

[s] 13. q. 1. can. Eccleſias.

Digitized by Google

Ad tempus conceſſa ſunt hîc omnes potentia, illaque vel alternant vel concidunt.

§. 4.

STabilitas æternitati propria vmbram ſuam proiicit mobiliter ſtantem, in rerum omnium fluxu ſic rapido, vt dum tales eſſe cogitantur aut dicuntur, iam tales eſſe deſierint, velocitate tranſitus mentem ſermonemque præueniente. Incorruptibilia, vt ſunt cœli, alternant vices, parſque pellens alteram ſequenti cedit, & hæc immediatè ſe proferenti, donec aſcenſu deſcenſuque circulus perficiatur, iterùm iterúmque vſque ad tempus ſoli Deo cognitum, reuoluendus. At corruptibilia certis ad ſummum ſui gradibus aſcendunt, ſtatimque negatâ conſiſtentiâ deficiunt, paribus interdum acceſſioni decrementis, ſæpiùs immaturo funere, præcipitioque conteruntur. Intereſt mundo cœlum volui, ne fixa ſyderum vis abſumat eos quibus ex perpendiculo inſideret, aut remotas partes nunquam hac recreatas virtute, languidis materiæ defectibus exponeret: Ita ſolis ſyderumque acceſſus & receſſus varias efficiunt anni tempeſtates, corporum ſanitati, terræ fructibus apprimè neceſſarias, & hanc inducunt in mundo temperiem quâ cunctorum vis & vita conſtat.

Arbores ſtato tempore foliis veſtiuntur, floribus dant nobis arrhas fructuum, quos vt ampliſſimam mercedem magnificè noſtris laboribus exoluunt; tum per hyemem virtus in ſe contracta congregat, quod poſtea largiatur: Plantæ floriferæ, quædam vere, aliæ æſtate aliæ autumno florent, totumque tempus ſic inter ſe partiuntur, vt nul um decore ſuo vacuum ſit. In magno gaudio fertilitatis, & ad delitias vſque nobis prouidens natura, ordinatè tamen procedit, nam quia multis flos quilibet intra diem marceſſit, habet ſucceſſiuos; ſic non profuſa, ſed prudenter diſpenſata fœcunditate, diu pulchra, cnltum & oculos noſtros promeretur.

Auibus quàm iuſta temporis ratio conſtat; hyrundines, ciconiæ, turtures, philomelæ innumeræ ſimiles circa vernum æquinoctium cum ſole redeunt ad nos: primis menſibus occines celebrant connubia feſtiuiſſimo cantus ardore, cui dies etiam tunc longiſſimi, ſunt breues, & ne nocte quidem luſcinia quieſcit. Huic laborioſæ voluptati, ſuccedit cura prolis educandæ; dum adoleſcit, pennas veteres labore contritas exuunt, nouis induuntur, ſic vegetiores abituræ conuentus agunt, & nulla tunc premente temporis iniuria, tunc cùm

abundat

Digitized by Google

abundat alimentum, in ignotas nobis terras commigrant. Mirum quod captiuæ iuuenes philomelæ nunquam id expertæ, præſentiunt tamen tempus diſcedendi, & in caueis per totam noctem velut libero fruerentur aëre, volitant, magno vocis & alarum in anguſto colliſarum tumultu. Animalia cætera non æſtuant in Venerem, niſi præſcripto ſibi tempore, in quo licèt gregalia ſint; feritatem quandam induunt, & copulam ſuam totis viribus contra procos vindicant, miteſcunt poſtmodum, redeuntque in gratiam: natura ſic actiones temperante per dilationes & ferias, quas homines in ſua iudicia, ſuamque politiam, tranſtulerunt.

Initio quidem Romanæ ciuitatis [t] populus ſine certa lege viuebat, omniaque manu nutuque regum gubernabantur, poſtea leges curiatæ ex populi in curias diuiſi ſententia latæ ſunt, ſed infirmæ contra ſummam perpetuamque potentiam. Propterea regibus eiectis [u] ad conſules tranſijt imperium, ex perpetuo annuum placuit, ex ſingulari duplex, ne poteſtas ſolitudine vel mora corrumperetur. Vrgente quidem belli neceſſitate Romani Dictatorem ſex menſium, [x] Spartani Regem eligebant, penes quem erat ſummum ius, & tranſacta neceſſitate finiebatur poteſtas: alijs temporibus erat penes conſules & ſenatores, quos iterum temperabat Tribunus plebis, ipſe Conſuleſque annui. Olim Vuandalorum regnum in Africa fuit precarium, ideſt quouis tempore reuocabile, ſimiliter apud pleraſque gentes receptum eſt, vt dignitates certo tempore, aut rebus geſtis finirentur, [y] nihil enim tam ciuile, tam vtile, quàm breuem eſſe poteſtatem quæ magna eſt. D. Ambroſius [z] exemplo gruum quæ ſtationes, ducatum per vices agunt; antiquum, inquit, hoc Reipublicæ munus, vt communis ſit labor, communis dignitas; ſinguli partiri curas diſcant, obſequia, imperiaque diuidere, nemo ſit honoris exors nec laboris, ſic mitigatur regiminis inuidia; ſic non inſoleſcit ex dignitate, qui mox debet obſequi. Ita fit vt Deo prouidente, magnis regnorum negotijs, paria quæ enaſcuntur, etiam impendantur ingenia; hæc autem ſe non poſſent in lucem proferre, ſi perpetuæ forent dignitates; illaſque per totam vitam veterator occupans, in indignos tandem ſucceſſores transfunderet.

[t] L. 2. ff. de orig. iur.

[u] Florus lib. 1.

[x] Ariſt. 3. polit. 10.

[y] Senec. lib. 3. declam. 8.

[z] Examero. lib. 5. c. 15.

Eſt quidem in monarchia ſumma continuaque poteſtas penes vnum, maximo Reipublicæ commodo; Princeps enim perpetuus habetur velut immobile quo ſuſtinetur, velut centrum quo dirigitur cæterarum dignitatum motus, rerumque continua viciſſitudo. Reipublicæ corpori quod habetur immortale, hæc immortalis conceditur anima, hæc ſubſtantia plus minus-ue non patiens, in tot accidentium fluxu ſemper immota. Pacem & vnionem ſummum populi bonum, melius facit vnitas ipſa, quàm eius ſimulachrum

M

Digitized by Google

in multis ſe per modum vnius habentibus. Regimen debet eſſe fœlicius, quod magis imitatur imperium Dei, indiuiſum, omnipotens, æternum, illic ſecretiora, promptiora, firmiora ſunt conſilia: perpetuò recturus regiminis artem velut ſibi propriam attentiori ſtudio, certioribus experimentis addiſcit; non contentus probitatis larua conatur aſſequi ſinceros heroïcæ virtutis habitus, ſic enim meretur inire cum bonis, cum ipſomet Deo fœdera, quibus firmatur imperium: plebem velut familiam ſuam paterno proſequitur affectu & hanc glorioſum ſibi reputat habere ſplendidam, opulentam, lætam, gratulabundam, cùm omnium amorem ſuo ſibi concilians, in illis omnia poſſideat.

Quod igitur dictum eſt de limitata ad tempus poteſtate, intelligendum de ſubalterna, non de ſumma, quæ cæteris, vt Deus creaturis, vt cœlum inferioribus mutationi ſubiectis dominatur, licèt diſpari ratione. Nam regia poteſtas non eſt legibus omnibus ſoluta, ſic vt impunè valeat abuti iure ſuo, & potentiam in Deo ſapientiæ bonitatique iunctam tyrannicis operibus infamare. Rex tenetur primò naturæ legibus ab omnium Imperatore Deo poſitis, quibus qui non paret, cum rationalis eſſe deſinat, cæteris nôn imperabit: tenetur etiam poſitis à ſe legibus vt inſtar primi mobilis prior ſubeat motum quem alijs imprimit; vt quod alijs per iuſtitiam non licet, ei non liceat per poteſtatem; vt ſubmitat principatum legibus, quas ſi ſoluerit exemplo, & his innixus principatus concidet. [a] Sic Ægypti Reges vitam non aliorum regnantium, quibus voluntas pro lege eſt, traducebant licentia, ſed ex lege vitam priuatam agebant; vt quemquam per ſuperbiam aut iram non poſſunt punire. Sic Rex Medorum [b] non potuit eximere Danielem de lacu leonum, id lege lata prohibente: ſic Impp. Theodoſius & Valentinianus, [c] digna, inquiunt, vox eſt maieſtate regnanantis, legibus alligatum ſe principem profiteri, adeò de authoritate iuris noſtra pendet authoritas, & reuera maius imperio eſt ſubmittere legibus principatum. [d] Hinc ex imperfecto teſtamento legatum non percipit Imperator, decet enim eum ſeruare leges, quibus eſſe ſaluatus videtur. Vnde lis mota inter Regem & ſubditum, iudicis ordinarij ſententia dirimitur; cedit enim in gloriam iuſti principis, maieſtate ſepoſita iudiciorùm aleam ſubire, quia multum lucratur etiam dum cauſa cadit, ſalua lege qua velut fundamento ſtat imperium.

[a] Diodor. ſicul. rer. antiq. lib. 2. c. 3.
[b] Daniel. 6.
[c] L. 4. cod. de legib.
[d] L. 23. ff. de leg. 3.

Populus [e] ius ſuum in regem contulit, certis quibuſdam adiectis conditionibus quæ dicuntur leges regni fundamentales, communi ſponſione firmatæ, & quas Reges dum inaugurantur obſeruaturos ſe tactis aris ſacriſque Euangelijs, ſolemniter iurant; his ergo teneri, regiamque potentiam coërceri nemo dubitat. Tyrannis ne crudeliùs

[e] L. 1. ff. de conſt. princ.

Digitized by Google

ſæuirent, ſæpè frænum fuit ira fremituſque populi, metum quem patiebatur, in authorem repercutientis. Continet etiam illos vicinus hoſtis populos deſperatione rebelles in deditionem accipiens, & per ciuiles tumultus viam captans ad irruptiones faciendas. Sic enim, vt diximus, [f] contraria, dum æquis ferè viribus congrediuntur, ſe mutuò temperant. Adijce honoris, & gloriæ, etiam in ſequuturas ætates proferendæ ſtimulos, quibus potentes impotenter aguntur: debent enim cauere qualem famam habeant, quia qualemcumque meruerint, magnam habituri ſunt. In iudicium rei malè geſtæ vocat eos omni momento vox populi, vocabunt ſæcula & in poſthumam memoriam, omni pulſo timore ſeueriùs vindicabunt. [g] Sic dum mortui Regis Ægypti laudes à ſacerdotibus dicebantur, falſis populus magno reclamabat tumultu, & indignos honore ſolito ſepulturæ priuabat; is timor coëgit Ægypti reges iuſtè viuere, veritos poſt mortem futuram plebis iram, atque odium ſempiternum; illis igitur magna fortuna, minima licentia.

[f] ſupra l. 2. §. 6.

[g] Diodor. ſicul. rer. antiq. lib. 2. c. 3.

Quod ſi malè ſanus vitiorum amor, omnem recti honeſtique ſenſum extinxerit in principe, vt amplius non audiat naturæ leges, Dei malum exprobantis, & ad meliora vocantis vocem, populi tabeſcentis gemitus, exterorum contumelias, extremis in malis, extremum à Deo exibetur remedium, mors. Cita, immatura, inſperata, rebus vt credebantur proſperis, ſolet demetere tyrannos, non curis, non immanitatibus quibus paſcuntur confectos, ſed ſic diuinitùs addictos in argumentum præſidentis mundo prouidentiæ, ad ſimilium terrorem, ad bonorum ſolatium, & vt telo fœliciter è vulnere auulſo Reipublicæ plaga citò veniat in cicatricem. Id non contigit in numerato à nobis præuiſoque tempore, quia malorum principum non eadem iniquitas; non idem populis morbus, pari diœta remedioque curandus: opportunè ſemper adeſt laborantibus cœleſtis miſericordia, maiori fructu, maiorique miraculo, quàm ſi cunctis notus eſſet imperantium terminus. Non queramur amplius quòd homines naſcantur morituri; heu ſi tanta, tamque nefanda moliuntur in tam incerto & tam breui vitæ ſpatio, quid non tentarent, ſi hæc longior definitis ætatum gradibus protenſa, improbitati certam rapinæ & crudelitatis ſuæ fruitionem promitteret? Mors itaque dum videtur extrema humanæ vitæ pœna, præſidium eſt; abyſſus quo ſorbetur vis tyrannica, ne latius in populorum ſtragem exundet. Malis terror ſimul & remedium, vitiis ſibi ſemper accreſcentibus imponens finem, quem in peruerſum ardens cupiditas nunquàm feciſſet. Bonis autem maximum ſolatium eſt, videre præſidentem rebus humanis Deum, impiorum capita conterentem, montes æquantem ſolo, [h] præuaricatores euellentem ſicut ſpinas, quæ non tolluntur manu, ſed igne aut ferro: [i] regens eos in vrga ferrea, & tanquam vas figuli confringens: [k] qui

[h] 2. Reg 23.

[i] Pſal. 2. & 36.

[k] Iob. 12.

Digitized by Google

effundit deſpectionẽ ſuper principes,& eos qui oppreſſi fuerant releuat.

Cauſæ vniuerſales, vt neceſſarium, ſic communem, æqualem, continuum influxum, ſibi ſubditis inferioribus largiuntur.

Lex 8.

Rerum natura infiniti boni proles eſt, ita licèt finitam oportuerit eſſe, quia non multiplicatur infinitum, quædam tamen cauſæ intra poſitos ſibi terminos immenſæ bonitatis ſimilitudinem præferunt, in eo quòd ſunt vniuerſales: & ex ſingularitate ſua, velut ex fœcunda monade, multiplex bonum effundunt in inferiora Earum ſanè conſideratio, laxat, erigit animum, æquat obiectorum ſuorum amplitudini magnificæ, & in interiores naturæ ſinus admiſſum præparat ad cæterarum rerum aliàs abſtruſarum cognitionem. Hinc enim diſcit vnde procedat in inferioribus pulchritudo, vis ad agendum, perpetuitas, nexus ad inuicem. Videt his cauſis vniuerſalibus præſidentes intelligentias Dei miniſtras, velut anguſtiſſimum ſenatum de quo propheta [l] Deus ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem Deos dijudicat; illis ordinariæ iuriſdictionis limites præſcribens, ad libitum aut coërcens aut proferens.

[l] Pſal. 81.

Inferioribus neceſſarius eſt cauſa ſuperioris influxus.

§. 1.

Conſtat [m] entia ſuperiora enti primo viciniora, etiam plus habere perfectionis & bonitatis, tum in ſe, tum ad extra in naturam inferiorem diffundendæ. Siue loquamur de intelligentiis, ſiue de cœlis in natura corporea præcipuis, quorum etiam formalis dicitur eſſe materia, vt eminentes habent actiuas potentias, ſic illas educunt in actum; procul ab otio & torpore agunt ſemper, non quidem ſui conſeruandi & augendi cauſa, ſed vt bonum quod in ipſis exuberat, egentibus rebus infimis largiantur. Licèt altum teneant, ſunt tamen partes vniuerſi, quæ cum cæteris neceſſariò relationem, ſocietatem, nexum habent, ſic vt eorum eſſentiæ, vires, actiones ad totius bonum, velut ad præſcriptum ſibi finem referantur. Si ſpheræ ſuperiores ſemper ambitu ſuo cingunt infima, & implent eam quam obſeruamus orbis totius dimenſionem; eorum pariter vis actiua, non debet à cæ-

[m] Vide ſupra, l. 3. §. 1.

Digitized by Google

teris ſolitariè & infœcundè diuidi, ſed illis communione coniungi; nam forma, cum ſit magis vna, magis valet concurrere per qualitates, quàm materia per quantitatem, ad vnum illud efficiendum. Vbi tam celebris apud ſapientes vniuerſi harmonia & pulchritudo, ſi rebus infimis ſuperiora non coagunt? Perit æſtimata quantitas ſi ſupremum ab infimis diuidatur: perit vocum concentus, ſi graui non arriſerit acutum: perit pulchritudo, ſi quod eminet lineâ vel colore, depreſſis & obſcurioribus blandè ſe non interſerat: perit vniuerſum, virtute ſenſim, vt dictum eſt,[n] per gradus deficiente: perit hæc miranda circulatio ab imo ſe reſtituens, ſi paſſiuis actiua, infimis ſuprema benignè non conſentiant.

[n] Supra. l. 3. §. 2.

Si laborat in iſtis ratio, ſenſus ſatis deprehendunt cœli vires continuas in inferiora, per diem & noctem, æſtatem & hyemem, per varias anni tempeſtates quæ procedunt ex ſolis acceſſu & receſſu. [o] Huius luminaris & lunæ vim & motum ſentiunt plurima animantia; cæterarum verò ſtellarum, licèt obſcuriores vires deprehendunt ſolis ſuis experimentis edocti, nautæ, paſtores, agricolæ, at omnium hi qui diligentiùs, ex perpetua veteri obſeruatione naturam earum didicerunt; Planetas ſeptem eſſe ſub Deo rectores vniuerſi iam diximus, ex Triſmegiſti ſententia; à Saturno rebus ineſſe ſtatum, à Ioue optimam ad quiduis agendum temperiem, ardorem à marte, ſplendorem à ſole: gratiam, pulchritudinem amores à venere, induſtriam à Mercurio; motus & varietates à luna.

[o] Ptolomæ. in procem. quadrip.

Terra naturaliter prædita qualitatibus, frigiditate ſcilicèt & ſiccitate, ad actionem & productionem ineptiſſimis, omnium tamen pulchra & fœcunda parens, ſatis ſe probat ſuperiorum corporum dotalibus arrhis ditatam, ſeminibus imprægnatam, in gemmis & metallis cœlum cœlo, in annuis fructibus, nouum mundum mundo parere. Habet tulippa figuram ſuam verſus cœlum, ad influxus auidè ſuſcipiendos hiantem: luſit in eius ordinata varietate natura, tamen ſtupens velut emortua contrahitur in tenebris, & illic omnes quibus fulgere poteſt miri colores, nigri ſunt, niſi viuida lux ſolis affulſerit. Aëris, aquæ, terræ partes ſi ſeparentur à ſuo toto, & à libero cœlorum influxu, corrumpuntur. Nequidem ſine præuia vniuerſali propoſitione concludit ſyllogiſmus; ſine præſupoſitis generalibus ſuos tractatus non aggreditur ſcientia; ita verum eſt ſingularia ſine ſuperiorum ſubſidiis non conſiſtere.

Hanc partium vniuerſi conſenſionem, collectam, & in minùs diffuſa materia magis ſenſibilem habemus in humano corpore; [p] in quo tres partes principes, iecur, cor, cerebrum, tum naturâ tum ſpiritu præpotentes, non ſeipſis tantùm gubernandis dant operam, ſed alios de ſe ſpiritus, tanquam iugi de fonte promunt:

[p] Fernelius phyſiol. lib. 4. c. 7.

Digitized by Google

& in omne corpus proprijs ductibus deriuant. His quicumque partibus ſingulis ingeniti ſunt ſpiritus, aluntur: his in vires functionesque ſuas concitati, conſtantem & perpetuam operum functionem edunt. Vnde intelligitur præter innatos ſpiritus qui ſtabiles, & in vnaquaque parte fixi ſunt, tres inſuper errantes & vagos influenteſque exiſtere: vnum naturalem è iecore, per venas in corporis extrema diffuſum: alterum vitalem, quem cor aſſiduè per arterias emittit: tertium animalem, qui in cerebri ventriculis genitus, hincque per neruos profectus, partes irrigat ſenſus motuſque compotes. Citra has vires influentium ſpirituum, nulla pars in nobis, aut calorem aut inſitum ſpiritum potis eſt retinere, ſed in breui omnia conciderent principiorum viribus & fauore deſtituta.

Ex his familiaribus naturæ primitiis, elicimus ſublimiores Theologicas concluſiones; videlicet ſi mundi partes infimæ, non ſtant nec agunt abſque ſuperiorum influxu benefico, ipſum quod vocamus vniuerſum, finitum tamen reſpectu materiæ, quantitatis, formarum, qualitatum, infinitè diſtans ab infinito, ſic indigum, mobile, fluxum, plus habens potentiæ quàm actus, ab actu primo, immobili, neceſſario vim quâ ſtet & agat mutuatur. Non conſiſtit numerus ſi tollatur vnitas eius principium, productio, medium, finis, non erunt ſine puncto partes quantæ, ſine partibus compoſita. Quis motus non innititur & dirigitur immobili? & quis contemplatus rerum diuerſitatem, ordinem, principiorum concinentes contrarietates, negabit hæc à ſuprema ſapientia, limites, modum, legem exiſtendi & agendi recepiſſe: vniuerſum origine ſua nihilum, & in id vnde ductum eſt, ſponte ſua decidens, ſuſtineri, foueri, in eſſe & actione ſeruari ab ente primo? Deus eſt infinitus & immenſus, rebus omnibus intimè præſens; quomodo vacabit ab actione primus actus: à ſui diffuſione, prima bonitas: à conſeruatione rerum, cùm ſit idea paternæ dilectionis & prouidentiæ? Exponet ne quæ amando creauit, & quæ ad ſuam ſimilitudinem creata, non poteſt non amare? nihil enim odit eorum quæ fecit.

Oportuit, vt diximus, [q] rebus creatis ineſſe vim agendi, quæ poteſtatem ſui productricem, quantùm licet referat; ſed inſuper neceſſarium eſt ipſis agentibus adeſſe vim aliam ſuperiorem tutelarem, & conceſſæ poteſtatis, contra defectus eſſentiales, contra caſus externos vindicem. Deus abſolutam eſſentiam ſuam, & ab ea cæteras pendere, paucis exprimit Moyſi dicens, [r] Ego ſum qui ſum, nam ſine Deo nihil eſt, inquit D. Bernardus, [s] tam nihil eſſe ſine ipſo, quàm nec ipſe ſine ſe poteſt; ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt, ac per hoc quodammodo ſolus eſt ipſe, qui ſuum ipſius eſt, & omnium eſſe. Abſit igitur vt operis diuini cenſor impius, dicas melius fuiſſe res cre-

[q] Supra l. 5.

[r] Exod. 4:

[s] Lib. 5. de conſiderat. cap. 6.

Digitized by Google

creari præditas viribus, quæ ſufficerent ad exiſtentiam ſuam & finis conſequtionem, non egentes illo ſemper mendicato Dei concurſu. Nam omnia Deus propter ſe operatus eſt, ſcilicèt ad bonitatis, ad amoris, ad gloriæ ſuæ manifeſtationem. Itaque ſicut nihil poteſt eſſe extra ſuam immenſitatem, ſic extra ſuam potentiam, vt in rebus corpories nihil eſt extra cœli ambitum & influxum, vt nihil eſt in luce ſolis, quod ipſo non illuſtretur; nihil in igne quod ipſo non caleat; nihil erit in immenſa Dei exiſtentia quod ipſa fouente & ſuſtinente non exiſtat; nihil in eius infinita potentia, quod eius intima vi non agat: ſi naturalia neceſſariò patiuntur à ſuperioribus agentibus, licet virtutis finitæ, quantò magis ab infinita, cauſarum cauſa. Catenæ pendentis omnes annuli ſuſtinentur à primo, quo deficiente concidunt, licèt ſequentes non immediatè, ſed vicario tantùm nexu contingat; Deus autem propter infinitatem, & immenſitatem à nullo diſtans, nulli pro ratione ordinis à ſe conſtituti, non ſe communicat. Infinitæ & inexhauſtæ bonitatis proprium eſt ſemper diffundi: amoris æterni, his omnibus quæ fiunt in tempore, ſemper adeſſe; Pater meus vſque modo operatur, & ego operor, inquit Chriſtus [t]: vt enim æternitas omnem temporis fluxum; ſic æternus amor omnem à ſe fluentem exiſtentiam; præſens fouet. [t] Ioan. 5. 17.

Ambit terrenus princeps, nihil præter authoritatem ſuam, legibus & magiſtratibus explicatam in ditione ſua fieri; omnibus vult intereſſe & coagere, ſi non immediatè ſeipſo, cùm id non patiatur natura, ſaltem per delegatos; publicis actibus vult nomen ſuum inſcribi, & vultum nummis vſualibus vt, inquit Caſſiodorus, [u] videatur omnes per commercium paſcere, ſicut pro his non ceſſat perenni cura vigilare; vt in cæteris, ſic hac in re potiſſimum æmulatur dotes diuinas, ſcilicèt eſſe, poſſe, agere vbique, inſtar numinis opus ſuum replere, & ſanè miniſtris nullum eſſet ius in populum, nulla iuſtitiæ vis contra publicè ſæuientem iniquitatem, ſi non eos regia firmaret authoritas. Hinc patet magis pertinere ad gloriam Dei, ſi agentibus naturalibus vt ſemper adeſt, ita ſemper coagat, quàm ſi non videret aut non curaret quæ ab ipſis fiunt, obliuioſus, deſes, velut ſi ex cooperatione labor, ex labore viribus reſolutis fatigatio contingeret otio reparanda. Sanè ſi rebus corporeis ineſſet ratio, melius ſibi iudicarent, habere Deum ſibi cooperantem, eoque ſi non perfecta beatitudine, ſaltem hac honoraria tutela frui, quàm ſi ſuis penitùs potentijs relinquerentur. Agens natura, agentis intra ſe Dei ſpeculum eſt, vt vultus mentis: ideò non eſſet agens, niſi agentem intra ſe Deum exprimeret. Quid in his plus immoramur; repugnat eſſe multitudinem ſine vnitate, actum ſecundum ſine

[u] Lib. 7. variar. epiſt. 32.

Digitized by Google

actu primo, finitum immenſo non contineri; limitatam potentiam ab infinita non pendere: repugnat fluxa ſine ſolido, vana & quæ nullum habent ius ad exiſtentiam, ſtare ſine eo qui verè eſt.

Homines ad perfectionem & ad Deum ſine Deo non veniunt.

§. 4.

SI rerum corporearum, vt creator & primum principium, ita moderator eſt Deus, illiſque vt exiſtant & agant præſtat immediato ſuo concurſu: tale beneficium multò magis largitur intellectuali naturæ, digniori, ſibi proximiori, & ad excipiendos ſupramundanos influxus natæ. Ita D. Dionyſius [x] in hoc potiſſimum dicit conſiſtere cœleſtem hierarchiam, vt Deo cooperetur, diuinamque in ſe demonſtret operationem quoad poteſt eluceſcentem: Angelos refert nunquam fatiſcentis amoris contentione ſemper ad anteriora extendi, primordiales illuſtrationes ſuſcipere, & ad eas componi. Sic Eccleſiaſticæ hierarchiæ [o] finem eſſe dicit, ſimplicis perfectionis eius, qui ſummè ſimplex eſt diuinam participationem: vt Pontifices illuſtrati illuſtrent, conſecrati conſecrent, luciformes ac deifici, perfecti ac perfectores euadant.

[x] De cœleſti hierarchia. cap. 3.

[y] Idem de Eccleſ. hierar. cap. 1.

Eadem ferè fuit Platonis [p] & aliorum Philoſophorum ſententia, mentes humanas ad heroïca non conſurgere, niſi diuino fuerint afflatæ ſpiritu; ad id nihil conferre præter purificationem, puris autem radium & calorem diuinum ſuperuenire, vt ſpeculo à ſordibus expurgato ſolis ſplendor. Bonus vir ſine Deo nemo eſt, inquit Seneca, [q] nec poteſt aliquis ſupra fortunam, niſi ab illo adiutus exſurgere, ille dat conſilia magnifica & erecta. In vnoquoque virorum bonorum, quis Deus incertum eſt, habitat Deus. Ecce verbum incarnatum, lux æterna, lucet in tenebris, & vim ſuam occultam, mentes ad diuina prouocantem & ſubleuantem agnoſcunt adhuc ſedentes in vmbra mortis, & idololatriæ nocte detenti: imperfectus tamen hic erat ſenſus, cùm philoſophi ſicut Athenienſes litarent ignoto Deo [r], ſimiles cæcis, quibus cùm non ſint oculi ad videndum ſolem in tota lucis ſuæ maieſtate, ortum tamen conijciunt calore ſuo recreati, & inſolito licèt confuſo ſplendore, lucidis ſpiritibus per organi vitiati reliquias affulgente. Agnoſcunt [s] mentibus humanis eſſe diſperſa diuina ſemina, quæ ſi bonus cultor excipit, ſimiles origini prodeunt: ſi malus, enecat: & purgamenta pro

[z] In phædone.

[q] Epiſt. 41.

[r] Act. 17. 23.

[s] Idem epiſt. 73.

ra pro frugibus colligit. Agnoſcunt in ſe naturæ legem cordibus inſcriptam, impreſſaſque diuinitùs ideas, quibus mentes fiunt veri, rectique conſciæ; ſed eas irritas eſſe cogebat fateri rationis & affectuum priuatim publiceque ſic exundans peruerſitas, vt eſſet argumentum peſſimi, turba; Bonum, inquit Tertulianus, [d] aut naſcitur, aut eruditur, aut cogitur, at tunc naſci non licebat, ita corrupta erant ſemina; non erudiri, ita deſerta erant ſtudia; non cogi, ita exarmata erant iura; vndique mala vincebant ſub religione quæ hæc docebat, ſub tyrannide quæ his fulciebatur, inter populorum corruptos mores, falſi prauique publicos applauſus. Hinc communiter ſapientes conſebant ægram eſſe mentem humanam, quæ ſic à ratione ſibi naturali, à fælicitate tot votis expetita deficeret, luxatas illius ſpirituales potentias, non à ſe, non à cæteris rebus corporeis ad hæc ineptis, & ſibi multum inferioribus poſſe reſtitui, ſed à ſolo Deo.

[d] Lib. de pudicitia. c. 1.

Impleuit naturæ legem, hominumque vota Ieſus Chriſtus homo Deus, & vtriuſque naturæ particeps, reconciliator inter Deum & homines extitit; cumque diuinæ perſonæ dignitas ſuis actibus meritum infinitum conferret, nobis congeſſit infinitum ſufficientiſſimum theſaurum gratiarum, quibus quicumque voluerint vti, haberent efficax ſuæ libertatis, ſuæ reſtitutionis, ſuæ fœlicitatis pretium. [e] Chriſtus eſt via, veritas & vita; via quia per ipſum hominem, venitur ad ipſum Deum; veritas, quia ſic implentur iuſta deſideria; vita quæ liberat ab infirmitatibus & morte; & humanos actus non ſolum rectos, ſed etiam Deiformes efficit. [f] Quemadmodum inferiorum omnium abſoluta conſummatio eſt homo, ſic omnium hominum abſoluta conſummatio eſt Chriſtus; quòd ſi, vt dicunt Philoſophi, ab vno quod in vnoquoque genere eſt perfectiſſimum ad cæteros eiuſdem ordinis, quaſi à fonte omnis perfectio deriuatur; dubium nemini eſt, à Chriſto homine, in omnes homines totius bonitatis perfectionem deriuari: illi ſcilicèt vni datur ſpiritus non ad menſuram, vt de plenitudine eius omnes acciperemus, quæ prærogatiua ei vt homini Deo, legitimo priuilegio conuenit. Caput eſt hominum & Angelorum, cauſà vniuerſalis, vnde ſingulorum pendet ſpiritualis vita, profectus, fœlicitas. Sicut inquit D. Auguſtinus, [g] non eſt à carne, ſed ſupra carnem, quod carnem facit viuere: ſic non eſt ab homine quod hominem facit benè viuere, quocirca vt vita carnis anima eſt, ità beata vita hominis Deus eſt. [h] Si quæras auxilium intra te, aruit cor tuum, mortuumque vitam ſibi non reſtituet; ſi infra te, corpus quod corrumpitur aggrauat animam, ſi circa te, terrena habitatio deprimit ſenſum multa cogitantem, quære ergo ſupra te, quære à Deo, cuius ſi ſpiritus ſupra te fuerit,

[e] D. Auguſt. in Pſal. 35.

[f] Picus mirandul. in heptap. expoſ. 1. c. 7.

[g] Lib. 19. de ciuit. c. 25.

[h] D. Bernar. ſerm. 16. ſuper qui habitat.

Digitized by Google

vt olim ſuprà Gedeonem, [i] victor exiſtes de hoſtibus. [k] Hæc eſt diſciplina Chriſtiana, quòd nemo facit benè niſi gratiâ; quod facit homo malè, ipſius eſt hominis, quod facit benè de beneficio Dei facit; pondere ſuo labitur, improuidè ſe laqueis implicat, at aliena miſerantis manu ſoluitur, erigitur; [l] quando vult ægrotat ex intemperantia ſua, vt ſurgat illi neceſſaria eſt artificis medicina; ſibi ſufficit ad peccandum, vt iuſtificetur non ſibi ſufficit, niſi ab illo iuſtificetur qui ſolus eſt iuſtus, dicitur enim non volentis, nec currentis, ſed miſerantis eſt Dei, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam: legitur enim, [m] & miſericordia eius præueniet me, & [n] miſericordia eius ſubſequetur me, [o] nolentem præuenit vt velit, volentem ſubſequitur ne fruſtra velit, ſic ſcuto bonæ voluntatis ſuæ nos coronat. Sic homo dici debes opus Dei, non ſolùm quia homo es, ſed etiam quia iuſtus es: melius eſt enim te iuſtum eſſe, quàm hominem eſſe; nam ſi te hominem fecit Deus, & iuſtum tu te facis, melius aliquid facis, quàm fecit Deus.

Iudicum. 3

[k] D. Auguſt. lib. 1. contra Pelag. c. 20.

Id. in Pſal. 98.

[m] Pſal. 58.

[n] Pſal. 22.

[o] D. Auguſt. ſer. 15. de verb. Apoſt. c. 9.

[h] Noſtrum quidem eſt velle, ſed voluntas ipſa etiam mouetur vt ſurgat, & ſanatur vt valeat, & dilatatur vt capiat, & impletur vt habeat; nam ſi nos non vellemns, nec nos vtique acciperemus ea quæ dantur, nec ea haberemus. [q] Voluntatis arbitrium ideò non tollitur quia iuuatur, ſed ideo iuuatur, quia non tollitur, qui enim Deo dicit adiutor meus eſto, confitetur ſe velle implere quod iuſſit, ſed ab eo qui iuſſit, adiutorium petere vt poſſit, volens adijt, volens deprecatus eſt, nec petijſſet, niſi eſſet voluntas: non ego, inquit Apoſtolus, [r] ſed gratia Dei mecum; Non ego ſolus, qui ex me nihil ad ſupernaturalia poſſum, non ſola gratia quæ non ſupplet actus humanos, ſed ſimul & gratia & voluntas, ſic vt nihil abſque gratia poſſit voluntas. Vt per ſolem ipſum, oculus videt ſolem; vt heliotropia licèt inſitam habeant vim ſolarem, non tamen ad ſolem conuertuntur, niſi ſolis ipſius radijs excitata; inſita vis eſt magneti ad polum, ſed non niſi poli virtute tractus in ipſum conuertitur. Feciſti nos Domine ad te, inquit Auguſtinus, [s] & inquietum eſt cor noſtrum, donec perueniat ad te, ſed ſine te non perueniet, nam nulla res ſupra ſe attollitur, niſi à ſuperiori trahatur; quo enim pacto, aqua volaret in aerem, niſi calore ſolis eleuaretur.

[h] Lib. de bono viduit. c. 17.

[h] Id. ep. 89.

[r] 1. Corinth. 15.

[s] Lib. 1. confeſſ. c. 1.

Summum amabile non poteſt dignè niſi à ſeipſo amari, amatur autem quodammodo à ſeipſo, cùm amatur vi gratiæ ab ipſo procedentis; abſoluit opus ſuum, bonique circulum claudit, gratia ſua mentes noſtras, præueniente, adiuuante, perficiente, tandem cooperationes noſtras quas animauit coronante. Primitiæ Deo dicabantur, inquit Philo, fiebatque iuge ſacrificium, matutinum &

[t] Lib. quis ſit rerum diuinarũ hæres.

veſpertinum, eo quòd prima ſtirpium, animantium, ſcientiarum, virtutum ſemina, ſunt quædam inuiſibilis naturæ opera, & vt initia ſic fines ad Deum pertinent; ſtirpis principium ſemen eſt, finis verò fructus, vtrumque opus naturæ, non agriculturæ; verſamur in ſpatio medio inter principium & finem velut aliquid agentes, cùm tamen ex Apoſtolo, [n] neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus. Ideo dicitur in mundi creatione, in principio fecit Deus, & rurſum, perfecit Deus cœlum & terram. Ad ſimilitudinem Dei factus eſt homo ſecundùm vitæ æternæ dignitatem, quam gratiæ diuinæ beneficio conſequi poterat, & ne id naturæ humanæ conditioni debitum crederetur, creatus eſt extra paradiſum terreſtrem, & inde in hortum Edem tranſlatus. [n] 1. Corint. 3.

Sed, inquiunt, cur Deus qui creatis omnibus indidit potentias internas & externas ad conſecutionem ſui finis, non ſimiliter dedit homini vim naturalem qua poſſet beatitudinem ſuam conſequi. Iam probatum eſt naturalia non agere ſine concurſu Dei immediato, hunc pariter naturalibus hominis actionibus neceſſarium nemo dubitat, at cùm ipſe debeat eleuari ad beatitudinem ſupernaturalem, etiam ad id auxilium illi ſupernaturale neceſſarium eſt, ſcilicèt Chriſti gratia, qua poſſit benè & ad gloriæ meritum operari. Id autem illi non contigit ſine multiplici ſuâ vtilitate, nam, inquit D. Auguſticus, [o] videns quòd omnia habet à Dei miſericordia, non de meritis ſuis, non ſuperbit, non ſuperbiendo non extollitur, ſe non extollendo non cadit; non cadendo ſtat; ſtando inhæret, inhærendo manet, manendo perficitur, & lætatur in domino Deo ſuo. Numquid ſtrictum, ſecurius, etiam ſplendidum magis fit imperium ſi Princeps miniſtris ſuis authoritatem precariò tantum concedat, quàm ſi abſolutam in poſterum independentem, quæ temporum lapſu originis ſuæ immemor velut præſcriptione tuta contumax poſſet fieri. Semper pendet radius à ſuo ſole etiam dum inferiora contingit, riuus latè diffuſus à ſuo fonte vt ſit perennis; Aulicus à ſuo Principe, cuius affectum, continuis promereri conatur officiis. Ita Dauid [p] dies noctesque ſacrificium laudis exhibentes Deo, dicit, ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri. O ſacra dependentia quâ fit amoris diuini perpetua quædam circulatio, dum accipiens in Deum tam miſericorditer largientem totus intendit, vires omnes ſuas acceptas refert, ſpe gaudens, charitate ferueus, transfunditur, & viciſſim Deus fidelem conceſſi talenti diſpenſationem, gratitudinem, dilectionem ampliori gratiarum effuſione compenſat. [o] In Pſal. 84 [p] Pſal. 122.

Digitized by Google

Quod neceſſarium eſt, etiam commune & expoſitum eſt.

§. 3.

MAximum ſapientiæ & bonitatis diuinæ mundo præſidentis argumentum eſt, quòd paſſiuis actiua proportione reſpondeant & quòd vnius neceſſitas exigit, id alterius præſens copia facilè largiatur: ita fit vt à potentiis, ſicut à loco & quantitate excludatur vacuum vt nihil otio vel pauperie langueſcat, naturæque deſideria non ad ſupplicium, ſed ad fruitionem indita ſint. Cœlum quia terræ maſculus eſt vnde neceſſario pendet omnis eius fœcunditas, æterno iungitur illi fœdere; immotam licèt, æmulo cingit ambitu; complectitur vi ſimul & amore, nullum locum diuortio relinquens. Lumen, colorum, figurarum, pulchritudinis anima è cœlo vſque ad terram & quaqua verſus per ſpatium ampliſſimum diffunditur, totum implet, totum illuminat, vltra diaphani terminos protenditur, per anguſtum foramen tranſiens ſubitò dilatatur, ne rebus vel minimis gratiam ſuam expectantibus deſit; Planetæ duplex hemiſphærium, omneſque terræ plagas luſtrant ſucceſſiuâ præſentiâ & ſuis implent viribus; at dum eos diſcedere cogit motus neceſſitas, fœlices ſuos aſpectus, fixaſque ſuæ virtutis ſuæ vicarias ſibi ſubſtituunt, ſic influxu nouo prius redeunte, quàm impreſſus exciderit, & illum etiam per delegatos explicantes nunquam abeſſe dicendi ſunt.

Elementa ex quibus vt conſtamus ſic viuimus, aër, aqua, terra, mare, maris littora omnibus iure naturæ communia ſunt:[q] aër nexus vniuerſi ne vacuum patiatur, cœlorum viribus, figurarum, colorum, ſonorum ſpeciebus diſtribuendis, ſed potiſſimum temperando cordis calori neceſſarius, vbique rebus ſingulis benignè præſens eſt, nec vlli, niſi vis inferatur, ſe negat. Aqua omnibus nutrimento eſt, etiam ſiccis ſibi hoſtibus; terræ ſuperficiem per fontes & fluuios, intima per occultos meatus fœcundat, ne verò hæc quæ relinquuntur edendis fructibus, & animantium habitationi ſpatia, beneficio ſuo vacua ſint, è mari ſublimati vapores reſoluuntur in pluuias quibus omnes plantæ, etiam quas negligimus & calcamus irrigationis æqua largitione recreantur. Cùm has habeat communicatiuas qualitates, cùm ſit humida, generatiua, abundans vbique & ſine pretio, inſtituta fuit materia baptiſmi qui eſt ianua omnium ſacramenturom, & qui ab omnibus cùm vrget neceſſitas ſine dilatione poteſt exhiberi.

[q] Inſtit. de rer. diuiſ. §. 1.

Terra mater plantis, anibns, feris, olim Apoſtolis & Anachoritis, ab orbe condito barbaris, ſine cultu præbuit alimentum, & nunc

Digitized by Google

etiam ſufficeret, ſi ad rationem non ad opinionem viueretur. Vt enim famem ſitimque expellas, ait Seneca, [r] non eſt neceſſe ſuperbis aſſidere liminibus, contumelioſam humanitatem pati, maria tentare, ſequi caſtra: parabile eſt qnod natura deſiderat & expoſitum, ad ſuperuarua ſudacur, ad manum eſt, quod ſat eſt. Habet vnaquæque regio ſuis incolis congrua, tum alimenta, tum remedia, & ſi ſimplicium herbarum ſub pedibus noſtris vltrò naſcentium vis, in praxim reciperetur, medicina paruò conſtaret, ſecuriorque ſub natiuis remedijs eſſet ſanitas, quàm ſi credatur exteris, malè fidis & cum temperamento noſtro pugnantibus. [r] Terra ſumma ſui patre tribuit, vt minimè parca, faciliſque in omnibus quæ proſunt; illa nos premunt, illa ad nos ad inferos agunt quæ occultauit atque demerſit, & quæ non naſcuntur. Sic ambit natura, quod neceſſarium eſt efficere commune, vt vim hac in re ſibi factum, prodigijs vindicaſſe, referat Athenæus. [ſ] Cùm, inquit, faba Ægyptiaca plurimum profetiſſet plantata in palude quadem Epyri, Alexander illic cuſtodiam ſtatuit, ne plantam hanc carpere, aut ad locum accedere liceret, ab hoc tempore fructum hunc locus non tulit. Res huic ſimillima accidit in Edepſo, ibi enim differens ab alijs aquis, aqua quædam frigida ex fonticulo ſcatens apparuit, quam ægri bibentes plurimum iuuabantur, cùm verò duces Antigoni tributariam efficere voluiſſent, ſtatim fonticulus exaruit. In Troade etiam licebat volentibus Tragaſeum ſalemante id tempus capere, cui cùm Lyſimachus tributum impoſuiſſet, continuò euanuit, cùm poſteà locum immunem reliquiſſet, ſal iterum creuit. Sic terra maluit fieri ſterilis, quàm non communis parens.

[r] Epiſt. 4.
[r] Plin. lib. 33. in proœmio.
[ſ] Lib. 3. cap. 1.

Facta iure ciuili diuiſione dominij quod natura commune conceſſerat, ipſi beneficæ non in totum obſtitit inuidia; ſupereſt enim in pluribus locis ius venationis, pratorum, ſyluarum, occupandi & ſuum faciendi quod inuentum fuerit, ſi pro derelicto habeatur; [t] in extrema neceſſitate ius vtendi rebus alienis, quæ tunc communes fiunt. Reſtat liber tranſitus per terras, vnde meritò filij Iſraël pugnauerunt contra Amorræos qui negabant illis innoxium tranſitum iure naturæ debitum. [v] Quilibet de populo actionem habet & ius impediendi ne viæ ad tranſitum, fluuij ad nauigationem deteriores fiant [x], & ſi via publica terræmotu vel inundatione interrupta fuerit, vicinus tenetur per terram ſuam iter publicum pati [y]; vnde cenſura ſua clari extitere Iulius Cæſar, Æmilius Conſul, Trajanus & alij qui vias publicas ſtrauere, & ab impedimentis liberas effecerunt. [z] Cùm in totum à naturali lege recedi non poſſit, communis olim dominij iacturam lex ciuilis compenſat hac viarum libertate & ſolatur populos, vt olim ſeruos quotannis in ſaturnalibus conceſſa per

[t] D Th. 22. q. 31. a 3. ad 3.
[v] Can. notandum. 23. q. 2.
[x] L. 1. & 2. ff. de locis & itinerib. l 1. ff. de his qui effuder.
[y] [illegible] 10. ff. de aqua & aq. plu. l. 14. ff. quemad. ſeruit. amit.
[z] l 6. ff de Iuſt. & iure.

Digitized by Google

diem vnum aut alterum libertatis imagine. Sed quantumuis naturæ fortuna detraxerit, ruſtici cum principibus, commune ſemper habent, quòd ſint homines; communes habent ſenſus ad indiuidui & ſpeciei conſeruationem neceſſarios, & licèt ad oculum minus ſplendidà, verè tamen puriori, ſolidiori fruuntur voluptate, cui gratiam confert ipſa neceſſitas.

Quòd ſi de corpore tranſeas ad ea quæ reſpiciunt hominem vt rationalis eſt, & ſi ad eius vitam rectiùs inſtituendam ſcientia ſit illi neceſſaria: ecce natura dedit omnibus veri rectique communes ideas; dedit mentem rerum cauſas curioſè ſcrutantem, oculos verſatiles, vt illas legant in aperto ſemper cœli & creaturarum libro; manus ingenioſas ad quiduis operandum inſtrumenta, & inſtrumentorum opifices, vt verum experimentis comprobent. Si diſciplina ſit adijcienda naturæ, [a] ſapientia clamitat in plateis & medijs ſemitis ſtans, ſi quis ſitit veniat ad me. [b] In Ægypto expoſitæ erant in publicum columnæ mercurij, in quibus artium & ſcientiarum præcepta deſcripta erant, vnde Pythagoras & Plato philoſophiam didicerunt. Nunc omnes diſciplinæ communiores efficiuntur, magiſtris ad eas exponendas ſtipendio publico conductis. Si iuſtitia legis & innocentiæ vindex eſſe debeat, definitur communis virtus ad alterum, [c] ius ſuum vnicuique reddens; ſuos habet magiſtratus, ad quos vt ad aras commme refugium eſt; [d] habet ſuas menſuras, ſuaque pondera, quibus omnes vtuntur ad æquam rerum æſtimationem in commercijs. Denique ſi ad beatudinem neceſſaria nobis eſt pietas, ecce patent omnibus templa votis Deo reddendis, concionatorum vox cœleſtes veritates omnium auribus æqualiter inſtillat; communia ſunt omnibus ſacramenta, in pauperes vt in diuites, communem Chriſti gratiam effundentia.

[a] Prouerb. 8.
[b] Iamblicus de myſterijs.
[c] L. 1. & 2. ff. de legib. Ariſt. 3. Rhetor. 2.
[d] Tot. tit. ff. ſi menſor falſ. mod. dix.

Gratia Chriſti omnibus ad ſalutem neceſſaria, etiam omnibus communis eſt.

§. 4.

GRatiam Chriſti omnibus ad ſalutem neceſſariam eſſe, ſupra probatum eſt [e], vnde ſequitur etiam eſſe communem, quia Deus non dèeſt in neceſſarijs; & ſi natura, vt mox demonſtrauimus, quod optimum & neceſſarium eſt, etiam effecit commune: ſi corpori ſic à Deo prouiſum eſt, multo magis animabus ad imaginem ſuam creatis prouidet: quid vltra debui facere vineæ meæ & non feci, inquit

[e] Hac. l. §. 2.

per Prophetam [f], vult enim omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. [g] Ab æterno præuiſum eſt Adæ peccatum, ſed & huic malo ſimul paratum eſt tam efficax antidotum, vt meritò cantet Eccleſia, fælix culpa, quæ talem meruit habere redemptorem. Non enim, inquit Apoſtolus, [h] ſicut delictum ita & donum, ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit, & vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia. Idem ad Corinthios [i], ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur; pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant. [l] Lux eſt illuminans omnem hominem venientem in mundum: ſol eſt, inquit. D. Dionyſius, [m] qui omnia quæ illuminari poſſunt, illuminat; vitam dat & perficit, & ſi quid eum non participat, non eſt in cauſa imbecillitas aut tenuitas facultatis illuminandi, ſed quia res non eſt idonea ad admittendum lumen. Chriſtus ſummus ſacerdos, mediator Dei & hominum, mundum mente gerens, vt ſummus Pontifex veſte, [n] pro toto mundo Deum placauit.

[f] Iſai. 5.
[g] 1. Timoth. 2.
[h] Rom. 5. 17.
[i] 1. Corinth. 15. 2. Corin. 5.
[l] Ioan. 1.
[m] De nominib. diuin. cap. 4.
[n] philo Iudæ. lib. 2. de monarch.

Totius mortalis vitæ ſuæ ſeries, probat communem ad omnes homines ſaluandos charitatem, vt communem induit naturam. Natus iacet in præſepio inter bouem & aſinum, mundum & immundum animal [o], vt ſignificaret ſe veniſſe ad ſalutem Iudæorum & Gentilium, omnium denique: adoratur à Regibus & paſtoribus, eorumque recipit oblationes, omnibus humanæ vitæ conditionibus, duabus illis extremis ſuprema & infima comprehenſis, ſanctificationem daturus. De ſe loquens dicit, [p] ego ſum via, veritas, & vita; via, vt mox diximus, communis eſt; communis eſt veritas, idea ſcilicet, lex, menſura, iuſtitia; communis omnibus hominibus vita, & communis illis à Chriſto capite diffuſa gratia. Legati à principibus miſſi dedignantur pauperes, & ſtatim ad Principem ad quem miſſi ſunt accedunt, inquit D. Chriſoſtomus, [q] at Chriſtus à patre ad homines miſſus legatus, ſtatim cum meretrice, latrone, telonario, loquutus eſt magna benignitate, non enim ad vnum aut alterum venit, ſed ad communem naturam. Redemit mundum per crucem, quæ reſpicit quatuor mundi partes [r], quia hoc competebat vniuerſali ſaluationi totius mundi, propter virtutem paſſionis vbique diffuſam, vt ſic intelligeremus cum Apoſtolo [s], quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum ſuperminentis charitatis Chriſti; ne putaretur pro vna tantum gente hanc hoſtiam offerri, [t] extra ciuitatem, extra muros, extra portam paſſus eſt, vt intelligas quoniam communis eſt hoſtia pro humano genere oblata: poſt reſurrectionem mittit Apoſtolos Euangelium prædicare, baptiſmum & ſalutem conferre omni

[o] Pho. biblioth. cap. 23.
[p] Ioan. 14.
[q] Photius biblioth. cap. 277.
[r] D. Thom. 3. q. 46. a 4.
[s] Epheſ. 3.
[t] D. Auguſt. ſerm. 110. de diuerſ.

Digitized by Google

creaturæ quæ ſub cælo eſt; cœlis ipſimet comparandi, dum Dei gloriam enarrant, cunctos ſuæ charitatis ambitu complectuntur, ad diuina, vitæ ſanctitate; veritatis luce promouent.

Cum gratia Chriſti ſit principium omnis actus meritorij, eam qui non haberet, fieret impotens ad fidem, ſpem, charitatem & ad implenda quælibet diuinæ legis præcepta; quis autem exiſtimet Deum qui omnia propter ſe operatus eſt, in hoc gloriæ ſuæ contrarium eſſe, negare media neceſſaria, quibus poteſt cognoſci, amari, adorari. Impium eſt dicere quod æternus ſuus amor produxerit hominem, & productum malis temporalibus & æternis ex defectu gratiæ procedentibus volens expoſuerit; eum impoſſibilia præcipere, quod abſurdiſſimum eſt, & propter impoſſibile reos habere, & æternis addiſcere ſuppliciis, quod iniquiſſimum foret, & ſupra ſæuientem tyrannorum omnium crudelitatem; alieniſſimum à Deo qui charitas eſt, & paternæ dilectionis idea. Si punit hominem quem liberè reprobauit, & gratia ſua ſpoliauit, punit ſuæ largitionis defectum, non hominis noxam, qui tali deſtitutus auxilio, aliter nec velle, nec operari poterat: quis enim peccat in eo quod nullo modo cauere poteſt, inquit D. Auguſtinus:[v] quis eum puniat in eo quòd non videt, poſtquam ei oculos auulſit; aut eo quòd non currat, cùm ei priùs poplites abſciderit. Immanitas inaudita inflictas iniquè priores pœnas, adſcribere crimini, & iam non ſua culpa miſeros congeſtis torquere ſuppliciis. Melius fuiſſet non creare, quàm ex deſtinato creare ad æternam pœnam; creauit autem Deus ad pœnam ſi reprobauit, & reprobatum eſſe voluit ſine gratia; [x] nam necare videtur, non tantum is qui partum præfocat, ſed is qui abiicit, & qui alimoniam denegat; [y] lege Aquilia tenetur de pecoribus interfectis, qui incluſit ne paſcantur; [z] Dominus amittit ius in ſeruum, quem ægrum domo ejecit, nulli curâ eius demandatâ, & ſimilia multa in iure probant, ducem exercitus ſui, nauclerum ſuæ nauis, medicum ægri ſui, arbitrum & procuratorem ſuſceptæ cauſæ deſertorem, mali inde prouenientis cauſam cenſeri. At duplex eſt impietas dicere Deum authorem mali quod ſufficienter non impedit, & malum hoc cuius ſolus eſt author in homine, iam miſero quòd donis ſuis ſpoliatus, vindicare. Quòd ſi non punit, cur inquit Tertulianus, [a] præcepta conſtituit non executurus, delicta prohibuit non vidicaturus; damnat prohibendo, dimittit non vindicando, & abſoluit non puniendo. O Deum veritatis præuaricatorem, ſententiæ ſuæ circumſcriptorem, timet damnare quod damnat, vix amandus qui non timendus, nec ſatis boni author qui non exactor.

[v] lib. 3. de libero arbitrio cap. 15.

[x] l. 4. ff. de alend. & agnoſ. liber.

[y] l. 5. C. de l. aquil.

[z] l. vnic. §. ſed ſeruus C. de lat. lib. toll.

[a] lib. 1. aduerſus Marcion.

Nullam gratiam admittunt Notatores præter efficacem, quam qui habet, vt inquiunt, non poteſt niſi benè operari, qui non habet, non

non niſi malè. Igitur ex peccato conijciet defectum gratiæ, ideſt defectum bonitatis diuinæ, ſic in Deum auxilia non dantem tota culpa refundetur, legis autem diuinæ temerator, ſua ad aliter operandum impotentia ſecurus, ſuis omnibus impunè cupiditatibus indulgebit. Ita tollitur peccatum actuale, cui tamen ſoli Chriſtus in Euangelio æternas minatur pœnas; eſuriui & non dediſtis mihi manducare, hoſpes eram, & non recepiſtis me. Si nulla data eſt gratia nulla erga Deum ingratitudo; ob quam tamen apud Prophetam [b] conqueritur, cognouit bos præſepe domini ſui, populus autem meus me non cognouit [c] dereliquerunt me fontem viuum, & foderunt ſibi ciſternas quæ continere non poſſunt aquam. [d] Flet Chriſtus ſuper Ieruſalem quæ non cognouit tempus viſitationis ſuæ; Iudæos increpat quod non fuerint conuerſi viſis miraculis, ad quorum conſpectum Tyrij & Sidonij pœnitentiam egiſſent.

[b] Iſay. 1.
[c] Ierem. 2.
[d] Luc. 19.

Reatum omnem refundere in peccatum originale, abſurdiſſimum eſt, cum hic reatus in Chriſtianis per baptiſmum deletus ſit. Heu quanta doctrinæ peruerſitas quæ peccantes, proprijs & quotidianis actibus, reos non conſtituit, niſi ex antiquo primi hominis peccato, de quo vix vllus cogitat & dolet, vix quemquam pœnitet. Timendum ne omnem Chriſtianam fidem reducentes ad hunc primum articulum, qui non clarè conſtat ex antiquo teſtamento, totam poſtmodum ex mentibus excutere conentur, & hominem ſic inſtituere, vt ſinelege, ſine numine, ſine ſequentis vitæ ſpe, metuque, more brutorum vitam agat.

Cauſæ ſuperioris æqualis eſt in inferiores influxus.

§. 5.

Cvm diximus cauſarum vniuerſalium influxus communes eſſe, etiam intelligendi ſunt in ſubiectam materiam æqualiter diffuſi, ſi non ex eius parte aliquid obſtet. Cœlum ſphæricæ figuræ, terram ſimiliter rotundam ambit æquali circumferentia, & ſi ſingulis ſuis partibus eadem vis ineſſet, eam pari benificentia ſubiectis largiretur. [e] Sol & luna in quacumque parte fuerint cœli, æquè illuminant omnia, & ſpectantur à cunctis, vt ea tanquam ſuis tantùm regionibus lucere ſinguli populi credant, cùm ſimiliter luceant vniuerſis. Aër implet æquabiliter locum omnem, niſi corporum occurſus cogat ad condenſationem, aut calor ad rarefactionem. Aquæ ſimiliter & fuſa metalla conceſſum ſibi locum occupant ad lineam rectam, nec niſi

[e] D. Ambroſ. examer. lib. 4. c. 6.

Digitized by Google

vim patiantur, rugas tumoreſque indignata ſuperficies oſtendit. Diuinæ bonitatis primum, & æquale donum eſt creatis omnibus collectum, quod ſint in exiſtentia extra priuationem & cauſas ſuas.

Ex hac naturali lege communicabilia partibus æquis diſtribuente, ducta eſt lex ciuilis, qua [f] in legato pluribus relicto, vel in pluribus hæredibus inſtitutis, ſi partes adiectæ non ſint, æquæ ſeruantur. [g] Solutio nummorum quæ fieri debet ad certa tempora, intelligitur æquis portionibus, [h] denique partis appellatione dimidium continetur. Feris ineſt is iuſtitiæ ſenſus, fœtus enim ſuos non diſtingunt,& ſe in alimentum pariter omnium ſternunt, aues pullis ſuis ex æquo partiuntur cibos, & alternant ſumma æqualitate; hinc [i] D. Ambroſius monet parentes æquali gratia complecti filios, quos æqualis iunxit natura, eadem menſura foueat prolem pietas, par circa omnes ſit forma iuſtitiæ, nec diſcernant patrimonio quos titulo germanitatis æquarunt. [l] Sic lex diuina prohibet patri tollere ius primogenituræ à filio odioſæ mulieris, vt det filio dilectæ. Iure ciuili [m] ſi Pater teſtator hæreditatem ſuam in alienos tranſfuderit, filijs ſuis & legitimis hæredibus immeritò præteritis aut exhæredatis, competit illis querela inofficioſi teſtamenti, illiſque lex falcidia tribuit quartam partem bonorum inter illos æqualiter diuidendam. [n] Principes qui patres patriæ dici volebant, vt communem in omnes teſtarentnr affectum, in ingreſſu Imperij miſſilia in plebem iactabant, & hic eſt caſus ſpecialis in iure quo in incertam perſonam voluntas domini tranſfert dominium. Quidam debitores omnes ære publio vel alienco liberabant, captiuis indifferenter libertatem, reis abolitionem concedebant.

[f] L.19. in f. ff. de leg. 1. & §.6 inſt. de hæred. inſtit.
[g] l 11. ff. de hæredib. inſtit. l. 3. ff. de ann. legat.
[h] l. 43. ff. de vſufr.
[i] Examinet. lib.5. c.18. lib.1. de Iacob. c 2. lib. de Ioſeph. c. 2.
[l] Deuter. 21.
[m] Inſt. de inofic. teſt. §.3. & de l. falcidia. §. vlt.
[n] l. 9 §.7. ff. de acquir. rer domi.

Deus hanc æqualis diſtributionis legem, naturæ, animantibus, hominibus impreſit, vt eandem in ipſo bonitatem, iuſtitiamque circa nos pro ſalutis æternæ conſecutione credamus & veneremur; vt enim æqualis eſt omnium creator & Pater, ſic æqualiter dat omnibus gratias ſufficientes, quibus quilibet adiutus poteſt bene operari, gloriamque promereri. Vult enim omnes ſaluos fieri. Vnde illi gratia priuantur, inquit D. Thomas, [o] qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant, ſicut ſole mundum illuminante, in culpam imputatur eius qui oculos claudit. Dicitur hæc gratia ſufficiens, ratione Dei communi beneficio, etiam naturæ noſtræ defectibus commenſurato nos iuuantis in ſpiritualibus; hæc eadem gratia dicitur efficax, cum eius auxilio ſublenata voluntas ei cooperatur.

[o] 1. 2. q 106. a 1. ad 3.

Multis tolerabilior videtur hæreſis Pelagiana, hominem viribus naturæ poſſe ſaluari, quia naturæ vires ſemper Deo creatori & largitori imputantur, quàm nouatorum opinio aſſerens quoſdam homines, nec naturæ viribus, nec auxilijs gratiæ quibus carent ſalutem poſſe conſequi, ſed reprobatos neceſſario æternis addici ſupplicijs,

Digitized by Google

quis credet, quis colet Deum infanticidam, fœtus ſuos ad imaginem ſuam productos exponendo necantem, qui cum beatus ſit, & omnia propter ſe operatus, in imagine ſua ſibi contumeliam libera reprobatione, ceſſante omni motiuo inferat? Nulla fingi poteſt tam acerbæ damnationis ratio, nam vt in poſthumum non cadit iuſta cauſa exhæredationis; ſatis enim, inquit Iuſtinianus, [p] crudele nobis videtur, eum qui non ſentit ingratum exiſtimari, aut alieno parentis in inuicem odio prægrauari; ſic creandus & naſcendus homo qui nondum eſt, non habet ſpecialem cauſam cur communi Chriſti gratia ſpolietur, & ad vitia æternamque damnationem reprobatus deſtinetur. Id alieniſſimum eſſe a Dei miſericordia & ab Eccleſiæ matris pietate probat vſus, qui natos omnes ſtatim à natiuitate indifferenter admittit ad gratiam baptiſmi, quo reatus originalis peccati deletur & remittitur.

[p] L. 33. §. legis autem c. de inoff. teſtam. & l. 6. ff. eod.

Deus, inquiunt, non tenetur homini gratiam conferre, verum eſt non tenetur lege externa id illi imperante, ſed eſſentiæ ſuæ neceſſaria perfectio illi lex eſt, vt bonus & iuſtus non poſſet malum & iniquum agere. Ita dicit D. Thomas, [q] Deus benè diſpoſito neceſſariò dat gratiam, non neceſſitate coactionis, ſed immutabilis bonitatis: negare homini neceſſaria ad ſalutem ſubſidia non conuenit eſſentiali bonitati, à qua quæcumque procedunt bona ſunt, & nos vſque in delitias amanti: Nec id conuenit eſſentiali ſanctitati, malum culpæ quantum in ſe eſt expellenti, ſaluo primo de non cogenda noſtra voluntate decreto: filios exponendo necare non conuenit primæ paternitati, vnde omnis paternus affectus quo fœtus ſuos educant feræ, & filijs ſuis improbo labore patres & matres prouident; hominem gratia ſpoliare, abdicare, non conuenit Chriſto cuius gratia latius in hominum ſpiritualem vitam, quàm peccatum adæ in mortem diffunditur, cum pro omnibus mortuus ſit, & de plenitudine eius omnes accepimus. Singularis bonitatis eſt aliquibus prodeſſe, vniuerſalis verò, & infinitæ omnibus; deletum eſt, inquit Apoſtolus chirographum, quod contra nos erat, igitur ad omnes peruenit liberatio.

[q] 12. q. 112. a. 3.

Coloſſ. 2. 14.

Solem hunc omnibus beneficum, in ſua videamus imagine; vir bonus, ſibi, mundo, rebus cæteris, quæ fouent amorem proprium mortuus, viuit vita Dei, ſic omnes æquali dilectione complectitur, quia Deum vnicum obiectum ſuum, in omnibus videt, in omnes diuitem intelligit, illum itaque corde per charitatem dilatato, colit, ſequitur, amat in omnibus omnes amantem, & amoris ſui non ſatis intenſi defectum, hac ſaltem extenſione compenſat. Huius æqualis in omnes affectus originem exponit Apoſtolus dicens, charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctum qui datus eſt

Rom. 5. 5.

Digitized by Google

nobis; per ſpiritum Domini qui toti incubuit naſcenti mundo, qui replet orbem terrarum, qui corporis myſtici partibus omnibus, pro-vt expedit ſemper adeſt; Eius itaque exemplo docti, virtute roborati, dilatamini & vos, vt mundo, cœloque commenſuretur veſtra charitas.

Sol omnibus quidem lucet & influxum largitur, ſed non vbique producit aurum & adamantem; mobilis aër omnium adeſt reſpirationi, ſed non vbique ſpirat balſami, nardi, roſarum, ambari fragrantiam; fluunt potiſſimum è montibus fontes, ita teſtantur id quod eſt excelſius, eſſe debere magis beneficum, ſed non omnes ſunt ſalutiferi, non omnes paralyſim ſoluunt, iecur temperant, flaxida conſolidant, dura emolliunt. Ad hæc naturæ miracula confert plurimum vis cœleſtis, & locorum ad eam excipiendam apta diſpoſitio. Tenentur Patres filiis legitimam largiri; poſſunt tamen eos plus diligere, amplioribus etiam ex lege donis cumulare in quibus vident plus obſequij, plus virtutis in familiæ ſplendorem enaſcentis: Ita Deus [r] communis pater communes dat omnibus ſufficientes gratias, vt in baptiſmo qui in omnibus æqualem habet effectum originalis peccati culpam & pœnam remittendi; ſpeciales tamen gratias concedit quibuſdam, vel qui prioribus fideliter vſi ſint, iuxta illud, [s] quia in pauca fuiſti fidelis ſupra multa te conſtituam; vel qui debent eſſe vaſa electionis in alios effundenda, ita ſæpius in vno, multis prouidetur; vel eo quod ordinem in eccleſiaſtica, ſicut in cœleſti hierarchia conſtiſtituens, aliquos efficit primos, ſecundos, medios, infimos. Cur autem hunc effecerit primum, alium vltimum, non licet inquirere, ſed exclamandum eſt cum Apoſtolo, [t] ô altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius. Quæ dicuntur paſſim in ſcripturis & apud ſanctos patres de Reprobatione, ſunt intelligenda de negatione huius præpotentis, & inſtar priuilegij conceſſæ gratiæ, quæ non excludit ſufficientem omnibus datam, & expoſitam. Sic Deus dicit [v] dilexi Iacob, Eſau autem odio habui, & poſui montes eius in ſolitudinem, & hæreditatem eius in dracones deſerti. Contigit quidem illi terra fratris ſorte minus fertilis, non tamen in totum ſterilis, ſed alendis multis populis ſatis ferax. [x] Licet figulo ex eadem maſſa facere vas vnum in honorem, aliud in contumeliam, illud quidem vltimum vas eſt minus ſplendidum, ſed vſui non minus neceſſarium, propterea non confringendum. [y] Apoſtolus hac vtitur comparatione loquens de vocatione gentium, quarum vt Iudæorum Deus eſt, & quæ legem habentes ſcriptam in cordibus ſuis, ſi naturaliter faciant ea quæ legis ſunt, non excluduntur à Dei miſericordia. Licèt populis de fide plenius inſtructis dicere liceat; non fecît taliter omni nationi, [z] & iudicia ſua non manifeſtauit eis.

[r] D. Thom. 3. q. 67. a. 3. & 68. a. 2. 69. a. 8.

[s] Math. 25.

[t] Rom. 11.

[v] Malach. 1. 3.

[x] Rom. 9.

[y] Rom. 2.

Digitized by Google

Superiora ſemper adſunt inferioribus.

§. 6.

[a] QVo res entitati primæ, æternæ, neceſſariæ, immutabili ſunt proximiores, etiam eminent vt eſſentiæ dignitate, ſic operationis, & in inferiores diffuſæ bonitatis conſtantia: nunquam ceſſant Angeli [b] à diuinis illuſtrationibus excipiendis, vtque primariò & multipliciter Deum participant, ſic multis modis inferioribus arcanum Dei manifeſtant; Theophaniam diuinamque illuminationem, expiationem, perfectionem pro cuiuſque modo videntibus immittunt. [c] Actiones autem hierarchicæ ſemper erunt in Angelis, quia ſemper vnus alium illuminabit, purgabit, & perficiet. [d] Sic hominum cuſtodia Angelis commiſſa, cum ſit quædam executio diuinæ prouidentiæ quæ hominem nunquam ex toto derelinquit, etiam cuſtos Angelus, tutelæ ſuæ tradito, quidquid agat, quidquid peruerſè moliatur, ſemper adeſt ad meliora prouocans. At qui præſunt corporeis, cœlos mouent ordine non mutabili, motu circulari & æquabili; elementis ad ſua centra motum rectum, ſpeciebus proprios actus ſemper imprimunt. Sub his rectoribus cœli ſuos influxus aſſiduè mittunt in inferiora; aër reſpirationi ſemper præſens eſt; terra fructus & medicas fundit herbas, ſemperque homini parturit; metallorum & lapidum venas vtero fert, effoſſas iterum generat, [e] ideo poteſt eas vſusfructuarius inquirere, cenſentur enim eſſe in fructu, quia renaſcuntur: fontes & fluuij perenni curſu terræ ſuperficiem alluunt, ſuam noſtramque ſitim ſedant; ſupponuntur perpetui, [f] vnde ſi fons exaruerit, & poſtea renaſcatur, ſeruitus hauriendi quæ caſu videbatur extincta, ex iure dantis & accipientis perpetuo reuiuiſcit. Semder ſpirant venti, patent maria aduehendis commercio rebus vitæ neceſſariis: [g] quandiu corpus naturalem ſuam ſeruat conſtitutionem, nunquam fieri poteſt, vt anima, ab eo ſecernatur; vi ſua nutrix facultas toto vitæ tempore perſeuerat, & cum in actione naturali duo debeant concurrere, facultas animæ & organum, facultas animæ non deficit, ſed organum vnde ſenex videret vt iuuenis, ſi haberet oculos iuuenis.

Vniuerſalis cauſæ perpetuos influxus æmulantur principes, & ideò videri volunt indefeſſa bonitate ſuis ſemper adeſſe populis: Ita perſonæ ſuæ præſentiam, quam vbique non valent exhibere, ſaltem exprimunt ſtatuis, imaginibus nummis vultu & nomine ſuo percuſſis, & implentibus omnia miniſtris, [h] quibuſdam prohibita loci mutatione, ne videatur auxilium intermitti. [i] Sic ab illis conceſſa priuilegia,

[a] Albert Magn. lib. de proceſſu entis. tr 4. c. 6.
[b] D. Dionyſ. de diuin. nomin. c. 3. & 4.
[c] D. Tho. 1. q. 108. a. 7. ad 2.
[d] Ib q. 113 a. 6.
[e] l. 13. ff. de vſufr. l. 7. ff. ſolut. matri.
[f] l. 15. ff. de ſeruit. ruſtic. prædior
[g] Galen. lib. de natural. facultatum ſubſtantia.
[h] l. 1. ff. de decurion. l. 4. C. de off. milit. Iud.
[i] l. 30. ff de

excuſatio. l. cum quidam. ff. de ann. legat. intelliguntur data in perpetuum; diuiſiones die natalis ſui dari iuſſæ decurionibus, habentur velut legatum perpetuum; ne viderentur initia tantum ſui regiminis largitionibus conſecrare ſicut diximus,[l] cuilibet perpetuò concedunt ad ſtatuas ſuas vt ad tutiſſimum aſylum confugere; Iuſtitiam profitentur quæ eſt conſtans & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi:[m] curant erigi hoſpitalia in quibus charitas communi erga omnes affectu exerceri debet;[n] denique legibus & armis muniuntur, vt vtrumque tempus belli & pacis in commune bonum rectè poſſit gubernari.

[l] l. vnic. C. de his qui ad ſtatuas confug.
[m] can. quieſcamus d iſt. 42.
[n] Inſtit. initio.

Tranſit etiam ad particulares hæc perpetuæ bonitatis gloria,[o] vt adoptio non poſſit fieri ad tempus, nec enim, inquit lex, moribus noſtris conuenit filium temporalem habere; Alimenta[p] ſimpliciter relicta, intelliguntur perpetuò relicta; feuda, donationes ordinariè & non niſi præſcriptis à lege cauſis reuocantur:[q] alicui habitatio relicta, pro tota vita intelligitur,[r] ſi ſit legata certa menſura vini ex agro prouenientis quotannis, debetur etiam anno ſterili, quia compenſatur alterius fœcunditate; ſic fœcundior & durabilior eſt dantis voluntas quam natura, vixque tam anguſtum eſt beneficium vt non aliquid de futuro polliceatur.

[o] l. 34. ff. de adopt.
[p] l. 1. C. de legat.
[q] l. 10. §. 3. ff. de vſu. & hab.
[r] l. 17. ff. de ann. leg.

Innumera ſunt ſimilia ex quibus inferri poteſt, largitiones quæ perpetuò procedunt à dignioribus entibus, potiſſimum conuenire Deo, omnis bonitatis fonti, qui ſolus bonus dicendus eſt, & è cuius proximiori participatione, habent vt diximus entia ſuperiora quod ſint ſemper benefica. Dicitur ſanctus ſanctorum, inquit D. Dionyſius, quia mentes conſeruat, ſeque benignè offert ad formandum in eis qua ad ipſum conuertantur, diuinitatem.[s] Quando facit homo totum quod poteſt, & totum quod in ſe eſt, inquit Divus Thomas,[t] tunc eſt neceſſitas ad habendam gratiam, non quidem neceſſitas coactionis Deo debitum imponentis, ſed neceſſitas immutabilitatis, qua neceſſe eſt Deum eſſe, & ideo eſſe bonum, affluentem, diſpoſito accipienti dantem: Eius gratia dat perſeuerantiam in bono, vnde magis ipſa eſt perſeuerans nec vnquam amittitur ſine culpa,[u] Deus enim hominem amando, amat permanenter, ideo ponit in anima donum permanens, ſcilicet gratiam habitualem.[x] Magis igitur offert ſe mentibus, quam fons ſitibundis, ſolis lumen oculis, aër reſpirationi. Sic confitetur D. Auguſtinus,[y] Serò te amaui pulchritudo tam antiqua & tam noua, ſerò te amaui; ecce intus eras & ego foris te quærebam, & in formoſis quæ feciſti, deformis iacebam: mecum eras & tecum non eram; ea me tenebant longè à te, quæ ſi in te non eſſent, non eſſent. Vocaſti, clamaſti & rupiſti ſurditatem meam; corruſcaſti, ſplenduiſti, & fugaſti cæcitatem meam; fragraſti, & duxi ſpiritum & anhelo tibi; guſtaui & eſurio & ſitio; tetigiſti me, exarſi in pacem tuam.

[s] De nomin. diui. c. 12.
[t] 11. q. 112. a. 3 & q. 111. a. 3.
[u] Idem. 3. q. 50. a. 1.
[x] 12. q. 112. a. 2.
[y] 10. confeſſ. c. 27.

Digitized by Google

In eo potiſſimum mirabilis gratia, quod peccantes & immeritos præuenit; ſemper autem dari ſufficientem conſtat ex eo quod dicitur: [z] Reuertimini & viuite; impietas impij non nocebit ei in quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua; at ſine gratia non poſſent omni die conuerti, adeſt igitur illi omni die gratia. [a] Conuertimini ad me & conuertar ad vos dicit Dominus, & ſtatim additur, tanquàm diluculum paratum inuenies eum, vt è ſomno ſurgenti lux, qua cingebatur affulget. Nam, inquit D. Auguſtinus, vt eum amitteremus, non eius abſentia qui vbique adeſt, ſed noſtra fecit auerſio: In mundo erat, & mundus eum non cognouit.

[z] Ezech. 18.
[a] Oſee. 6.

Quid igitur velut abſurdum negant Iudam dum Chriſtum tradidit, habuiſſe gratiam; ſi non habuiſſet non peccaſſet, ſed ex eo magis reus eſt quod ſollicitanti ad pœnitentiam, obſtinatus reſtiterit; [b] nam ſi malus non priuatur auxilio Angelorum, nec etiam gratiâ Dei cuius tantum diſtribuendæ ſunt miniſtri; effuſa, magnifica magis & conſtantior debet eſſe Domini, quam ſerui liberalitas: [c] Lux eſt eſſentialis illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; itaque gratia ſua ſimilis eſt lumini quod per ſe nullo mouetur modo, neque fluit, neque refluit; diaphano recedente aliquo ipſum non recedit, opaco à ſe illuminato abeunte, ipſum non abit; ſui multiplicatione & amplificatione gaudet; ab illuminante non ab illuminato pendet, fit vnum & continuum, rumpitur aut interrumpitur nunquam. [d] Ergo quod dicitur, quæretis me, & non inuenietis, & in peccato veſtro moriemini; [e] tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, & ſimilia intelligenda ſunt de priuatione amplioris auxilij & de peccantibus relictis cum ſola gratia ſufficiente, cuius beneficio licet ſaluari poſſint, illi tamen in tenebris lucenti mentis oculos negant, ita cæci ruunt; illos ducente reprobo ſenſu, prauiſque habitibus, quibus meritò dicuntur tradi.

[b] D. Tho. 1. q. 113. a. 4. ad 3.
[c] Ioan. 8.
[d] Ioan. 8.
[e] Roma 1.

Sentiunt omnes naturali quodam inſtinctu, & teſte conſcientia ſe ſua culpa malis implicari, melioribus vltrò derelictis deteriora ſequi, dum òrto periculo pœnitet eos, ſuppliceſque ad Deum tendunt manus, velut rebus ſuis ſemper intendentem, miſereri & auxiliari paratum. Sic ante conflictum excercitus, ad vota, ſacrificia, preces, expiationes conuertuntur, & obtenta victoria, hanc in Deum referunt, ſpoliis opimis hoſtium, in templo dicatis appenſiſque. Teſtatur id magnus ille populorum ad eccleſias & pœnitentiæ ſacramentum concurſus. Agnoſcunt reatum ſuum, quod illuceſſenti gratiæ mentis oculos, aures vocanti, conſenſum mouenti, ducentique non dederint, & in malum ſe præcipites egerint, vim in contrarium faciente diuino ſubſidio. Lex iſta naturalis qua videmus cauſas vniuerſales æqualiter & conſtanter rebus inferioribus adeſſe; dedit occaſionem vt

aliquid obiter diceremus contra pernicioſam his temporibus vigentem nouatorum opinionem. Non fuit inſtituti noſtri hîc congerere ampliſſimam conciliorum, authoritatum, argumentorum ſegetem qua ſe profert diues orthodoxæ fidei veritas, hanc authores plurimi doctiſſimis ſuis ſcriptis, ab hinc quindecim annis ſatis illuſtrarunt, donec tandem gratias Deo rependimus, quod hæc opinio velut hæretica ab Eccleſia Catholica damnata ſit.

Inſciis, etiam ingratis & inuitis inferioribus auxiliantur ſuperiora.

Lex 9.

CAuſis naturalibus præſcriptos diximus eſſe ditionis limites à Deo, vt ſicut nulla ſubit alterius locum, ita nec vim ſuperioris agentem & directricem, inferior ambitioſè ſectatur. Agit vnaquæque quod ſuum eſt, & ex omnium collatis operibus ſic diſponente architectonica diuina ſapientia, conſurgit vniuerſi pulchritudo, motus generationum perennitas, & in indiuiduorum ſibi ſuccedentium fluxu, ſemper immota ſpecierum conſtitutio. Iniunctum ſibi munus ſuperior exequitur, cuius etſi beneficium ſentiant inferiora, legem tamen agendorum, nec capiunt, nec morantur, ſed cum habeant ſe per modum patientis materiæ, multa neceſſe eſt illis inſciis ingratis, & inuitis contingant.

Neſcientibus ex alto bona contingunt.

§. 1.

ANimalia, plantæ, quæcumque vegetant, ſentiunt, mouentur: vires ſuas habent à cœlo, cuius ſtatum, donumque cæca non vident, ratione carentia non intelligunt, nec ideò beneficos ſuos influxus intermittit, lucemque ſtupidis negat ſol. Mirari licet quod opus ſuum natura format in tenebris & receſſu, aurum & gemmas in terræ viſceribus; animal in matris quid, & quomodo fiat ignorantis ſinu, bombicis & ſimilium inſectorum transformationes ipſis velut ſepulchro conditis, ideò fortè vt ſibimet de toto beneficio gratuletur,

quæ

Digitized by Google

quæ nec adiuta nec prouocata, ſed ſponte ſua, legibuſque ſuis illud contulit.

Non eſt quod nobis blandiamur de mente noſtra rationis capace, quæ dum inquirit rerum cauſas, futuros euentus præſcire tentat & augurari, nam vt diximus, in rerum medio, luce tenebris mixta conſtituti, inter corpoream & ſpiritualem naturam, paucis cognitis, ignoramus plurima. Plato [f] deſcribit homines in ſpelunca ligatos vultu verſus terram verſo, itaut videant tantum ſui & aliorum ſupernè exiſtentium vmbras: ſaltem intellectus humanus eſt inſtar inæqualis ſpeculi, quod ſuam naturam, naturæ rerum immiſcet, eamque detorquet & inficit. Si ſcientiarum & artium eſt orbis quidam intellectualis, in eo multo magis quam in terreſtri, ſunt inculta & deſerta, fallax in illis ſpeculatio, fallax experientia, potiſſimum quæ de futuris contingentibus vel ex obſeruatione ſyderum, vel ex rerum humanarum ſolito curſu audet aliquid præuidere. Cœlum enim ex Ptolomæo [g] eſt vniuerſalis cauſa, cuius effectus variantur ex mobili materiæ diſpoſitione, vnde præcipit Aſtrologis, vt communem potius atque poſſibilem, quam neceſſariam ferant ſententiam: hæc etiam ars ſic temperata, toties magiſtros ſuos fefellit, vt à pluribus non ſuſpecta tantum, ſed vana & ex ſcientiarum albo proſcribenda videatur. Speculatiuarum inter Doctores diſſidia, probare videntur nihil eas habere certi: hinc Pyrrhoniorum & academicorum celebris opinio, aſſerentium nihil certò ſciri poſſe; nec improbabile quod dicit Philo, [h] omnes nos ſimiles eſſe ſomniantibus, eoſque minus falli, qui ſe aduertunt ſomniare.

Quoad practicas ſcientias in quibus ex multis præteritis humana prudentia futurum colligit: in medicis, experimentum eſſe fallax, artem longam, cui breuis vita non ſufficiat, præfatur Hypocrates. [h] Ciuilis prudentia toties deluſa, toties ſeniorum ſuſpenſo iudicio, metuque monita, [i] verum probauit illud ſapientis dictum: [k] cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ; difficilè æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore, quæ autem in cœlis ſunt, quis inueſtigabit? quis certum feret de futuro & fatali rerum ſerie, iudicium? Quantumuis legi faueatur, & hæc dicatur diuina vox, illam propriè non edunt homines, inquit Plato, [l] nec futuris ex deſtinatò prouident, ſed euentibus à Deo miſſis ſe accommodant, vt in mari gubernator, ventis ſpirantibus, & qui ludunt, ſorti ex improuiſo ſibi contingenti. Sunt itaque leges mutabiles, & dum ſæpius res in contrarium vertunt, probant incertam eſſe rationis humanæ prouidentiam, eamque nunquam ſic de futuris debere decernere, vt non multa caſibus relinquat. Tarentini [m] Magiſtratus omnes duplices faciebant, quoſdam per electionem,

[f] lib. 7. de Republ.

[g] Marſil. Ficin. Theol. Plato. lib. 9. cap. 4.

[h] lib. de Ioſeph.

[h] Aphor. 1.

[i] Ariſt. Rhethor. lib. 2. c. 13.

[k] Sapient. 9. 15.

[l] Lib. 3. de legib.

[m] Ariſt. 6. politic. 5.

Digitized by Google

alios per ſortem, cui velut ipſi præſidenti numini, res priuatæ publicæque, etiam Eccleſiaſticæ ſœpius olim commiſſæ ſunt. Hinc, inquit Plinius, [n] fortuna ſola inuocatur, nominatur; huic omnia expenſa, huic omnia referuntur accepta, ſic obnoxij ſumus ſorti, vt ſors ipſa pro Deo ſit. Certè non debet accipi pro Deo, cum accuſetur & agatur rea, ſed pro decreto Dei, cui nihil fortuitum eſt, & cujus iuſtiſſima voluntate, quæ nos latet, præter prouidentiæ noſtræ ſpes & metus, humana decurrunt.

[n] Lib. 2. c. 7.

Nobis dormientibus aut alia cogitantibus, cœlum ignotis modis infœlices ſuos influxus temperat, ſiccitati per humiditates, humiditati per ſiccitates medetur; terra germinat, aër aduehit ſalutifera, fluunt fontes & fluuij, ſimiliter in vniuerſo ſuis omnia parent legibus, quarum neſcij fructum percipimus. Cœpimus vt à nihilo, ſic à tenebris & ignorantia, dum manus Dei nos in vtero materno plaſmauit, torpentes aluit; natos ignaroſque boni, maternus amor complexus eſt, & vix vterque parens iugi beneficio, accepti ſenſum natorum animis imprimit. Homine domi quieſcente Reſpublica fert leges, mouet arma, præſidet iuſtitiæ, inuigilat conſilij ſui myſteriis, vnde huic priuato ſuis tantum commodis intento, ſalus & ſecuritas. Si à naturalibus & priuatis cauſis ſic ignorantes iuuamur; ſi fit acquiſitio per alluuionem [o] quæ eſt latens incrementum, [p] ſi hæredibus etiam ignorantibus fit partis hæreditatis, dum vacat, accreſſio; [q] ſi abſens & ignorans percipit commodum à filio aut ſeruo qui acquirit ei, ab eo qui confert ei beneficium, qui pro ipſo appellat, qui cauſam ſuam deffendit, qui pro ipſo fideiubet; multò magis à prima cauſa rebus noſtris immenſa charitate, ſapientiaque ſemper intendente neſcientes iuuamur.

[o] l. 7 ff. de acq. rer. domi.
[p] l. 31. ff. de acquir. hær.
[q] l. penult. ff. de procurat.
[r] l fin C. vt dig. ordo ſeru.
[s] l. 30. ff. de fideiuſſ.
[t] Seneca. 6. de benefic. cap. 9.

Quod non expectas ex tranſuerſo fit, & ſuper nos prouidentia negotium curat; ferunt Socratem, ſi quando cupitis aut deſtinatis excidiſſet, id ſibi quod euenerat vtilius exiſtimaſſe quaſi meliora forent, quæ cœlum dat, quam quæ voluntas appetit. Agunt nos noſtraque cauſæ ſuperiores, & ipſis etiam ad ſenſum aduerſis conſulunt: [t] quam multos militiæ morbus eripuit; quoſdam ne ad ruinam domus ſuæ concurrerent, carcer incluſit; ne in pyratarnm manus deuenirent, quidam naufragiô conſequuti ſunt. Alteri vitæ naſcituros vtero fert mater Eccleſia, infirmi diuina nondum capientes, eius ſpiritu viuimus per charitatem, ſentimus per fidem, mouemur per ſubiectionem. Fœlix obedientiæ ſtatus, cui non licet aberrare, propriis itaque ſecurior viſis & affectibus. Sic in Euangelio [v] prodigus penes ſe defecit habendo, qui penes patrem abundauerat non habendo; eſt enim penes patrem dulcis conditio, libera ſeruitus, abſoluta cuſtodia, paupertas diuites, ſecura poſſeſſio, namque ad Patrem labor reſpicit, fructus redundant in filios.

[v] Luc. 15. Chryſolog. ſerm. 1.

Digitized by Google

Sibi nocent qui curioſè nimis in parentis aut Principis actus, in Eccleſiæ, diuinæque prouidentiæ decreta voluerint inquirere: neſcimus quid petamus, ſcit autem quid nobis expediat qui nos regit Deus, [x] portans omnia verbo virtutis ſuæ, [y] nec longè eſt ab vnoquoque noſtrum, nam in ipſo viuimus, mouemur & ſumus; præ bonitatis abundantia, inquit D. Dionyſius, [z] omnia amat, omnia facit, omnia perficit, omnia continet, omnia conuertit. [a] Si ad primam hierarchiam pertinet conſideratio finis; ad ſecundam diſpoſitio vniuerſalis agendorum, ad tertiam executio operis, ineſt certè ſuperioribus, ratione miniſterij lux eminens quæ latet inferiores, licet moti directique eius ſentiant effectus. Mirum, in virtute Chriſti, qui eſt caput hominum & angelorum, licet homini hierarchicum ordinem tranſcendere; Secundus erit à Deo Chriſto, qui Dei Chriſti notam voluntatem, rebus ſeu proſperis ſeu aduerſis, gaudens impleuerit; factus vnus cum eo ſpiritus, dicat fortiter cum Samuele, [b] loquere Domine quia audit ſeruus tuus; cum Paulo [c] proſtrato, cæcitate percuſſo, Domine quid me vis facere; oret, vt edoctus eſt à cœleſti magiſtro, Pater fiat voluntas tua, quæ meam abſorbeat & ſanctificet. [d] Talis conformitas maritat animam verbo, cui cum ſimilis eſt per naturam, ſimilem exhibet ſe per voluntatem, diligens ſicut dilecta eſt, non verita dignitatem perſonæ, quæ ſe plus amari quam honorari exoptat, & in quam affectibus traducitur.

[x] Hebr. 11.
[y] Act. 17.
[z] De nomin. diuin. c. 4.
[a] D. Thom. 1. q. 108. a. 6.
[b] 1. Reg. 3.
[c] Act. 9.
[d] D. Bernar. ſerm. 83. ſuper cant.

Antiqua vox ſapientum fuit, ſequere Deum, ſequi præcipiunt, non judicare; notam Dei voluntatem exequi, non fines mediaque humanæ rationi diſcutienda ſubijcere; Nam cum homo de ſibi profituris omnibus iudicet, inquit D. Auguſtinus, [e] de ſolo Deo decernente non judicat, quia ſecundum Deum de cæteris judicat. Abraham ad vnam Dei vocem egreditur de terra ſua & de cognatione ſua, incertus quo pergeret, certus eo duce non niſi fœliciter ſibi peregrinandum. Dicente Chriſto ſequere me, relictis omnibus ſequuti ſunt eum Apoſtoli, ſumma confidentia, quæ de præcipiente non iudicans, meruit in omnes iudicariam poteſtatem.

[e] Lib. 83. quæſt. 30.

Quacumque res vertat, nihil inuitus, licet futurum ignorans, faciet Chriſtianus, Deo non tam ſeruit quam conſentit, ſequitur non trahitur; effugit neceſſitatem, quia vult quod ipſa cogeret. [f] In arte motus inſtrumenti eſt indifferenter ad omnem locum materiæ, quæ eſt ſuſceptibilis formæ artis; motus ſpiritus eſt ad omnem viam & partem corporis cui poteſt imprimi forma animæ; Ita vir bonus eo fert quo ducit voluntas diuina ad vtrumque paratus, iuſſa præuenit, & vnum implens, omnium interminata charitate coronas reportat, nam cuncta ſimul largitur, qui mentem dat variè ſemper ad omnia valentem inclinari. Fidens ſecuruſque, ſe totum diuinæ prouidentiæ

[f] Albert. Magn. tract. 1. de ſpiritu. c. 10.

committit, quid enim timeat ſub eadem quæ totum regit mundum, intellectualem, cœleſtem, elementarem, prouida ſapientia? quid non ſperet ſub ſumma paterna bonitate, quæ toties lucem eduxit è tenebris, dedit auxilium de tribulatione, fulgura in pluuiam fecit? quoties in mediis voluptatum illecebris affulſit lux diſcutiens mentis tenebras, cœleſtique ſuauitate cor lapideum emolliens, illi reſtituto rerum diuinarum ſenſu? quoties ex improuiſò funus occurrens humana tantum ambientem intus acriter monuit de vitæ præſentis vanitate, de mortis ſemper inſtante periculo, de ſequuturi iudicij tremendo conſpectu? quoties libidinis ſibimet pœnam infligentis fœditas, reorum pœna, aulicorum caſus mouit animum, & à vanis ad diuina conuertit. Fortuita putas hæc & caſu contingentia, cum tamen ſic te neſcium tibi conſulens gratia, ad ea quæ te docerent, deduxerit; animumque ad veritates excipiendas præparauerit. Igitur ignorantibus nobis ex alto bona contingunt, at mala non niſi volentibus; quia præſens gratia dat menti vim qua poſſit metuenda contemnere, cupienda faſtidire, non alia quam diuina egere fœlicitate, tandem beatis præferri, aduerſa ſuperando, quæ ſicut non experiuntur, ita nec vincunt, qui cœlum tenent.

Bonum non ſe negat ingratis.

§. 2.

SIc eſt effuſa ſuperiorum cauſarum largitio, vt non ratione diſtribui, ſed caſu proiici videatur, velut exundantis ſeque non continentis abundantiæ neceſſaria quædam eructatio. Indignantur aliqui, quod lux pretioſiſſima qualitas inſideat ſine delectu rebus viliſſimis, cæcis vt oculatis, mortuis vt viuentibus, & quod ſplendor puriſſimus, ſole natus ſeruiat fœditati; quod terræ mariſque vapores, naturæ miris artibus ſublimati, guttatim in pluuias reſoluti, vim cœli maſculam, qua fœcundetur terra, præ ſe ferentes, indignè cadant ſuper ſteriles arenas & rupes, ſuper ſalſas maris aquas, ſicut ſuper ſata. His & ſimilibus naturæ contumelioſis & inuidis quærelis reſpondetur, ſi gloriæ & magnificentiæ datum eſt olim Imperatoribus,[g] quod aurum ſpargerent; cœlo naturæque non erit indecens inferiorum neceſſitatibus liberalitate profuſa prouidere; parum abeſt à defectu cui non niſi neceſſarium contingit; non eſt regalis menſa, ne frugalis quidem, ſed pauper vnde nullæ reportantur reliquiæ: quid magis cauſas vniuerſales decet quam vniuerſalis diſtributio; ſi nimium eſt accipienti paucioribus contento, non eſt nimium Imperantis maieſtati,

[g] l. 2. C. de conſulib.

vt de ſuis ampliſſimis muneribus dicebat Alexander. Vellent ne ſolis radium ad oculos tantum & ad ea quæ ipſo recreantur pertingere? qualis eſſet vniuerſi facies his intermixta tenebris, quæ cum lucis vacuo, vbique virium exolutionem efficerent, ipſiſmet enim oculis quibus priuilegio radius ſeruari videretur, ſic conciſus, ſic interruptus proſpectum, rerumque diſcretionem negaret. Etiam inter arenas & ſaxa exiles enaſcuntur plantæ, quibus alendis vniuerſalis bonitas impluit; aquæ quas arida, vel rupium rimis hians abſumit terra, penetrant vlterius, inferuntur theſauris vnde fluunt fontes, & quod exiſtimas ſuperfluum fit perennitatis cauſa. Quæ verò cadunt in mare, ſalſedinem eius temperant, non ſic illi commiſcentur, vt illas piſces branchijs ſuis ab amaro non ſeparent; illis viuunt, vnde dulcis illorum ſubſtantia, venientes præſentiunt, illis exultabundi ſaltibus applaudunt, & ex his conchæ ſuas in ornatum noſtrum, conflant margaritas. Sed quamuis nulla notaretur vtilitas imbrium ſic indiſtinctè & profuſè cadentium, ſufficit has effuſiones cauſæ vniuerſali congruere, cuius proprium & eſſentiale munus eſt magna largiri, non attenta recipientis accidentali diſpoſitione. Ita luceret ſol, etſi non eſſent oculi qui ſolendorem eius viderent; fluunt in deſertis fontes nullis ad hauriendum paratis manibus, & licet hians terra curſum auſpicantes ſtatim abſorbeat.

Hæc naturalia neceſſariò benefica ſunt expreſſiones eſſentialis bonitatis, ſibi neceſſariæ, ad externa liberæ, nunquam tamen deficientis, & quas permiſit in cauſis ſecundis egeſtates, in hominibus infirmitates abundantiſſimè replentis, & ſanantis. Ego ſum, inquit, [h] qui deleo iniquitates tuas propter me: hæc eſt beneficij perpetuò conferendi immortalis cauſa, quæ ducitur ab immortali bonitate Dei; qui nos dum non eramus, vt eſſemus dilexit; [i] qui commendauit charitatem ſuam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multò magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati, ſalui erimus in vita ipſius. [l] Venit Chriſtus in hunc mundum peccatores ſaluos facere, licet ingratitudine recidiua laborantes. Si facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos: ſi cum publicanis & peccatoribus conuerſatus eſt, vt medicus cum ægris opera ſua indigentibus; ſi affixus cruci inter acerbiſſimos dolores orat pro inimicis ſuis, ſic illum torquentibus; ſi huic ingrato populo qui non cognouit tempus viſitationis ſuæ, iuſſit primum euangelium ſuum prædicari, dubitas ingratis peccatoribus gratias ſuas præuenientes, excitantes, adiuuantes offerre. [m] Sto ad oſtium, inquit, & pulſo; Venite ad me omnes qui laboratis, & ergo reſi-

[h] Iſay. 4.

[i] Roman. 5. 8.

[l] 1. Timoth. 1. 15.

[m] Apocal. 3. 20.

ciam vos. Hæc peccatorum ſarcina quæ videbatur eſſe cauſa vindicantis iuſtitiæ, cauſa fuit abundantioris gratiæ. Ideo dicitur pater miſericordiarum, non pater iudiciorum, inquit D. Bernardus [n] non ſolum quia pater videtur potius miſereri quam indignari, ſed eo magis, quia miſerandi cauſam & originem ſumit ex proprio, iudicandi & vlciſcendi potius ex noſtro; Intus eſt qui rogat affectus, & certè non ſtaret inter quotidiana peccata genus humanum, niſi perennis eſſet Dei miſericordia; dicitur autem pater miſericordiarum, quia ſeptuaginta ſepties peccantibus, vt præcepet, ſic ſtatuit miſereri; certo numero peccata quælibet concluduntur, at miſericordiæ eius non eſt finis.

[n] Serm. 5. in notali dom.

Hinc Imperator Inſtinianus [o], clementiam ſibi propriam dicit eſſe, ad imitationem Dei, qui quotidianis hominum peccatis ſemper ignoſcere dignatur, pœnitentiam noſtram ſuſcipere, & ad meliorem eam ſtatum deducere. Nam regis amicitia ad eos qui reguntur, in excellentia beneficij conſiſtit [p], eiuſque proprium eſt bene agere, & malè audiſſe: præſtat enim contumeliam pati, quam rationibus eam diluere, euulgatis conſiliorum myſterijs. Procedit à Deo ſpiritus ille principalis, maiore interuallo à contactu inferiorum abductus, quàm vt ad illum vlla vis noxia vires ſuas proferat & qui populis frementibus, vt medicus phæneticis contumelioſis, vim intentantibus, etiam dum ſæuiunt, conſulit. Sic in ſublimi poſitus princeps, quidquid agat ingrata plebs, intactus ipſe, placiduſque regiminis munus exequitur, curat publica quæ vt bonis ſic malis contingunt, vtriſque conduntur vrbes; [q] frumentum publicum ſine morum delectu accipit quiſquis ciuis eſt; ius fori omnibus dicitur, pace fruuntur etiam homicidæ; ſua repetunt etiam qui aliena rapuerunt, percuſſores, & domi ferrum exercentes, murus ab hoſte deffendit; legum præſidio, qui plurimum in illas peccauerunt, proteguntur; multorumque delicta condonat, etiam læſa parentis patriæ communis pietas. Si quis petulanti & improbo maledicto nos laceſſitus fuerit, inquiunt Imperatores Theodoſius & Arcadius, [r] eum pœnæ nolimus ſubiugari, quoniam ſi id ex leuitate profferit, contemnendum eſt, ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum; ſi ex iniuria remittendum.

[o] L. 21. c de nuptiis.

[p] Ariſt. & hic. 8. ij.

[q] Seneca 4. de benefic. c. 28.

[r] l. vnic. c. ſi quis imperat. maledic

[s] Inter priuatos autem homines meritò recepta non fuit in iudicijs ingrati actio, non ſolum quia difficilè poteſt æſtimari, quia ſi daretur, tam frequens eſſet, vt illi omnia fora non ſufficerent, ſed quia beneficium, ſicut gratuitum confertur, ita ſemper vt honeſtum debet continuari, nec intermitti defectu gratitudinis, quæ non eſt debita quia nec conuenta, & ſi leuis aliqua ſpes eius affulſerit. [t] Hinc valet talis inſtitutio, filius meus impijſſimus malè de meritus, hæres eſto; nam validè hæres inſtituitur cum maledicto, & omnes huiuſ-

[s] Seneca. 3. de benif. c. 6.

[t] l. 48. §. 1. de hær. inſt.

Digitized by Google

modi inſtitutiones receptæ ſunt, in fauorem teſtatoris cuius pietas commendatur, dum ad imitationem Dei, beneficium confert ingratis. [v] Ita donatio non reuocata à defuncto propter donatarij ingratitudinem, non poteſt reuocari ab hæredibus, [x] & ſimiliter cauſa propter quam iuſtè poteſt filius exhæredari in teſtamento, non eſt ſufficiens ad repellendum eum ab inteſtato à legima ſuceſſione, nam pater præſumitur offenſam remiſiſſe, & ingrato conſuluiſſe.

[v] l. fin. C. de reuoc. donat.
[x] l. in arenam. Cod. de inoff. teſtam.

[y] Stoicorum quidem ſententia fuit, etiam ingratis benefaciendum exemplo Dei, qui ſine mercede, ſine vllo ad ipſum perueniente commodo, terras fructibus implet, opportunis & in omnes oras ferentibus ventis maria permouet deiectis imbribus, ſolum mollit, venas fontium arentes reintegrat, ſceleratis vult ſolem lucere, pyratis patere maria. Sed ingratum cui benefaciendum eſt, intelligunt eum, qui non natura & habitu talis eſt ſed qui ex occaſione, acceptis non in totum benè reſpondit, & omnino gratus non eſt, nulli enim, vir bonus beneficium dare poterit, ſi tales excludat. At ſi ſit ingratus talis vt in hoc vitium naturâ propenſus ſit, beneficiorum ſolitus fraudator, illi negant dandum eſſe beneficium, non minus quam captatori, vt nullus decoctori pœcuniam tradit, depoſitum committet ei, qui iam pluribus abnegauit, filiam contumelioſo & ſœpius repudiato non collocabit. Ecce quomodo magnifica ſtoicorum dogmata concidunt in communem vulgi ſenſum, hac enim ipſa qua vtuntur inductione probant, non conferendum eſſe beneficium amittendi animo, ſed vt mutuum ſpe paria recipiendi. Vt cœleſtis, ita ſublimior eſt Euangelica doctrina, & procul ab indigentiæ mortalis ficta timidaque largitione, ſapit ſupereminentis diuinæ bonitatis diuitias. Cum facis prandium aut cœnam, inquit Chriſtus, [z] noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne forte te & ipſi reinuitent, & fiat tibi retributio; ſed cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris quia non habent retribuere tibi. Dat Chriſtianus ſola Dei contemplatione, excipit, paſcit in paupere Dominum ſuum Chriſtum, quem cum ſemper adoret, cui cum ſemper debeat, & hac largitione complacere ſtudeat, nunquam deficiet cauſa dandi licet occurrat vilitas, aut indignitas accipientis Ideo charitas nunquam excidit, [a] quæ ſola etiam reddita ſemper retinet debitorem: nemini, inquit Apoſtolus, [b] quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis, quia qui largitur pauperi vel ingrato, eius occaſione plura conſequitur apud Deum, ſic de creditore factus debitor, plura debet accipienti etiam titulo gratitudinis. Pauperem igitur à quo nihil ſperari poteſt, diuiti præferendum meritò docet Chriſtus, ſed inter pauperes cum aliqui poſſint eſſe ſaltem animo grati, alij ingrati, nullum de accepto ſenſum, nullam

[y] Seneca lib. 4. de benef. c. 25. & ſeq.
[z] Luc. 14. 13.
[a] D. Auguſt. epiſt. 62.
[b] Rom. 13.

Digitized by Google

gratiam habentes, legimus plures ſanctos, gratis ingratos inſigni zelo prætuliſſe; ſic ſanctus Boromæus affectu ſingulari proſequebatur domeſticum ſibi contumacem, ſæpius improbè & petulanter inſultantem. Sic quædam ſancta mulier vetulam ægram, moroſam, querulam, contumelioſam conſultò domi habuit, eique fideliſſimè miniſtrabat, quia propter improbos mores periclitabatur, aliorum auxilio deſtitui. Pura hæc & ab amoris proprij labe defæcata charitas, nihil aliud in paupere niſi Chriſtum conſiderans, non fuit retardata, ſed prouocata recipientis ingratitudine, quia cedebat in patientiæ ſolidum experimentum, & vtriuſque virtutis coronas duplicabat. Beneficium iucundum debitor gratus; clarum ingratus facit.

Caſſian. col. 18. c. 4.

Inuitis præſtatur auxilium.

§. 3.

RES quælibet ſingularis exiſtens pars eſt vniuerſi, cui propterea ſic debet conſentire, vt ad totius ordinem, ſine quo nec ipſa ſtaret, quod in ſe eſt ſeruato proportione conferat. Vnde ſicut exiſtentia ſua certis ſpeciei, temporiſque limitibus continetur, ſic actionibus ne vaga, ſibi mundoque nociua libertate decurrant, modum diuina prouidentia decernit. Huius mundi architectonicæ ſapientiæ proprium eſt, non generalibus & ordinarijs tantum, ſed etiam ſingularibus & rarò contingentibus præſidere, ad ſuos fines aberrantia dirigere, inſigni beneficio neſcientibus & ingratis vt diximus, collato, etiam inuitis, ſiue neget quod ambiunt, ſiue ducat ad ea, & per ea quæ nollent.

Sunt quædem nocitura impetrantibus; quæ non dare, ſed negare beneficium eſt, æſtimatur enim potius vtilitas, quàm voluntas petentium, nec eſt ſpectandum an doleat qui beneficium accipit, ſed an gaudere debeat. Sic frigidam hydropico negamus; ſomnum importunis vexationibus excutimus à lethargico; prodigis gratiſſimam bonorum profuſionem lex interdicit; depoſitum ei qui malè vſurus eſt eo, pœcuniam aleæ mox expoſituro, arma furenti, amicus negat; exitus enim ſpectandus eſt, & ea conuenit dare, quæ non tantùm accipere ſed accipiſſe delectet; cùm enim acceſſio illa quæ animam inflammabat ſe remiſerit, quidni oderit, à quo in damnum ſuum adiutus eſt; à quo ſæua bonitate, blando & affabili odio, indulgentia ſæuiente deletus eſt.

Capitale [c] fuit aliquem etiam volentem caſtrare; non auditur perire volens; ad laqueum, ad præcipitium deſperatione currentes, diligenti

[c] l. 4. in f. ff. ad l. Cornel. de ſiccar.

Digitized by Google

ligenti cuſtodia ne ſibi noceant continemus:[d] occidens etiam volentem facit iniuriam occiſo, & Deo, & Reipublicæ; propterea Dauid [e] gladio percuſſit nuntium qui referebat ſe occidiſſe Saul id rogantem. [f] Senatus-Conſultum Syllanianum, torqueri iubet ſeruum, qui dominum non impediuit, dum ſibi violentas manus afferret, poteſt enim eſſe locus pœnitentiæ. [g] Sic Cn. Domitius atauus Neronis in diſperatione rerum, mortem timore appetitam ita expauit, vt hauſtum venenum ſumpto antidoto euomuerit, medicumque manumiſerit, quòd id ſibi prudens ac ſciens, minus nociuum temperaſſet. Humanæ mentis præceps nec ſemper reparabile conſilium agnoſcentes Imperatores Gratianus & Valentinianus, [h] ne ſibi & nimia ſua noceret authoritas, & miniſtrorum obedientia, cauent ſibi hac lege: Si vindicari in aliquos ſeueriùs contra noſtram conſuetudinem pro cauſæ intuitu iuſſerimus, nolumus ſtatim eos aut ſubire ſententiam, aut ſubire pœnam, ſed per dies triginta ſuper ſtatu eorum ſors & fortutuna ſuſpenſa ſit. Teſtantur hiſtoriæ multos principes in deſperationem actos quod inſignes perſonas ira ſæuiente morti addixiſſent, recreatos miniſtrorum prudentia, qui diſtulerant executionem, & cunctando ipſi principi, reo poſtulato, gementique patriæ vitam reſtituerant: [i] ſic ſeruus non habetur fugitiuus, qui latet domi, donec ira domini ſui efferueſcit, ſicut nec is qui ſe confert ad amicum, quem ad precandum perducat. Gelon Siciliæ tyrannus vt debellauit Cathaginenſes, agens de pacis conditionibus illos coëgit legibus adſcribere, ne deinceps filios dijs immolarent.

Velles, inquit D. Auguſtinus, [l] lautè viuere, & nihil aduerſi tibi contingere; Deus aliud vult; duæ ſunt hîc voluntates, ſed ſtare debet voluntas Dei, vt regula ad quam quod in tua prauum eſt, corrigatur: prono ad luxuriam corpori deficiet ſanitas, impenſis non reſpondebit rei familiaris anguſtia; otianti negotium faciet ex improuiſo mota lis, hoſtium coniuratio, potentioris ira, incendij, naufragij, belli vel alterius vis maioris calamitas; cumque hæc inter aduerſa gemens computes, ſunt tamen beneficia Dei, quibus viam tuam ſepit ſpinis [m] vt tibi ad nociua præcludatur aditus; vitis luxuriantes pampinos falce præſcindit vt fiat fructuoſior; cuſtodiens paruulos dominus, etiam inuitos caſtigat, vt magnos habeat hæredes; non nocet ſed medetur ſpecie nocendi, & cupiditatibus, ne ſæuiant, arma ſubtrahit.

His & ſimilibus, ſicut Deus inuito nociua negat, ſic infundit ſalutaria, aberrantes trahit, ducit in viam ſuam, quæ longè diſtat à vijs filiorum hominum. Videmus planetarum orbes raptos ad motum primi mobilis, licet in contrarium nitantur, animalia pronis in terram vultibus cœlum aſpernata, eius tamen luce influxuque vel

[d] D. Thom. 3. q. 47. a 6. ad 3.
[e] 2. Reg. 1.
[f] l. 1. §. 22. ff. de S.C. Syllani.
[g] Sueton. in Nerone c. 1.
[h] l. 20. C. de pœnis.
[i] l. 17. §. idem ait. ff. de ædil. ed.
[l] In pſal. 31. in f.
[m] Oſee. 2. 6

inuita circumfunduntur & viuunt; cùm leges ius ſuum vnicuique ſeruant, & pacem, ſummum populi bonum, etiam propoſitis pœnis exigunt, malis etiam inuitis duplex conferunt bonum, & virtutem & ſecuritatem. Optimi parentes tenellæ puerorum ætati, & ad voluptates procliui vim inferunt ad obeunda maturè ſtudia vnde pendebit vitæ ſplendor & fœlicitas. [n] Affines vindicant affinem ſuum in libertatem, licèt voluerit ſeruus permanere: [o] poteſt inuito domino in eius ædibus conquiri & fodi theſaurus, cuius media pars illi continget: [p] cuilibet licet appellare pro eo qui ad ſupplicium ducitur, etiam eo inuito; [q] tenemur deffendere vitam eius qui ab hoſtibus inuaditur, licèt ipſe nollet deffendi: [r] in conceſſis priuilegijs conſeruantur etiam qui vellent illis renuntiare: [s] laudatur hæres qui defuncto debitum honorem ſepulturæ reddit, licèt ipſe teſtamento cauiſſet ne præſtaretur, cineresque ſuos in mare proijci; num quotidie phrenetico ſpeculum oris apponitur, & in hiantes illata vi fauces infunduntur alimenta? num ſecari nolentes, & plus chirurgum quàm mortem auerſantes, vinculis continemus vt ſanitate reſtituantur?

[n] l. 1. & ſeq. ff. de liber. cau.
[o] l. 3. C. de metallis.
[p] l. 6. ff. de appellatio.
[q] Bonacina de reſtit. q. vlt. prop. 2.
[r] Cap. cum tempore de arbitr.
[s] l. quidam teſtamento. ff. de conditio inſtitut.

Vellet mundus à ſectarum coniuratione deleri Religionem Chriſtianam, quia præcipit dura ſenſibus, naturæ ſolutam libertatem eripit, à ſuis legibus deficientes diris inſectatur, præſentes æternasque pœnas illis intentat, nec vſquam ſinit eſſe quietos ſecuroſque. At inuito Deus conſuluit, & de tenebris voluit lucem ſplendeſcere: nam quot hæreſum monſtra ſucceſſiuè tulit infœlicitas temporum, tot victorijs illuſtrior facta eſt Eccleſia, meritoque nunc habetur inuictæ veritatis & ſanctitatis aſylum, ad quod refugit quicumque vult ſaluus fieri. Vellet impius omnem in ſe de Deo, de pietate, de futura vita ſenſum extingui, & ecce ſanctitatem tympana, pſalmodiæ, prædicatores, ſcholæ, vulgi ſermones ſuis auribus vndique perſonant; ſuis oculis objiciunt templa, publicus ad illa populorum concurſus, feriæ, pictæ viuenteſque ſanctorum imagines; pijs voluminibus refertæ bibliothecæ; ſed potiſſimùm menti ſemper præſens diuina gratia, illam monet, accuſat, conſciam propriiſque tortam ſuppliciis ad meliora prouocat. Te nemo domine amittit, niſi qui dimittit, exclamat D. Auguſtinus, [t] & qui dimittit, quò it aut quo fugit, niſi à te placato ad iratum; nam vbi non inuenit legem tuam in pœna ſua: lex enim tua veritas, & veritas tu.

[t] lib. 4. confeſſ. c. 9.

Eſt quidem in Deo ſummum illud ius, creaturas rationales inconſultas etiam inuitas donis ſuis ad libitum ditare, & media ad ſalutem neceſſaria largiri; at obiiciunt id homini in hominem non eſſe conceſſum, vt ſcilicèt quis poſſit nolentem beneficijs obſtringere, debitorem & ſeruum, eiuſque libertatem oppignoratam leui forte ti-

Digitized by Google

tulo ſibi conſtituere; [v] eius eſt enim velle, qui poteſt nolle, & vt nulli licet inuitum bonis priuare ita nec cumulare, propterea debent donationes, vt valeant acceptari, & [x] ſeruis tantùm id imponitur vt ſint hæredes neceſſarij. Paucis reſpondemus, Rempublicam cuius intereſt ciuem ſuum non lædi, cunctis vt illi nomine ſuo præſtent auxilium, indicere & mandare licet contra recipientis voluntatem, quæ in dictis caſibus non eſt recta, ſic nulla cenſeri debet. At in rebus Eccleſiaſticis æquiſſimus eſt canon qui præcipit beneficium inuitis non conferri; quia quod auaritia, quod ambitio beneficium nuncupauit, in rei veritate onus eſt, ſic conſcientiæ, libertati, pietati, ſecuritati formidandum, vt illi collum ſubmittere detrectarint omnes ſancti, periculoſiſſimum eſt, Eccleſiæ bona, quæ ſunt patrimonium pauperum fideliter ex inſtituto canonum diſpenſare; animas pretioſiſſimas, ſanguinis Chriſti pretio redemptas, ſuæ curæ commiſſas, ſuiſque periculis ad fœlicitatem perducendas habere. Non eſt excuſatio, quod ad hoc officium inuitus adigitur; quis enim ignarus nauticæ regias perſonas per maria deducendas ſuſcipiet; quis chirurgiæ neſcius, operationes vnde pendet aliorum vita, tentabit? ſuadet non cogit adulantium vox, cui fortiter repulſam dare debet quæ eſt in conſcientia veritas, nam vnuſquiſque melius à ſeipſo, quàm ab alijs dignoſcitur; quis enim ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus qui in ipſo eſt? [z] Hæc igitur imperitia culpæ annumeranda eſt, inquit D. Chryſoſtomus, [a] licèt omnium applauſu votiſque talibus ſe immeſcuerit: vt ſeruus [b] qui permittit ſe creari decurionem punitur & remouetur; & qui indignum ſe ſentiens [c] permittit ad palatinum honorem euehi: ſi cæcus cæcis ducatum præſtet omnes in foueam cadent [d], & qui ſua præſumptione cæteris fuit exitio, ruinæ communis reatum in ſe attrahit. Ideo canones [e] annua ſuſpenſione plectunt Epiſcopum, qui inuitum ordinauerit, & Concilium Viennenſe Gallicum I. [f] præcipit vt fides his facilè adhibeatur qui ſibi crimina ſeu vera ſeu falſa imponunt, ne ordinentur; quia talibus in contrarium auctoritatem opponere, ipſis & Eccleſiæ periculoſiſſimum eſt; nec eſt beneficium, ſed iniuria vix æſtimanda, nunquam ſatis reparanda, vt nauem [g] annonæ publicæ ferendæ deſtinatam, dum vrget fames & hoſtis, & nimijs licèt pretioſis mercibus, ad certum naufragium onerare.

[v] L.3. ff. de reg. Iur.
[x] Inſt. de ſuis & nec. hæred.
[y] Ca. epiſco. diſt. 74.
[z] 1. Cor. ij.
[a] Lib. 3. de ſacerdotio.
[b] l. 2. Cod. ſi ſeruus fiat decurio.
[c] L. 1. C. Theod. ad l. Iul. de ambitu.
[d] Math. 15. 14.
[e] D. can. epiſcopus & can. geſta diſt. 74.
[f] Can. vlt.
[g] L. vnic. C. de ne quid oneri publ. imponat.

Digitized by Google

Cauſæ ſuperiores ſuos habent effectus pro diuerſa recipientium diſpoſitione.

Lex 10.

DEus bonitatis ſuæ radios effundit in res creatas propter ſe, [h] ideo ſemper quia eadem ſemper eſt huius vniuerſalis effuſionis ratio; ſimiliter ſub ipſo cauſæ reſpectu noſtri ſuperiores, implent quæ ſua ſunt indefeſſâ ſicut inexhauſtâ largitione, quia primæ bonitatis velut canales incorrupti, nunquam vacui, nunquam vacant ab iniunctæ ſibi diſtributionis muneribus. Cœlum ſuos ſemper peragit curſus, ſol lucet, ſtellæ fulgent & influunt: angeli ſuis nunquam deſunt officijs & ſi ſibi par eſſet inferiorum conditio, idem ſemper fieret in natura, at cùm ſublunaria ſucceſſionem variamque habeant exiſtentiam in tempore, cùm mutari, ſic alterari debeant, vt cadere, ſic inclinari, ex eorum varia poſitione radius ſuperiorum diuerſiſſimè receptus, fractus, propter materiæ denſitatem excluſus, variè, parcè, interdum nihil, aut contrarium operatur. Sol æquales ſemper in ſe ſeruat, & in nos immittit ſplendores, etiam dum oppoſitio terræ noctem, Ecclypſim lunæ coniunctio nobis efficit; nam Deo ſibique lucens, vt nihil eorum quæ patimur ad ipſum peruenit, ita non tardat perpetuas, ſuæque ſubſtantiæ incorruptibili congruas effuſiones. [i] Eſt in hoc mundi templo ſimulachrum eminens diuinæ bonitatis, quæ nunquam rebus à ſe creatis deficit, etiam auerſas luce caloreque circumfundens, quantum capere poſſunt, in ſe conuertit. Sic Apoſtolus [l] vult ſanctos in medio nationis prauæ lucere, ſicut luminaria in mundo; falſis opinionibus veritatem, corruptis moribus integritatem fortiter opponere, monere, increpare, aberrantes voce geſtuque ad rectum reuocare, ſi non alium, hunc ſaltem conſcientiæ fructum percepturos, quòd ſuis non defuerint muneribus. [m] Is cuius nauigium laxatis compagibus aquam ducit, continuo labore reſiſtit, nec ideò intermittit, quia quantum exhauſtum eſt, ſubnaſcitur, lento adiutorio opus eſt contra mala continua & fœcunda, non vt deſinant ſed ne vincant. Non in totum fruſtratur viri boni ſic mundo conſulentis conatus; [n] miſſi ſeminis pars aliqua proficit in centuplum, etſi cæteræ duris & incultis exceptæ pereant. Ita ſub perenni cauſæ ſuperioris influxu, ex inferioribus quædam eo fœliciter ani-

[h] Iſay. 4.

[i] D. Dionyſ. 4. de nomi-nib. diuin.

[l] Philip. 1.

[m] Seneca. 2. de ira, cap. 10.

[n] Math. 13.

Digitized by Google

matæ, quod naturæ ſuæ proprium eſt aſſequuntur; quædam ſurgunt ad ad ampliora, quædam eius vſu peruerſo labuntur in deterius.

Vis eadem in diuerſa materia tranſit in varios vel contrarios effectus.

§. I.

RErum diuerſitatem hîc efficit, non tantùm cauſarum diuerſitas non cœli nunquam ſibi par in totum conſtitutio, non materiæ proſtituta ad mutationes omnes potentia, ſed potiſſimum contingentes illi variæ qualitates, quibus eiuſdem cauſæ vis, tranſit interdum in alienos & ſibi contrarios effectus. Oportuit, vt dictum eſt, [o] innumeram hanc eſſe rerum diuerſitatem, vt fieret infinitatis expreſſior imago, ſed cùm infinitas diuina vna ſit, etiam ipſa, naturæ diuerſitates velut vocum inflexiones ſic ad concentum reducit, vt dum ludunt, non tamen excurrant extra notatam præſcriptamque ſpecierum rationem. [o] Supra l. 1.

Nihil tam familiare ſenſibus, quàm ab eadem cauſa contraria fieri, in contraria materiæ diſpoſitione; ſolem ex eodem vapore ſublimato ab archæo, vt dicunt, & centro terræ, ſuperiorum viribus velut ſeminibus grauida; illic aurum, hîc ferrum, & plumbum, adamantem & ſilicem efformare, propter diuerſas matricis recipientis conditiones. Lutum indurat eliciens ſuo calore humidum quo madet terra, ceram liquifacit, humorum lentum, impactum viſcoſæ materiæ, non quidem foràs extrahens, ſed in ea qua continetur ſubſtantia diffundens, illo viatico fluidam efficit. Ignis ſiccus exſiccat, & tamen dum impoſiti ſibi ligni latentem humiditatem excernit, ſimul ita diffundit, vt de rigida ſuperficie flexibilem, de curua rectam, minima vis adhibita poſſit efficere. Vrit lignum ſiccum & ſubito inflammatum fulgentem efficit: at humidum timidè lambens, illum eductis ex ipſo terrenis vaporibus infuſcat, repudiatque velut indignum. Aqua pugnantibus cum igne qualitatibus, ipſum extinguit in linguò, accendit in calce, dum caloris reliquias & ſemina in centrum repercutiens, vnione validiora, & ipſa contrarietate contumacia magis efficit.

Siccitate primum concreſcit fœtus [p], mox ſiccior redditus, veluti lineamenta quædam cuiuſque membri obtinet, denique in lucem editus ſiccior & valentior, ad ſummum incrementum efficitur; ab eo tempore partibus ſuper iuſtum ſicceſcentibus, non ſolum cuiuſ- [p] Galen. lib. 1. de ſanitate tuenda.

Digitized by Google

Vis ſuperior aptè recepta, ſurgere poteſt in effectum naturâ ſingulari ſuperiorem.

§. 2.

COnſtat ex dictis [a] inferiora ſpeciei ſuæ proprios actus nequidem edere poſſe, ſine cauſæ ſuperioris influxu, cœlique motum non minus neceſſarium perficiendis ſublunarium operationibus, quàm cordis in corpore, ad ſingularum partium obeundas functiones: communis hæc eſt materiæ diſpoſitio, ad formæ particularis & vniuerſalis concurſum neceſſaria, quæ ſi deficiat langueſſit actio, partes diſſident, & ſoluta compage totum deperit. Quamuis ad vnius ſpeciei conſtitutionem hæc materiæ diſpoſitio ſit ſufficiens, eſt tamen anguſta reſpectu cauſæ ſuperioris, quæ vna, diues, in vnum potiùs quam in multa vim ſuam vellet effundere, ſimileque ſibi producere, ſi donis excipiendis vnius ſubiecti ſingularis amplitudo ſufficeret. Igitur data conuenienti diſpoſitione, hanc implet liberiùs quàm aër locum cæteris corporibus vacuum, & æqua capacitati largitione ſuperat poſitos vni ſpeciei limites.

[a] Supra. l. 8. §. 1.

Hinc tot qualitates quæ primarum ſortem excedunt, & quas occultas vocant, quia neſcitur quæ fuerit in materia diſpoſitio, vt hanc reciperet à cœlo vim eminentem, nec qualis cœli conſtitutio cùm illam conceſſit; tandem qualis vtriuſque congruentia propter quam vni priuilegiô datur, quod cæteris in eadem ſpecie negatum eſt; cur magnes, lapis obſcurus, ad cœli aut terræ polum ſolus inter alios conuertitur? cur terræ filius, immobilis ex matris conditione, & prædominante elemento, mouetur tamen, nauium curſus in mari, peregrinantium vias in deſertis dirigit, vel minimam aberrationem in contrarium inclinatione citiſſima demonſtrat? quis nouit matricis terræ qualitatem, propter quam fit potius in ea aurum quàm plumbum? cur in mari quædam conchæ non omnes, ex rore vel quem immediatè cœlo ſtillantem exceperint, vel aquæ ſalſæ permixtum fimbrijs ſuis filtratione expreſſerint, conficiant margaritas quarum orbis anguſtus perpetuam refert naſcentis auroræ pulchritudinem. Idem dici poteſt de proprietatibus gemmarum & plantarum, quarum quædam conueniunt cum aliquibus corporis partibus, quædam mala profligant, bona promouent, tot miraculis vt fidem noſtram ſuperent, & experti vix in hoc noſtris credamus ſenſibus.

Ægrè fert humana mens rebus corporeis ſuperior, aliquid in natura fieri quod cognitione non precipiat, & opere non imitetur;

Digitized by Google

hinc artes & ſcientiæ mille ſe torquent experimentis, & irrito toties experimento repulſam paſſæ, in dies noua moliuntur obſtinatis laboribus, vt quæ naturam in multis ſuperant, poſſint ſaltem in cæteris æquare. Alchymia noſſe putat qualis ſit metallorum prima materia, quale ſit agens, patiens, vas receptiuum, hinc à tot ſæculis promittit veram auri confectionem, fruſtrataque vota vel artificum imperitiæ, vel caſibus adſcribit. Gemmas omnis generis, adamantes, rubinos, ſmaragdos, margaritas officinæ producunt natiuis ita ſimiles vt fallant expertorum oculos, & non pulchritudinis defectu, ſed leuiſſima quadem nota diutius examinata veniant in artis ſuſpicionem. Magia naturalis tota poſita eſt in ſimilium venatione, quæ ſe mutuo quærunt, efficiunt, conſeruant, & inſtar angelorum, omnia ſe poſſe confidit, etiam ſupra ſolitas naturæ leges, applicando conuenienter actiua paſſiuis.

Vltra res quæ pendent à primarum qualitatum proportione, proceſſit aſtrologia, aſſerens ſapientem non minus cœli quàm terræ cultorem eſſe, vt arte ſua quos voluerit fructus reportet: ſapiens anima, inquit Ptolomæus [x] confert cœleſti operationi, quemadmodum optimus agricula, arando, expurgandoque confert naturæ; quàm audax propoſitum cœlo, rebus infimis dominanti, ſeruatis quibuſdam diſpoſitionibus dominari? Sacerdos, inquit Iamblicus, [y] operatur multa proxima diuinis, diuina per congruitatem externorum quibus vtitur attrahens: hinc antiquorum ſuperſtitio ex Promethei fabula, aptis Aſtrologicè diſpoſitis materiis dæmones in ſtatuas attrahi, & in illis oracula fundere. Exiſtimandum tamen eſt cum D. Thoma, [z] ſi ſtatuas loquentes effecerint, non ſimplicem ſtellarum influxum ibi formaſſe verba, ſed dæmones ſponte ſuis cultoribus, vt eos deciperent, obſequentes. Ex hac antiqua ſuperſtitione ſupereſt inter Chriſtianos ars fabricandi cœleſtes imagines ex congruentia diei & horæ, materiæque cum planeta cuius vis deſideratur, quaſi fluens ex ſe, ſic poſſit alligari, & haberi perpetua; hanc non improbat Albertus Magnus, exiſtimo tamen cum Ficino, nec ſine cauſa, artem hanc periculoſiſſimam eſſe, & illi ſe dæmones immiſcere ſolitos, etiam nolentibus & in contrarium proteſtantibus his qui tales conficiunt, quia quod verbis negant, implent opere.

Vtar hic authoris non probati [a] non improbanda, vt mihi videtur, ſententia; hominem rebus corporeis ſuperiorem ab illis in totum non pendere, & cum omnibus inſit rerum diuinarum appetitus, modum illas conſequendi non eſſe poſitum in arcanis, & in arte paucis hominibus cognita, ſed commune votum obtineri poſſe, communi & omnibus expoſito medio. Suſpiramus ad diuina, ecce conſtat apud omnes quale ſit agens, qualis materia, qualis obtinendi modus, quæ ſunt

x Centiloq. n. 8.

y De Myſteriis. c. 9. & 13.

z Marſ. Ficinus lib. de vita cœlitus compar. in fine.

l. 6. de vita cœlitus cōparand. ſub finem.

a Paracelſus de imaginib.

Digitized by Google

ſunt in naturalibus incertiſſima. Deus eſt agens, anima ſubſeruiens modus eſt ſanctitas: cuſtodi innocentiam, puris mentis oculis & affectibus, illuceſſet ſine dubio qui te circumfundet diuinus radius, & gratia Chriſti ſanctificans; naturæ te diuinæ participem efficiet, ita regnum Dei intra nos eſt. [b] Quomodo ſtilla aquæ modica multo infuſa vino deficere à ſe tota videtur, dum ſaporem vini induit & colorem; quomodo ferrum ignitum & candens igni fit ſimillimum propria forma exutum; & quomodo ſolis luce perfuſus aër, in eandem transformatur luminis claritatem, adeo vt non tam illuminatus, quàm ipſum lumen eſſe videatur, ſic omnem in ſanctis neceſſe eſt liqueſcere affectionem, & in Dei penitùs transfundi voluntatem; alioquin quomodo omnia in omnibus erit Deus, ſi in homine quicquam de homine ſupereſt: O dulcis & ſuauis affectio! quomodo totum diuinum eſt quod ſentitur? ſic affici, deificari eſt.

[b] D. Bernar. de diligendo Deo.ſub fin.

Obſeruatione digniſſimum eſt, [c] quæ minorem in ſcala naturæ gradum obtinent, ea magis cœleſtibus ditari muneribus, illa faciliùs excipere & fortiùs ſeruare. Terra elementorum ignobilior, à cœli commercio longiùs, vt videtur, & in imum proiecta, dum tamen vires eius immota recipit, his prægnans ſeminibus, fit omnium fœcunda mater, & in omnibus animantibus prædominatur, plus eſt virtutis in gemmis & lapidibus, quam in metallis; patet, quid enim ferri duritia pugnacius, [d] cedit tamen & trahitur à magnete lapide, domitrixque illa rerum omnium materia ad inane neſcio quid currit, atque vt propius venit aſſiſtit, teneturque & complexu hæret. Plantis ineſt eminentior quàm in animalibus qualitas, ab his vſus quotidianus accipit alimenta; ab his medici ſuas medicamentorum ſimplicium & compoſitorum vires mutuantur. Inter arbores exiguæ deiectæque, qualitatibus ſunt inſigniores vt quæ ferunt, thus, caſiam, balſamum, aromata. Animalium [e] pedeſtrium, volatilium, natantium minutiora magis ſunt fœcunda; inſecta magis induſtria: quotidie videmus & miramur apum ædificia, ceræ melliſque confectiones, aranearum telas venationi paratas; bombicum ſtamina, vnde veſtium decor. Generaliter quæ natura depreſſit gradu, cœlum eleuat formali virtute, mirabili mixtura minimi cum maximo, vt actiuitatis gloria potiſſimùm tribuatur primæ cauſæ ad extremum operis ſui pertingentis, & reflexione quadam illic vires ſuas duplicantis. Inde ſecundum Apoſtolum virtutem in infirmitate perfici colligit Tertullianus; [f] humiles extolli, & ad promerendas eminentiores gratias optimam eſſe diſpoſitionem, nihil ex nobis in contrarium opponere, ſenſus, intellectum, voluntatem, totum hominem regenti prouidentiæ ſubiici, ſilentibus humanis, pati diuina.

[c] Albert. Magn. de mineral. lib. 2. c. 1.

[d] Plin. lib. 36. c. 16.

[e] Ariſt 4. de generat. animal. c. 4.

[f] lib. 1. contra Marcionem cap. 14.

Digitized by Google

Mala bonis permixta ſunt.

§. 3.

FOelices quos recenſuimns cauſæ ſuperioris influxus, dubios efficiunt & præpeditos, bonis omnibus fatali quadam neceſſitate permixta mala, à quibus nihil intactum, nihil ſecurum exiſtit. Omnium experimentis ſenſibus & ratione notam calamitatem, priuatis publiciſque querelis infamatam, hîc non intendimus argumentis comprobare, ſed quædam tantùm recenſere, vt de remediis, & qualiter excipi tolerarique debeant, prouideatur. Dies & nox, hyems & æſtas, ſanitas & morbus, labor & quies, dolor & voluptas totum vitæ tempus partiuntur, & non modo contigua ſunt, idest immediatè ſe ſequentia, ſed permixta, vt vnum inſit in altero. Dies fauet actioni, ſed ſe proferentem, innumeris exponit caſibus: nox eſt opportuna quieti pariter & hoſtium inſidiis, nec viuere dicendus eſt qui ſopitis ſenſuum & rationis facultatibus morti præludit. Hyems conferre videtur ſanitati, dum natiuum calorem ſpirituſque non amplius externo blandiente calore diffuſos in centrum reuocat; ſed interim corpus noxiis infeſtat humoribus, difficilem commeatum efficit, mare tempeſtatibus exagitat, terram reddit inertem, turpem, omni ſpoliatam fructu & decore, vitæ libertatem vrbe & domo velut carcere continet. Autumnus vt frugifer ita morboſus; dolor voluptati miſcetur, nam appetitio cum ſit indiga dolor quidam eſt, nec vnquam concupita votis ſpeique reſpondent: ſpina [g] ſepit roſæ gratiam tanquam ſpeculum præſentis humanæ vitæ, cuius ſi quæ ſit ſuauitas, curarum ſtimulis & ſollicitudinibus circumfunditur Id expreſſiùs in ſingulis obſerua.

[g] D. Ambroſ. examer. lib. 3. c. 11.

Alimentum nullum eſt tam benignum, vt in nos penitùs concoctione mutari poſſit: humores in venis non ſunt ſinceri: partis cuiuſque vt laborantis, ita propria ſunt excrementa: in ſanguinis miſſione, boni plurimum effluit; omnia medicamenta cum vtili qualitate, habent nociuam quæ correctiuo debet temperari; terræ feraces auri ſunt ſteriles; fertilis ager populos luxui, ſterilis hoſtibus exponit; ad delicias compoſitus fit oneri, & anxiæ tutelæ. Nauta [h] tot ſe periculis obiiciens, & totus in arbitrium fortunæ, neque inter viuos, neque inter mortuos cenſendus eſt: agricultura fructuum prouentu delectat, ſed etiam vlcus eſt ſemper paratum ad doloris cauſas ex ſiccitate, pluuiis, vredine. Neceſſitas ſimul & innatus ſocietatis amor, diſperſos prius homines, ciues effecerunt ſub communi

[h] Plato in aziaco.

Digitized by Google

legum ſponſione, hinc multa quidem habentur vitæ commoda, ſed permixta malo multiplici, cum perit libertas ſub potentioris manu, ſub æmulorum inſidiis, ſub opinionum & conſuetudinum tyrannide quæ priuatos etiam lares inſectatur: illic oportuit eſſe diſtincta dominia, ne res ſi tantùm eſſet communis negligeretur; ſed inde cœpit auaritia rapinis, vſuris concuſſionibus in vnum congerere quæ multis ſufficerent, & quibuſdam Reipublicæ partibus abundantiâ ſuffocatis, cœteras atrophiâ languenses enecare. In auxilium & ſecuritatem putatur eſſe vicinus, ſed non ſine periculo, onere, ſeruitute, propterea ſacræ & publicæ domus [i] vicinum non patiuntur. Ad magnas dignitates collegas politici promouent, quia non ſatis certa in vno fides; ſed inde diſſidia rebus opportunè peragendis contraria, occaſionis non rediture lapſus; imminentis mali negligentia, dum illud quiſque putat ſocio imputandum. Iuuentus fortis & audax, ſed improuida; ſenectus valet conſilio, deficit viribus, nimio ſæpè metu conſternatur; paſcit animum ſcientia, ſed minus efficit, legibus diuinis humaniſque docilem Denique tam in natura quam in re ciuili nullum ſine inſerto & coæuo malo bonum. An hæc æqua boni malique partitio contingit, propter duos fœlices, totidem infœlices planetas; an quia degimus ſub elementis pari contrarietate pugnantibus, ſemper incerto marte, victoria volucri quæ momento lætis dolenda ſubſtituit aut permiſcet? An quia res quælibet impetu ſuo vel alieno facilè declinat à præſcripta ſibi inter exceſſum & defectum via, ſic malum incurrit? An ex contrariis compoſita, principiorum ſuorum innato diſſidio partes habent in ſe mutuo pugnantes, & aſſidua velitatione ſe tandem conficientes? Idea quidem & appetitus entitatis perfectæ fecit imaginari lapidem philoſophicum, non ſolum in ſeipſo purum & incorruptibilem, ſed etiam in aliis purum ab impuro ſeparantem, omnes ſanantem ægritudines in plantis, animalibus, hominibus: falluntur tamen in hoc maximè quod ſibi fingunt bonum ſimplex in compoſito, cuius partes non ſic ita cohærent quin eſſentialiter diuerſæ, in diuerſa tandem ferantur & ad diſſolutionem tendant alteratione: Hæc quia ſoli deprehendimus, etiam inſtruimur, perpetuam & abſolutam quam quærimus fœlicitatem, hîc non eſſe ſperandam, vbi non contingit niſi fluxa & imperfecta.

[i] l. ſacræ in f. ff. de rer. diuiſ. l. 4. & 46. Cod. Theo. de operib. publ.

Huius mixturæ boni malique cauſam, altius quàm ex elementis & cœlo ducendam exiſtimarunt antiqui, & cùm illis non videretur poſſibile, vt malum à bono, bonum à malo procederet, vtriuſque diſtincta crediderunt eſſe principia. Plato Deum boni cauſam, poſuit, materiam mali; Manichæi conſtituebant duo principia æterna ſibi mutuò contraria, duaſque naturas atque ſubſtantias, boni ſcilicet & mali, totumque hominem è duobus illis creatum eſſe principiis, ex

bono animam, corpus verò fabricatum à malo: duas animas cuiuſlibet homini dicebant ex contrariis illis principiis dimanantes, nempe malam alteram, à mali principio generatam; alteram bonam, infuſam à boni principio, eandemque eſſe diuinæ ſubſtantiæ participem. Adſtipulari videbantur Romani dum menſe Ianuario diis ſuperis, Februario diis inferis & manibus ſacra faciebant, velut boni malique poteſtas orbis imperium æquâ lance partiretur. Aduerſus tale commentum diſputant D. Auguſtinus,[k] & cæteri Patres, itaque non immoror in huius erroris oppugnatione à tot ſæculis facta. Summa rationum hæc eſt, quòd non eſſet ſummum bonum, ſed impotens, claudum, mancum, quod in rerum creatione & regimine collegam haberet & pateretur malum. Non eſſet etiam ſummum malum habens exiſtentiam quæ bona eſt, & qua ſi priuetur non erit, ita nec ſummum, nec malum.

Iſidor. Origin. lib. 5. c. 33.

[k] Lib. de duab. animab. D. Tho. 1. q. 8. a. 3. D. Dionyſ. lib. 4. de nominib. diuin.

Igitur ſi quidquid eſt procedit à Deo, quæritur quomodo ſummè bonus cum ſit, malum aut effecerit aut eſſe permiſerit: his breuiſſimè reſpondet D. Thomas,[l] Deum, vt expoſuimus, creaſſe rerum diuerſitatem, hanc ne foret confuſa, in ordinem digeſſiſſe; ordinem dicere prius, ſequentia, media, poſtrema, tandem vltima; hinc ſunt agentia quædam fortiora, quædam ſunt paſſiua quæ cedunt fortiorum viribus, & in illa conuertuntur; illæ debilitates & priuationes ſi viribus actiuis comparentur, apparent mala ſingularia, cùm tamen ratione vniuerſi ſint bona; opportuit enim in mundo eſſe quædam eminentia & plus cæteris actiua, quæ primæ cauſæ primique actus emiuentiam & omnipotentiam referrent. Vt in picta tabella vmbras & obſcuros colores malum non reputas, quia decenti ſua poſitione conferunt ad rerum expreſſiones & artis complementum; ſic in muſica vocum inflexiones, ſilentij interpoſitiones cum tonis acutis & grauibus concentum efficiunt; etſi nox diei comparata, hyems æſtati, corruptio generationi, malum videatur, ratione tamen vniuerſi bonum eſt; non procedit ſermo niſi decedentibus & ſuccedentibus ſyllabis: in theatro recedit vna perſona, vt alteri locum & ſermonem relinquat; rebus omnibus ſucceſſiuis vt in cœlorum & quouis motu & tempore neceſſe eſt partem vnam quæ præcedit, ſequenti cedere; ita conſtituitur rerum & ſæculorum harmonica viciſſitudo quam in cœlo mirabimur. Nouit Deus quid cuique tempori accomodatè adhibeatur, inquit D. Auguſtinus,[m] quid quomodo addat, auferat, augeat, minuatur, immutabilis mutabilium ſicut creator ita moderator, donec vniuerſi ſæculi pulchritudo cuius particulæ ſunt, quæ ſuis quæque temporibus apta ſunt, velut magnum carmen cuiuſdam ineffabilis modulationis excurrat.

[l] lib. 3. contra Gentiles.

[m] D. Auguſt. epiſt. 5. Marcellino & lib. 83. q. 44.

Concinunt autem partes ſuo vniuerſo, vt dictum eſt,[n] & ſicut

[n] Supra l. 4. §. 1.

Digitized by Google

vbique videmus corruptiones & generationes, natiuitates & mortes, lucem & tenebras, quietum & mobile, irregulares in omnem partem motus; ita verſantur res ſingulæ ſeu naturales ſeu ciuiles, vt nihil ſit abſolutè vnum ſine oppoſiti ſui permixtione, vtque mundus, ſic res quælibet conſtat ex contrariis. Nox in die nebulis, dies in nocte ſtellis efficitur; quies & motus, actio & paſſio, priuatio & habitus, morbus & ſanitas mutuò ſe peruadunt. Non eſt igitur quòd multum conqueramur de vita quæ laborat malis temperatis, ne deſperatione proiiciatur, aut totis poſſideatur affectibus in æterna mittendis. Ceterum quid querimur de malis, quæ poſſunt bonis in bonum cedere.

Mala bonus in bonum vertit.

§. 4.

HÆc quæ recenſuimus mala facilè tolerantur, tum quia bonis intermixtis temperata ſunt, tum quia communia ſunt omnibus, hancque fati non niſi malignè nos iuuantis aſperitatem conſolatur æqualitas. Habentur duriora, quæ ſingulis velut ſpeciali numinis ira contingunt, & dum cæteris ſerenum eſt, illis tantum ſæuiat tempeſtas in ea quæ reſpiciunt corpus, animum, externa fortunæ bona. Ita videtur his qui rem totam ex ſenſibus æſtimant; at vir bonus ſcit ineſſe ſibi cœlo datam vim, qua res aduerſas ægritudines, paupertatem, hominum perfidiam, non ſolum illæſus ferat, ſed & in bonum vertat, ſecundum illud Apoſtoli; [o] diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. [o] Roma. 8.

Scit vitam hanc eſſe militiam, in qua cuilibet Imperator ſtationem ſuam aſſignat, occultis, iuſtiſſimis tamen prouidentiæ ſuæ legibus; ſi laborioſa ſi periculoſa contigerit, argumentum eſt ad fortiter ferendam, eum eligi beneficio, & opportunis auxiliis non deſtitui. Hæc eſt ſors ſanctorum, fœlicitatis futuræ prænuntia, carere commodis temporalibus, quia votis ad æterna tantum ſpectantibus non congruunt, & vocari prius ad certamen, quam ad coronas. Validum temperamentum innoxiè trahit impurum aërem, proboſque ex eo ſpiritus conficit, ita veſcitur cibo minus ſalubri, quem in ſe tranſmutat, piſces in ſalſis maris aquis, dulcem ſibi faciunt ſubſtantiam, ferrum candens aquis fluentibus merſum ſolidatur, quia calor ad interiora repercuſſus conſumit quidquid inerat flexibilis humidi, materiamque victrici duritie corroborat. Apes ex thymo aſperrimo, mel dulciſſimum conficiunt; ex venenis correctis & temperatis fiunt po-

Digitized by Google

[p] Tertul. lib. de Pallio.

tentiſſima remedia; Ceruus [p] ætatis ſuæ arbiter ſerpente paſtus, veneno langueſcit in iuuentutem, ſol ex ſalſis maris aquis eleuat vapores quos reſoluit in dulces, & terram fœcundantes pluuias. Elementa nonne contrarias, ita ſibi mutuò malas quia deſtructiuas habent qualitates, tamen ex ſe mutuò fiunt. Sic vſu probatum eſt, leges egregias, exempla honeſta apud bonos ex delictis aliorum gigni: Adæ peccatum in Chriſti gratiam, humanæquæ naturæ dignitatem vertit diuina miſericordia, & dubitas hanc Chriſti gratiam bonis conferre vim qua poſſint naturæ mala in animi bonum conuertere? Virtus in infirmitate perficitur vt ait Apoſtolus, & quidem facilè tum quia conſueta cæteris voluptas langueſcenti corpori dolor fieret; fructus eſt illa carere, eius defectum ſpiritali delectatione compenſare, ſic vt vnius lancis parte depreſſa, alia, ſcilicet animus ſumptis viribus aſſurgat. Hinc mortalis vitæ tædium, melioris ſpes; piæ voluntatis reſignatio religioſum efficit, quod naturæ neceſſitas indixerat: Inducias quas ſano humana negotia non conceſſiſſent, morbus indulget: tibi quodammodo ſuperſtes, agnoſcis eos adulari tibi, qui te dicunt rebus priuatis publiciſque neceſſarium; te abſente, habent, habuerunt, habebunt per tot ſæcula curſus ſuos: Morbus æterni ſabbathi præludium ſit, in quo ſplendoribus immenſis circumfuſa mens, & rerum humanarum vmbras ſupergreſſa non cognoſcet amplius locum ſuum. [q]

[q] Pſal. 102.

Ingemiſcis quia paupertas detrahens pœcuniam, rerum omnium pretium, res omnes negat, & priuationis dolorem tot diuitum oppoſitis exemplis auget. In id quod olim heroïca philoſophorum virtus, quod Euangelica doctrina præcepit, te nunc vel naſcendi conditio, vel caſus defert; in portum te tempeſtas adduxit; fœlix neceſſitas quæ cupiditatibus ſubtrahit arma, patientiæ, fortitudini, religioni dat occaſionem; tibi negatur peccati, ſed datur cœli pretium, nam beati pauperes ſpiritu, [r] quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Fœlix iactura, ſi ſpiritus voluntarium effecerit, quod neceſſariò videbatur impoſitum.

[r] Math. 5.

Tandem rationi conrraria mortalium iniquitas, perfidiaque te magis mouet, quam aduerſa quæ ſenſus afficiunt. Non eſſent hæc quæ te feriunt impræuiſa tela, ſi cogitaſſes mundum in maligno poſitum eſſe, fidem venalem, paſſiones rationi, vtile, iucundumque honeſto præferri: Amicus cenſendus fuit inter externa fortunæ bona fluxa, varia ex quibus tua non debet pendere fœlicitas. O te beatum ſi tui ſecurus poſſeſſor, totis tuis in teipſum collectis affectibus intra te poſitum agnoſcas, foueaſque regnum Dei: ſi moribus cum conſcientia ſympathicis tibi fueris amicus, Deo ſacrum hoc fœdus ſanciente; nunquam vero & fido carebis amico, tui Deique conſortio ſemper fretus.

Digitized by Google

Bona malus vertit in malum.

§. 5.

VMbra cum ſit priuatio lucis illam tamen probat circa ſe circumfuſam, & hunc cui inſidet locum; inter aliorum ſplendores nigreſcere, non quia lux illi ſe neget; ſed quia corpus opacum opponitur. Laudamus fontis perennitatem, etiam dum aquæ læſi canalis vitio, ſtillant vbi non oportet, deficiunt vbi deſiderantur. Nemo ſugillat imperatorem quod quidam ex militibus accepto donatiuo laſciuiant; nullus hoſpiti contumeliam infert quod ex conuiuis quidam temulenti diſceſſerint; ſuum fuit abundanter & ſplendidè cuncta parare & exhibere, penes inuitatos erat talibus feſtiuè frui citra turpes exceſſus. Hominem vltimò creauit Deus, inquit Philo, [e] vt rebus omnibus ad neceſſitates & voluptates vitæ diſpoſitis eum velut opiparo conuiuio venientem exciperet. Indecorum fuiſſet & ipſi præcipuo conuiuæ, & ſe ſequentibus, appoſitas eſcas ſic parcè metiri, vt nihil extra præſcriptum conceſſumque licuiſſet occupare. Igitur illi data eſt libertas quo voluerit manum mittendi, ſed ſimul ratio quæ rebus appetendis, vtendis & agendis modum diceret, vt cum omnia poſſit, tantum ad iuſta & honeſta feratur.

[e] lib. de creatione mundi.

Elementa & ex illis compoſita ſeu inanimata ſeu animata, non ſic inter ſuæ ſpeciei limites coërcentur, vt ob diuerſas materiæ diſpoſitiones non aliquando labantur in defectum, excurrant in exceſſus, & inde fit in inferioribus contingentia, vel aberratio, ſed nec ob id culpandæ ſunt cauſæ ſuperiores quarum optimis influxibus abutuntur inferiora. Ros ſereni, temperati, ridentis effuſè cœli lachryma dum verno tempore mundus readoleſcit, floribus ſuaue quod ſpirent, apibus dulcem conficiendi mellis materiam præbet, tamen ex illo bufones, araneæ, aconita ſuum conflant venum, ſol è medio cœli validiſſimos ſuos mittit influxus, ſub illis tamen in ſcorpionibus turget mortifera qualitas, & aër in abyſſis rareſcens, dum locum ampliorem occupare tentat, terram concutit. Ex ſe fœlix eſt Saturnus [f] qui primo mobili & octauæ ſphæræ proximus, cæteris planetis vt loco ſic qualitate ſublimior, virtutem à circumferentia ad centrum colligit, auget & perficit vnione, propterea dicunt ſub illo aureum fuiſſe ſæculum; vim eius receptam in conuenienti materia, validam aſſerunt vt efficiat abſtractos ab humanis negotiis, cœleſtium contemplatores, fixos in bono propoſito: hæc conueniens materia debet eſſe humida & calida, nam humiditatem ſiccitate, calorem frigiditate

[f] Marſ. Ficin. in Plotin.

Digitized by Google

temperat, effluxumque cohibet; ſecus ſi in frigida & ſicca materia vis hæc incidat, quia gemina vis infenſa vitæ, vt ſimilium occurſu fortior eſt, ſic timenda magis. Ita falsò calumniantur veneris influxum, qui per ſe tantum inclinat ad humanitatem, vrbanitatem, charitatem, non ad laſciuiam & incongruàs voluptates, niſi cum illam ad indigna detorquet mentis humanæ peruerſitas, & lapſum amoris pro amore ſubſtituit. Denique nullum in ordine naturæ & gratiæ bonum, quo non poſſit abuti peſſima recipientis mens & diſpoſitio.

[u] Pauſanias in Boëticis.

In Arabia [u] non niſi balſami ſucco viuunt viperæ, quæ ſic in hominum pernitiem vertunt, quod in ſaltem natura conceſſerat. Luce qua vir bonus vtitur ad contemplationem operum Dei, ad auxilium ferendum his, quorum viſa calamitas mouet compaſſionem ſuam, ad templorum ornatum, & ea præſtanda, quæ per oculos mentem ſubleuant ad diuina; eadem puriſſima qualitate vtitur impudicus, vt concupiſcat; vanus vt ambitioſo cultu popularem auram aucupetur; fur & pyrata vt ſpoliet. Cognitione nihil intellectuali creaturæ melius, cum in ea conſummata noſtra conſiſtat fœlicitas; Ipſa tamen malè concupita & recepta lapſum operata eſt in Angelis, in Adamo, in tot philoſophis & hæreticis. Ipſe Religionis ſenſus ſæpius degenerauit in idololatriam, ſuperſtitiones, turpitudines, tandem in parricidia & in priuatas publicaſque populorum clades; hodieque nullis hoſtis infenſior, ira, dolis, crudelitate, quam qui ſub larua pietatis graſſatur. Necromantia ſacratiſſimis nominibus, cæremoniis, myſteriis abutitur, dum litat dæmoni, & ſuas perficit abominationes: Quis hæreticus non eſt vſus ſacris ſcripturis ad erroris ſui, & pertinaciæ deffenſionem, & hic acutus verbi diuini gladius quas non edidit ſtrages in manu furentium? Tertulianus [x] queritur philoſophos vetus teſtamentum ad ſuas ſectas adulteraſſe; de vna via multos obliquos tramites & inexplicabiles ſcidiſſe; omnia aduerſus veritatem, de ipſa veritate conſtructa ſunt, inquit, operantibus æmulationem iſtam ſpiritibus erroris.

[x] Apolog. c. vlt.

[y] Hypocr. l. 2. Aph. 10.

[z] Galenus in comment.

[a] tract. 26. in Ioan. & ſerm. 1. de tempore.

[b] Roma. 4.

Impura corpora [y] qno plus nutrieris magis lædes. Nam, inquit Galenus, [z] mali ſucci in corpore prius collecti conſortio, vitiatur nouum accedens alimentum, quo fit vt cacochymiæ quantitas augeatur & retineatur qualitas. Sic bucella domini venenum fuit Iudæ, inquit D. Auguſtinus, & [a] non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit. Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam, nam ſi non mutat vitam, in iudicium accipiet vitam & ex ipſa magis occidetur, quam viuificabitur, ſic ex occaſione lex operata eſt peccatum, [b] quod grauius eſt in ſciente & contemnente.

Non eſt extingnendus ſol in cœlo, non imbres interdicendi, non terra ſterilitate damnanda, quod ſub communibus hiſce principiis, vt bona

Digitized by Google

bona ſic mala coaleſcunt. Iubet Dominus zizania [c] è ſegete non colligi, ne ſimul eradicetur triticum, ſed expectari vſque ad tempus meſſis, tunc apparebit ſapientiſſima prouidentia, quæ cauſas ex ſe boni productiuas, propter abuſus malorum non deſtruit, imò malos vſus in bonum vertit, in concentum ſcilicet vniuerſi, in contrariæ pulchritudinis commendationem, in virtutis exercitium & præmium.

[c] Math. 13.

Mundo rebuſque ſingulis natura ſeu diuina lex imperat.

Lex II.

Natura [d] nihil eſt aliud, quam diuina ratio toti mundo & partibus eius inſerta, cuius directione fit, vt omnia ritè ſuis fungantur muneribus, opuſque naturæ meritò dicatur opus intelligentiæ. Hæc vt expoſuimus in vniuerſo, multitudinem ſub vnitate, corporea ſub ſpiritualibus, paſſiua ſub actiuis ordinatè conſtituit; eſſentiis, potentiis, actionibus ponit limites, & collatas omnium operas, in totius mirabilem concentum, pulchritudinem, perennitatem, diuinæque perfectionis imaginem efformat. In ſingularibus corporeis ipſa contrarias elementorum qualitates temperatas efficit, placidéque conſortes ad implendum munus imperantis formæ, quæ & ipſa dicitur natura, motus & quietis principium. At quia his videntur obſtare quæ proximè dicta ſunt, ſuperiorum ſcilicet influxus ob incongruas recipientium diſpoſitiones variari, etiam in contrarium verti, caſibuſque continuis viam aperire, hanc ideo ſubiicimus legem, quæ doceat nos tamen eſſe ſub ordinatiſſimo diuinæ prouidentiæ regno. Patet ex eo quod licèt à tot ſæculis, ex agentium cæco quodam impetu & recipientium peruerſis habitibus multa præter ordinem videantur contigiſſe, idem tamen eſt hodie qui fuit olim naturæ vultus; idem ſtatus, numeruſque ſpecierum, eadem ſub ipſis indiuiduorum figura, proprietas, actio. Vt appareat id eſſe diuinæ legis imperantis, cuncta cohibentis & regentis munus, aduerte Regulam Imperatoris Iuſtiniani: [e] Legis, inquit, munus eſt, imperare, vetare, punire, indulgere. Hæc legi naturali congruere probamus ſequentibus ſeriatim paragraphis.

[d] Seneca lib. 4. de benef. c. 7.

[e] l. 7. ff. de legib.

Digitized by Google

In neceſſariis imperium naturæ merum eſt.

Vide infra. l. 12. §. 3.

§. 1.

SVmmum bonum, verum omnium principium, in ſe neceſſarium, rebus à ſe conditis valdè bonis, his potiſſimum quas ad regimen vniuerſi deſtinabat, tum exiſtendi, tum agendi neceſſitatem quandam impreſſit. Nec enim conueniens erat quæ in commune bonum inſtruxit prouidentia, relinqui ſingulorum arbitrio, quia ſic haberent ius in digniora, etiam ſibi mutuo contrariis votis obſtarent; nihil fieret in natura, nullus conſtaret ordo, niſi cauſis ſuperioribus ineſſet neceſſitas, velut quoddam immobile, cui motus inferiorum inniteretur.

Id primum Deus conceſſit cœlo, velut corporum nobiliori, ampliori, ſuperiori, illi ſubſtantiam dedit inalterabilem, vt eſſet operis perpetui perpetuum inſtrumentum; dedit qualitates effuſione nunquam exhauriendas, motus circulares ſuis decurſis periodis in idem redituros, vt ſub ipſis rerum inferiorum viciſſitudo tenorem ſuum ſeruaret, munduſque rediuiuus ſemper maneret idem; vt ſole recedente ad ſigna meridionalia, [f] vincerent elementa inferiora, & conuerterent in ſe ſuperiora, at eo recedente ad ſeptentrionalia, vincerent elementa ſuperiora, in ſe conuerſis inferioribus. In hac reuolutione identitatem eſſentialem mundi, & ſpecierum, rerumque vniuerſalium ſeruare dicunt [g] cœlum ſuperius, nullis figuris inſignitum, motu ſimplici & æquali; Adminiſtrum aſſignant ei proximum ſtellatum cœlum, lento ſuo motu, ſtellis fixis, rebus diu duraturis præpoſitum; Planetas verò varios patientes motus, varias quotidiè configurationes, præeſſe ſingularibus exiſtentiis, variè fingendis, alterandis, citoque deſituris. Neceſſitatem hanc rebus deſuper illatam, fatum antiqui vocarunt, à prouidentia pendens, vt à lumine calor, vtque tota rerum exiſtentia tribus diſtinguitur terminis, principio, medio, fine, vbique regnantem abſolutè prouidentiam expreſſerunt per tres Parcas [h] quarum vna net, explicat altera, tertia præſcindit vitæ mortalis filum.

Ab hac igitur cœleſti neceſſitate, procedit ea quæ res inferiores profert certis temporibus è potentiæ latebris in exiſtentiam; quæ natas agit, agentes catenis inuiſibilibus continet, ne procedant vltra præfinitum ſibi terminum; hinc impreſſo motu feruntur elementa & ex illis compoſita pro ratione dominantis ſibi qua-

[f] Albert. Magn. de gener. & corupt. lib. 2. t. 3. c. 4.

[g] Idem lib. 2. de cœlo tra. 3. in fine.

[h] Plato in Eponomide.

litatis in centrum ſuum : hinc habent ſpecies quòd ab omni æuo, locis omnibus, eaſdem ſuis indiuiduis dant inclinationes, proprietates, artes ad ſui conſeruationem & propagationem, & licet tam vaga ſit materiæ proſtitutio, caſuum & circumſtantiarum innumera contingens varietas, eadem quæ fuit ab origine mundi ſit adhuc hodie, eritque ſemper, leonum, equorum, aquilarum, piſcium, vegetantium, ſenſibilium, rerum omnium natura. Hinc res quælibet ſuam habet actionem formalem qua ſimile ſibi producit, calor calorem, humiditas humiditatem, equus equum, & adulteria naturæ ad quæ libidinis furor proruit, ſterilitate damnata ſunt, ne fieret ſpecierum confuſio.

Vegetans [i] anima ratas ſuas habet facultates, nutritionem, accretionem, generationem; nutritio quatuor adminiſtras, attrahentem, expellentem, continentem, concoquentem, & hæ, vt in plantis ſenſu carentibus, ſic in animalibus inſciis vel nolentibus opus ſuum exequuntur. In his etiam ſenſus externi propoſitis obiectis neceſſariò ſuas obeunt actiones paſſionibus mixtas, videt oculus apertus colorem, auris percipit ſonum, guſtus ſaporem, odor ſuauitatem aut fœtorem; tactus molle, durum, quod delectat aut torquet; & hinc ſæuitia tyrannorum, quos inermes efficeremus, ſi liceret ſenſibus indicere ne vim illatam ſentirent. Rara hæc eſt doloris occaſio, at vrget nos quotidiana humidi quem natiuus calor conſumpſit reparandi neceſſitas, hanc dum dolor denuntiat, concitat ſenſus omnes ad officium, oculos ad inquiſitionem, pedes ad motum, manus ad rapinas & vim, vt illi ſubueniatur; hoc in munere ne torpeſcerent ſenſus, addidit prouidentia paſſiones concupiſcibilem & iraſcibilem, quæ ſic naturæ vim omnem in ſuas trahunt partes, vt in homine vix rationi locum relinquant. Ita conſtat vnumquemque ſui perfectum non habere dominium, ſed tutelam, adiunctis etiam cenſoribus qui negligentem his agant ſtimulis, his caſtigent & impellant tormentis, quæ neceſſitas ſi non premeret, animales homines torpore, ſpirituales abſtractione, obliti vitæ ſuæ mortalis, alimenta ſibi non præberent.

[i] Fernel. Phyſiol. lib. 5. cap. 4.

Vt naturæ lex abſolutum tenet in ſubditos omnes imperium, ita ciuilis, [k] quæ eſt commune præceptum, communis Reipublicæ ſponſio, Dei donum ad cuius præceptum, omnes qui in ea Republica ſunt vitam inſtituere debent, vno tenet omnes vinculo; quod vni, ſic omnibus non licet; nec etiam principibus quia cum fœlicitatis ſuæ ſit poſſe quod voluerint, virtutis eſt velle cum cæteris quod debeant. Qualis futurus eſſet Reipublicæ ſtatus ſi nullum eſſet legis imperium, & ſi ſuo quiſque viueret arbitrio, hac praua libertate periret vera naturalis libertas, nam contrariorum oppugnationibus

[k] l. 1. & 2. ff. de legib.

Digitized by Google

præpedita, fruſtraretur eo quod conſequi vellet bono, propterea definitur [l] naturalis facultas eius quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi aut iure prohibetur; lex enim intemperantes non continet, non dirigit, niſi vt in optabilis boni poſſeſſionem mittat, & efficiat ratio publica quod priuata tentaſſet, ſi non paſſionum caligine deluſa, vinculis irretita in contrarium proruiſſet. Ideò ſapiens verè liber eſt, [m] quia Dei naturæque legem volens ſeruat, quæcumque vis inferatur cogi non poteſt, nullo in ipſum iure, paſſionibus, fortunæ tyrannidi relicto, vt his internis ſic externis legibus vltrò paret, ſcit antiquas & ab initio poſitas in controuerſiam non eſſe vocandas ab homine nouo, breuiſſimi temporis incola. Itaque placidus ſequitur ordinem vniuerſi, imò præuenit paratis in obſequium affectibus, vnde lex ei non eſt poſita, quia iam vult, quod ipſa cæteris imperat.

l. §. 1. Inſtit. de iure perſonar.

m Philo lib. ſolum ſapientem eſſe liberum.

Huius quidem legis communis eſt, diſpenſationem non patiens neceſſitas; licet vota publica petant ſibi regem, qui regat non regatur; qui Rempublicam ex adminiſtrorum auidis perfidiſque manibus vindicet, in nullo præceps eſt natura, ſed lento ſuo ſemper gradu procedit; Rex puer non citius quam plebeius creſcit, adoleſcit in virum matureſcit, communes omnibus patitur infirmitates pueritiæ, iuuentutis paſſiones, niſi quod in ſumma licentia grauius inſoleſcunt. Illum non minus quam ruſticum quotidiana premit neceſſitas, famem cibo, ſitim potu, laborem quiete ſomnoque reparandi: cætera corpori contumelioſa præbere cogitur obſequia, miniſter moleſtioris ægri, cui cum apparatu ſeruiendum eſt, & cuius inolita luxus conſuetudo, duriorem, vt nec tam facilè parabilem efficit naturæ neceſſitatem. Quaſcumque pacis bellique negotia petant inducias, his ſurda mors præſcripta die, alia cogitantem rebus infectis abripit, & diuino ſiſtit iudicio. Heu ſi ſceptra nihil gratiæ merentur apud naturam, quid apud Deum? ad quid igitur tot curis, tot cædibus empti tituli! ô dignitatis humanæ theatrica vanitas! ô quantum eſt in rebus inane!

Voluptas allicit in bonum.

§. 2.

VAriæ politici regiminis ſpecies, variis ſibi congruis conſtituuntur legibus, ſed vt illis naturalem populorum libertatem ſubijciant; duobus ſimiliter omnes vtuntur mediis, præmio ſcilicet & pœna. Si regimen cœlum eſt inferiora dirigens, illi humanarum actionum duo fines, duo ſunt eius poli circa quos tota negotiorum ma-

Digitized by Google

china circumfertur; duo ſunt luminaria, diei & nocti, bonis maliſque moribus præſidentia; ex Democrito duo ſunt dij, ad quos vel pro boni conſecutione, vel pro nociui fuga, omnes vota concipiunt & ſupplices tendunt manus. Ad bonum allicit & in eo continet voluptas, quæ comitatur ſpem & poſſeſſionem præmij; at ne cæca libertas & ſenſus animalis extra proruat, imminentium capiti pœnarum metus, porrectaque minitans virga coërcet.

Communis hic eſt inter omnes populos regendi modus, quia procedit ad imitationem naturæ, cuius lex vt ſummum hic obtineat imperium, agentium tamen conditionibus temperatum, vnumquodque trahit ad bonum ſibi conueniens voluptate, à nociuis autem deterret dolore. Galenus[n] hunc duplicem ſenſum ideſt ſympathiam & antiphatiam exiſtimat ineſſe plantis, cum alia non poſſit eſſe cauſa, cur ea quæ ſibi competunt, attrahant & conficiant, declinent autem à contrariis quantum licet; vel radicibus ſub illis retentæ languentes depereant. Similiter partes corporis noſtri quod ſibi optimum & jucundum eſt in ſanguine, trahunt, ſicut ſtirpes è terra amœnum ſuccum, ſicut lapis Herculeus ferrum, ſicut purgantia medicamenta humorem vnum è corpore ſubſtantia ſibi ſimilem ducunt. Vt autem conuenientis amicitia atque deſiderio res vnaquæque trahit, ita par eſt eandem odio & offenſione concitatam, quidquid ſibi noxium eſt & infenſum, reſpuat & extrudat expultrice ſua facultate.

[n] lib. de naturalium facultat. ſubſtantia.

Conſtat apud omnes animal voluptate generari, deinceps continuo huius intimi ſui principij ductu, nutriri, augeri, propagari. Subtili quodam odoratu, vel alio ſenſu ignoto nobis deprehendit ouis in prato herbas vtiles, quas nihil hæſitans inter alias oris auidiſſima celeritate demetit. Sic Anachoreta in deſerto[o] radicibus viuens, nec valens vtiles herbas à nociuis diſcernere, in maximum vitæ diſcrimen adductus eſt, donec faſciculum herbarum offerens ibidi, illa bonas conſumpſit, nociuas roſtro abegit. Ægri ſæpius occulta ſympathia res ſibi profuturas augurantur & cupiunt, vnde dicit Hypocrates,[p] paulò peior ſeu ſuauior cibus ac potus, meliori quidem at ingrato præferendus; nam, inquit Galenus,[q] arctius à ſtomacho complectitur & digeritur facilius, ſed cur ita fiat ratio conſiſtit in occulta delectatione ex ſimilium occurſu naſcente, quam medicina de primis tantum qualitatibus iudicans non percipit, ſic de meliori cibo temerè pronunciat.

[o] Vitæ patr. lib. 4. c. 13.

[p] lib. 2. Apho. 38.

[q] In commentario.

Quoad voluptatem externos hominis ſenſus delinire ſolitam, hanc Ariſtoteles[r] dicit eſſe diuinum bonum nobis à natura conceſſum, & probat quia populis omnibus eſt commune, ab omnibus expetitum mente nullis adhuc opinionum & conſuetudinum imaginibus im-

[r] 1. Rhetoric. cap. 11.

Digitized by Google

preſſa. Huius ſtatim naſcens puer ſigna daret, niſi delicata carnis ſubſtantia, lucem, aërem circonfuſum, inſolitas pulmonis, iecoris, partium cæterarum explicantium ſe functiones, tandem lactis initio medicamentoſi vim non ferret ſine dolore; at eo ſenſim mitigato circa quadrageſimum diem, incipit ridere, de blanditiis, gratulationibus, oſculis, cantilenis, modulatis ad illas motibus velut ſaltationibus voluptatem percipere. Hæc ſola latentes creſcentis corpuſculi dolores, ejulatus & lachrymas ſolatur; trahit ad matris vbera lactis dulcedo, tandem firmior ætas vinculis ſoluta, id omne quod concupiſcit quod loquitur, quod obtinere tentat, quod oculos manuſque mouet, voluptas eſt. Illam animalia cætera in cibo tantum & venere percipiunt, homo modis innumeris, & per ſingula membra. Quærit illam iuuenis in creſcentis corporis & naturæ multa molientis leuamen, quærit vir in laboris, quærit ſenex in melancholiæ & defectus ſui ſolatium.

Cum à natura concedatur velut actionis ſtipendium & præmium, illam auſtera licet philoſophia non excluſit, ſed ordinauit, ne quos debet animos accendere, diſſolueret. Sic Plato[s] præcipit iuuenes, in muſicis, ſaltationibus, variis gymnaſticæ concertationibus exerceri, vt hæc ætas, ſic delinita fortius vires ſuas explicaret, & per ludum diſciplinis imbueretur. Viris eadem ratione concedit feſta, ſpectacula, ludos publicos, conuiuia, in ſolatium vitæ laborioſæ, cui cum remedium ſit, plura & publica gerentibus concedit ampliorem. Ludi ſcenici primum in græcia ſunt inſtituti, vt feros populorum mores delinirent, his neglectis ferunt Arcadas ſic obduruiſſe, vt cæteris fierent execrabiles. Romæ iidem ludi recepti ſunt in remedium ſæuientis peſtilentiæ, licet diſcuſſa melancholia corruptelam à corporibus in animas tranſtulerint, hinc enim fœdatos publicos mores meritò conqueritur D. Auguſtinus. Nunc etiam iura dilationes & ferias, præſcribunt quibus ſi ſacræ ſint, [t] renuntiare licitum non eſt, velut priuilegio ratione boni publici conceſſo. In priuatis etiam negotiis, [v] vſusfructuarius cum non debeat cauſam proprietatis deteriorem facere & multis pretioſior ſit voluptas quam vtilitas, non debet ex voluptuario prædio, viridaria, deambulationes arboribus infructuoſis opacas atque amoenas deijcere, vt forte hortos olitarios faciat, vel aliud quid quod ad reditum ſpectet; poteſt ædibus ornamenta addere non detrahere; [x] Ita non poſſunt legari, nec debent detrahi quæ ſpectant ad decorem ædificiorum, [y] vt columnæ, marmora, hærentes parietibus figuræ.

[s] 7. de legib.

[t] Cap. vlt. de dilatio.

[v] l. 13. ff. de vſufr.

[x] d. l. 13. §. 6.

[y] l. 41. ff. de legat.

Ita prouidetur legibus ne deſit materia voluptati; hanc autem potiſſimum percipiunt homines ex propriis ſuis actionibus, in quibus ipſa propter ſe quæritur, & alia omnia etiam vtilia & hone-

Digitized by Google

ſta propter ipſam appetuntur. Pecunias auaritia congerit, quia cum ſint rerum omnium pretium, delectant velut ſi in ipſis omnia poſſiderentur; ambitio conſcendit ad dignitates, quia delectat eminentiæ titulus, & infra ſe ſupplicantis turbæ ſpectaculum; dum placet oculis pulchritudo, rapit animum ad amorem; gaudet amicitia beneficiis, odium vindicta, ſpes bono futuro, audacia periculis; metus fuga, dolor lachrymis & ſolitudine, ſic voluptas ineſt rebus omnibus etiam ſibi contrariis. Coronæ, ſtatuæ, triumphi, immortalis gloriæ monumenta cedunt in præmium virtutis, quia delectant animum natura ſua tum excellentiæ tum æternitatis auidum.

Hanc in motu poſitam voluptatem[z] ſuperat ea quæ eſt in quiete, ſcilicet in mente ſedatis paſſionibus tranquilla, nihil pendens ab externis, læta, ſecura, plena ſui poſſeſſione, in qua ſummum vitæ bonum licet falsò poſuerunt philoſophi. Illud abſolutum & conſummatum bonum aſſerunt non recipere plus & minus, quid enim ſummo poteſt addi; at voluptas in motu poſita ſeu ratione locorum, perſonarum, temporum conceſſa, ſic intra mediocritatis terminos debet contineri: vt exceſſum, ſic defectum eius vitioſum aſſerunt, ſtupidum & agreſtem eſſe, bonorum fructum tyrannicè ſibi negantem, violentas quodammodo manus lento ſupplicio inferentem vitæ ſuæ, qui hanc omni voluptate carentem inſtitueret; hoc tetricum vitæ genus, facileſque odiſſe delitias damnat philoſophia, vt Iuriſprudentia[a] propoſitum eius qui vellet in ſepulchris habitare. Horum qui plus ſapiunt quam oporteat, qui non intelligunt mirabile neceſſitatis cum voluptate conſtitutum à Deo temperamentum, hic eſſe ſolet exitus, vt tandem auerſati rigidiorem quam deceat virtutem, in contrarium acto torrente, quem omiſerant luxum, ardentius repetant, & in eum immoderatè reſoluantur. Si qui ſint crucis amatores qui dum ſe totos Deo dicant, totos ſenſibus negent, raptu quodam & alta rerum humanarum incuria, non deeſt illis miſericors Deus, abiectas amore ſui voluptates terrenas ſpiritualibus compenſans in centuplum. Non immoror in hoc culpando delitiarum defectu qui rariſſimus eſt, & ſi contingat, tolerandus, vt oppoſitione ſua ſolitos eius exceſſus in naturam, in rationem, in Religionem in Deum peccantes valeat aliquo modo continere.

In hos exceſſus tranſierunt olim Sybaritæ, quorum diſſolutos mores, & his citò dilapſam eorum Rempublicam refert Athenæus;[b] tranſierunt pſeudo-Epicurei qui philoſophi ſummum bonum in animi voluptate conſtituentis ſententiam ad ſenſus tranſtulerunt; tranſeunt etiam nunc inimici crucis Chriſti,[c] quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum. Ignem conceſſit natura, vt intimi caloris & abſentiæ ſolis ſubſidium, non vt illo comburamur; dedit

[z] Marſil. Ficin. lib. de voluptate.

[a] l. 3. §. 6. ff. de ſepul. viola.

[b] lib. 12. c. 16.

[c] Philip. 3. 19.

aquam vt refrigeret, non vt obruat; Ita conceſſit voluptatem vt alliceret ad conuenientia, vt vitæ labores leuaret, non vt homines toti corporeis gaudiis dediti per luxum & ignauiam vitam agerent. Hi ſunt minus continentes plantis quæ in mediis aquis neceſſarium ſibi tantum, non ſuperfluum humorem trahunt, & beſtiis quæ ad neceſſitatem & delitias, non ad ſtuporem & morbum vſque conceſſis ſolent vti. Sufficiat hic breuiter demonſtraſſe legis naturalis imperium, ſic eſſe temperatum, vt iubentis authoritatem obſcuret obſequentium cupiditas & voluptas; tam liberale vt velit nos auſpicari vitæ mortalis militiam à conſummatæ præmio, à voluptate quæ eſt ſupereſfluentis quædam bonitatis, & æternæ fœlicitatis vmbra.

Dolor & vis exigit, quod aliàs ſponte non fieret.

§. 3.

VT prima iuſtitiæ pars eſt ad legis obſequium propoſitis præmiis homines prouocare, ſic ſecunda declinantes in contrarium armata manu, minis pœniſque continere, lapſos reuocare. Cùm humana mens peruerſæ ſuæ libertatis vindex in hac ſenſuum & paſſionum regione vltrò feratur ad illicitum, ad honeſtum autem non niſi vim paſſa, hæc coactio videtur eſſe præcipuum legis ſubditos in bonum dirigentis munus; vnde definitur [d] delictorum quæ ſponte vel ignorantia contrahuntur coërcitio. Raro proponit præmia, vbique minatur pœnas, quia virtus ipſa per ſe bonis præmium eſt, ad illamque propter ipſam veniunt; at cum naturalis & frequentiſſimus ſit in pejora lapſus, continua debent eſſe quæ hunc cohibeant & impediant, vincula. Etiam tempore pacis [e] contra contumaces militari manu proceditur ad coactionem obedientiæ, & armari leges dicuntur pro criminibus vlciſcendis; Vtque imperium [f] abſque notione exerceri non poteſt, ita nec juriſdictio ſine imperio & poteſtate coërcendi, inermiſque magiſtratus nullus eſt, vnde mandata juriſdictione [g] etiam intelligitur mandari modica coërcitio, omnibuſque conceſſum eſt [h] iuriſdictionem ſuam pœnali iudicio defendere. In ipſiſmet tranſactionibus [i] quæ liberè fiunt, pœna debet apponi, ne ab illis recedatur, ne data fides in compromiſſo, ſi liceret impunè, receptis arbitris illudat, iterumque miſeros fori laqueis implicet; Multa bona præſtantur inuitis, inquit canon, [l] quando eorum conſulitur vtilitati, non voluntati, quia ſibi ipſis inueniuntur eſſe inimici. Concludit Plato [m] viuendum eſſe ſub legibus, quia nullus ea quæ ſunt ad bonum publicum, aut ſponte ſua, aut diu vult. Non valet contra-

[d] l. 1. ff. de legib.

[e] l. cum vi- ro. ff. ad l. Iuli. de adulter.

[f] l. 2. ff. de Iuriſd.

[g] l. Fin. ff. de officio eius cui man. eſt Iur.

[h] l. vn. ff. ſi quis ius dic.

[i] l. 15. ff. de tranſact. l. 11. ff. de recep. arbit.

[l] can. & qui. diſt. 45.

[m] lib. 9. de Republ.

ctus ſic factus, decem dabo ſi voluero, nec enim debet in arbitrium rei conferri an ſit obſtrictus, qui ſponte ſua fertur ad liberationem licet cum alterius iniuria, niſi quod iuſtum eſt exigat legis actio. Prius fideicommiſſa nullo vinculo juris, ſed tantum pudore eorum qui rogabant, continebantur, poſtea neceſſitas impoſita fuit hæredi, fideicommiſſario volenti hæreditatem reſtituere. Malus abdicata ratione tranſit in naturam beſtiarum, quæ maximè pœnis & verberibus domantur; tranſit in naturam dæmonum inferiorum, quibus contumelioſè,[n] minis, adiurationibus imperandum eſt, non humiliter ſupplicandum vt docent Appolonius, Iamblicus, & D. Thomas.

L. 7. ff. de contrah. empt. l. 35. eod. l 8. ff. de oblig. & action.

Inſt. de fideicom. hæred.

[n] Philoſt. in vita Appolonii lib. 2. c. 1. Iambl. de myſter. c. 3. D. Tho. 22. q. 83. a. 17. ad 1.

Quod igitur oporteat ciuitatem & legibus & armis eſſe munitam, quibus & magiſtratibus inobedientes parere compellantur, & quibus propulſetur vis externa; quod rara ſint præmia, pœnæ frequentes, id totum politici mutuati ſunt à natura. Allicit quidem voluptatis illecebris, vt diximus, ſed inſtat potiſſimum dolore, cuius ſenſus acutior eſt, ne à conuenientis boni proſecutione deficiat actio, aut in contrarium aberret. Opportuit partes corporis ſuis locis aptè conſtitui, diſpoſitis ſinibus excipi, non contrahi, non prolabi, & è ſuis ſedibus moueri, vt ſint ad proprias actiones paratæ, tunc autem non delectant, cum nec ſentiantur; at ſi vis externa, aut incumbens humor luxauerit, ingens dolor cogit eas vnde motæ ſunt ſtatim reſtitui: quis de cibo ad humidi conſumpti reparationem ſumendo cogitaret, quis deficientis naturæ neceſſitatem intelligeret? quis omiſſis animi ſtudiis curiſque ad hæc ſe pateretur demitti, ſi non vrgeret fames, & exinanita ventriculi capacitas, rugis contracta, concidentibus in ſe lateribus proxima præcordia grauiter conuellens, ad implendam farciendamque vacuitatem ſtimularet appetitum; vbi ſedatus eſt, offeratur licet cibus aliàs gratiſſimus, nauſeam parit, vnde patet verum eſſe quod dicit Plato,[o] voluptatem potiſſimum in doloris ceſſatione conſiſtere, quia dum ceſſat dolor, ceſſat ex fruitione voluptas, quæ maior eſt jeiunis in cibo vili, quam ſaturis epulonibus in pretioſo. Id autem ſic mira diuinæ bonitatis prouidentia factum eſt; ne vitæ ſolatium magno conſtaret, & in arbitrium fortunæ poneretur.

[o] In Phædone.

Nullus eſſet certantibus, venantibus, auaris, curioſis laborum terminus; exhauſtis ſpiritibus momento vires conciderent, niſi laſſitudo cogeret ad quietem, & improuidos paſſionum motus, ſenſus omnes vel nolentes irrepens dulcis ſomnus conſopiret. Ita dolor voluptatis principium eſt, actionum origo, tutor & magiſter. Licet apoplexia tollat omnem motum & ſenſum, tamen mouentur muſculi thoracis reſpirationis neceſſitate, & ſuffocationis dolore excitante neruorum vim ad functiones. Neceſſitas eſt quæ ciuilem hominum

T

Digitized by Google

vitam inſtituit, vt ſe mutuis viribus iuuarent. Neceſſitàs artium omnium mater eſt, vnde illi, & induſtriæ velut proli vnicum Corinthij [p] templum, vnam aram extruxerunt: docuit terram colere, maria ſulcare, mundum omnibus communem efficere commertio, domos conſtruere, victum, veſtitum parare, & quod his ineſt probroſæ ſeruitutis, apparatu ſplendido, artes ſuæ verterunt in gloriam: aduerſis in rebus addit animos, ſpem ſæpiùs dedit ex deſperatione, victoſque de vincentibus versâ momento rerum aleâ triumphantes effecit. Plinius [q] loquens de leone, qui homini in deſerto blanditus eſt, vt os quo fauces præpediebantur auelleret: vnde, inquit, medicas nouit hominis manus, niſi fortè vis malorum etiam feras omnia experiri cogit. Illis in hoc eadem cum homine ſors, nam à remediorum inuentione cœpit medicina, nihil intentatum relinquens, vt vrgenti dolori ſubſidium aliquod afferret: hinc multorum edocta periculis, ſanitatis reſtituendæ & conſeruandæ præſidia promittit, ſaltemque præſtat vt iuxta illam nemo deſperet.

[p] Pauſan. in Corint.
[q] lib. 8. c. 16.

Etiam ea quæ pertinent ad vrbanitatem, ad vitæ ciuilis decorum & vanitates recenſent inter neceſſaria, vt eo titulo ſecluſis impedimentis omnibus, fortiter perficiantur. Hæc non præſtare dedecus eſt, velut pœna grauior in eminentiori dignitate, vt deformitas in vultu, morbus in parte nobiliori maior eſt: ea ratione ſacerdotis delictum minùs toleratur, [r] & olim [s] pari ſacrificio ac totius populi peccatum, debebat expiari; ſacerdotis etiam filia [t] delinquens grauiùs quàm cæteræ puniebatur: homo Chriſtianus propter duas cauſas fortiter cadit in peccato, inquit canon, [v] aut propter eius magnitudinem, aut propter altitudinem dignitatis: ſic tanto damnabilior iudicata eſt Angelorum culpa, [x] quanto erat natura ſublimior; plus delinquit miles [y] quàm paganus; plus is qui conceſſa eſt adminiſtratio, [z] quàm extraneus: generaliter tamen grauius in eodem delicti genere punitur ſeruus [a] quàm liber, famoſus quàm integræ famæ.

Quædam acriùs vindicantur quatrupliciter, inquit D. Thomas, [b] ſcilicet propter grauius peccatum, conſuetudinem, pronitatem, & nocumentum. 1. Conſtat parricidia, ſacrilegia [c] grauiùs puniri; olim [d] aduerſus ducem vel præſidem militiæ contumacia pœnâ capitis puniebatur. 2. Acerbiùs animaduertitur in eum qui ſæpius eadem commiſit, [e] videtur enim recidiua vt in morbis ſic in delictis, naſci ex inſufficienti curatione. 3. Cùm maior eſt in malum inclinatio, ſiſtitur ſæuiori vindicta, ſic oſſium capita lubricis & orbiculatis excepta ſinibus, ne facilè diſſiliant, fortiſſimis vinculis colligantur; ſic ferociores equi durioribus frænis ſunt coërcendi; leones validioribus catenis detinentur; orientales populi ingenioſi, ſuæ libertatis amantiſſimi, parati ſemper ad excutiendum iugum dominationis, aſperiori-

[r] l. 8. C. de Epiſc. & cler.
[s] Leuit. 4. 6. 8.
[t] Leuit. 21. 9.
[v] Can. homo. diſt. 40.
[x] D. Auguſt. tract. 100. in Ioan, in fine.
[y] l. 14. ff. de pœnis.
[z] l. 9. ff. de tutel.
[a] l. 10. ff. de pœnis. &c.
[b] 1. 2. q. 105. a. 2.
[c] l. 7. & 8. ff. de iniuriis.
[d] l. 6. ff. de re milit.
[e] L. capitalium. ff. de pœnis.

Digitized by Google

buſ legibus in officio continentur: auſterior ſolet eſſe diſciplina belli, quia vires armis conſtant, quæ vbi à recto itinere deſciuere, oppreſſura ſunt, niſi opprimantur. In paucorum potentia[f] grauiùs animaduertitur in diuitem qui pauperes contumelia afficit, id enim, niſi occurratur, ſolet fieri; ea ratione grauius punitur mulier[g] quæ cum proprio ſeruo, quam cum alieno commiſcetur: propter violentam Domini necem ſeruos omnes torquere mos erat,[h] donec reus cognoſceretur, & ſi latebat omnes capite plectebantur, vt ſecurior eſſet Domini vita, inter ſolitas ſeruorum vt hoſtium inſidias. Innumera ſunt in iure ſimilia, quibus poteſt addi, quòd ſeuerior efferbuit pœna contra nouæ legis tranſgreſſionem,[i] vt deleretur diu contractus in contrarium habitus, & ne facili tunc tranſgreſſioni faueret impunitas: ſic horrenda populi Iudaïci punitio tranſgredientis nouiter receptam à Deo legem; ſic ea de cauſa ne fratri quidem Remo pepercit Romulus, primamque hanc voluit eſſe victimam, quæ munitionem vrbis nouæ ſanguine ſuo conſecraret. 4. denique pœnæ delictis damniſque commenſurantur,[k] ſeuerior enim ſumitur vindicta de reis læſæ maieſtatis, qui totam Rempublicam,[l] in vnius Principis aut Magiſtratus perſona læſerunt; his & ſimilibus exceptis leues aberrationes tolerantur.

[f] Ariſt. 5. Polit. 8.

[g] l. vn. C. de mulier. quæ ſer.

[h] Tacit. 4. Annal. l. 1. ff. de S. C. Syllania.

[i] l. 25. ff. de pœnis can. non afferimus 24 q. 1.

[k] l. 11. ff. de pœnis.

[l] L. 1. & 2. ff. ad l. Iul. maieſt.

Permittuntur quæ non multum nocent.

§. 4.

Conſtant omnia certo quodam temperamento; poſiti ſunt vt eſſentiis ſic actionibus termini, vltra quos ne quid procedat, & harmoniam vniuerſi diſſonantia perturbet, obſtat naturæ lex, imperio, coërcitione, miſericordia, quæ neſcientes & inuitos ad id quod optimum eſt dirigit. Sed hæc rebus impoſita mediocritas ſuam habet latitudinem, è cuius centro licet in defectum aut exceſſum illæſis cuiuſque ſpeciei conditionibus declinare, ſpatiumque ita patens conceditur, vt in eo tota videatur eſſe libertas.

Vt ordiamur à defectu, neceſſe eſt cum illo ſtare rerum exiſtentias, quia quælibet ſingularis æquare non poteſt totum ſpeciei bonum, eminens & vniuerſale,[m] tum quia ſingulares illi defectus conferunt ad bonum vniuerſi. Lex eſt ad primi mobilis motum cœlos omnes intra viginti quatuor horas orbis circuitum abſoluere, deficit tamen in aliquo octaua ſphæra in 100. annis abſoluens gradum vnum ab occidente in orientem; deficiunt ſimiliter mota quotidie planetarum corpora, quibuſdam gradibus & minutis; pariturque ſuperior

[m] Card. Cuſa. de docta ignor. lib. 3. cap. 1.

Digitized by Google

orbis aliquid ſibi detrahi ab hac irregularitate, quia parum aberrat. Simile quid habent Iuriſconſulti apud quos [n] libertus cui centum teſtamento Domini relucta ſunt, ſi ab vxore ſua non recedat, cenſetur id impleuiſſe, licet ſuis vacans negotiis, aliquas excurſiones fecerit; breui reuerſa vxor [o] non videtur diuortium feciſſe, & generaliter [p] videntur eſſe in fundo, quæ maiori temporis parte in eo ſunt. Terra cenſetur occupare centrum mundi, quia tenet illud maiori ſui parte, & licet illic aëri, aquis, ignibus ſatis ampla relinquat ſpatia. Poſſunt dæmones [s] partem eius aliquam mouere, non tamen totam, quia hoc non eſt proportionatum naturæ ipſorum vt mutent ordinem elementorum mundi. Mari licet quotidianis æſtibus exundare, ſed in limine ſibi poſito confringit tumentes fluctus ſuos: cenſetur perennis fluuius [q] etiam qui æſtate quadam exaruit: ager habetur fertilis qui quandoque fallit ſpem agricolæ, vnius enim anni ſterilitas, alterius fœcunditate penſatur.

[n] L. 13. ff. de ann. legat.
[o] L. 35. ff. de ritu nupt.
[p] L. 18. de inſt. vel inſt. leg.
[s] D. Thom. 3. q. 16. a. 10.
Iob. 38.
[q] l. 1. ff. de fluminib.

Diximus [r] fatali quadam neceſſitate bonis mala permiſceri, & nihil eſſe intra ſpeciei cuiuſque limites numeris omnibus abſolutum; agros, domos, fontes patimur cum ſuis ſeruitutibus; amicos, ſeruos, equos, cum innatis ſibi vitiis: Deus cum dixit fiat lux, [ſ] ſic fugauit tenebras, vt redirent, & mediam temporis partem occuparent; etiam vtiliter in venis, cæteris humoribus ſanguis permixtus decurrit: nutrimur dulcibus, non abſolutè talibus, ſed dulci permixtis; ne momento quidem frueremur vita, ſi toties deficeret, quoties alteratur temperamentum. Alter alterius onera portate, monet Apoſtolus, [t] ex diſciplina naturæ, quæ legem ſuam vniuerſalem, paruo quodam aberrante paſſu non cenſet violari, parumque vt pro nihilo reputare vidimus in defectu; idem obſeruare poſſumus in exceſſu.

[r] Supra l. 10. §. 3.
[ſ] Rupert. lib. 1. in Geneſ. c. 10.
[t] Gal. 6.

Elementa definitas ſibi regiones & ſtationes cenſentur fideliter tenere, licet ignis & aër ſint in omnibus, vt dictum eſt; [v] licet terra ſupra mediam aëris regionem iuga montium efferat, & maria tum in ſolenti fluctuum elatione, tum per vapores emiſſos, ſedes illas altiores occupent: patitur hæc natura, & his eruptionibus docet, quo ferrent, & in quales exceſſus effunderentur, ſi non illas velut fræno contineret regentis Dei manus. Non eſt anguſta, vnde neceſſariis prouidens, etiam ſufficit ſuperfluis. Folia potiſſimum data ſunt, vt dum arborem exornant decenti coma, in frugiferis fructus ab iniuriis vindicent; at quanti laſciuientes pampini quos velut nociuos agricola falce præſcindit. Mammæ alendo partui datæ ſunt, tamen apparent in viris licet ſteriles, ſicut in talpis oculorum inania rudimenta; ſuperueniunt meſſi flores quibus laboratum non eſt; ſunt in marmoribus exangues, ſolidæ, fluorem mentientes venæ: quibuſdam pingueſcunt corporis partes, omnibus creſcunt vngues & pili pluſ-

[v] Supra. l. 4. §. 2.

Digitized by Google

quam deceat, nec tamen culpatur ob id natura, vt nec cum meliori ſemine ſolum vacuum inutiles fundit herbas.

Ex hac naturali lege didicit ciuilis [x] pro monſtro hominem non habere, cui plures ſunt ſolitis in manu digiti, & ob id [y] ſeruum non redhiberi; generaliter quæ abundant [z] non vitiare ſcripturas, dum tamen adſint neceſſaria; didicit politia leui manu habenas moderari, nam imperat hominibus qui nec totam ſeruitutem pati poſſunt, nec totam libertatem; didiſcit moralis non mirari, ſi ſapiens interdum aliquo paſſionum æſtu tentetur; didicit adoleſcentes rigida nimis diſciplina non continere, ne puſillo animo fiant, inquit Apoſtolus, [a] & decuſſis decoctiſque velut pruina floribus, ſpes omnis fructuum aboleatur: laſciuiunt primùm, vt poſtea ſeruiant, canes & iumenta, & qui non patitur creſcentis ætatis motus inordinatos, maturæ commoda non percipiet; teneris annis acerbè non eſt inſtandum, ne ſtudia puer, quæ amare nondum poteſt, oderit, & amaritudinem ſemel perceptam, in poſterum reformidet. Sic cùm illis eloquentiæ ſtudentibus oratio non poſſit eſſe perfecta, melior eſt abundans & vltra quàm par eſt fuſa, facile remedium eſt vbertatis, ſterilia nullo labore vincuntur.

x l. 14 ff. de ſtat. hom.
y l. 10. ff. de ædil. ed.
z l. 94 ff. de reg. Iur l. 37. C. de donatio.
a Coloſſ. 3.

Tandem ſicut ſtat mundi totius ordo perennis, inter ea quæ propter defectum materiæ, & agentium cæcos impetus caſu contingunt, ita viget lex ciuilis, licèt habeat aliquid ex iniquo quod vtilitate publica compenſatur; & quamuis tolerari debeat minus malum vt grauius poſſit vitari. Citò deficeret ciuilis ſocietas, ſi ex Stoïcorum opinione paria omnia eſſent crimina, & ex Draconis legibus, tum defectus, tum exceſſus nunquam tolerati extremo ſupplicio vindicarentur.

Imperantis poteſtatis eſt, aliqua præter conſuetum ordinem indulgere.

§. 5.

SI lex imperet Deum imperare dicit Ariſtoteles, [c] quia plurium ſapientum quibus diuina mens præſidebat conſultatione ſemel ſtabilita, non ſubiacet in poſterum vario paſſionum humanarum iudicio: hæc rata fixaque de rebus agendis, & ad rationis lancem ponderatis ſententia, it quidem obuiam inconſtantiæ vel ex ignorantia vel ex culpa naſcenti; ſed rebus natura ſua fluxis non benè prouidet immotum rigidumque decretum, quo ſupponuntur aliæ quam ſint, & quod malum cui debet auxiliari, vel non attingit, vel auget

c Polit. lib. 3. c. 11.

T iij

intempeſtiuo ſubſidio: quis non obſeruatis morbi paroxiſmis remedium decernit? quis inter ventos momento varios, vnico velorum ſtatu ſperet per ingentia maris ſpatia propoſitum portum attingere? & quis mobilem negotiorum conditionem immobili, finito, illas non ſequente ſtatuto diriget? Non poſſunt omnes caſus [d] qui quandoque incidunt lege comprehendi, ſed qui iuriſdictioni præeſt, ad ſimilia producere & ius dicere debet: igitur neceſſaria fuit lex animata, ſcilicet Princeps aut magiſtratus, qui legem ſcriptam, habita ratione rerum, perſonarum, locorum, temporum ex Epichia [e] & æquitate temperet. Hæc autem æquitas in tribus potiſſimum conſiſtit, primo in legibus ex æquo & bono [f] ad ſanam rationem & rectam ſententiam accommodandis & interpretandis. 2. in illis ampliandis [g] & ad ea quæ lege comprehenſa non ſunt, vti par eſt ratio, extendendis, 3. [h] vt in his quæ ex verbis legis colligi non poſſunt, ſequamur quod naturalis æquitas ſuggerit: quantumuis ergo prouidè ſcripta fuerit lex, cum ſit in rebus ipſis præſentibus cæca, futurarum ignara, ſupplicantium votis ſurda, tyrannicum habebit imperium, ſi non fuerit mentis humanæ, quam ſibi ſubiicere tentabat, arbitrio temperata.

[d] l. 10. & ſeqq ff. de leg.
[e] Ariſt. 5. mor. 14.
[f] l. 19. 24. 91. de verb. oblig.
[g] l. 10. & ſeq. C. de conſt. pecu.
[h] l. 2. 5. item varro. eod.

Lex naturæ his non ſubiacet incommodis, eſt enim diuinæ ſapientiæ mundum gubernantis ratio, rebus vniuerſalibus ſic prouidens, vt ſingulis pro modo ſuo ſemper adſit, velut ſingularis, & vnius cuiuſque commodis non minus aptè commenſurata quam ſi ei tantum inuigilaret. Sic formam aſſerunt cœlo lapſam, aptum ſibi domicilium conſtruere, edendis actionibus inſtrumenta parare, non ad rationem tantum ſpeciei, ſed prout exigunt indiuidui conditiones; vnde dicunt vnam animam aliud corpus, quam ſuum, informare non poſſe. In texendo verbi gratiâ humano corpore, [i] natura non eſt ita certæ addicta legi & conformationi, vt in congruas ſingulari temperamento varietates non excurrat; helluonibus abdomini ſuo natis dat iecur ampliſſimum, aliquando non diſſectum in lumbos, nullis fibris diuulſum, ſed ſolidum, vt collecta virtus ſit maior in perficienda digeſtione. Hi quibus exundare debet bilis, bulla fellis ductum habet non in inteſtinum tantum, ſed & in ventriculi fundum proiectum, vt etiam vomitione poſſit excerni. In phlegmaticis quibuſdam obſeruatum eſt, vnicum eſſe renem, geminos magnitudine compenſantem, vt virtus vnita fieret ad excretionem fortior: futurum athletam fortiſſimum effecit natura, [k] diſponens rectos & tranſuerſos cancellatim neruos toto corpore, potiſſimum in brachiis & manibus.

[i] Fernel. lib. 1. Phyſiol. paſſim.
[k] Plin. l. 7. c. 10.

Fuerunt etiam hominibus præter ſpeciei ſuæ ſortem conceſſa priuilegia, vt quòd Ophiogenes [l] ſerpentum ictus ſolo tactu leuarent, & manu impoſita venena extraherent corpori; quod ex hirpiarum

familia nati, ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes non aduterentur; quòd Pyrrhi regis dextri pedis pollex tactu leniosis mederetur, qui & cremari cum reliquo corpore non potuit. Vt reperiuntur lapides naturaliter impreſſi figuris,[m] quæ ad ſimilia vim latentem ſyderum exprimunt, ſic quibuſdam hominibus corpus fuit certis inſignitum caracteribus innatæ virtutis indiciis; quibuſdam anchoræ ſigno,[n] quia his fundari debebat Reipublicæ ſalus: alij genuinam lanceam femore præferebant, virtutis militaris augurium; Auguſtus maculas habuit in corpore in modum cæleſtis vrſæ diſpoſitas; an quia ſicut hæc conſtellatio nunquam nobis occidit, ſic eo regnante naſci debebat ad finem vſque ſæculorum duratura Religio.

[m] Albert. Magn. de lapidib.

[n] Alex. ab Alex. lib. 2. c. 19.

Inter hæc priuilegia reduci poteſt fœlix quorundam natiuitas ſub fœlicium ſignorum & planetarum dominio, quibus videtur innata non labore quæſita virtus, aduerſis rebus non deiecta, proſperis non inſoleſcens, velut animo innocentiæ primæuæ reſtituto. His addo bonam fortunam eorum quibus res omnes proſperè cedunt vltra ſpem & vota; & in quorum ſinum vndique fœlicia confluunt, ipſis etiam alia cogitantibus vel dormientibus. Ordinatur, inquit D. Thomas,[o] homo ſecundùm corpus ſub corporibus cœleſtibus; ſecundùm intellectum ſub Angelis, ſecundum voluntatem ſub Deo, ex his cauſis hominem inclinantibus in bonum citra electionem ſuam aliquis dicitur bene fortunatus: magno certè priuilegio non naſci vt reliqui mortales ad laborem, ſed ad delitias, fortunæque viciſſitudinem non experiri: id ambierunt Athenienſes[p] conſecrato ſimulachro victoriæ inuolucris; id ſperauit Veſpaſianus[q] Romæ dicato templo æternæ pacis, plurimorum adulatione ſibi perſuadens ſe Regem eſſe, cui hoc immortale bonum Iudæorum oracula promittebant. Vix tamen obſeruata fuit ſic conſtans fœlicitas vt initiis exitus reſponderit, nam, vt dicunt, ſeruatus in finem vitæ maleficorum influxus, nullo beneficorum temperamento, delitiis & honoribus diu ſaginatos, vt olim Crœſum, Aman, Sejanum, Beliſarium, inſperata crudelitate necat, & elatos præcipitio collidit. Multorum certis temporibus ſanitas tentatur,[r] & omnium in ſenectute hebeſcunt ſenſus: pro miraculo, & id ſolitarium reperitur exemplum Xenophilum muſicum centum quinque annis vixiſſe, ſine vllo corporis incommodo.

[o] lib. 3. contra gentiles.

[p] Pauſan. in atticis.

[q] Baronius an. 76.

[r] Plin. lib. 7. c. 50.

Exigua mihi videtur fœlicitas hæc quæ in breui vita fortunaque contigit, nec ſuſpicio tanquam maximum, quod ſpectat corpus minimam noſtri partem. Verè maximum in homine priuilegium eſt ſanctitas, quæ hominem transfundit in Deum, & puriſſimis affectibus illi coniunctiſſimum participem efficit eius omnipotentiæ, cui tota natura humiliter obſequitur, quod habet relinquere, quod non habet aſſumere parata, cum id iuſſum fuerit. Meritò ſtupet omnis ætas

Digitized by Google

Publica priuatis ſunt præferenda.

Lex 12.

Lex iſta paucis concepta verbis, præcedentium & ſequentium fundamentum eſt, omneſque ferè quæſtiones, in naturalibus, ciuilibus, artefactis hac appoſita generali regula, dirimuntur. Meritò cenſeri poteſt hæc veritas inter prima principia mentibus omnium inſita, quæ cum cæteras probent propoſitiones, ipſa non probantur, quia ſcilicet notiſſima probatione non indigent, inſtar lucis, per quam cum omnia videantur, ipſa per ſe ſplendet, tenebraſque diſcutiens paſcit oculos. Sic omnes ſenſu quodam communi ſupponunt huius legis æquitatem, ſapiens tamen illam ratione diſcernit, & ſi vocaretur in dubium poteſt eam validiſſimis argumentis contra negantes aſſerere. Totum enim, publicum, compoſitum, perfectum illud quod ex partium apta poſitione conſurgit, primum intenditur ab opifice, vt eſt vniuerſale, eſt propriiſſimus commenſuratus effectus quem ſibi proponit cauſa vniuerſalis. Anima eſt primò actus totius corporis, ſecundariò autem partium eius, inquit D. Thomas;[a] Intentio legiſlatoris primò & principaliter ordinatur ad bonum commune,[b] ideò non præcipit actus particulares vnius, niſi vt ordinantur ad alterum: pictor intendit alicuius vultum exprimere, tum ad id conuenientes ducit lineas, colores ſibi mutuò & vmbris miſcet, donec ars naturam effecerit. Igitur partes vnde totum illud intentum perficitur, ſe habent ad illud velut materia, cuius proprium eſt cedere & obſequi formæ venienti; ſe habent vt media, quæ pro ratione finis aſſumuntur, modum & limites accipiunt, denique repudiantur vbi prodeſſe deſierint. Ita totum illud ſuis partibus, qualitate intentione ſcilicet, antiquius & nobilius eſt; quantitate maius, & amplioris bonitatis, cùm eo ſaluo partes vt plurimum ſaluæ ſint; diſſoluto, totæ concidant. Totum igitur præferendum eſt priuatis partibus, quæ tantum in ipſo, ſedem, nexum, decorem habent.

[a] 1. q. 76. a. 8. ad 2.
[b] Idem. 1. 2. q. 90. a. 2. ad 4.

Pars vniuerſo ſuo debet congruere.

§. 1.

^c Fernel. Phyſiolo. lib. 2. c. 2.

PArtem corporis definiunt medici, [c] corpus toti cohærens, communique vita coniunctum, & ad illius functionem vſumue comparatum. Vnde concludunt humores toto corpore fuſos, ita ſpiritus impetu cordis impulſos in arterias, partes non dici, quia non hærent, ſed fluxi deerrant, quaſi vaſe contenti: ſunt cæteris alimentum, quod non congruit partibus, alioquin illis ab inuicem conſumptis, periret totius integritas. Similiter tumores, calli, verucæ, licet alantur & viuant, partes non debent dici, quia præter naturam & prodigiosè cum ſint, nullam functionem, nullumque vſum toti, ſed potius incommodum afferunt. Partes tum inter ſe, tum vniuerſo congruunt, quia certis loci, quantitatis, formæ, figuræ finibus continentur, præſcriptis conceſſiſque modis ſibi mutuo ſubſeruiunt, vt in totius commodum operæ ſuæ refundantur. Oeſophagus à linguæ radicibus in ventriculum illapſus, quæcumque accepta ſunt, illi ſuppeditat, concoquit autem hic, paratque iecori; inteſtina genitas concoctione cibi reliquias deiiciunt; quidquid purius eſt, iecori ſuggerunt venæ quæ dicuntur meſaraïcæ, vt hoc rurſus altera coctione in ſanguinem iecur conuertat; hinc orta genitaque ſuperflua, lien, fellis cyſta, renes expurgant paratis ad hoc ductibus. Cùm ſibi peculiarem actionem hæ partes obtineant, hanc tamen referunt ad communem iecoris commoditatem & vſum; iecur autem ad cordis, ambo ad cerebri neceſſitatem, omnia denique ad ſenſuum, nobiliumque partium geſtiones & opportunitates, vt videri poſſit eximius partium omnium concentus, & in vnam ſummamque animalem actionem, pro cuiuſque ſpeciei ratione concors omnium conſpiratio.

^d D.Tho. 1. q. 3. a. 7. & q. 65. a. 2.

Omnes itaque partes ſunt propter totum, [d] vt iam demonſtrauimus cœlorum & elementorum inductione; cœli ſuperiores præſunt rebus vniuerſalibus, inferiores rebus magis ſingularibus: cum inferiorum vita conſiſtat in calido & humido; hæc conferunt duo luminaria, ſol calidus, luna humida; horum ſpecialis tantum fit mentio in Geneſi, & Ægyptij cœlorum vim omnium in illis venerabantur ſub nomine Oſiridis & Iſidis. Inferiores planetæ, ſuperiorum vires temperant, Luna Saturni, Mercurius Iouis, Venus Martis: Ars diuina motus eorum ſic dirigit, vt incidant in diuerſos aſpectus mi-

Digitized by Google

rè concinentes ad totius harmoniam; ſicut cytharam tangentis digiti, velut fortuita, quia viſum fallente velocitate, fictis etiam & ſemiuiuis tonis ludentes, propoſita ſibi notataque melodia blandiuntur auribus. Sic æquiſſima permutatione negotiantur elementa, & mixtorum temperiem pro cuiuſque tum ſpeciei, tum indiuidui ratione conformant. Terra, velut vaſe continet aquarum fluiditatem; aquæ per terræ venas colatæ, dum eius medentur ſiccitati fœcundam efficiunt; ſic de cæteris mundi partibus; quæ tum exiſtendi, tum agendi terminos habent non tam naturæ ſuæ ſingulari, quam vniuerſo profuturos; ſic quodlibet indiuiduum eſt propter ſuam ſpeciem, ſpecies omnes ordinatiſſimæ, mediis interiectis inter extremas, ſunt propter totius complementum & pulchritudinem.

Ex his infert D. Thomas,[e] hominem non eſſe bonum, qui non ſit proportionatus bono communi; turpis enim pars, inquit D. Auguſtinus[f] ſuo toti non congruens, quæ ſe vel non erigit, vel non deprimit, cum id communis boni ratio videtur, poſtulare tunc non conturbabit ſapiens publicos mores,[g] & populum in ſe nouitate vitæ non conuertet, vt vniuerſo, ſic Reipublicæ poſitis legibus ſe libens accommodat, ſi non alio ſaltem pacis & ordinis tranquilli præmio; ſequitur quæ mutare ius non eſt; totius pulchritudinem, licet minus abſolutam non deturpabit partis auulſione; concentum in aliquo peccantem, duriorem non efficiet notabili morum diſſonantia. Ita decernunt canones Apoſtolorum,[h] Epiſcopus qui inter cæteros in aliqua gente primatum obtinuit, non debet tamen aliquid præter eorum conſcientiam facere; ſic enim vnanimitas erit, & conglorificabitur Deus per Chriſtum in ſpiritu ſancto. Sic omnibus omnia factus Apoſtolus, vt omnes lucrifaceret, exemplo ſuo docuit nos; quam prædicauit patientem & benignam charitatem.

[e] 12. q. 9. a. 1. ad 3.
[f] 3. Confeſſ. c. 8.
[g] Senec. epiſtol. 14.
[h] Can. 35.

Quantis igitur tenentur criminibus qui publicam tranquillitatem ſeditione conturbant, & populum rerum ignarum, nouitatis auidum, in magnates naturaliter flagrantem inuidia, ſub ſpecie libertatis contra legitimam poteſtatem commouent. Crimen eſt læſæ maieſtatis[i] quo princeps ſibi neceſſaria ad regimen maieſtate ſpoliatur. Reſpublica diuiſione fit infirmior, ſceleribus, vt impunè graſſentur, hoſtibus, vt crudeliter inſiliant, lata panditur via; Vnde Cæſar[l] cum cæteris criminibus ſæpè veniam mitiſſimus concederet, ſeditioſis tamen nunquam pepercit, quaſi venia, ob crimen publicum indignis. Sed quanto grauius peccant in Rempublicam, quia in Deum Imperij datorem & conſeruatorem, qui ſchiſmate, nouiſque dogmatibus mouent animos; corpus Chriſti myſticum lato vulnere perfodiunt, in ſacratiſſimam perſonam ſummi Pontificis primùm ſæuit hæc impie-

[i] l. 1. ff. ad l. Iul. maieſt.
[l] Sueton. in Iulio C.

Digitized by Google

tas, vt in poſterum deleta ratione, ſynderesi, fide, conſcientia magnis aſſueta criminibus, nihil horrens, nil formidans ludat inhumano patriæ, Regumque parricidio.

Inferiorum ſtellarum animæ cenſentur vniuerſi partes, inquiunt Platonici,[m] quia in vnum opus, tum inter ſe, tum cum anima mundi vndique conſpirant, communique inter ſe, ſenſu, quamuis occulto, & latenti quadam compaſſione communicant; id autem faciunt ſicut in natura elementari elementa, in vegetali plantæ, in animali animalia, nulla prorſus electione; nam ſi inferiorum vita per ſe, ſine electione, officia ſua peragit, multo magis vita ſuperiorum per ſe ſua prorſus abſoluit; ſi qua illic intellectualis & rationalis electio eſt, non miniſterium quidem hoc, ſed officium ſuperius elegit. Toleretur hæc de ſtellarum animis opinio, velut parabola, quæ nobis exprimit collegarum in adminiſtratione Reipublicæ neceſſarium cum lege concentum; res enim communis, ſine communione animorum rectè non adminiſtratur; ideò ſeponendæ ſunt ſimultates, aut ſeponendi conſiliarij, quorum odia priuata ſæpè tranſeunt in publicum excidium. In ipſis rationem præuenire debet collatum ex dignitate nomen, quaſi ſui deſinant eſſe, & facti ſint iuris publici. Sint vnum cum imperante, vt inter ſe ſimiliter huius tertij mediatione vnum ſint, vnum agant, vt omnes arteriæ, vno cordis motu mouentur, vt duo oculi vnum vident, aures vnum ſimul audiunt, manus vnum operantur, & vna venit in alterius laborantis auxilium.

[m] Plotin. lib. 2. æne-ad. 2.

Iuxta Platonis[n] ſententiam animæ partes, iraſcibilis, concupiſcibilis, rationalis; ſi ſint concordes, & in nullo diſſidentes hæ tres, efficiunt ſanitatem animi, diſcordes autem & contendentes, morbum; Vbi ſepoſitis priuatis commodis, conſpirant in bonum publicum, mercatores, milites, Rectores ſeu Iudices, operaſque ſuas in commune conferunt, impetu quodam rationem præueniente, vt fit cum concurritur ad mœnia contra hoſtis irruptionem, ad nauem è naufragij periculo liberandam, ad extinguendum incendium, ſalua fiet res publica.

[n] Galen. lib. de placitis Hypocr. & Platon.

Partium virtus in totius gloriam refunditur.

§. 2.

SI partes ſe habent ad ſuum totum, vt materia ad formam, vt media ad finem, mirum non eſt ſi quidquid habent virtutis & exiſtentiæ in illud refundant, quia ſic impendi eſt in illis perfici. In muſica ſingulæ voces licet dulcedinis eximiæ non percipiuntur, ſed ex omnium ordinato concentu naſcitur vna quæ mentem per aures rapit, harmonia. Philoſophi cenſuerunt elementa in mixtis non remanere, niſi ſecundum remiſſas qualitates, ſingulaque per vnionem perire, ſed morte viuifica, ſplendidaque, cum hinc naſcatur aliquid præſtantius, ſcilicet vegetans, ſenſitiuum, vtriuſque forma, cœli proles & expreſſio. Lux omnium corporalium rerum ſubtilior, è diuerſis emiſſa principiis in vnum perfectiſſimè confluit, partiumque fit ad inuicem acceſſio, non interitus, itaque dum ſol è medio cœli pleno ſuo ſplendore, totum illuſtrat hemiſpherium, etiam ſtellæ lucent, licet non videantur, & maius ſenſibile minoris ſenſum obſcuret; oſtendunt ſuo fulgore per noctem, quantum in die ſoli deferant, vnde velut illis morem gererent Athenienſes, ° in ſolemni feſto ſtellarum, præcipua ſacrificia faciebant in honorem ſolis: dum Praxiteles venerem è marmore educeret, inſtrumenta quibus duram ſcalpſit materiam, ſuas actiones edidere, ſed tranſeuntes, laborioſas, & in quibus attrita perierunt, at remanſit opus artificem & ſæculum ſuum apud poſteros nobilitans. Maximum ſanè documentum quo fine in politicis & religione quiſque agere debeat.

° Pauſanias in atticis.

Mortales ſumus, vita torrentis modo defluit, incerto nec perenni curſu, ex tumido mox deficiente, quæ cenſetur longiſſima, præteritis futuriſque ſæculis comparata, momentum eſt, quantis tamen exagitatum, quantum interruptum & decuſſum caſibus? Ita qui ſe tantùm & ea quæ ad præſentem ſtatum pertinent ſpectauerit, in anguſto laborat, minimum quid etiam incertum ſectatur; indignum ſanè tot diſciplinis, tot curris & laboribus finem fortunæ, mortique deſudare. Immortalis animus quærit immortalia, quibus ſuas dicare poſſit operas, quibus hæreant ſolito rerum fluxu non raptæ, non abſorptæ; quamuis ſubiaceat hic legi temporis, æternum tamen aliquid molitur, & vt ſe ſentit, ſic opus agere vult non interiturum.

At quid inter mortales immortale, quid æternum in tempore? nihil hîc apparet durabilius Republica, quæ pereuntibus ſingulis ſuis ciuibus, ipſa permanet ſicut ſylua deciduis, iterumque naſcentibus

Digitized by Google

quolibet anno foliis. Quælibet perpetuitatem ſibi promittit, etſi regnis vt hominibus ſua ſit ætas prouidentiæ legibus limitata, quia tamen ſic in longum protrahuntur, vt nemo ſenectutem aduertat, interitum denuntiet, æterna facilè credimus, ſicut ſpatium immenſum, cuius finem proſpectus non deprehendit. In hoc ſibi nimium blandiri ciuilem vanitatem docent hiſtoriæ, dum referunt diuturnas ſuis tandem temporibus contingentes imperiorum viciſſitudines; illis tamen pereuntibus ſuperſtes manet pro illis præclarè geſtorum memoria; ſic deletâ Chartagine, ſe ſuæque Charthaginis famam ſemper ab obliuione vindicabit Annibalis bellica fortitudo. Ad hunc heroïcæ virtutis apicem, & vt ſuo nomini æternam famam quærerent, contenderunt antiqui fortiter agere pro patria; ad id potiſſimum inſtituti fuere iuuenes, hæc vna fuit ſenatoribus, ducibus, militibus, populis communis ambitio; hæc tot coronis, titulis, triumphis, monumentis æternitati dicata virtus, extra quam nihil ſincerum, nihil excelſum habitum eſt. Apud Perſas [p] quicumque ſacrificabat, non pro ſe priuatim, ſed pro populo vota faciebat, nec aliter quàm ſub communi & generali nomine ipſius ſacrificantis perſona commendabatur. Erga patriam officia præcipit Plato [q] præferri certaminibus olympicis, vnde victoribus apud gentes omnes fama quærebatur. In his tamen & ſacris omnibus ludis, [r] corona non dabatur victori, ſed patriam ab eo coronari pronuntiabant. In bellis parta victoria, notabilior ſpoliorum pars in triumphum ducta referebatur in ærarium publicum: ſic Paulus Æmilius [ſ] Xerxe Rege deuicto, penates ſuos nulla ex parte locupletiores fecit, ſatis eſſe ſibi exiſtimans quod ex illa victoria pecuniam gloriamque patriæ ſuæ quæſiuiſſet. De eadem dicit Cicero, [t] quòd tantùm in ærarium pecuniæ inuexit, vt vnius Imperatoris præda finem attulerit tributorum; at hic nihil in domum ſuam intulit, præter memoriam nominis ſempiternam. In monarchia Princeps ſolus velut corporis Reipublicæ caput coronatur, illique fœliciter geſtorum gloriam proceres deferunt, ſumma cautela, ne ſibi quid ex illa vindicantes, æmulatione velut alta fulmine contentantur. Viſi ſunt ſex aut ſeptem planetæ iouem comitantes ſed ſub eius radiis, itaut appareant tantùm ope tubi optici, & ſic influunt indiſtincta virtute, vt nulla fiat eorum ſingularis conſideratio; Iupiter cenſetur totum largiri quod conferunt, & Rex vult ſibi gratiam haberi, gloriam deferri eorum omnium quæ fœliciter geruntur à miniſtris.

p Herodo. lib. 1.

q lib. 5. de legib.

r Plin. lib. 16. c. 4.

ſ Valer. Maxim. l. 4. 4. c. 3.

t 2. Officio.

Reipublicæ ſimulachra ſunt ſodalitates quædam, militares, ciuiles Eccleſiaſticæ, quibus etiam velut dominantibus, laborare, ſubuenire, gloriam quærere leges præcipiunt, & huic officio ſupplent, ſi defuerit illi ſingularis perſona. Artificis bona, [v] non extantibus eius paren-

v l. ſi quis. ff. de ini. rup.

tibus & conſanguineis, ab inteſtato deferuntur, non fiſco, ſed collegio artificis: Si extraneus ſuccedat decurioni,[x] quarta pars bonorum cedit Curiæ; quod ſi ſine liberis inteſtatus deceſſerit, ſuccedit Curia, cuius ordini fatali neceſſitate exemptus eſt: ſic bona militis[y] qui inteſtatus deceſſit ſine legitimò hærede, perueniunt ad vexillationem in qua militauit: ſimiliter voluit D. Gregorius Papa,[z] Eccleſiam lucrari bona omnia quæ Epiſcopus poſt adeptum Epiſcopatum acquiſiuiſſet: & decernunt Canones[a] ſi Epiſcopus hæredem non habeat, non alium quàm Eccleſiam ſibi hæredem inſtituat, debentque relinqui Eccleſiæ, quæ de Eccleſia acquiſierit.

Societatis omnis initium fuit familia, cui pater præſidens, principis & Pontificis aliquo modo perſonam agit, in eum ergo naturalis principij jure refundi debet filiorum gloria, vt decèrnit ſapiens.[b] Sic Antigonus[c] cùm ingenti prælio ſuperaſſet hoſtem, præmium belli ad patrem tranſtulit, & imperium illi tradidit Cypri. Diagoras[d] tres filios adoleſcentes habuit, vnum pugilem, alterum pancratiaſtem, tertium luctatorem, eoſque omnes vidit vincere, coronarique eodem olimpiæ die, & cum ibi tres adoleſcentes complexi, coronis ſuis in caput patris poſitis ſuauiarentur, cumque populus gratulabundus flores vndique in eum iaceret, ibi in ſtadio inſpectante populo in oculis atque in manibus filiorum animam efflauit; officio ſuo functi ſunt filij, ſed trium ſingulatim ampliſſimis gaudiis iunctis & in ſe reflexis, non ſufficiebat vnius hominis cor, & pluſquam natura patiebatur effuſum ſpiritus deſeruere, piiſſimo ſimul & ſplendido parricidio. Exceſſit hoc in cultu Ninus[e] qui Belo Patri Regi Babyloniæ ſtatuam poſuit, ſacrauit, adorari voluit, & hinc origo idololatriæ.

Hæc præludia ſunt, quibus incitari debet animus, vt quidquid habet fœlicitatis & gloriæ, refundat in Deum, eius, omniſque boni principium, primum parentem, patriæ noſtræ cœleſtis principem. Hinc Ægyptii ſcriptores[f] putantes omnia inuenta eſſe à Mercurio, illi ſuos libros inſcribebant. In Apocalipſi[g] viginti quatuor ſeniores adorant viuentem in ſæcula ſæculorum, & mittunt coronas ſuas ante thronum, dicentes, dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, honorem & virtutem, quia tu creaſti omnia. Vidit eum Iſayas[h] ſedentem ſupra ſolium excelſum, & terram omnem eius maieſtate repletam, quia laudat eum omnis creatura, omneſque ſimul hymnum in eius gloriam concinunt. Cœli ſunt hymni magis feſtiui[i] & fœcundi laudibus quam terreſtria; homo eſt viuens & intelligens hymnus Dei plus cunctis viſibilibus; In hoc enim verè conſiſtit vita ſua, vt in primam vitam eſſentialem refluat, & gratus illi rependat quam accepit intellectualem. Certè maximum homini iuſto munus incumbit, eſt enim actor Dei, & pro ipſo apud populos, apud Re-

[x] l. 1. & 2. quãdo pras debetur ex bo. decur.
[y] l. vn. C. de bon. mil.
[z] Baron. a. 595. n. 59.
[a] Can epiſc. 1. q. 2. can. ſacerdotes eod. & can. ſtatutum. 18. q. 1.
[b] Prouerb. 17.
[c] Rhodig. l. 11. c. 17.
[d] Gellius lib. 3. c. 15.
[e] Caſſiodor. lib. 1. varia. epiſt. 30.
[f] Iamblicus de myſteriis initio.
[g] Cap. 24.
[h] Iſay. 1.
[i] Card Cuſa lib. de venatione ſapientiæ. c. 18.

Digitized by Google

ges legatione fungitur. Hoc autem in officio debet in omnibus principis ſui Dei gloriam quærere verbis, exemplis, ſpe metuque rebelles in obſequium adducere, ſubditos in officio continere, ſuam ex Domini potentia felicitatem metiri, totum quod eſt ſummo ſuo iuri concedere, & totum ſi poſſet orbem. Quanto plus ſe ſic totum in Dei laudes effundit & ſanctorum animalium exemplo, die nocteque clamat, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, tanto magis ea quam celebrat gloria repletur, lucis igniſque cœleſtis iterata reflexione perficitur, donec accipiendo, reddendoque non ſufficiens, raptu vitæ mortali deficit. Ab exceſſu rediens, fruitur hac ineffabili pace, quam mundus nec noſſe, nec dare poteſt. O bonitas! quæ dum ei gloriam ex debito rependimus, fœlicitatis æternæque lucis auroram nunquam ſatis laudanda miſericordia concedit & adauget.

Vide ſupra l. 11. §. 1.

Bono publico non poteſt derogari.

§. 3.

LIcèt illimitata ſit, & ad infinitum accedens materiæ potentia; licèt terræ ſuperficiem ampliſſimus locus ampliſſimus locus ambiat; licèt tempus ſucceſſione partium infinitam æternitatis extenſionem æmuletur, anguſta tamen ſunt hæc ſpatia vagis rerum naturalium actionibus. Cùm enim ratione vel loci vel temporis non habeant quo ſe liberius explicent, occurrunt, obſtantque ſibi mutuò, & colliderentur ingenti totius orbis fragore, niſi cederent humida duris, infirma fortioribus, ſic priuata publicis, velut quantitate, dignitate, merito præſtantioribus. Etſi quilibet planeta feratur ab occidente in orientem, & coniuratis viribus in id tendant omnes, præualeat orbis ſuperioris motus ab oriente in occidentem, cæteroſque ſecum ducit gratiſſimo raptu, expetitæ ſcilicet ab omnibus rerum generationi neceſſario, violentum enim diu natura non ferret: Etſi quilibet planeta ex diuerſa mundi parte ſuum ſpiret ventum, Saturnus ſeptentrionalem, Iupiter orientalem, Venus meridionalem, Mars occidentalem, licet impetu vel ſoli, vel mixti pugnanteſque ruant, & occeani fluctus horrenda tempeſtate conuoluant, ipſe ſtatis ſemper ſuis ſex horis fluit & refluit, quia ſic vtrique hemiſphærio ſeriatim reſtituenda fuit ſub linea meridionali aquarum à ſole conſumptarum æqualitas. Vis hæc ſumma ventorum, quæ rapit aërem; quæ ludit onerariis nauibus, quæ ſternit robora, quæ domos agit in ruinam, quæ montes arenarum hic format, illic æquat ſolo, non transfert tamen, ne linea quidem mouet Solis radium à loco in quem per foramen nubis

Digitized by Google

nubis inciderit.[k] Mirabilior huius luminaris influxus qui cum ſit omnium generationi & conſeruationi neceſſarius, altam, merſam tenebris terræ denſitatem peruadit, impletque ſeminibus vnde fit fœcunda parens metallorum, gemmarum, gemmarum, plantarum, animalium: huius miraculi compendium eſt magnes, cuius pars ſeptentrionalis ad polum conuertitur, etiam in altis terræ cuniculis ad arces ſubruendas effoſis; hic etiam mouet ferrum, licet interiecto duro ſolidoque ligni vel lapidis corpore. Sic cœleſtium publicis viribus, nulla in contrarium inferior quantitas vel qualitas derogat, & hinc apud omnes populos inualuit eadem lex, vtilitatem publicam à priuata lædi non poſſe.

Non eſt quod hic obiiciat philautia, bonum quod vocamus ciuile & publicum, non à natura, ſed ab hominum opinione naſci; nam homo naturaliter amat ſocietatem,[l] quæ non poteſt eſſe ſine pace, pax ſine vnione, vnio ſine ordine, ordo ſine diſtinctione, diſtinctio ſine dependentia, dependentia ſine authoritate, ſic natura nos præſtantioribus ſubditos effecit, & hinc patet iure naturali regna fuiſſe conſtituta.[m] Lex autem hæc naturæ eſt à Deo, cuius ſapientiâ, vt elementis cœli, mixtis formæ, ſic populis[n] reges imperant & decernunt iuſtitiam. Ipſe Deus[o] mutat tempora & ætates, transfert regna, atque conſtituit; omnis poteſtas à Deo concludit Apoſtolus.[p]

In huius regiminis diſtributione, vtitur Archangelis, velut prouidentiæ ſuæ à ſecretioribus miniſtris; planetis etiam, inquit Philo,[q] ſole, luna & cæteris velut magiſtratibus qui regunt ſublunares creaturas, & ad hoc publicum munus aſſumpti, ſemper publica priuatis rebus perſoniſque præferunt. Hinc apud aſtrologos ſi quæratur[r] an duo Reges inuicem pacem aut bella inire debeant, obſeruandæ ſunt non propriæ eorum genituræ, ſed regnorum quibus præſident, nam cum regna amica fuerint, erunt & reges, quamuis priuatis genituris diſſideant. Sic legibus ſtatum,[s] iura publica priuatorum pactionibus non mutari; pactis[t] priuatis, iura fiſcalia non conuelli; ius agnationis & ſuitatis pacto repudiari non poſſe; quidquid ſodales[v] inter ſe ſtatuerint, validum non eſſe, ſi legi publicæ fuerit contrarium. Hi quibus princeps[x] curam alicuius rei iniunxit, excuſantur à tutela, donec curam hanc gerunt; ſicut adminiſtratores prouinciarum, magiſtratus ciuitatum, & qui occupati ſunt rebus publicis, eadem ratione qua onus[y] priuatum non poteſt imponi naui ad onera publica deſtinatæ; de publico aquæ ductu[z] aquam ad ſuum prædium deriuare non licet, ſub pœna publicationis prædij; non licet[a] nec mutuo dare, nec fœnerare, nec ad priuatos quoſcumque vſus transferre pœcuniam aërarij publici ne periculum incurrat; deportatur[b] qui ſpecies in horreis publicis depoſitas in ſuam vtilitatem conuertit; innumera ſunt his ſimilia in

[l] Ariſt. 1. Polit. 3.
[m] l. 5. ff. de iuſt. & iur.
[n] Prouerb. 8
[o] Daniel. 2.
[p] Roman. 13
[q] lib. 1. de Monarch.
[r] Cardan. in quæſtio. quæſt. 3.
[s] l. 27. ff. de Reg. Iur.
[t] l. 7. & 38. ff. de pact.
[v] l. fin. ff. de colleg.
[x] l. 10. ff. de excuſ. tuto. l. 22. eod.
[y] l. vni. C. ne quid oneri publ.
[z] l. 1. C. de aquæ ductu.
[a] l. 2. Cod. Theod. de his qui cum diſpenſ. contrax.
[b] l. 3. C. de cond. in horreis publ.

Iure vnde conſtat rebus publicis à priuato non poſſe præiudicium vel minimum afferri.

Etiam conceſſa priuilegia ceſſant vbi verſatur intereſſe publicum. Ita fiſcales cauſæ [c] tempore meſſium & vindemiarum agi poſſunt: Iure communi non audiuntur ſerui contra dominos, liberti contra patronos, audiuntur tamen in crimine leſæ Maieſtatis, [d] vt ſi dicant [e] dominum fraudaſſe annonam. Patris Religioſa cenſetur eſſe perſona, effectuſque primæui iuris gentium ſunt, [f] erga Deum Religio, vt parentibus & patriæ pareamus; at in ambiguo cui ex duobus officium noſtrum præſtandum ſit, patria parentibus præfertur, nam & ipſa prima, totiuſque generis parens eſt; vnde ſumma patriciatus dignitas ſoluit à patria poteſtate, [g] ne is quem Reſpublica vt patrem elegit, alteri ſubiiciatur. Mota quæſtio eſt, inquit Gellius, [h] ân filius exiſtens in magiſtratu patri cedere debeat, ſuper quo ſic diſſeruit Taurus Philoſophus; in publicis locis atque muneribus patrum iura interquieſcunt, at extra Rempublicam in re domeſtica, naturale & genuinum ius redit. Sic filius Fabij maximi conſul, [i] videns quòd pater accederet ad ipſum equo inſidens, iuſſit per lictorem deſilire, cui Fabius pater continuò obſequens; Non ego, inquit, fili ſummum tuum imperium contempſi, ſed experiri volui, an ſcires conſulem agere; ſi tyrannidem occupare, ſi patriam prodere conabitur pater, [l] non ſilebit filius, obſecrabit patrem ne id faciat, ſi nihil proficiat, accuſabit, & patriæ ſalutem anteponet ſaluti patris.

Apud gentes omnes Religioni conceſſa fuit à publicis oneribus immunitas, [m] cùm tamen vrget neceſſitas publica de ſuo conferre debent ſacerdotes, vt præcepit Ioas Rex Iſraël, [n] qui tunc tulit omne aurum & argentum & vaſa quæ inuenta ſunt in domo Domini; hæc etiam nunc vendi poſſunt [o] pro redemptione captiuorum, licet in talibus conſulendum dicant ſummum Pontificem. Ita tempore neceſſitatis nemo excuſatur [p] à ciuitatis & murorum cuſtodia. Generaliter nunquam diſpenſandum eſt in præjudicium boni communis: [q] & ſi conceſſis priuilegiis oriatur publica neceſſitas, habentur pro non conceſſis, quia Reſpublica videtur tacitè ſub ea conditione conceſſiſſe, vt tunc ceſſarent, non enim cenſetur vni perſonæ conſuluiſſe in damnum totius corporis, & ſi factum eſſet, læſa velut minor reſtitueretur. [r] Sic ſi patronus filios non habens omnia bona ſua libertis donatione largitus ſit, [ſ] & poſtea ſuſceperit liberos, totum quidquid largitus fuerat reuertitur in eiuſdem donatoris arbitrio ac ditione manſurum.

Natura dum abundat concedit, quod vrgente poſtmodum neceſſitate reuocat, ſicut [t] venarum quæ medium ſpatium inter iecur & partes circa ventrem occupant, duplex eſt miniſterium, nempe vt

[c] l. 5. C. de feriis.
[d] l. 7. ff. ad l. Iul. mat.
[e] l. 1. ff. de l. Iul. de annona.
[f] l. 2. ff. de iuſt. & iur.
[g] §. Filius inſt. quib. mod. ius pat. pot. ſol.
[h] lib. 2. c. 2.
[i] Valer. Max lib. 2. c. 1.
[l] Cicero. 3. officior.
[m] l. Priuilegia C. de ſacroſ. Eccleſ.
[n] 3. Reg.
[o] l. 21. C. de ſacr. Eccleſ. cap. non minus de immunit. Eccleſ.
[p] Cap. peruenit. eod. D. Greg. in regiſt. lib. 7. epiſt. 20.
[q] D. Tho. 12. q. 97. a. 4. ad 1.
[r] l. 4. C. quib ex cauſ. maio.
[ſ] l. 8. C. de reuoc. donat. Vide infra l. 18. §. 2.
[t] Galen. lib. 3. de natural. facultat.

Digitized by Google

cum his abundantia fuerit alimenti, per eas feratur in iecur, cùm autem vacuæ ſunt & volunt nutriri per eaſdem ipſas ex hepate trahatur; ſic cor imminentis mali metu pauidum, ſecuritati ſuæ conſulens quos effudit in arterias cum ſanguine ſpiritus ad ſe reuocat, licet inde membra vt exanguia, ſic pallida, tremula, infirmaque concidant; dum vrget fames repoſitum adipem, natura conuertit in alimentum; lac in venas deperdito candore refluit; venæ quem infuderant humorem repetunt à neruis, licet ob id conuulſione laborantibus: Pater egens iure petit à filiis alimenta, non vt beneficium, ſed vt debitum, cui ſoluendo, tum ea qua fruuntur vità, tum eius fructus omnes oppignorantur; eadem ratione laborans patria, omni priuilegio ceſſante petit à ciuibus ſuis officium & ſubſidium: quod terra conceſſit aëri per vapores in eam opportunè refluit per pluuias; ſic elementa cætera fiunt ex ſe mutuò, & hac circulatione conſtat mundi perpetuitas. Redde quod debes egenti patriæ, ſi tempus arriſerit, refundet ampliora cum ingenti bonorum honoriſque cumulo.

Ex hac generali lege, quod bono publico non debeat à priuatis derogari, plura deduci poſſunt, quæ ſuis locis fuſius exequemur. Vt Domini proprium eſt, vti & abuti re ſua, tamen interdicuntur prodigi rerum ſuarum adminiſtratione,[u] illiſque datur curator, quia Reipublicæ intereſt, vt quiſque re ſua benè vtatur. Diuinum olim habitum eſt homines artibus inſtruere quibus vita commodior duci poſſit, & bonum hoc inſtar lucis videtur vndique diffundendum, tamen lex obſtat præmiis, honoribus æternæque famæ particularium qui vellent omnibus indiſtinctè inuenta ſua propalare, etiam vltimo ſupplicio punit eos[x] qui docent barbaros, armorum & nauium fabricam. Ita ferunt ſub Tiberio[y] excogitatum vitri temperamentum vt flexibile eſſet, & totam officinam artificis eius abolitam, ne æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur. Summum jus vitæ & necis olim parentibus datum eſt in liberos, vt æquiore animo ſuſcipiendorum aleam ſubirent;[z] hanc tamen poteſtatem in puniendis morum vitiis, ne in immenſum & præter rationem extenderetur, leges[a] cohibuerunt, nam filij magis Reipublicæ, quam parentibus naſci intelliguntur: Vnde qui filium ſuum tempore belli[b] ſubtrahit militiæ, vel vt ad illam inhabilis eſſet, mutilauerit, deportatur; equitem Romanum qui id fecerat, Auguſtus[c] ipſum bonaque ſua ſubiecit haſtæ. Xerxes[d] Pythio quinque filiorum patri, vnius vacationem petenti, quem vellet eligere permiſit, deinde quem elegerat in partes duas diſtractum ab vtroque latere viæ poſuit, & hac victima ſæua nimis luſtrauit exercitum. Eadem ratione non licet parentibus[e] impedire quo minus liberi eorum volentes monachi & clerici fiant, nec

[u] l. 12. ff. de tutor. & curator.

[x] l. vlt. C. Theod. de pœnis.

[y] Plin. lib. 36. c. 26.

[z] Seneca 3. de benef. c. 11.

[a] l. vn. C. Theod. de emend. propinq.

[b] l. 4 §. 11. ff. de re milit. l. 1. C. Theod de filiis milit.

[c] Sueton. in Auguſto.

[d] Seneca. lib. 3. de ira. c. 17.

[e] l. 55. C. de epiſc. & cler.

ob id poſſunt eos exhæredare; Concilium Tridentinum anathemate ferit[f] eos qui hac ſæua pietate liberos ſuos Eccleſiaſticæ militiæ ſubtrahunt. Imitari debuerant Abraham qui cum à Deo iuberetur vnicum chariſſimum filium ſuum Iſaac immolare,[g] ita ſe ſeruum Domini meminit, vt patrem eſſe neſciret, nec ſine præmio, melius enim ſeruauit filium, dum non pepercit.

[f] Seſſ. 25. c. 18.

[g] Zeno Veronenſ. ſer. 1. de Abraha.

Nihil æquius videtur quàm miniſtrum, auctis ipſiſmet quibus aſſumptus fuerat meritis expertum, fidelem, in officio quod ritè gerit, creſentibus in dies authoritatis titulis perpetuum eſſe; tamen ad Reipublicæ & Principis, tum ſplendorem, tum ſecuritatem melius eſſe viſum eſt, dignitates præcariò concedi, ne ſecuritas fidem tentaret, ne veterata poſſeſſione cæterorum virtuti ad altiora pertingendi negaretur ſpes, præcluderetur aditus, & vt permutandi conſuetudo tegeret iniuriam repulſæ. Multum ſemper in bello publicè ſuſcepto militibus licuit, vt qui fortunæ, vitæque ſuæ periculis pugnant pro patria, etiam victis libertatem & vitam poſſint auferre, hinc enim primò nata ſeruitus,[h] & morte generis humani multitudo luxurians demetitur: tamen ſi bellum ſit ciuile, vt eſt lugendum, ita minus acerbè gerendum eſt. Plato[i] Græciam communem Græcorum patriam eſſe dicebat, vnde nato inter eos bello, diſceptandum præcipit velut inter futuros amicos, non ad ſeruitutem aut necem, tanquam inter hoſtes; captiuos nullo dato pretio remittendos, terram communem matrem & nutricem non vaſtandam. Chriſtiani Principes fratres ſunt, communis matris Eccleſiæ filij; vident in ſe coniuratos ex omnibus terræ partibus hæreticos & infideles, tamen, proh dolor! illis velut ſtipendiarij militant, in mutuam ruunt perniciem, lugendas ſæculis omnibus edunt ſtrages, camporum, vrbium, populorum, nobilium, rerum etiam diuinarum. Furor eſt, ob leuem, incertam, momentanei commodi ſpem, orbem Chriſtianum propriis Chriſtianorum manibus dilacerari, diſceptantes non conciliari, ad hoſtis communis irruentis conſpectum; non moueri periclitantis & compatientis Eccleſiæ matris gemitibus; ſic ne apud eos qui publicis dicuntur intendere, nulla manet boni Chriſtianitatis conſideratio, at ſaltem bono ſuo conſulant, & ærario, populis, militibus diuturna belli clade tandem exhauſtis, quod reliquum eſt, ſceptra, aras, animas, humana diuinaque non exponant ſæuienti barbarorum impietati, dum fallaci quadam eſca deluduntur, & in mutuam aguntur perniciem.

[h] §. 3. Inſt. de iur. perſ.

[i] lib. 5. de Republ. & Menexeno.

Digitized by Google

Pars exponitur & patitur pro ſalute totius.

§. 4.

RES quælibet cuiuſcumque ſit ſpeciei, refert diuinam aliquam perfectionem, ſed hæc perfectio cum ſit infinita, & à re ſingulari, finita, infinitis priuationibus deformata non poſſit pro meritis exprimi, quod intenſioni deeſt, extentione ſeu numero natura ſupplere tentat. Igitur quanto plura fuerint cuiuſque ſpeciei indiuidua ſuis inſignita dotibus, tanto magis accedunt ad diuinum infinitum quod aſſequi conantur bonum. At cum illis commodè ſimul hoſpitio recipiendis nutriendiſque terra non ſufficiat; cum generatio temporalis æternæ ſimulachrum, debeat eſſe ſucceſſiua, oportuit res naſci, producere, interire, primas ſequentibus loco cedere, & in mundano templo illud ſacerdotij genus ad laudem Dei ſuſtinere per vices. Ita fit vt omnia ſint in omnibus, vt omni die, omni momento natura ferat ortus, progreſſiones, cuiuſlibet ætatis gradus, initium, medium, finem, indulgens noſtræ contemplationi, cui ſucceſſiua multiplicitate fiunt præſentia in nunc temporis, velut in nunc æternitatis. Cùm ergo vegetantia vires ſuas exhauriunt in ſeminum formatione, animalia in ſibi ſimilium generationibus, vnde fit vt magis prolifica ſint breuioris vitæ, tunc ſunt valdè bona [l] cum in bonum vniuerſi, in ſummi boni perficiendam imaginem impenduntur; cum iugi ſacrificio creatori cadunt victimæ, quas natura tempuſque litat æternitati. D. Auguſt.

Quod partes exponantur & impendantur in bonum vniuerſi expreſſius patet quotidianis experimentis, cum ne vacui interpoſitione, & vnitate mundi ſoluta, cœlorum influxus intercipiatur, grauia contra naturam ſuam feruntur ſurſum, vt in hydrolicis tubis luditars, fluida non effluunt, vt in doliis plenis nullo dato ſpiramento, quo tantum intret aëris, quantum emittitur vini; dura franguntur, terrà concutitur, & altitudinis ſtupendæ ſoliditatem hiatibus aperit, vt aëri pateat aditus ad implendum locum, quem aqua gelu condenſata vacuum relinqueret. Sic vbi per longi temporis ſpatia [m] cœli calore terra nimium exaruit, reparatur ſua fœcunditas pluuiarum effuſionibus, [m] Ariſt. meteoror. lib. 1. c. 14. tum paribus interuallis vligo nimia ſiccitatis ardoribus decoquitur, licet pereant regiones quædam famę vel diluuio in hac magna æſtate vel hyeme, parteſque pro ſui totius commodis patiantur. Euenta hæc omnia [n] quæ fiunt & accidunt ſub hac mundi mole, commodu- [n] Arnob. lib. 1. contra gentes.

Digitized by Google

lis non noſtris ſed ipſius penſanda ſunt, rationibus ordinibuſque naturæ generalis.

Id ipſum quod in magnis annis & in multorum ſæculorum memoriam omnem fallente decurſu fit, etiam oculis noſtris vſu quotidiano patet: mare [n] eſt ſalſum eo quod aſperius craſſiuſque relinquitur, exhauſto inde dulci, tenuique, quod facilè trahit vis ignea ſolis, ad imbres terræ, ipſis etiam maris habitatoribus vtiles, eliciendos. Impetitus coluber corporis ſui gyris, caput in quo vitæ fons, ne lædatur, contegit; ſubitò ſine conſultatione brachium exponitur vt auertat ictus vel in caput, vel in præcordia ruentes. Sequimur in talibus motum naturæ, quæ noxios humores è parte nobiliori propellit in ignobiliorem. Ea iudice idem efficit medicina ſolitis ſuis reuulſionibus, & dum è brachio ſanguinem elicit, vt alia pars ardens phlegmone, corpus oppreſſum plethora, cachomia langueſcens, aduſtum febre ſubleuetur.

[n] Plin l. 2. c. 100.

Non tantum vt diximus, vrgente publica neceſſitate quiſquis tenetur ſibi conceſſis renuntiare priuilegiis, ſed operibus & diſpendiis pro Republica velut domina & parente totus impendi; ſic incendia ciuitati periculoſa vicinorum domorum ruinis opprimuntur; ſic nauis [o] omnium qui ſunt in ea communi damno iactu exoneratur; neceſſitatis tempore ex æquo alimenta diuidunrur, omniaque ſunt communia, propterea populus capitationes, angarias, tributa confert, dum nobiles pro communi ſalute ſanguinem ſuum fundunt, quod videretur legi naturæ contrarium, ſcilicet nobiliorem partem pro vilioribus exponi, niſi temporale damnum compenſaret honeſti ratio, & coronæ tegerent vulnera. Adde quod non ſolum pro populo, ſed pro tota ſimul Republica, cuius illuſtrium potiſſima pars eſt, exponuntur.

[o] lib. 1. ff. ad l. Rhod. de iactu.

Hinc apud omnes populos heroicum fuit ſubire mortis pericula pro totius Reipublicæ bono, aſſerunt omnes patriæ velut parenti multiplicatis officiorum gradibus debitam eſſe pietatem; ſic enim patria dicitur vocabulo quidem à patre ducto, pronuntiatio tamen fœminina terminatione, vt ex vtroque parente mixtum eſſet, ex æquo duobus parentibus colendum. His quibus pro ipſa pugnando fortiter fœliciterque ceſſerit, iubet Plato [p] dextras iungi, coronas deferri, optatas quas voluerint nuptias concedi, adiecta hymnorum & canticorum laude publica. Eos autem qui hac in militia optimè ſe gerentes deceſſerint, exiſtimandos fœlices effici dæmonas expulſores malorum, ſepulchris honorificè conditis colendos: ad eorum laudes celebrandas ex triplici dicendi genere, in ſolo demonſtratiuo exercebantur Lacedemonij. Iure ciuili, [q] qui in acie pro patria mortui ſunt cenſentur per gloriam viuere, vnde liberi ſic mortui proſunt patri ſuo ad excuſationem tutelæ, quaſi adhuc viuerent.

[p] lib. 3. & 5. de Republ.

[q] l. 18. ff. de excuſ. tutor.

Huic præſumptioni accedit veritas, nam eorum famam æternam efficiunt gentium omnium pro quibus fortiter ſe geſſerunt, hiſtoriæ: vt Lycurgi[r] qui ciues ſuos Spartanos iuramento obſtrinxit ſe leges obſeruaturos donec ab ea quam ſuſcipiebat peregrinatione rediret, in ea mortem ſibi conſciuit, vt ipſo non redeunte perpetua foret legum obſeruatio. Codri apud Athenienſes[s] qui diſcens ex oraculo patriam non fore ab hoſtium incurſionibus liberam, niſi ipſe hoſtium manu caderet, depoſitis inſignibus tanquam gregarius miles occiſus eſt. Decij pater & filius diuerſo tempore videntes penè deletum Romanum exercitum in medios hoſtes ſe iniecerunt, & fœlici exitu ſe pro patria deuouerunt; Ita dubium eſt, vtrum Romana ciuitas vtilius habuerit Decios, an amiſerit, quoniam vita eorum ne vinceretur obſtitit, mors fecit vt vinceret. Concludunt politici[t] non repugnare amori quem quiſque ſibi debet, vt vitam & bona profundat pro bono communi patriæ, quia honeſtum eſt vt vtilitas publica præferatur priuatæ, ideſt bonum maius bono minori, quia bonum quo latius extenditur maius eſt & melius: tunc vir bonus nihil facit contra ſe, imò pro ſe, quia ſibi acquirit bonum & fælicitatem, dum laudatiſſimam virtutis actionem obit, patria ſeruata ſeipſum ſeruat, ideſt famam ſuam & ſuorum; quòd ſi, inquiunt, ſua particularis ſalus propter aliquas circumſtantias æquè latè extenderetur ac ſalus publica, pro ea non deberet mori.

[r] Plutar. in Lycurgo.

[s] Valer. Maxim. lib. 5. c. 6.

[t] Kexerm. in politicis.

Sic ratiocinatur timida mortalium cogitatio: at Deus charitas eſt infinita, latè ſe diffundens vltra iuſtitiæ noſtræ modum, pondus & menſuram. Verbum diuinum caro factum tota humana natura infinitè præſtantius, vt eam ſuæ reſtitueret integritati exponitur & moritur: pro debita morte obtulit indebitam,[v] quia nec nos habebamus vnde viueremus, nec ille vnde moreretur, materiam de noſtra mortalitate ſuſcepit, vt de ſuo, immortalitate collata, mori poſſet vita pro mortuis; Non enim potuit mors[x] mori niſi in vita, non moritur amaritudo niſi in dulcedine, non moritur frigus niſi in calore: mortuus eſt pro nobis vnicus,[y] ne remaneret vnus; multos enim Dei filios fecit vnicus filius Dei, emit ſibi fratres ſanguine ſuo, probauit reprobatos, redemit venditos, honorauit iniuriatos, viuificauit occiſos, & hic honor, hæc vita cum refundatur in honorem Dei, cum beatos effecerit qui celebraturi ſint laudes eius æternas, opus publicum, diuinum, æternum, ſe dignum operatus eſt; oportuit ergò pati Chriſtum, & ſic intrare in gloriam ſuam.

[v] Euſeb. Emiſſen. hom. 5. de Paſcha.

[x] D. Auguſt. hom. 35.

[y] Idem ſerm. 37. de verb. Dom.

Quanta matyrum dignitas quibus idem ac Domino ſuo proponitur publicus, diuinus, æternus finis, vt illis detur non ſolum inimicum euaſiſſe, ſed & deuiciſſe, gaudeantque non tantum liberati, ſed in conſpectu Domini pretioſa mors eorum qua mali ad fidem con-

Digitized by Google

uertuntur, bonorum charitas accenditur, ſparſum eſt ſemen ſanguinis, ſurrexit ſeges Eccleſiæ, crediderunt & qui perſequebantur, ædificantur muri Ieruſalem: Num dignior coronis & laudibus mors iſta quæ plus patriæ cœleſti, quam heroum antiquorum fortitudo terreſtri mortalique profuit. Munus hoc quod poſtmodum impleuit Paulus Apoſtolus votis antea præuenerat, cupiens anathema fieri pro fratribus ſuis, vt propriis ipſe periculis fratrum ſalutem promoueret, [z] effectus Chriſti cooperator, certus vtiliorem Chriſto & ſibi omnium ſalutem eſſe, quàm propriam, quæ quocumque res vertat non poteſt pati damnum ex charitate.

[z] Caſſian. collat. 23. cap. 6.

Parum erat viris fortibus vitam vnam profundere pro communi bono, etiam innumeras obtuliſſe videntur dum eadem de cauſa, filios, & in illis ſe per affectum paternum, ſpemque poſteritatis non æſtimabilem patriæ ſuæ deuouerunt: ſic Agamemnon ex reſponſo Calchantis vatis filiam Iphigeniam immolauit; Brutus. [a] cum ſtudere reuocandis in vrbem regibus liberos ſuos comperiſſet, protraxit in forum, & concione media virgis cecidit, & ſecuri percuſſit, vt publicus parens in locum liberorum adoptaſſe ſibi populum videretur. Caſſius [b] adhibito propinquorum & amicorum conſilio filium affectati imperij reum, domi damnauit, alia patriæ ſeueritatis in filios pro bono communi exempla plurima ſunt apud authores; nec enim familia quæ minima Reipublicæ pars eſt, illi præferenda fuit, vt ſupra probatum eſt. His omnibus generoſior mihi videtur mater Machabæorum [c] quæ ſola Dei contemplatione pro patriis legibus filios non ſubſtraxit pœnis, ſed ad fortiter ferendas animauit. Pari zelo beata Fœlicitas [d] ſeptem filios ſic poſt ſe timuit viuos in carne relinquere, ſicut carnales parentes ſolent metuere ne mortuos præmittant, plus quam martyr quæ ſeptem pignoribus fidem Chriſtianam teſtatur, toties ante ſe mortua, ad pœnas prima venit, ſed peruenit octaua.

[a] Florus lib. 1. 9.

[b] Valer. Maxim. l. 5. c. 8.

[c] 2 Machab. 7.

[d] D. Greg. hom. 3. in Euang.

Quæ bono publico nocent expelluntur aut deſtruuntur.

§. 5.

ET ſi boni conuenientis conſecutio ſit præcipuus naturæ finis, primos tamen ſuos illa conatus impendit in expulſione vel deſtructione nociui. Imitatur Deum qui propoſito ſibi totius creationis opere, diuiſit prima die lucem à tenebris à corruptibilibus incorruptibilia, & vt aſſerunt Doctores bonos Angelos à malis. Ita fiunt generationes, vt materia primum incongruis qualitatibus exuatur, tum decentibus ornata cultior gratiorque recipit formæ venientis amplexus.

Reſpiratio

Digitized by Google

Reſpiratio fuligine corruptum aërem prius emittit, compreſſo corde pulmoneque ſedibus ſuis pellit, tum purior, natiuo calori refrigerium, gignendis ſpiritibus materia in patentes auidoſque ſinus ſecurus illabitur. E ſolido marmore ſculptor punctionibus, raſuris, carpit inæqualiter partes quæ propoſitam ſibi figuram congerie ſuperflua tegebant, donec ars tollendo ſemper quod non decet, quod volebat expreſſerit; ſic vita ſpiritualis incipit à purificatione ſenſuum & cupiditatum, quibus poteſt præpediri vel infici mens æternorum capax; prius delendæ ſunt impreſſiones humanæ, quàm recipiantur diuinæ; prius Abraham mandato Dei exit de terra & cognatione ſua, quam fiat in gentem magnam; denique hæc eſt ſumma Euangelicæ ſapientiæ, vt moriatur ſibi rebuſque ſenſibilibus qui vult ſpiritu Chriſti viuere; ignis enim ante ipſum præcedit, [e] & abſumit inimicos ſuos; deletur per pœnitentiam proles peccati, vt fiat noua ſecundum Deum creatura. [e] Pſal. 96.

Si accedens forma fugat quod ſibi contrarium eſt, multò magis id non patietur cum fuerit introducta & materiæ dominium obtinuerit. Si ad ortum ſolis diſſipantur tenebræ, nullæ futuræ ſunt, cùm è medio cœli omnem ſuum explicabit ſplendorem. Si dum ignis viride lignum lambit, tentatque leui flammarum acumine, per fumos & ſtillicidia educit ex eo, quod aqueum eſt, certè nihil in eo talis humidi patietur, cum diſpoſitum incenderit, luce caloreque ſuo dotatum, ignem effecerit; ſic natura dum aſſiduè laborat alendo corpori, quod in alimentis ad id ineptum eſt, & quod ſuccorum ſalubrium commodis officeret, excernit & proturbat ſingulari ſua facultate quàm ob id expultricem dicimus. Ad id patefacto meatu, nitentibus muſculis, villiſque tranſuerſis, quod nociuum eſt effluit, non tamen ſpiritus, licèt tenuior & nobilior, eo quod natura pertinax eſt rei conuenientis, expultrix inimicæ & inutilis. Vt excutiat moleſta ſe ad motus vehementiſſimos excitat, [f] tuſſis, vbi cauſa eſt in pulmone, gutture ac thorace, ſternutamenti in naribus, ſingultus verò in ventriculo ac gutture. In morbis acutis die & hora condicta criſim aggreditur, ideſt cum nociuis humoribus pugnam acerrimam, vnde fit de vita aut morte iudicium [f] Galen. lib. 2. de ſympto. cauſ.

Medicina naturæ ſeruiens, primò corpus alienum tollit à vulnere, vt telum, grummum ſanguinis, carnem laceram, oſſis fragmenta aut ſimile quid antequam poſſit fieri diſſitarum partium vnio: ſimilter ſi vulnus illatum ſit à venenatorum morſu, priuſquam illius vnio procuretur, ſuctu, cucurbitulis, attrahentibus medicamentis, cauteriis, aliiſque remediis virus foras euocandum; mouendi ſudores, & naturæ nociua non patienti ſubueniendum.

Apibus mira hæc munditia, [g] vt nullæ inter opera ſpurcitiæ iaceant, nulla quæ laborantes moretur aut impediat nequitia, ſic humi- [g] Plin. lib. 11. c. 10.

Digitized by Google

dis diebus & operis otio egerunt excrementa, fucos, & allecta mellis dulcedine animalcula vi proturbant, ſuorum exportant cadauera, & & primæ videntur naturæ legem nociuorum in corporibus expultricem ad politiam tranſtuliſſe. Sic mandato Dei leproſi ſegregantur à populi commercio [h] dumque morbus ille vigeret in Europa vndique magnis charitatis impenſis fundatæ ſunt leproſariæ: Nunc autem prouidè curant magiſtratus ſeparari peſte & epidimia laborantes; quidquid conqueratur D. Gregorius Nazianzenus, [i] chariſſima familiæ pignora ab inuicem ſeparari, id enim fit ne ſibi mutuò & publicæ cladis cauſa ſint: Nollet æger ipſemet, ſi ſapiat, his periculis conſueto ſuorum famulatu auxilium ſibi præſtari & ſi vellet, non meretur.

[h] Leuit. 11. Num. 2. 5. 4.

[i] Oratio. 16.

Inter morbos populares nullus Reipublicæ grauior eſt vitio, & ea cupiditate, quæ ſpretis Dei, naturæ, rationis, principum legibus furit in ſenſibilia: hæc humano generi omnium pernicior eſt peſtis, cuius virus eſt occultum, abſtruſa calamitas, illecebroſa fallacia. Hærebit auaritia, [l] ſuperbia, luxuria ei qui cum auaro, tumido, luxurioſo frequens eſt, talis conuerſatio benè compoſita diſturbat, malos renouat affectus; quidquid imbecillum in animo, nec percuratum eſt, exulcerat; ſi maleficorum coniunctio fœliciorum planetarum vim inficit, & in contrarios trahit influxus; quid non nocebit viris bonis malorum ſocietas? Ita prudenter Iudas Macabæus, licèt ex parua militum ſuorum manu, iuſſit abeſſe formidoloſos ne cæterorum animum exemplo ſuo deiicerent. Apoſtantes [m] clerici expelluntur à ciuitate ne alios doceant: quomodo poteſt nulli nocere qui ſibi non parcit, inquit D. Auguſtinus, etſi [n] non inuadat rem tuam dum voluptatibus ſuis paſcitur, nocet tibi ſaltem vel exemplo quia viuit tecum, & ad id quod agit, inuitat, vel enim duceris talium delectatione factorum, etſi non conſentis, ſaltem inueniſti quod expugnes; quomodo tibi ergo non nocebit, cum labores vt vincas, quod in corde tuo fecit. Malignus eſt ergo omnis iniuſtus, & neceſſe eſt noxius ſit, ſiue ſit blandus, ſiue ſit ferox. Vtramque perſonam agens priuatis nocet, vt in publicum ſæuiat; Nam quia mali vident in eam quam ſequuntur iniquitatem, Principes, magiſtratus, populos armatos, etiam ipſi ſocietatem ineunt, in qua tutior ſit & ſine pudore peruerſitas, occulta timida ſic fortiori velut deſperata coniuratione in publicam aguntur perniciem, vt qui venenum cum in minima quantitate ſumitur, non poſſet cor inficere, niſi ſanguinem & alios humores in ſuam naturam conuerteret, ita vi, metu, dolis, præmiis, obuios quoſque trahunt in ſuas partes, & quam non poſſunt hoſtilem ſibi delere Rempublicam, commouent, & vires in ſui vindictam paratas, excitatis tumultibus impunitatis prædarumque ſpe, alio diuertunt. Ideo dicitur

[l] Seneca ep. 104. & de tranq. vitæ. c. 15.

[m] l. 2. C. de Apoſtat.

[n] In Pſal. 139

Digitized by Google

[o] Præſides facilè prouincias pacatas reddere, ſi eas malis hominibus purgauerint.

Hinc exilij pœna qua magiſtratus malum hominem reſcindit à ſocietate ciuili, vt olim Deus Cain profugum à familia ſua; vt muſicus cordam diſſonam à cythara, vt paſtor ouem morbidam à grege, vt hortulanus putridum pomum à ſimilium cumulo, ne ſana corrumpantur. Mitior eſt pœna temporanei carceris quæ non longa locorum diſtantia, ſed parietibus ſegregat malos à bonis; conſtituit in obſcuris inter mortuos ſæculi, catenis & foueis inſtar ferarum retentos, ne noceant: & ſpecies quædam exilij, vnde [p] tempus quo quis eſt in carcere, computatur in tempore quo debet eſſe in exilio.

His & pecuniariis tantum pœnis Europei ſolebant olim reos punire, vt patet in legibus Salicis, Allemanicis, Saxonicis, Anglicis, Thuringiorum, Burgundionum, Francorum, Longobardorum, Teutonum. [q] Tandem creſcentibus malis ventum eſt ad pœnas capitales, quas etiam lex Moſaïca certis in caſibus ab initio decreuit. Pœnis malefici vexantur, inquit Plato, [r] non quia peccauerunt, nam quod factum eſt, infectum eſſe non poteſt, ſed vt poſthac & peccatores ipſi, & eorum exemplo cæteri peccare deſinant. Si nocentes moriuntur [s] qui gradum à peccatis reuocare noluerunt vel inuiti tamen finem non tam naturæ quam culpæ adipiſcuntur, ne plura delinquant, quibus vita fœnus eſt delictorum; ſic pereunt, vt ipſis perire interſit; ſic pereunt, ne per ipſos aliorum multitudo, ipſamet Reſpublica depereat. Cum à ratione communi, ſcilicet à lege naturali & ſcripta deficiant, non ſunt amplius habendi velut partes ciuilis corporis, vt ſupra diximus, [t] ſed vt calli, verucæ & cætera monſtrificè nociua quæ chirurgus extirpat, totius corporis boni conſideratione: hæc vltima ſceleribus vltimis remedia decernuntur eius authoritate qui non ſine cauſa gladium portat, [v] Dei enim miniſter eſt vindex in ira eius qui malè agit; nunquid fulgure, tempeſtate, creaturis omnibus pro ſe armatis occidit Deus peccatores? quid ni poſſit idem per miniſtros ſuos? nonne Sodomam & Gomorrham ſubuertit: de Antichriſto dicitur quod Dominus interficiet eum ſpiritu oris ſui, & in Euangelio, [x] inimicos meos qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc & interficite ante me. Vnde Valdenſes [y] damnati ſunt velut hæretici qui neminem cuiuſcumque delicti reum capite puniendum dicebant.

Si boni publici conſideratio quæ potiſſimum refertur ad vitæ ciuium conſeruationem, vitam tamen reorum inſectatur, & capita demetit, non eſt mirum res ciuiles cæteras illi ſubiectas eſſe; ſic Centimalus [z] ab auguribus iuſſus eſt altitudinem domus ſuæ quam in Cœlio monte habebat ſubmittere, quia his ex arce augurium

[o] l. ff. de off. præſ.

[p] l. 23. C. de pœnis.

[q] In Codice legum antiquarum.

[r] lib. 11. de legib.

[s] D. Ambr. lib. 2. de Abel & Cain. c. 10.

[t] Hac l. §. 1.

[v] Roma. 13.

[x] Luc. 19.

[y] Ebrard. Bibl. Patr.

[z] Val. Maxim. li. 8. c. 2

Digitized by Google

captantibus officiebat, ſic ædificia operibus publicis cohærentia [a] propter quæ poſſint incendia vel inſidiæ formidari, vel quibus anguſtiantur ſpatia platearum, vel ad ædificationem publicorum ædificiorum diruuntur, ſic apud Lacedemonios [b] adoleſcens reus habitus eſt quod priuatum ædificium publico pretioſius, naues publicis grandiores haberet. Hic poteſt referri quod olim [c] ex auro & gemmis nulli licuit aliquid facere, quod ad cultum & ornamentum Imperatoris pertinebat; nulli licuit [d] vti purpurâ quâ princeps vtebatur, nec hoc ſacro ſuo incauſto ſcribere. Hodie non licet priuato Regum ſtemmata coloreſque ſibi aſſumere; hæc inhibentur & habita deſtruuntur, ne cæterorum paritate vileſcat regia maieſtas apud homines quibus inſolitum eſt pro magnifico.

[a] l. ædificia. C. de operib. publ.
[b] Philoſt. in vita Apollo. lib. 4. c. 10.
[c] l. 1 C. nulli licere.
[d] l. 1. C. quæ rer. ven. l. 6. C. de var. reſcr.

Cauſæ vniuerſales ſupplent defectus ſingularium.

Lex 13.

Rerum quidditas cenſeri debet non tam ex earum indiuidua exiſtentia, quàm ex eo quòd ſunt partes vniuerſi; quia quod habent ſingulare generis & ſpeciei legibus concluſum, etiam determinatur certis qualitatibus totius pulchritudini congruis; Sicut in muſica vocis cuiuſlibet in ea concinentis modus, in corporibus partium configuratio, in pictura colorum temperata varietas, pendet à propoſita totius idea, velut à fine propter quem ſunt & agunt. Vt igitur in rebus ſingularibus prædominatur ratio quædam vniuerſalis, ſic potiſſimùm intendi regique debent à cauſa vniuerſali, formæ particularis vires promouente, fouente, moderante. Iam demonſtrauimus [e] agentia ſingularia opus habere tali concurſu, & vt ſpiritus ſingulis corporum noſtrorum organis inhærentes, ſuis operationibus fungi non poſſunt ſine ſpirituum à iecore, corde, cerebro influentium ſubſidio; ſic inferiorum vim omnem à motu & influxu cœli pendere. Triſmegiſtus dixit foſſilium patrem eſſe cœlum, matrem verò terram, mixtis vtriuſque ſeminibus pro conditione tum loci, tum temporis, omnia eo coniugio quod primum à Deo factum eſt, ordinariè generari. At in eo non ſiſtit cauſæ ſuperioris influxus vt tantùm coagat, & non aliter quàm vnitis viribus conferre poſſit ad rerum productiones; Vlteriùs agere & protendi hac lege demonſtramus, dupliciter, primò ſi cauſa particularis deficiat, vniuerſalem vices eius ſupplere, 2. cauſam hanc vniuerſalem immediatè obire poſſe munus

[e] Supra l. 5. §. 2. & l. 8. §. 1.

Digitized by Google

cauſæ particularis, ipſâ præteritâ, inconſultâ, etiam inuitâ.

Cauſa particulari deficiente ſuccurrit vniuerſalis.

§. 1.

DEvs, inquit D. Thomas, [f] immediatè prouidet omnibus, quoad ordinis rationem, quo verò ad executionem ordinis per aliqua media prouidet, non defectu potentiæ, ſed abundantia bonitatis, dignitatem cauſalitatis etiam creaturis communicans. Præſidens ordini ſeruando quem ex æternæ prouidentiæ ſuæ decretis conſtituit, etiam his obſtat quæ præter ordinem vniuerſi fierent, ſeu agentium imbecillitatem ſubleuet, ſeu cæcos impetus coërceat, ea poteſtate cuius exemplo quilibet iudex, vt diximus, [g] iuriſdictionem ſuam tuetur. Vim ſimilem impreſſit cauſis à ſe ſecundis, velut bonitatis ſuæ vicem agentibus, vt inferiori naturæ ſemper adſint, influxu benefico ſimul & prouido, qui valeat nociuos vniuerſo defectus emendare; ſic ad legem naturæ ſeruandam, duplici medio, formæ ſcilicet particularis, & in eius ſubſidium vniuerſalis vigilantiâ conſuluit.

[f] 1. q. 22. a. 3. & q. 103. a. 6

[g] Supra l. 11. §. 3.

Ipſe prima omnium cauſa, cum omnibus agit immeditatione ſuppoſiti, & ſolus agit vbi nihil præſtare poſſunt cauſæ ſecundæ, vt in creatione animæ rationalis, & in gratiarum infuſione: [h] illi proximiores Archangeli, curam habent rerum vniuerſalium, adſunt prouinciis & regibus; ſingulis perſonis Angeli qui tutelæ ſuæ commiſſas occultis illuſtrationibus monent de fugiendis & agendis, & intellectum inter æquas ex aduerſo rationes dubium, pendentemque inclinant ad meliora. Deus mentem Angelicam ſemel ideis omnibus impleuit, Rationalem autem implet quotidie aſſiſtentium ſibi miniſterio, ita vt noſtrum intelligere nihil aliud ſit, quàm à diuina intelligentia, noſtra virtus à diuina ſanctitate formari.

[h] Supra l. 8. §. 2.

Cœli quorum materia formalis eſt, ſubſtantia non corruptibilis, motus regulatiſſimus, circularis, & qui poteſt eſſe perpetuus, ſunt inſtrumenta diuinæ prouidentiæ; vt in tam vario rerum alterabilium fluxu, ſpecierum, illiſque dictarum legum illæſa ſeruetur integritas: & ſanè ſi cauſa ſingularis non ſe totam exhaurit in ſuos effectus, illique ſic deficiunt ab eius excellentiâ, hoc ſucceſſiuo & in peius ſemper ruente lapſu, iampridem deformatæ propriiſque orbatæ qualitatibus iacerent ſpecies omnes; niſi ſingulorum defectibus, cœlum melioribus titulis occurreret. Ita luſcus luſcum, mutilus mutilum, iracundus non ſemper iracundum generat; temperamenta, vitiaque parentum, non neceſſariò tranſeunt in liberos, ſed hi fortiores, vitæ-

Digitized by Google

ciores etiam fœliciter contrariâ parentibus indole fiunt, prout cœlum fauens naſcentibus iufluxerit: præſidet corporeis, nec patitur ſpecierum dignitatem peruerſa ſucceſſione perimi, licèt in ſemine contenti ſpiritus ex totius corporis partibus decidant, & ad conformationem partium aſſerant medici [i] plurimum poſſe grauidarum cogitationes. Vagæ ſunt, multiformes, in res notas ac ignotas, poſſibiles & impoſſibiles excurrunt, ideo ſi naſcentium figuræ his determinarentur, eſſent omnes monſtrificæ, ſub principio infinitè magis vario, variaquè confuſè permiſcente, quàm Africa vel oceanus. Fixæ ſtabileſque debent eſſe rerum ſpecies, & quâ ratione poſſent tales permanere, ſi pendeant à cauſis ſibi nunquam conſtantibus, omni momento varijs; hos igitur, internoſque defectus ſupplere debet cœlum ab alterationibus immune, generationum ex ſe tot caſibus expoſita fluiditas, hoc ſolido debet contineri, eius diſciplina ne latiùs aberret coërceri. Ita videntur cauſæ ſecundæ non ſecus ac diſcipulæ, operari ſub oculis cauſæ ſuæ vniuerſalis tanquam magiſtræ, ſi ritè munus iniunctum ex artis diuinæ, ideſt naturæ, legibus non obeunt, adeſt doctior præſidentis manus quæ corrigit errata, perficit incompleta, & deſerta per impotentiam opera digniùs abſoluit. Ita ferunt in Hiſpania [k] iuxta Tagum fluuium equas laſciuientes deficiente mare, fauonio concipere; exceptantque [l] leues auras & ſæpè ſine vllis coniugiis, vento grauidæ: Si quæ talibus fides, dicendum videtur id contingere vi cœleſti, quæ in perfectis animantibus fortè ſemen ſuppeditat, ſunt in imperfectis formam. Addunt Philoſophi, [m] poſt diluuia aquæ & ignis quæ totam deuaſtant terram cum ſuis habitatoribus, reſtitui ſpecies virtute ſtellarum, quæ illas formant ex congruo terræ & elementorum temperamento velut in matrice: id, inquit Albertus, facilè fit in animalibus imperfectis quæ habent membra maximè ſibi ſimilia, at de perfectis animalibus maior difficultas. Licèt Auerroës, [n] Auicenna, Diodorus ſiculus aſſerant è terra cum certo cœli influxu quodlibet perfectum animal naſci poſſe, terram autem nunc effœtam à talium productionibus ceſſare.

Quod cœlum, vel vt alij volunt anima mundi præſtat ſine formis particularibus, forma quorumdam animantium efficit deficientibus organis. Mihi, inquit Plinius, [o] contuenti ſe perſuaſit rerum natura, nihil incredibile exiſtimare de ea, nam inſecta trahunt animam, viuunt & ſpirant ſine viſceribus; Delphinus [p] audit, nullas habens cauernas, quæ vices agant aurium; ſerpens ſiue pedibus aſſurgit, & velociter repit: id ſemper in imperfectis iſtis animantibus exequitur natura, deficientibus ſcilicet congruis ad operationem organis, & idem in perfectis molitur, vbi partes ritè ſuis non funguntur officiis? organicæ proprios inhærentes habent ſpiritus quorum vi vltimam abſo-

[i] Fernel. Phyſiol. lib. 7. cap. 11. Plin. l. 7. c. 1

[k] Solin. Polihiſt. c. 26.

[l] Virgi. 3. Georg.

[m] Alber. Magn. tr. 2. de propriet. elem. c. 13.

[n] Rhodig. lib. 2. c. 19. Diodor. ſicul. initio.

[o] lib. 11. c. 3.

[p] Ariſt. hiſt. anim. lib. 1. c. 11.

Digitized by Google

uere debent digeſtionem, vtilem ſuccum in propriam conuertere ſubſtantiam, nociuum eliminare; at ſi ſe patiantur opprimi, & humorum affuſione vitietur temperamentum, partium omnium vices agens natura criſim mouet, purum ab impuro diſcernit, nociuum exturbat, ſi via ſolita non detur, nouam aperit, aut in partem minus nobilem reiicit; ſolutionem continui non patiens generat carnem quâ vulnus replet, oſſa fracta callo conſolidat, toti corpori eiuſque ſingulis membris ita prouidè ſubuenit, vt eius inclinationes ſequi conſummata medicina profiteatur.

Ad exemplum naturæ, regimen ſeu politicum, ſeu Eccleſiaſticum totum eſt in eo, vt qui præeſt ſingulorum defectus & obſeruet & corrigat, ſitque vt de ſeipſo Iob dicit [o], oculus cæco, pes claudo, ſic præpoſitus omnibus, vt ſingulorum in ſe trahat ſollicitudinem. Quirites ſummum ius condendæ legis in Principem contulerunt, [p] vt in eadem perſona concurreret iuſtitiæ origo & tutela, eſſetque Cæſar, iuſtitiæ pater & filius, dominus & miniſter. Cùm non ſit vbique, vt prouideat, ſicut Deus; cùm imperij ſui limites non ambiat vt cœlum, plures oculos, pluresque manus habet per miniſtros vt ſingulorum neceſſitatibus poſſit adeſſe. Sic olim in Spartana, Athenienſi, Romana Republica inſtituti fuere Cenſores qui in cuiuſque ciuis rem domeſticam inquirerent; ſi pupillis non eſſet datus tutor, [q] dabatur à Prætore ex lege attilia; iudex abſentium [r] qui cuiuſlibet rei poſſeſſione priuati ſunt, ſuſcipit in iure perſonam, & authoritatis ſuæ formidabile miniſterium obijcit, vt ita tueatur abſentes; generaliter Magiſtratus [s] curam habent bonorum pupillorum, amentium, prodigorum, prouidentque illis tutores, vt cuique ſuum ſeruetur. Bonis vacantibus [t] datur curator; quæ deſunt [u] aduocatis partium iudex ſupplet; Proconſul [x] in Prouincia debet aduocatos dare fœminis, pupillis, debilibus, his qui ſuæ mentis compotes non ſunt, & qui per aduerſarij potentiam opprimuntur. Cedere actionem [y] mihi ſi quis teneatur, & non reperiatur ille, lex mihi dat vtilem actionem ſiue ceſſione, furioſus acquirit [z] non voluntate ſuâ ſed voluntate legis; deſiſtente accuſatore & accuſato, iudex [a] ex officio poteſt crimen proſequi.

Innumera ſunt in iure ſimilia vnde conſtat publicam authoritatem, ſupplere ſingulorum defectus, & hinc meritò dici publicam, propterea quòd omnium vtilitati conſulat: Sic miſeris patet ad Eccleſias & ad principum ſtatuas refugium, ſic fiunt reſtitutiones in integrum quibus minores & læſi ab illatis ſibi damnis vindicatur; ſic appellationes à iudicum ſententiis; ſic gratiæ, abolitiones, priuilegia à principe conceduntur; ſic olim Ariſtides [b] qui bona vitamque pro Republica Athenienſi impenderat, mortuus non habens in bonis vnde ſepeliretur, publicis impenſis honorificè ſepultus eſt; ſic ho-

[o] Iob. 29.

[p] Conſtit. ſicular. lib. 1. tit. 80. in cod. leg. antiq.

[q] Inſtit. de attil. tut.

[r] l. vn. Cod. Theod. vnde vi.

[s] l. 1. & l. ius dandi ff. de tutel.

[t] ff. 48. tit. 9.

[u] Cod. 2. tit. 10.

[x] l. 9. ff de aff. proconſ.

[y] l. 9. ff de inſtit. act.

[z] l. 63. ff de acq. vel om. hær.

[a] l. ij. C. Theod. de Iuriſ.

De his qui ad Eccl. confug. c. 1. tit. 12.

[b] Plutarch. in ariſtide.

Digitized by Google

[e] Ariſt. in Rhet. ad Alex.

neſto ſepulchro debent donari, [e] hi qui pro Republica mortui ſunt, & eorum filii vſque ad pubertatem nutriendi.

Cauſa vniuerſalis immediatè poteſt obire munus ſingularis, ipſâ prateritâ.

§. 2.

DEmonſtratum eſt cauſam vniuerſalem, agente & deficiente causâ ſingulari eius ſupplere defectus, & in auxilium vel laborantis vel aberrantis venire: maior eſt difficultas an cauſis ſingularibus ſtationes ſuas in procinctu tenentibus, paratiſque ad ſui muneris executionem, vniuerſalis cauſa poſſit id ſingulare munus exequi ſeipſâ, illiſque præteritis. Videtur enim quædam ordinis confuſio, ſi ſupremum attingat inferius ſine mediatione; agentia ſine neceſſitate non debent multiplicari, & ſi huic actioni perficiendæ ſufficit cauſa ſingularis, cauſa vniuerſalis illam ſibi totam vindicans; apparet ſuperflua, importuna, & vim aliquam profeſſa. Id tamen in natura fieri ex ſequentibus patebit, ſic ratione fit, cùm opus naturæ ſit opus intelligentiæ. Hæc autem poteſt eſſe ratio, quòd cauſa vniuerſalis continet eminenter inferiorum virtutem, quæ de potentia debet in actum reduci, & vt eſt, ſic agere independenter ab inferioribus; abſurdum enim eſſet vim illam originalem & magiſtram ociari, nec habere ius ad actionem, niſi cùm ab illa deficerent agentia ſecuncundaria, ſic enim bonum penderet è malo, primum & ſupremum ab inferiori, vices tantùm eius ageret, cùm tamen inferius ſuperioris vicarium ſit, & precariò poteſtatem accipiat.

[f] Iamblic. de myſt. c. 33.

Antiqui [f] plures colebant intelligentias rebus diuerſis ſub Deo præſidentes, ſed aſſerunt quidquid à ſingulis ſperari poteſt, id ipſum perfectiùs obtineri à Deo omnium numinum principio, in eo omnes eſſentias dominationeſque coli, & hunc eſſe ſanctimoniæ ſummum apicem. Ex Theologorum ſententia [t] Deus poteſt immediatè facere omnem effectum cuiuſcumque agentis ſine eo; poteſt formas materiæ imprimere, corpora monere, intellectum illuſtrare, voluntates afficere, quis enim ſibi fingit impotentiam in ſummo primoque actu, vt qui finxit oculum non conſideret, inquit propheta. [v] Ipſum eſſe omnis boni, omnis actionis fontem probat creatio cùm res ſine preiacente materia & è nihilo, ad exiſtentiam eduxit, vimque vt agerent & producerent ſecundum genus ſuum conceſſit. Sic creata, & ad actionem inſtructa pendent ſemper ab eius concurſu, ſed cùm ſit omnipotens non pendet ab ipſis, per ſe poteſt omnia vt innume-

[t] D.Tho. 1. q. 25. a. 1. & q. 105. a 2. ad 6.

[v] Pſal. 93.

ris

Digitized by Google

ris ſæpè probauit miraculis; ita Chriſtus in multiplicatione panum, ſeminis, agricolæ, terræ, piſtoris, ignis ſucceſſiuas moraſque trahentes actiones momento voluntatis ſuæ ſuppleuit. Dicitur, inquit D. Dyoniſius, [w] præpotens rerum omnium prima diuinitas quòd omnia ſuperet, quòd ijs quæ gubernantur ſine vlla admixtione præſit. Effectus ſingulares attingit immediatè, vt doctiſſime diſſerit D. Thomas contra gentiles, [x] & nunquam ſatis mirando miſericordiæ ſuæ ſacramento id nobis conſtat; Verbum enim caro factum eſt, [y] vt ſcirent homines, Deum tam proximum eſſe pietati hominum, vt hominem ſuſcipere dignaretur, & ſic ei coaptaretur homo totus, quemadmodum animæ corpus; ad quem tamen Deum, velut longè poſitum per interpoſitas poteſtates, dæmones ſcilicet ſe pro angelis ſubijcientes, ambiebant homines. Multa quidem ſpiritualia dona per angelos nobis largitur, ſed & ipſum immediatè pijs animabus illabi teſtatur myſtica Theologia.

[w] De diuin. nomin. cap. 10.

[x] lib. 3. cap. 70.

[y] D. Auguſt epiſt. 3. voluſiano.

In angelis motor cœli ſuperioris, [z] poteſt mouere cœlum motoris inferioris: Archangelus principi datus poteſt eum illuſtrare præterito & inconſulto angelo cuſtode: licèt ſingulis regnis & prouincijs aſſignati ſint rectores angeli, vnus tamen [a] vices omnium agens, omnibus præſidens circuit omnem terram, & videt quod habitetur & quieſcat. Cùm inferior angelus ſit ſuperior ſupremo homine noſtræ hierarchiæ, ſecundùm illud [b], qui minor eſt in regno cœlorum maior eſt illo, ſcilicet Ioanne Baptiſta, hic inferior angelus [c] poteſt non ſolùm purgare, ſed illuminare & perficere etiam altiori modo, quàm ordines noſtræ hierarchiæ.

[z] D. Tho. 1. q. 117. a. 4. ad 1.

[a] Zach. 1.

[b] Math. ij.

[c] D. Tho. 1. q. 108. a. 1. ad 3.

Octaua cœlorum ſphæra & loco & virtute ſuperior, rebus vt dictum eſt vniuerſalibus præſidet, ita tamen vt etiam cùm opus eſt ſingularia perficiat, & inferiorum planetarum vices agens, aſtrorum periti votis annuit. Vnde dicit Ptolomæus [d] cùm præſtare non poteris, vt duobus lunam planetis coniungas, id præſta vt ſtellæ fixæ eam coniungas illorum mixturam habenti. Ab vnaquaque ſtella proprium expectamus donum, ſed à ſole [e] communia reportamus, tanquam communi duce cœleſtium; operatur enim in omnibus naturis, & nulla naturarum aliarum operatur in eo: ſic Iupiter bonum omne ſingulis planetis tributum ipſe vi ſua promouet; eſt enim velut ſol temperatus, non aſpectu tautùm, vt ſol, ſed etiam coniunctione fœlix. Licèt mures & ranæ ſint vltra quàm credi & optari poſſit prolificæ, virtus tamen cœli [f] loco ſpermatis, cum elementis ſufficit ad eorum generationem in hoc maximè mundo vtilem, vt probet cauſas vniuerſales operari poſſe ſingularia cùm id materiæ diſpoſitio tulerit.

[d] In centi. nu. 28.

[e] Haly. par. 1. c. 4.

[f] D. Tho. 1. q. 45. a 8. ad 3.

Id ipſum in nobis experimur, nam mathematicus habens vnius trianguli rectum angulum, iudicat æqualem eſſe duobus alijs, & hac

Digitized by Google

pis & capitalis eſt: Moyſes ſic ex conſilio ſoceri ſui conſtituit iudices qui iudicarent populum, vt tamen ad eum grauiora referrent. Exod. 18.

Ius illud, naturale, ciuile, eſt etiam Eccleſiaſticum, inquit D. Thomas [m] ſcilicet ad imitationem cœleſtis hierarchiæ, in qua angelus ſuperior, vt diximus, poteſt exequi officium inferioris, etiam medijs inferioribus [n] quibus vires ſuas delegat, alioquin turbaretur hierarchicus ordo; nam ſi media poteſtas nolit parere ſuperiori, nec illi parebit inferior; ſuis igitur id tentabit periculis, & à iure ſuo cadet, dum ſuperius non agnoſcit. At qualis dicendus eſt affectus, ſui negligens dum alteri noceat, ruinis ſimillimus, quæ ſuper id quod oppreſſere franguntur; caducæ ſiniſtræque ſunt vires, [o] & in malum ſuum validæ, in quas ægrum erexit acceſſio. Quis ergo vel ſolo commnni ſenſu præditus, non intelligit in hoc Eccleſiaſtico regimine, ſicut in ciuili, poſſe minora qui poteſt maiora?

[m] D.Thom. opuſ. 19. cap. 4.
[n] id. 1. q. 113. a. 3. ad. 3.
[o] Seneca. de ira lib. 3. c. 3.

Qui poteſt plus, poteſt minus.

§. 3.

EX ſuperioribus hæc orta propoſitio, lucem illis plurimam affert, nataleſque ſuos reflexis ſplendoribus illuſtrabit. Regula iuris eſt, [q] non debet cui plus licet, quod minus eſt non licere; ſic cauſæ vniuerſales ſupplent defectus ſingularium, quia vires earum vel eminenter vel formaliter continent, & cùm hæc virtus ad plura ſe extendat, poteſt & ad minima: Rex poteſt per ſe, quidquid poteſt per miniſtros, iubere, prohibere, coërcere; poteſt dux generalis quod capitaneus; hinc patet ſic limitandam eſſe hanc regulam, vt virtus ſuperior poſſit quod inferior, ſi ſuperior habeat etiam proportionem in eodem ordine ad effectum producendum, ſicut qui poteſt ferre centum libras, poteſt etiam viginti; in maiori numero continetur minor; in cubitali quantitate, pedalis. Sic Angelus [r] poſt luctam quam habuit cum Iacob, illi ſpem, animoſque his verbis dedit; ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines præualebis. Poteſt minor reſtitui [s], ergo poteſt appellare; poteſt iudex [t] non deferre iuramentum, poteſt igitur iuraturo aliquam ſummam definire intra quam iuret; qui concedit totum, cenſetur etiam concedere partes, [u] vt concedens facultatem recipiendi ſacerdotium, cenſetur etiam concedere facultatem ordinum qui aliquo modo continentur in ſacerdotio; concedens facultatem veſcendi carnibus, ſimiliter concedit veſcendi ouis & lacticinijs; cui conceſſa eſt iuriſdictio [x], ea quoque conceſſa eſſe videntur, quæ ad illam exercendam pertinent: qui vult antecedens, [y] vult etiam conſequens, ſine

[q] l. 21. ff. de reg. Iur. & cap. 53. de reg. Iur. in 6.
[r] Gen. 32. 28.
[s] l. 43. ff. de mino.
[t] l. 76. ff. de rei vind.
[u] Bonacina de priuileg. pun. 7. in fine.
[x] l. 2. ff. de Iuriſd.
[y] l. 92. ff. de cond. & demo.

Digitized by Google

quo illud quod quæritur nullius eſt momenti, & qui mandat antecedens,[z] mandat & conſequens, qui ſeruum ſuum filio ſuo dat tutorem[a], tacitè eum liberum efficit, quia non niſi liber poteſt eſſe tutor.

[z] l. 56. ff. de procur.
[a] §. idem iuris. Iuſt. quib. excau. man.

Fallit autem regula in his quæ ſunt diuerſi ordinis, nec qui poteſt plus, & nobilius poteſt minus; nam ideò res ordinatæ ſunt, vt vnaquæque ſuis contenta limitibus non excurrat in alienos. Sic ignis ſuperius & nobilius elementum, tamen non producit vt terra, non humectat vt aqua: Leo generat leonem non murem; homo poteſt intelligere non volare: ex cadauere[b] non naſcitur planta, ſed plura pullulant animalia, quia planta habet multum terreſtris ſubſtantiæ, humidum autem per putrefactionem educitur ſubtile eſt, & multum aëreum; propria ad productionem animalis materia facit: vt prodeat animal ex cadauere, non planta quæ alquid minus eſt.

[b] Alb. Mag. meteor. lib. 4. tr. 1. c. 11.

Similiter in iuriſdictione non eſt argumentandum à maiori ad minus, & ab actu nobiliori ad minus nobilem, nam iuriſdictio pendet à concedentis voluntate quæ poteſt vnum concedere alio etiam minimo negato; vt ſacerdotes conſecrant corpus Chriſti, non tamen poſſunt conſecrare vaſa & iuſtrumenta quæ ad conſecrationem adhibentur: Cardinales poſſunt eligere ſummum Pontificem, non tamen poſſunt creare Cardinales: Regina cui competit regnum iure hæreditario[c], antecedit maritum in his quæ pertinent ad regimen, non ad oeconomicam & matrimonium; ſicut ſupra diximus de filio conſule erga patrem.[d] Non licet Archiepiſcopo aut Patriarchæ, clericos ſubditi Epiſcopi eo inconſulto[e] ad iudicium trahere; ſunt enim limitatæ diœceſes, vt diuerſa munia poſſint à diuerſis diligentiùs perfici.

[c] Bonac. de legib. diſp. 1. q. 1.
[d] Supra. l. 12. §. 3.
[e] Can. conqueſtus 9. q. 3.

Interdùm quod plus eſt permittitur, eo negato quod eſt minus, quia in illud maior eſt inclinatio vitioſa, cui ſe ſeuerius leges opponunt: vt licet decurioni[f] bona ſua immobilia donare non vendere, quia faciliùs vendit quàm donat; ex S. C. Vellejano[g] mulier poteſt pro alio ſoluere, non fideiubere, quia faciliùs fideiubet quàm ſoluit Religioſus[h] in alio quàm ſuo ordine non poteſt eligi Abbas, cum poſſit eligi in Epiſcopum, ſecularis vel regularis Eccleſiæ. Patribus olim dabatur ius necis & vitæ in filios[i], non verò eos oppignorandi; quod minimâ vrgente neceſſitate feciſſent, indolemque bonam educatione ſeruili corrupiſſent.

[f] l. fin. C. de præd. decur.
[g] l. 1. ff. ad S. C. Velleia.
[h] Clem. 1. de elect. c. 1.
[i] l. vn C. Theod. de patr. qui fil.

Tandem certis limitibus coërcetur poteſtas, dignioribus conceſſis interdicuntur minora, ne liberior, omniaque ſibi vindicans feratur in pernitiem ſubiectorum. Sic militibus & nobilibus interdicitur mercatura,[l] vt inter plebeios ſit facilius emendi & vendendi commercium; non poſſunt etiam conductores[m] niſi vſus ſui gratiâ, ne

[l] l. 3. C. de commer.
[m] l. 31. C. de loc. & cond.

Digitized by Google

vicinis graues fiant præſumptione cinguli militaris. Caput non fungitur officio pedis, oculus digiti, cor lienis, at anima adeſt omnibus, operatur omnia, functionum omnium in corpore fons & origo; ſic limitationes poteſtatis non cadunt in Regem aut ſummum Pontificem, qui habent ſummam iuriſdictionem, cæterarum quæ per partes conceduntur principium.

Cauſæ ſuis effectibus ſunt præſtantiores antiquitate, virtute, beneficio.

Lex 14.

MAgnus Dominus[n] & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis, infinitus eſt enim eo quòd eſſentia ſua eſt omnis perfectionis & entitatis ſimpliciſſima & eminentiſſima complexio, quam auguratur mens noſtra, cùm qualibet datâ quantitate finitâ, maiorem excogitat vſque in infinitum. Huic primæ cauſæ cæteras, prout gradu ſunt ipſi viciniores, etiam perfectiores eſſe, iam ratione probauimus,[o] cùm ſint incorruptibiles ſubſtantiâ, & inexhauſtæ cuiuſdam largitionis. Diuinam æmulantur bonitatem & immenſitatem, in eo quòd benefico ſuo concurſu[p] vim ſecundorum agentium iuuant, ſupplent eorum defectus,[q] & eminenti poteſtate ſæpiùs implent eadem quæ ſingulis aſſignantur officia. Iterùm hîc cauſarum in effectus ſuos præſtantiam obſeruamus ex antiquitate quâ præcedunt, ex virtute ſublimiori quâ pollent, ex amplioribus donis quibus magnificè commendantur. Conſtat in ſuperioribus eminenter inferiora contineri, ſicut in altis montibus,[r] vallium omniſque terræ fœcunditatem ſublimi compendio collectam mirari licet. Maiores ſunt venæ, vnde minores ad ſingulas corporis partes deriuantur; truncus arboris quolibet ex ſuis ramis maior eſt, terra cœlo vnde viget comparata videtur punctum; lacuum, fontium, fluminum aquæ, guttulæ ſunt reſpectu maris vnde ſuam ducunt originem: Reſpublica[s] ſuis ciuibus diuitiis, poteſtate, gloria, debet eſſe maior, olim non licebat liberto[t] plus poſſidere quàm Dominus, vnde non poteſt[v] eo inuito exercere negotiationem: Ita quidquid habet rationem principij vult eminere; vel quod eminet vult videri principium, & eo titulo ditiores, ſapientiores, potentiores ambiunt dominationem.

[n] Pſal. 144.
[o] Supra l. 4. §. 2.
[p] Supra l. 8. §. 1.
[q] l. 13.
[r] Supra l. 4. §. 2.
[s] Supra l. 12. §. in fine.
[t] Plato 11. de legib.
[v] l. 45. ff. de oper. libertor.

Digitized by Google

Antiquitas ſeu prioritas eſt legitimus prælationis & excellentiæ titulus.

§. I.

x Ariſt. 8. Phyſ. c. 6.
y Daniel. 7.
z D.Dionyſ. de nom. diui. cap. 10.
a Supra l. 3. §. 1.

QVi de Deo loquuti ſunt antiqui, ſummas ejus perfectiones expreſſerunt nominibus quæ prioritatem ſignificant, eum vocando ens entium, primum rerum principium, primum motorem,[x] antiquum dierum,[y] ens æternum,[z] omnium æuum & tempus, ante dies, ante æuum, ante tempus exiſtens per ſe ipſa ſua eſſentia cùm omnia ſint ab ipſo. Angelos ipſi ſubſtantiæ puritate vicinos, ſecundos ab ipſo rerum motores, aſſerunt Theologi[a] prima die creatos, cum cœlo & luce ſenſibili; Cœli autem ſenſibilium primogeniti virtus quanta ſit patet, cùm forma ipſius imago, ideſt lumen, res omnes apud nos efficiat & conſeruet: Cœli pars in cuiuſque geneſi prima, etiam potentior eſt, ſignumque primum in ſignificationibus habet dominium;[b] quando per duo ſigna fit rei ſignificatio; orientalis planeta, vel ſuper alium eleuatus, viribus inſignior habetur; Orientalis cœli plaga mittit ad nos vniones, gemmas, aromata, medicamenta, pretioſa cætera que non dat ocidentalis. His ſuffragari videtur Chriſtiana pietas quæ templa ſua conuertit ad orientem,[c] ſolem iuſtitiæ, creaturarum primogenitum, gratiâ ſuâ velut aurorâ mentes illuſtrantem, hoc externo cultu venerata.

b Hermes centilo. n. 68.
c Baron. an. 57.

Vim elementorum & potentioris principii dignitatem deſumunt aliqui ex prioritate, illudque dicunt ad generationem validius quod eſt antiquius. Ita Thales poſuit aquam rerum principium omnibus imperitans, terram enim abſorbet, flammas extinguit, ſcandit in ſublime, nubibus cœlum obſidet, eo forte titulo quòd in ortu mundi omnia pontus erat. Calcidius in Platonis Timæum, terram dicit antiquiſſimam, vel quia eſt animalium capax locus, qui præcogitatur ijs quæ in loco ſunt; vel quia terra rationem habet puncti, quod omni magnitudine eſt antiquius, atque omni quantitate; centrum prius eſt circonferentia; quæ ſtant, ijs quæ mouentur præeunt, quia motus omnis poſt ſtatum ſumit initia. Addi poteſt quòd initiò mundi Deus fecit cœlum velut maſculum & terram omnium matrem: hæc prærogatiua primum in lucem edi, hæc Dei præ cæteris electio vana non eſt, ſed res illas primigenias duobus potiſſimùm illuſtrat titulis, ſcilicet quòd à cæteris ſint independentes, & earum ſint cauſæ, illis nihil debent, & plurimum conferant.

Pater tempore ſimul & cauſalitate præcedit liberos, & ex hac do-

Digitized by Google

meſtica prælatione, ciuilis duxit originem. Etiam philoſophi [d] præcipiunt ſeras nuptias, ne filij propius accedentes ad ætatem parentum, eos minùs venerentur, & hæc æqualitas aliquid de patria poteſtate detrahat. Ita placuit minorem natu, maiorem non poſſe adoptare, [e] adoptio enim naturam imitatur, & pro monſtro eſt, vt maior ſit filius quàm pater. Vnde cùm antiqui Æſculapium Appollinis filium effingerent barbatum propter neſſariam in medicina experientiam, illi Dionyſius ſiciliæ tyrannus Epidauri barbam auream abſtulit, quia pater eius Appollo erat imberbis. Docere mulieri non permittitur, neque dominari in virum, Adam enim primus formatus eſt, deinde Eua, inquit Apoſtolus [f], ius illud quod habet vir in mulierem, ducens potiſſimùm ex originis prioritate. Huic autem imperio vt ætas etiam conſentiat, Ariſtoteles [g] maſculis ad ineundas nuptias præſcribit annum trigeſimum ſeptimum, fœminis vigeſimùm ſecundum, & antiquæ legis [h] ſeuerè prohibebant, ne viris minoris ætatis maiores fœminæ deſponſarentur.

[d] Ariſt. de Republ. lib. 8. cap. 16.

[e] §. minorē Inſtit. de adoption.

[f] 1. Timoth. 2.

[g] de republ. l. 8. c. 16.

[h] In legib. Vuiſigoth. lib. 3. c. 3. Vide infra. l. 15. §. 6.

Cùm igitur antiquitas ſit excellentiæ & dominationis titulus, illam æmulatione ſummâ modiſque omnibus ambiunt Reſpublicæ; mirum quod pleriſque præclarum videatur originem ſuam ducere à diſperſis deſtructæ Troiæ reliquijs, quaſi caſus turpitudinem, abundè compenſet antiquitas: ſicut enim in familia [i] recentiſſimus quiſque ſeruorum conſeruis ludibrio eſt, ſic in hoc rerum terrenarum vetere famulatu, noui habentur tanquam viles. Honeſtius apud Romanos generis illuſtrior nobilitas cenſebatur ducens originem ſuam ex primis illis viris, qui in concilium à Romulo vocati, Reipublicæ fundamenta iecerant [k], ex authoritate Patres, ob ætatem ſenatores dicti. Antiquitas certè veneranda, prima quippe ſæcula ſunt, quæ ſequentium leges & imperia, virtutum vbertate, ſanguine vel ſudore pepererunt, ideò Romæ [l] templum primigeniæ fortunæ dicatum fuit, velut fœlicioris, & vnde pendebat futurorum ſors.

[i] Tacit. in vita Iulij agricolæ.

[k] Florus c. 1.

[l] Alexan. genia. dier. lib. 1. c. 13.

Cætera virtute, labore comparantur, antiquitas Dei donum eſt, quod ſi deſit aliundè non poteſt haberi, ſi contigerit omni ſtudio ſeruandum eſt: ſic nomina filiorum Iſraël [m] ſcripta fuerunt in duobus lapidibus onychinis, ſecundùm ordinem natiuitatis eorum: in qualibet Prouincia [n] matrix ciuitas habetur maiorum beneficio, ſeu antiquitate. Proconſul [o] debet ingredi prouinciam per eam partem, per quam ingredi mos eſt, magni enim faciunt prouinciales ſeruari ſibi hanc prærogatiuam antiquitatis ſuæ teſtem: in Appollonia Ioniæ [p] qui primi in eam coloniam venerant, cæteris ad obtinendas dignitates præferebantur. Artifices [q] artium ſuarum dignitatem ducunt ex antiquitate, æmulique conteſtantur inuentas ab origine mundi: ſtatuarij quod Deus fecerit hominem ad imaginem ſuam; agricolæ quod

[m] Exod. 28.

[n] l. vn. C. de metr. ber.

[o] l. 1. ff. de off procōſ.

[p] Ariſt. 4. polit. c. 4.

[q] Chaſſanæ in catalo. glo. mundi. parte 11. cō. 41.

Digitized by Google

Deus plantauit paradiſum in Edem; ſutores quod fecerit Adamo tunicam pelliceam.

Splendor ille familiarum nobilitas, ducitur ab antiquitate, & ſicut maiores earum ſequuturis ſæculis profuerunt, ſic eorum poſteros colit grata Reſpublica, priuilegiis donat, cæteris præfert in obtinenda dignitate [r] quam non patitur à nouis hominibus pollui. Ex illuſtribus familiis prodire ſolent viri fortes, velut cœlo dati ad res maximas fœliciter pro Republica peragendas; Moyſes & Aaron [s] qui primi pro Dei cultu & populi libertate mira præſtiterunt, erant de tribu Leui in qua deinceps Deo ſic decernente remanſit ſacerdotium, cùm per illam ſalus primò facta fuiſſet in Iſraël, & huic antiquæ gloriæ cæterarum tribuum fortiter geſta nihil detraxerunt.

[r] l. 14. §. 3. ff. de munerib. & honor.
[s] Rupert. in num. lib. 1. c. 6.

Prima ſæcula vt rerum origini proximiora, ſic velut aurea, iuſtitiæ magis dedita ſuſpiciunt omnes, & cùm ea reuocare non liceat, quæ ab illis ad nos vſque veniunt, etiam attrita, etiam ruinæ ſunt in prætio. Hinc naturali quodam inſtinctu ſenes veneramur, velut fœlicioris ſæculi ſuperſtites virtutum ideas, homines ſingulari Dei beneficio, ab innumeris vitæ caſibus ereptos, ad immortalitatem accedentes. Apud omnes populos ad conſilium & regimen aſſumpti fuere, [t] tum quia valent experientiâ, ſedatis paſſionibus viget in illis matura ratio, minùs etiam illis inuident, & faciliùs cedunt hi qui eoſdem ambiunt honores. Aetas talis prærogatiuæ cauſa, etiam per ſe citra dignitatem colitur; ſenectus verabilis eſt [u], & ſæpè ſenibus idem honor tribuitur, ac magiſtratibus. Eâ ratione temporis ordo ſeruatur inter exiſtentes in dignitate æquali; [x] vt prior receptus alios præcedat; primus ordinatus, [y] cæteris paribus, prior & maior habendus eſt. Sic in Concilio Romano [z] Epiſcopi ſederunt non habitâ ratione dignitatis ſuarum Eccleſiarum, ſed prærogatiuâ ætatis in Epiſcopatu agentis: idem factum eſt in Concilio Anglicano, [a] ſederuntque in eo Epiſcopi ſecundùm tempus ordinationis ſuæ, præter eos qui ex antiqua conſuetudine, ſiue ſuarum Eccleſiarum priuilegijs digniores ſedes haberent. Inter plures [b] autem pari dignitate depoſitâ, ille eſt potior, qui prior fuit in dignitate electus.

[t] Ariſt. 7. polit. c. 14.
[u] l. 5. ff. de iure immunitatis.
[x] l. 1. C. de conſulib.
[y] Cap. cum certum. de maio. & obedir.
[z] Baron. a. 465.
[a] Idem. a. 1075.
[b] l. 2. C. de præf. præto.

Familiæ ſeniores ſunt parentes, ſecunduſque ab ipſis eſt primogenitus; ſicut autem ex antiquitate & prioritate conſtituitur in republica ordo familiarum & dignitatum, ſic ordo liberorum in familia: omni ſæculo, apud omnes gentes, primogenitus cæteris fratribus prælatus fuit, primus enim impleuit parentum vota; primus dedit illis hunc pietatis & poteſtatis titulum, illoſque ab antiqua ſterilitatis maledictione vindicauit; primus firmauit mutuos eorum affectus in ſe concurrentes, ipſis adhuc inexpertos primus mouit, ita primus excepit, & in poſterum præſcriptione quadam ſibi ſeruat; ſolet enim primus

Digitized by Google

mus amor æſtu conſtantiaque ſubnaſcentes cæteros excedere. Quòd ſi talis alteretur dilectio, potiſſimùm in ſecundis matrimonij votis, patri prohibet diuina lex,[c] primogenitum odibilis mulieris, poſtponere filio dilectæ. Lege naturæ primogenitus erat quaſi dominus fratrum qui coram illo ſuccumbebant;[d] duplicem partem in diuiſione hæreditatis capiebat; erat ſacerdos familiæ,[e] velut primitiæ à parentibus oblatæ Deo, cui genuerant, vnde loco primogenitorum[f] Leuitæ fuerunt electi ad ſacerdotium. Varia ſunt in diuerſis prouinciis primogenituræ iura; commune eſt vt familiæ ſtemmata ferant pura, ſic vt à cæteris poſſint dignoſci; vt maiorem in bonis hæreditariis partem habeant, velut ſolidum cui poſſit inniti antiqua familiæ dignitas, hæc enim licèt bonis abundans, vt flumen aquis multiplici partitione poſſet exhauriri.

[c] Deute. 20.
[d] Gen. 27. 2.
[e] Deut. 21. 5.
[f] Num. 28. Vide Spondanum. a. 225.

Tandem quod nullius eſt, cœlo, terra, mari naſcens,[g] fit primò occupantis eo prioritatis iure. In hypothecis prior tempore,[h] præfertur poſteriori; ſi duobus donatum eſt,[i] cùm bona non ſufficiant, prior profertur alteri; qui pro pluribus obligatus eſt in dubio[l] videtur ſoluiſſe pro eo, pro quo ſe priùs obligauit. Præferuntur igitur poſterioribus priora, nec à quæſito ſibi iure dimoueri poſſunt à ſuperuenientibus eo quòd imitentur cauſas ſuis effectibus præſtantiores, hoc primo antiquitatis & prioritatis titulo.

[g] l. 3. ff. de acq. rer. dō.
[h] l. 2. ff. qui pot in pign.
[i] l. 98. ff. de reg. Iur.
[l] 14. ff. de ſolution.

Cauſa ſuperioris virtus eminet.

§. 2.

DVbitari non debet an cauſæ ſuperiores virtutibus emineant, cùm id ſupponendum ſit, & ideò conſtitutæ ſint in ſublimi, exiſtentiæ, loci, poteſtatis, quia virtutibus excellunt.[m] Hunc diximus ordinem à Deo conſtitutum, vt ipſi proximiores eſſentiæ, etiam exiſterent perfectiores, tanquam infinitæ ſuæ perfectionis imagines inferiorum cauſæ, agentium regulæ. Generaliter[n] enim in cauſis agentibus quantò aliquid eſt prius, tantò eſt perfectius: Excellentia cuiuſlibet inferioris Angeli,[o] continetur in excellentia ſuperioris, cuius eſſentia[p] eſt nobilior, virtus vniuerſalior & efficacior ad intelligendum & agendum. Elementa ſunt in ipſo mundi opifice per ideas, in cœlo per virtutes, ſub cœlo per formas, nec enim cœlum inferiora regeret, niſi vim eorum complectetur, ſicut architectonica ſibi ſubiectas artes. Hinc Aſtronomi tam in ſignis quàm in planetis, naturam deſignant elementorum, & effectu probant. Etiam Sacræ Litteræ loquuntur de aquis quæ ſuper cœlos ſunt; & de terra viuentium, quorum ſcilicet & virtutes & naturæ ſunt in cœlis, ſed modo excellentiſſimo. Natura ignis cœlo præbet ſenſibile lumen viuifi-

[m] Supra l. 5.
[n] D. Thom. 2. 2. q. 1. a. 7. ad 1.
[o] Id. 1. q. 108 a. 5. ad 6.
[p] Ib. q. 89. a. 1. & q. 55. a. 5.

Digitized by Google

cum, procul ab aduſtione calorem, motum promptiſſimum, viget in ſole, & marte: natura terræ largitur ſolidam, firmamque ſtabilitatem, ſtellis denſitatem quâ videri poſſint, lunæ, quâ radios repellit ſolares, & viget in Saturno; natura aëris dat perſpicuam qualitatem, viget in Ioue & venere: natura aquæ confert delicatiſſimam, & æqualiſſimam leuitatem, quâ ſphæræ velociſſimo motu ſe contingentes, non reſoluuntur; eminet in Luna & Mercurio. Hæc autem ſic debent intelligi, non quòd cœlum aliquid accipiat ab elementis, ſed quòd cœlorum forma, vires elementorum eminenter complectens, habet aliquid in ſe quod ſingulorum proprietatibus meliori tamen titulo reſpondeat.

[q] Fernel. Phyſiolo. lib. 4. cap. 1. & 2.

Conſtat apud medicos [q] vitam plantarum & animalium contineri, cœleſti quodam calore; agit virtute animæ, penetrat in omnem partem, non diſſoluit, non adurit; non in cinerem vertit, alit, diſtinguit, aſſimilat; viget etiam in frigidis vt in papauere & mandragora, vnde patet non eſſe igneum & elementarem, inhæret ſpiritibus ethereæ naturæ, & quorum ſubſtantia tenuiſſima facilè per totum corpus diffunditur. Illius caloris fons eſt cor, in quo propterea fixus & plurimus eſt, abundat etiam in ſibi proximioribus arteriis; ſicut vis magnetis in annullo ſibi magis vicino. Denique corporis animati membra ſuperiora, magis ſunt ſanguinea & cholerica, inferiora tereſtria, compendioque ſeruant ordinem vniuerſi.

[r] Seneca. epiſt. 90.

Naturæ lex eſt, [r] potioribus deteriora ſubmittere; Deus imperat Angelis, Angelus hominibus, homo beſtiis, cœlum elementis, anima paſſionibus, paſſiones corpori: mutis gregibus aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima, non præcedit armenta deterior taurus; Elephantum gregem excellentiſſimus ducit. Inter homines pro ſummo eſt optimus, animo itaque olim rector eligebatur, ideoque ſumma fœlicitas erat gentium, in quibus non poterat eſſe potentior, niſi melior. Bonus rex [s] aliis quidem exiſtimat virtutem eſſe honeſtam, at ſibi ipſi neceſſariam, cui enim maiore opus eſt prudentia, quàm ei qui de rebus maximis conſulat? cui exercitatiore iuſtitiâ, quàm ei qui maior eſt legibus? cui fortitudine validiore, quàm ei ſub quo omnia ſeruantur? cui modeſtiâ continentiore, quàm cui omnia licent? quem magis decet virtus, quàm eum qui omnes homines ſui ipſius animi ſpectatores & teſtes habet? Non poteſt, inquit Plato, [t] rectè ciuitatem regere is in cuius animo eſt ciuitas quædam incompoſita & miſera, priuatum enim ſuum malum, publicum efficit; nam eius exemplo prouocatus populus, non impunè tantum, ſed & ſplendidè peccabit.

[s] Dion. orat. 3. de regno.

[t] 2. de legib.

[v] lib. 3. de ſacerdotio.

D. Chriſoſtomus [v] miratur collatam à Deo Sacerdotibus poteſtatem, longè maiorem quàm ſit in terrenis principibus, etiam in Angelis &

Digitized by Google

Archangelis, nulli enim eorum dictum eſt, quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Principes ius tantùm habent in corpora, ipſi in animas: pater dedit filio omnem poteſtatem & filius illis: tantæ poteſtati reſpondere debet eminens vitæ ſanctimonia, nam in ipſis vt in Deo poteſtas videtur ſupponere ſanctitatem, illum enim Angeli ſuo trilogio prius ter ſanctum, quàm potentem celebrant. Hierarchia dicit altitudinem quandam per quam quis ſortitur diuinum gradum, inquit Albertus,[x] perficitur autem iſte diuinus gradus in tribus, ſcilicet in participatione doni diuini, in conſortio diuinæ poteſtatis, & transfundendo dona in alios; prius eſt autem diuina recipere, quàm effundere, priùs ſpeculum ſolis radios excipit quàm emittat. Deo proximiores Angeli qui cæteros purgant, illuminant, perficiunt, diuino flagrant amore ſeraphim, diuinis implentur luminibus cherubim, throni ab omni terrena deiectione ſecreti, ei qui verè ſummus eſt, immobiliter hærent. Vt Eccleſiaſtica hierarchia cœleſti conformetur, ſit in ſacerdotibus ſapientia charitate feruens, charitas ſapientiâ lucens, ſanctimonia diuinis excipiendis & effundendis ſemper patens. Ita pectus & brachium dextrum immolatæ victimæ dabatur ſacerdotibus,[y] in pectore mundæ cogitationes, in brachio bona opera ſignificantur, vt quod mente conceperint exemplo probent, & in aliis exprimant.

[x] In D. Dionyſ. cap. 3. de cœl. hierarc.

[y] D. Hieron. ep. 138. ad Fabiolã.

Paterfamilias domus ſuæ, tanquam corporis caput eſt, quòd ſi ſanum fuerit, cæteris membris ſanitatem & vires largitur. Velut aquila prouocet ad volandum pullos ſuos, ſuper illos volitans eminentiâ virtutis. Maiorem ad pignora veſtra non poteſtis habere pietatem, inquit Emiſenus,[z] quàm ſi per vos agnoſcant animarum parentem; quàm ſi per vos in cœleſtis patris tranſeant adoptionem, quapropter ſtudete non linguâ erudire ſed vitâ; duplex vobis commodum erit cùm ſalus ad filios veſtros de veſtra ſalute tranſierit, & cùm per vos ad illam peruenerint, ex illis ad vos multipliciter reuertatur. Hoc enim bonum dando non conſumitur, ſed dilatatur, & magis dum transfertur acquiritur, vtriuſque accipientis & tradentis lucrum eſt, cùm vtriuſque eadem cenſeatur eſſe perſona. Pater vim ſibi facit, paſſiones frænat, virtutes animoſè ſectatur amore filii, ne quid ſuis obſtet profectibus; filius amore patris, quidquid in illo videt imitatur, & in eius virtutes nititur transformari; tali virtutis ſuæ fructu delectatus pater, magis ac magis prouocatur ad heroïca, & ad eadem reciprocè filius, infinito quodam ad infiniti boni conſecutionem progreſſu: hæc eſt perpetua quædam imaginis Dei generatio, hæc eſt vera paterna pietas, quæ filios virtuti, cœlo & Deo non vitiis & mundo parit: nulla poteſt eſſe patris authoritas in corrigendis filiorum exceſſibus, niſi prius illis ipſe caruerit, contrarios haberet affe-

[z] Homil. 4. in f. de epiphania.

Digitized by Google

ctus, cupiens reum damnari, crimen abſolui, vnde qui deſcendit in arenam, [a] non poteſt ob id filium exhæredare. Domus parua quædam eſt Reſpublica & Eccleſia, ſic in ea pater vices agit Principis, & Pontificis; cuius ex propinquo mores omnes curioſiùs obſeruati liberos in eandem transformant ſimilitudinem, & primas virtutum aut vitiorum ſpecies in eorum mentibus duraturas inſtillant. Regibus igitur, Prælatis, patribus, qui rationem habent principij, & diuinam in homines referunt poteſtatem, Deus dicit, ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum; habeant eminenter in ſe, quam in alios effundere debent probitatem.

[a] l. 11. C. de inof. teſta.

Principiorum beneficentia cæteris eſt excellentior.

§. 3.

IPſum principij nomen, vt prioritatem temporis connotat, ſic eminentiam tum naturæ, tum ex ea promanantis beneficii, quod excedit cætera, prioritate, magnitudine, continuatione. Primum erga nos Dei beneficium, habet aliquid infiniti, nam ab æterno dilexit nos [b] inter infinita poſſibilia non futura, ſelegit nos ante mundi conſtitutionem, & in charitate perpetua nos dilexit. Vt non poteſt [c] calor non calere, lux non illuminare, ita nec ſummus amor ſummè non amare, In alium ferri non poteſt, quia nihil illo excellentius, & quia ab eo abeſt omnis compoſitio, ideo ſe amat pulcherrimum, ſe verò amans, omnia ab eo mirè prodeuntia vnicè & à nobis incomprehenſibili modo diligit, nec alius eſt quo ſeſe & nos proſequitur ardor, ſed vnus idemque; vnus eſt verus amor, omnes alios producens amores, omnium ratio, talis amor eſt æternè in ſe agens; quia infinitus, infinita cauſa eſt & ratio vt ſic ſe habeant. Et ſanè vis eius in finita debuit eſſe, vt res crearet ſuperans infinitam & incommenſurabilem diſtantiam quæ eſt à non eſſe ad eſſe, à nihilo ad exiſtentiam.

[b] Ierem. 31.
[c] Alanus Varenius lib. de amore.

Huius amoris æterni duplex eſt erga nos effectus, qui reſpicit tempus & æternitatem, vitam hanc quam ducimus mortalem, & quam ſperamus immortalem. Vitæ præſentis ratione, ditauit cœlos luminibus, viribus, periodis harmonicis, vt per tot ſæcula ſufficerent innumeris rerum innumerè variarum generationibus. Elementa propriis ſuis diſtinxit locis, qualitatibus actiuis & paſſiuis vnde fierent mixtorum temperamenta; ignem actioni, aërem reſpirationi, aquas & terras fœcunditati deſtinauit, & tot rerum ſpeciebus ad neceſſitates & delitias comparatis fouit humani generis vitam & propagatio-

Digitized by Google

nem. In hac rerum concatenata ſerie, ſequentia pendent à præcedentibus, vltima à mediis & primis, ſed quod extremum eſt in exiſtentia, primum fuit in intentione, & ſimul in æterna ſapientia, cui omne tempus præſens eſt, attingens à fine vſque ad finem, ſuauiter fortiterque cuncta diſponens: vltimò creatus homo, quia propter ipſum omnia. Nobis laborauerunt præterita ſæcula, artium ſcientiarum inuentionibus, fidei veritates à prauis hæreticorum dogmatibus vindicando, licet nobis hæc adire tanquam multorum hæreditatem noſtra exercendam diligentia, vt locupletior tranſeat ad poſteros, non ſine largientium merito. Igitur ante mundi conſtitutionem ab ipſo mundi principio, per creatum omne, per tot ætatum decurſus, ſummis nos affecit beneficiis, primum æternumque principium Deus.

Sed præcipuum amoris ſui pignus eſt, quod prædeſtinauit[d] nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, vt habeamus redemptionem per ſanguinem eius, & redemptionem peccatorum, ſecundùm diuitias gratiæ eius. Gratia[e] præceſſit meritum, non gratia ex merito, ſed meritum ex gratia; gratis dedit, qui nihil inuenit vnde ſaluaret, & multum inuenit vnde damnaret: præuenit nos in benedictionibus dulcedinis, dulciùs enim ſapit hæc gratia, quæ etiam immeritos adiuuat, & cogitat in nos cogitationes pacis, dum operamur opera mortis; non interpellantibus ſed repellentibus ſpiritum adoptionis largitur, quid enim animæ dulce ſapit, inquit D. Bernardus,[f] cui miſericordia tanta non ſapit.

[d] Epheſ. 3.

[e] D. Auguſt. ſerm. 15. de verb. Apoſt. c. 2.

[f] In paruis ſermon. 39.

Similiter prima & antiqua patriæ circa nos pietas fuit, quòd futuris ſuis ciuibus prouidens, tulit optimas leges quibus fida ſteterunt matrimonia vnde legitimi naſcerentur liberi; ſic familiarum, cognationum, bonorum, titulorum, virtutum, officiorum ſucceſſiones fuerunt perpetuæ. Leges illæ bonorum contra malos, innocentiæ iuriſque tutelam contra vim ſuſceperunt, & per illas naſcituris anticipata bonitate prouiſum eſt. Parentum prima bonitas erga futuros liberos fuit, quòd vt illos legitimè ſuſciperent vagæ libertati frænum inijcere ſtatuerint, iugum & onera matrimonij ſubire, & vigili prouidentiâ, nec dum exiſtentibus ad vitæ neceſſitates & ſplendorem, bona quæſierint.

Eſt & proles ſpiritualis, quam Eccleſia virgo, quam Apoſtoli,[g] quam ſancti Religioſorum ordinum Patriarchæ Deo pepererunt, & cuius colonias miſerunt in cœlum. Hæreditas ſancta nepotes eorum,[h] filij eorum vſque in æternum manent; ſemen eorum & gloria eorum non derelinquetur. Sancti mei Patris Franciſci amori Seraphico, non ſufficiebat cor vnum, os vnum, vita vna, vt ſe proferret in Dei gloriam & proximi ſpirituale commodum; regulam ex Euangelio deſcribens, tot ad id in futuris ſæculis ſibi finxit corda, ora, opera,

[g] 1. Cor. 4. & Gal. 4.

[h] Eccleſ. 44.

Digitized by Google

quot ſperauit inſtituti ſui ſectatores: Chriſti verus imitator fecit & docuit, ſummâ vitæ integritate, rerum mundanarum abdicatione perfectiſſima, orationum aſſiduitate, animarum zelo, ſpiritu, etiam carne velut alter Chriſtus, ſic humiliatus; ſic paſſus eſt pro nobis, vt nobis relinqueret exemplum, & ſequeremur veſtigia eius, primo, antiquo dono, quo ſanctitas in nobis & mundo quotidie reſtituitur.

Maximum eſt hoc beneficium Dei, patriæ, parentum carnalium & ſpiritualium quo confertur exiſtentia, eſt enim dotium omnium ſequentium fundamentum; nam ſine vita naturali, non eſt rationalis & beata per ſcientias & virtutes, ſine gratia non eſt beatitudo; ſine regula non eſt Religioſus. Vt qui dat arborem, dat naſcituros ex ea fructus, qui dat fontem dat erumpentes ex eo perenniter aquas; ita qui dedit vitam, mediiſqne ad fœliciter ducendam inſtruxit, multiplicato beneficio videtur contuliſſe quidquid ei poſtea boni contigit. Quod poteſt eſſe meritum hominis ante gratiam, inquit D. Au- Epiſt. 105. guſtinus,[i] cùm omne bonum meritum noſtrum non in nobis faciat niſi gratia, & cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronat quàm munera ſua; ſicut enim ab initio fidei miſericordiam conſequuti ſumus, non quia fideles eramus, ſed vt eſſemus, ſic in fine qui erit vita æterna, coronabit nos in miſericordia & miſerationibus, vnde ſcriptum eſt, miſericordia eius præueniet me, & miſericordia eius ſubſequetur me: ipſa etiam gloria dicitur gratia, non ideo quia meritis non datur, ſed quia data ſunt & ipſa merita quibus datur.

Cauſæ ſuperioris beneficium etiam maximum eſt, quia merè gratuitum eſt, & nihil ab inferioribus accipiens, illa donis innumeris cumulat; Deus meus es tu, inquit Propheta, quia bonorum meorum non indiges, hinc enim probatur perfectiſſima ſua eſſentia, independens, ſibi ſufficiens, omnibus benefica. Cultum quidem à nobis exigit, non quia hinc aliquid accedat infinitè beato, ſed quia vult nos eſſe fœlices, & id nobis non contingit niſi ad ipſum conuerſis, vt ad videndum ſolem oportet in ipſum oculos conuertere, licèt nihil illi lucis adiiciat noſter aſpectus, nihil detrahat auerſio. Fabuloſum eſt cœlos terræ vaporibus paſci, & leuem ex puncto fumum vaſtis illis corporibus in alimentum cedere, ſi quæ tantorum eſſet fames, tam paruo non dimitteretur. Ratione, ſenſibuſque patet illos halitus vltra mediam aëris regionem non ferri, meliores autem & vi cœleſti prægnantes ad ſui fœcunditatem indiga terra repetit. Etiam homines licèt hîc vitam agant ex alieno pendentem, ambiunt[k] beneficium ſine ſpe recipiendi conferre, quia rerum honeſtarum pretium in ipſis eſt, & ad illas calcatis vtilitatibus veniendum; ſic naufrago & aduenæ nunquam in conſpectum noſtrum redituro damus; ſic in teſtamentis nihil recepturi beneficia

[k] Seneca. 4. de benef. c. 2.

conferimus; ſic qui ciuem ſeruaſſet donabatur ciuicâ coronâ ex quercu; ô mores æternos, exclamat Plinius, [l] qui tanta opera honore ſolo donauerunt, & cùm reliquas coronas auro commendarent, ſalutem ciuis in pretio eſſe noluerunt, clarâ profeſſione, hominem ſeruari nefas eſſe lucri cauſâ.

[l] lib 16. c. 4. Vide ſupra. l. 12. §. 2.

Tandem excellunt principiorum beneficia in eo quòd ſunt continua, [m] procedunt enim à ſubſtantia non corruptibili, vnde conferuntur inexhauſtâ profuſione etiam, vt diximus, inſciis, ingratis, inuitis; nunquam cœlum ceſſat ab influxu, luce, motu; ſuis ſemper vitæ noſtræ neceſſariis qualitatibus prædita manent elementa, & tam illis pro natura ſua, agere, quàm eſſe neceſſarium eſt. Legem hanc acceperunt à Deo, in quem propterea gratias refundere debemus rerum omnium naturalium quæ nobis famulantur, vt obligamur ei cuius iuſſu aliorum manibus pecunias accepimus. Auget beneficium dantis dignitas, pretioſius, ſcriniis curioſè ſeruandum, poſteriſque gratiæ ſplendidum traditur monumentum, quod à Principe vel Republica donatum eſt. Dulcis ſanè piis mentibus conſolatio, naturalia velut diuina contemplari; in omnibus iſtis, Dei circa nos amorem, bonitatem, prouidentiam agnoſcere, & ſic ad laudis ſacrificia prouocari. De hoc continuo principiorum beneficio, & inferiorum gratitudine plura proximè dicentur. Et hæc dicta ſufficiant de cauſis vniuerſalibus, nunc pauca ſubiicimus de particularibus, quæ illas, quantùm licèt, imitantur.

[m] Supra l. 8. & 9.

Agens agit ſibi ſimile.

Lex 15.

PRimum, ſummumque veritatis tum naturalis, tum ſupernaturalis principium eſt, agens quodlibet quantum poteſt efficere ſibi ſimile; agit enim in materiam ex ſe ſuſcipiendis quibuſlibet formis aptam, illique non aliam quàm quâ præditum eſt formam imprimit, vt ſigillum figuram quâ ſignatur, non aliam exprimit in molli cera; vt res corporales, ſui non alterius ſpeciem emittunt in ſpeculum: ſic omnis cauſa eſt quodammodo exemplar effectus ab ipſa procedentis. Ariſtoteles [n] ideò cauſam efficientem confundit cum exemplari, probatque contra Meliſſum & Parmenidem non eſſe vnum rerum materiale principium, quia ſic omnia eſſent vnum, cùm res nihil ſit præter ſua principia, meri-

[n] 1. Phyſico. c. 2.

Digitized by Google

toque Rhetores per ſynedochen vſurpant effectum pro cauſa, & cauſam pro effectu. Vt autem cauſæ ſunt vel vniuerſales de quibus loquuti ſumus, vel particulares de quibus infra, ſic diuersè ſeipſas exprimunt per ſuos effectus.

Cauſæ vniuerſales, non formas ſed qualitates ſuas imprimunt his quibus dominantur.

§. I.

FOntium & fluminum perennitas fit ex continuo allabentium aquarum appulſu, & ſpecierum in mundo eadem quæ fuit ipſo naſcente conſtantia, pendet ab indiuiduorum mortalium ſibi ſerie nunquam interruptâ ſuccedentium generationibus, vt quod perit in parente, reparetur in prole. Ceſſat hæc fœcunditatis ratio in cauſis vniuerſalibus, quæ quia non ſubiacent interitui, quia eædem numero ſunt, quæ fuerunt à Deo creatæ, nihil à tot ſæculis paſſæ, nihil in futuro metuentes ex temporum iniuria, carere debent ſe propagandi deſiderio. Si nunquam morituræ ſemper generarent, in talem excreſcerent numerum, vt earum exceſſu turbaretur ordo & harmonia mundi, vt naſcendis materia, hoſpitio recipiendis locus non ſufficeret; fruſtrà forent, cùm opus vniuerſi eo quo nunc eſt modo, ſit perfectiſſimè completum, Deo comprobante [o] quòd quæ fecit ſunt valdè bona.

[o] Gen. 1.

Igitur Angeli cùm ſint naturâ ſuâ ſpirituales, immateriales, non compoſiti ex materia & forma, contrariiſque qualitatibus, ſic immortales, non generant; illiſque Chriſtus [p] comparat eos qui perfectionis amore abſtinent à coniugio. Agunt tamen ſibi ſimile quantùm licet, diuinos enim ardores ſeraphim, ſplendores cherubim, throni ſublimitatem & firmitatem à terrenis ſegregatam inferioribus Angelis & hominibus communicant; imitantur Deum qui cum alium Deum extra ſe non poſſit producere, quia repugnat infinitum multiplicari, vniuerſum ad ſui finxit imaginem; & quia eſt agens per intellectum & voluntatem, [q] voluit eſſe creaturas purè intellectuales & incorporeas: mundum fecit vnum, cùm ipſe ſit vnus, incorruptibilem, cùm ſit æternus, rotundum cùm ſit infinitus, & omnium maximum vitalibus ſeminibus exornatum, & ex ſeipſo cuncta gignentem, cùm ipſe ſit ſumma vita. Sic Angeli viuentes & actiuæ diuinæ bonitatis imagines, mentes inferiores formant ad ſui ſimilitudinem, & quia circa Deum velut beatitudinis ſuæ centrum, æterno, quieto, quia beatiſſimo motu circumferuntur, cœlis imprimunt motum

[p] Math. 22.

[q] D. Tho. 1. q. 50. a. 1.

[r] motum circularem, qui quàm minimè à locali ſtabilitate recedit, quia ſic in eodem circa idem ſecundùm eadem, ſimili & iugi continuatione, ſolus non mutans locum, videtur quaſi non motus; aſſimilatur æternitati per regularem & perpetuam circulationem, quieti autem quia ſemper circa idem eſt.

Ipſum autem cœlum cùm ſit incorruptibile, alios non generat, ſic enim fœcunditate perpetuâ, & validiſſimis viribus commenſurata, infiniti fierent cœli mundique, quod eſt abſurdiſſimum. Inferiora tamen ſibi quantum licet aſſimilat; cùm ſit circularis figuræ, elementorum ſpheræ; roris, aquæ & mercurij guttæ, animalium membra, arborum rami ſic conformantur, nam columnaris figura eſt orbicularis quædam continuatio, velut fluxus: ſuperior aëris pars circulariter mouetur, & hunc motum ſequuntur aues dum ſublime volant: Circulos omnia peragunt; [s] ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant, nihilque ſub ſole nouum ſed renaſcens, fiunt tempeſtatum anni, morum, conſuetudinum, Imperiorum, legum reuolutiones, licèt in longo ſæculorum decurſu præcedentium memoria depereat. Quæ perfectum non abſoluunt circulum, imitantur tamen pulſu & tractu, nam motus circularis componitur ex attractione & expulſione; talis eſt fluxus & refluxus maris, motus cordis & arteriarum, pedum ambulando, manuum operando, muſculorum in corpore, cùm trahenti ex oppoſito reſpondeat retrahens; trahit facultas concupiſcibilis, expellit iraſcibilis, ſaltem hæc æmulantur motum librationis obſeruatum in cœlo.

Populorum mores cœli ſui proprietatibus conformari notat Ptolomæus, [t] illoſque diuidit per ſignorum & illis dominantium planetarum quadraturas: feros dicit eſſe ſub æſtiuo tropiquo, propter nimiam ariditatem à ſole qui fertur ſuper eorum verticem, ſimiliter ſub arcto, propter aſſidua frigora: proximos auſtro eſſe dicit ingenioſiores & callidiores, rerum diuinarum peritiores, quia verticale punctum eorum propius eſt zodiaco & planetis, quibus quaſi familiares effecti, habent ſagaciores animas in inueſtigatione naturæ, & in diſciplinis percipiendis, maiorem celeritatem. Præterea homines in oriente degentes magis maſculos & firmos habent animos, minùs ſunt occultatores, nam oriens natura ſolaris eſt, quare ea terræ pars, diurna, virilis & dextra exiſtimanda eſt; vt in animalibus dextra calidiora & firmiora ſunt. Ex eadem illa cœli parte oritur mundo lux ſenſibilis & intellectualis, hinc enim leges omnes tum ciuiles, tum religioſæ, artium & ſcientiarum proceſſerunt. An hoc occulto naturæ ſenſu Græci Romanæ ſedis primatum nolunt agnoſcere?

Stellæ cùm ſit immortales prolem non ſuſcipiunt ſibi parem, ſed variis inſignitæ dotibus, illas largiuntur prout materia ritè fuerit ad

Bb

[r] Marſ. Ficin. Theol. Plato. lib. 4. c. 2.

[s] Eccleſ. 16.

[t] Quadrip. lib. 2. c. 2.

Digitized by Google

[v] Cantiloq. nu. 8.

illas recipiendas diſpoſita. Inde dicit Ptolomæus [v] ſapientis animum conferre cœleſti operationi, quemadmodum optimus agricola, arando, expurgandoque confert naturæ. Hinc orta conficiendorum cœleſtium imaginum ars, quâ defectum natiuitatis adſcitis & adoptatis meliorum planetarum viribus, emendare ſe poſſe profitentur. Sic narrant [x] Iarcham Indorum ſapientum principem, Appollonio dediſſe ſeptem annulos ſeptem planetarum ex metallo, cum lapide, ſubtus herba ex præceptis aſtrologiæ confectos, quos viciſſim ſuis hebdomadæ diebus aſſumens, vitam vltra centiſimum annum produxit. Triſmegiſtus gemmarum vt difficilè ſolubilium generationem attribuit ſtellis fixis, metalla vero fuſilia, planetis qui ſunt ſtellæ errantes.

[x] Philoſtra. in vita Appollonij.

Saturnus non generat alium Saturnum, ſed fœliciter poſitus natiuitati præſidens, vt eſt planetarum ſuperior, [y] ſeuocat contemplantes à vitæ vulgaris affectibus terrena faſtidientes, diuinis tantùm applicat & paſcit, infenſus tantùm his qui vitam contemplatiuam ſimulant, nec agunt. Iupiter calidus humidus duplicis huius qualitatis vnione, humano temperamenta fortunatiſſimus, ad mores optimos dicitur inclinare, & ad religionem, qua vel hoc argumento conſtat, nihil homini melius, nihil fœlicius contingere: medius inter Saturnum & Martem, contemplationem miſcet actioni, transferre dicitur rectorem ad diuina vt hinc illuſtrior, fortiorque ad humana deſcendat, & quas ſuperius accepit leges, dicat ſibi ſubditis. Sic Numa Pompilius [z] populi Romani venerationem ſibi conciliauit, quòd relictâ vrbe, agros ſaltuſque peragraret, quaſi in ſolitudine diuinis inſtrueretur præceptis. Temperatum hoc regimen populis ita fauſtum exſtitit, vt cùm crederent ab influxu planetæ Iouis pendere, eo nomine optimos ſuos reges, inaugurarint & conſecrarint, vnde trecentos Iones Vacro numerat, cùm vnicus ſit in cælo. Mars calidus ſiccus, calidis in quarto gradu dominatur, ſoli proximus, ardore geminato, efficit, vt dicunt, audaces, auidos periculi, gratiſſimos regibus, qui ſe ſic, humanoque ſanguine coli volunt. Sol virtutis naturalis, lucis, generationum fons, in quo creditum eſt eſſe animam mundi, pulcherrimam, vniuerſalem in pulcherrimo, maximo, omnium magis benefico corpore, facit quantum poteſt alios ſoles in halo nubium, in fontibus, ſpeculis, oculis, in auro, adamante, rubino; in hominibus magnificentiæ, gloriæ, ſplendoris auidiſſimis: ipſo à nobis recedente langueſcit natura, accedente reuiuiſcit. Venus humida calida præſidet generationibus quæ duabus hiſce qualitatibus perficiuntur. Mercurius naturam induens illius ſtellæ cui iungitur, metallum ſuum habet velut prolem, naturæ ſuæ mobilis & vnionis temporaneæ viuam imaginem: ipſum etiam exprimit Cameleon, de corio ſuo

[y] Marſil. Ficin. lib. de vita cœlit. compa. c. 21.

[z] Plutarch. in Numa.

Digitized by Google

ludens; [a] tarandum [b] apud ſcythas animal bouis magnitudine, ſimiliter rerum quibus fit proximus calorem induens, vt polypus rupium; exprimit aqua [c] in diuerſas ſe mutans ſpecies, inter arenas flaua, inter nemora viridantior, inter florulenta diſcolor, aſſumpto locorum quibus influit colore; exprimit in corpore ſpiritus, per ſe nullam determinatam figuram habens; expreſſit Protheus omniformis, expreſſerunt Ariſtippus, Alcibiades, Cato, hi omnes quibus verſatile contigit ingenium, ſic pariter ad omnia, vt nati videantur ad id quodcumque agerent. Luna motu, lumine, alienæ qualitatis acceſſione, omnium maximè mutabilis, vicina terræ, eius torpori remedium eſt, nam in immota motus, alterationes generationibus promouendis neceſſarias efficit, animantia & inanimata [d] plurima vim eius ſentiunt, flumina creſcunt & decreſcunt vna cum ipſa; in pleniluniis turgidiora ſunt maria vt ſyderis deſiderio ſeipſa ſuſpendere videantur, non enim ad ſolem ipſum intumeſcunt, animantia vel tota, vt caneri, vel partes aliquæ, vt medullæ in oſſibus turgent eâ creſcente, areſcunt eâ decreſcente.

[a] Tertul. de pallio c. 3.
[b] Philo lib. de temulentia.
[c] D. Ambr. examer. lib. 3. c. 15.
[d] Ptolomæ. in proemio quadripar.

Elementa mediam quamdam vim principiorum obtinent; licèt enim externis ſuis partibus veniant in mixtorum compoſitionem, vt plurimum tamen integra ſuas tenent regiones, illicque velut in theſauris vires habent repoſitas, quibus & alterata reſtituuntur, & quæ occupauerint in ſe conuertant: naturaliter ignis ignem producit in materia ritè diſpoſita: aër, terreos aqueoſque vapores ſenſim à fuligine ſic purgat, motu cribat & diſſoluit, vt in purum aërem conuertantur. Aquis merſa, in aquas tandem liqueſcunt; terræ implantatus eſt ſpiritus qui exſiccat, indurat, ſiſtit alias facultates corporum, & ſpatiis coërcet definitis, vt non fluant, nec vagentur, non abſcedant in halitum; ſpiritus ille reſidet in terra, itaque nullus alius locus eſt aptus generandis metallis, formantur illic lapides pretioſi, [e] ſed pellucidi, obſcuri, albi, rubri, coloris varij ſecundùm diuerſos ſuccos ex quibus concreſcunt: eo conſtipante ſpiritu, creſcunt lapides per iuxta poſitionem, exhauſtæ lapidicinæ, & metallorum mineræ [f] ſucceſſu temporis reparantur; rupes per ſe diu labentibus aquis vim lapidificam imprimunt, quâ diſſilientes guttæ, & à raptu decurrentis fontis liberæ, terram atingentes durantur, ſi cor alli baccæ [g] mox vt ab aquis exemptæ fuerint, terreo ſpiritu tunc ab obſidente prius fluiditate libero; ita concreſcunt margaritæ, vitrioli, electri, gummi ſpecies omnes, & ouis putamen ſimul ac ex auis educitur corpore. Ita refert Photius [g] in India fontem eſſe, qui quot annis impletur auro humido, quod hauſtum ſtatim concreſcit.

[e] Matheol. in lib. 5. Dioſ. c. 1.
[f] l. Final. de fundo dotali.
[g] Plini. lib. 22. c. 2.
[g] Biblioth. c. 72.

Omnes partes ſpermaticæ ſunt albæ, vt oſſa, nerui, venæ, membranæ; ſanguinis & ex eo partes formatæ ferunt colorem hepatis in

Digitized by Google

quo ſanguis generatur : Chilus habet albedinem à ventriculo; albedo ſanguinis in lacte, procedit à partibus glandulofis in quibus fit hæc transformatio. Nerui à cerebro prodeuntes qui ſenſibus inſeruiunt, ſunt molliores, à ſpina autem motus organa, ſunt duriores, quia ſubſtantia ſpinæ ſubſtantiâ cerebri durior eſt. Cor, hepar, cerebrum, ſpiritus ſuos diffundunt per totum corpus vt diximus, [h] quia partes illæ cùm ſint velut cauſæ vniuerſales, vbique quantum poſſunt, propagantur.

[h] Supra. l. 8. §. 1.

Magia naturalis [i] tota eſt in ſimilium venatione, ſperat enim effectus cauſis quibus vtitur ſimiles: adhibet ad inducendum ſomnum animalia ſomnolenta, præſertim ipſorum cor & cerebrum; ad vigilantiam vigilantia, vt eſt grus, gallus, luſcinia; lupi, vrſi, leones dant generoſitatem, vnde Achilles medulla leonis nutritus euaſit fortiſſimus; timida timidos, aſtuta aſtutos, ſtolida ſtolidos efficiunt: calida calefaciunt, humida humefaciunt, ſeneſcentia faciunt ſeneſcere, iuuenilia iuueneſcere; nerui animalium macerati proſunt ad confortandos hominis neruos, ad oſſa medullæ oſſium, ad carnes carnes, ad iecur iecur; ad amores prouocandos, animalia amica vt paſſerum, columbarum corda, dum tales operationes exercent; Valent etiam ad id res omnes attractiuæ, vt magnes, cornu cerui, ſuccinum.

[i] A porta. Phyſion.

Ita quidquid cibi aut potus in corpus illabitur, [k] aut temperamento, aut materia, aut tota ſubſtantia agit, noſque permutat, & ipſe ſanguis qualitates alimenti ex quo formatus eſt, retinet, licèt eius forma ſit amiſſa, vt ex lactuca ſanguis eſt frigidior, calidior ex vino; nam quodlibet alimentum conſentaneos naturæ ſuæ gignit humores. Ideo Galenus ſcribens de ſanitate ſeruanda, tribus libris alimentorum naturam explorat, vt quæ temperamentum ſenſim in ſe conuertant; aliis, inquit, præſidijs non omni tempore vtimur, at ſine alimento, ne viuere quidem nec ſecunda nec aduerſa valetudine licet. Sic in India, quæ nardo veſcuntur animalia ſunt odoratiſſima: Viperæ in Arabia [l] venenum fit ex lethifero mitius, quia balſami ſucco nutritur. Tandem Angeli, cœli, elementa, & eorum viribus dotatæ res inferiores producunt qualitates ſibi ſimiles, quid enim dare poſſunt niſi quod habent; dant autem illas, ad inſtar cauſarum vniuerſalium, vt patet in immenſa ſpecierum ab obiectis emiſſione vnde viſus, ex continua corporum tranſpiratione, vnde ſympathiæ. His accidentalibus ſimilitudinis ſuæ productionibus exercentur res ſingulares, donec ſibi ſimile in ſubſtantia producant per generationem.

[k] Fernel. de morborum cauſis.

[l] Pauſanias in Boëticis.

Digitized by Google

Ineſt rebus omnibus ſe propagandi deſiderium.

§. 2.

VNiuerſales cauſæ, vt mox expoſuimus, cùm ſint incorruptibiles, ordine certo & determinato à Deo conſtitutæ, ſimile ſibi in ſpecie non generant, ſed qualitates tantùm ſuas effundunt in inferioris naturæ ſubſidium & decorem; at ſingularia viuentia, cùm interitui ſint obnoxia, optent tamen ad inſtar diuinorum ſemper eſſe & viuere, id aſſequuntur, non numero quidem, verum ſpecie, quæ ſemper eſt, & æterna; quapropter immortali ſerie continuantur eorum procreationes, vt quod ſingulari ſubſtantiâ ſeruari nequit, ſpecie ſaltem perſiſtat. Hinc procreandi libido cunctis viuentibus à natura tributa, & cùm hæc fœcunditas ſit in ſubſidium deficientis naturæ, maior eſt vbi vita breuior, pluribuſque tentata periculis, vt multitudo ſucceſſiua ſingulorum defectibus ad ſpeciei conſeruationem ſubſtituatur. Ea ratione videmus infirma quælibet animantia mirum in modum, & vltra quam æſtimari poſſit prolifica, vt ſunt lepores, mures, ranæ, locuſtæ, à quibus olim deſolatas regiones & ejectos habitatores refert Plinius, [m] & quibus olim extinguendis in Cyreniaca prouincia [n] & in Lemno inſula ter in anno publicæ venationes indicebantur.

[m] lib. 8. c. 29

[n] Id. lib. 11.

Omnium perfectorum animantium fœcundiſſimi piſces potiſſimùm exigui, quia maioribus cedunt in eſcam, vnde prodeunt incredibili numero vt alendis maritimis beſtiis, auibus, aſſiduæ hominum piſcationi ſufficiant, & poſt tot diſpendia videntur interdum tanta mole glomerantes, vt ſulcantibus obſtent nauibus: hæc immenſa fœcunditas eſt adſcribenda Deo, qui præcepit illis, [o] Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris; conuenientias autem aſſignant Aſtrologi, [p] in eo quod piſces creati ſint in ſigno piſcium, exaltatione veneris & in eius ſextili cum Ioue, quinta die impari ſic fœcundâ, nam pari diuiſo nihil reſtat, impari diuiſo ſemper reſtat medium gignendo aptum: componitur ex impari & pari velut maſculo & fœmina, vnde olim in nuptiis quinque faces præferebantur, in fœcunditatis augurium hominis quinque ſenſibus conſtantis; & quia hic eſt vltimus fœcunditatis humanæ terminus, cùm mulier edere poſſit vno partu quinque liberos, cuius indicium eſt, quod pes manuſque conſtet quinque digitis, nam de pede quo fit motus maſculi quærentis fœminam [q] de prole ferunt iudicium; ſolipeda vt equi vnum tantum generant, multifida verò ſunt multipara, ſic ad Adria-

[o] Geneſ. 1.

[p] Vide fatum vniuerſi.

[q] Vide proximè hac I. §. Ariſt. 7. de natur. animal. c. 4.

num Imperatorem perducta fuit mulier cum quinque liberis [r] quos vno partu enixa fuerat, idem contigit ſub Auguſto.[s]

[r] l. 8. ff. de reb. dubiis.
[s] Gellius lib.

Quis neſciat creato quondam homini nihil prius, antiquiuſque à Deo præceptum & inſtitutum, quàm matrimonium, idque & inter ſacra myſteria numerari, & apud omnes gentes ſummopere celebrari: ſic homo tanquam diuinus ſeruat ſpeciem humanam ſucceſſione perpetuam; tanquam gratus, reddit naturæ, quod accepit ab ea velut fideicommiſſo, vt poſteris reſtitueret. Mundi conſtitutus eſt, non Dominus, ſed velut ſolo iure vtendi, fruendi, ſaluâ rerum ſubſtantiâ; vt autem vſus fructuarius debet ſarta-tecta præſtare,[t] ſeminarium renouare, [u] in locum de mortuarum arborum, alias ſubſtituere; [x] in locum capitum de grege defunctorum [y] ex agnatis ſupplere, ſic æquiſſimum eſt, ne ſpecies humana depereat, ex aliis natum, ex ſe natos naturæ retribuere. Philo Iudæus [z] introducit Abraham, ſic à Deo prolem petentem, ſupplex imploro vt ſemina ſcintilæque fofoueantur è quibus lux ſalutaris accendi queat, quæ tanquam lampas per manus tradita, mundo æquæua fiat.

[t] l. 7. ff. de vſuf. & quē.
[u] l. 9. §. eod.
[x] l. 18. eod.
[y] l. 69. in f. eod.
[z] Lib. quis ſit rer. diuina. hæreſ.

Apud antiquiſſimos Romanos & Lacedemonios [a] maior rerum omnium honos, maiori ætati habebatur, ſed poſtquam ſoboles ciuitati neceſſaria viſa eſt, & ad prolem populi frequentandam, præmiis ad id atque inuitamentis vſus fuit, tum antelati quibuſdam in rebus, qui vxorem, quique liberos haberent, ſenioribus neque vxorem neque liberos habentibus; ſicuti lege Iuliâ ei ex cenſoribus faſces ſumendi poteſtas fuit, non qui plures annos natus eſt, ſed qui plures liberos quàm collega, aut in ſua poteſtate habet, aut bello amiſit; ad decurionatum [b] obtinendum, patrem filios habentem, non habenti anteferri conſtat; & ætatis legitimæ defectus, [c] ſuppletur ex numero filiorum ad honores; qui tres liberos Romæ, [d] quatuor in Italia, quinque in prouinciis habebat ſuperſtites, vel qui in acie amiſſi ſint, excuſabatur à tutela.

[a] Gellius lib. 2. c. 15.
[b] l. 9. C. de decurio.
[c] l. 12. C. de adm. tuto. l. ff. de mino. 25. an.
[d] §. 1. Inſt. de excuſ. tuto.

Contrà cœlibes tanquam arbores ſteriles ſiccaſque auerſabantur antiqui, ipſis etiam ſenioribus iuuenes non cedebant, quia ipſis ceſſuros non genuiſſent; tandem quod corpore bono publico non præſtiterant, [e] pecunia in ærarium deferendâ compenſare damnabantur. Hinc Enuchus tertium genus hominum, [f] neque vir, neque fœmina, ſed monſtrum quoddam ab hominum natura alienum, occurſu infauſtum & inauſpicatum, ſi quis mane domo egreſſus id primum viderit; punitur tanquam ſiccarius [g] qui facit ſpadones, & qui ſibi ſponte genitales partes abſciderat, [h] à petita bonorum poſſeſſione excluſus fuit, & nequidem cauſam dicere in iudicio paſſus eſt, ne obſcœnâ præſentiâ, inquinataque voce tribunalia magiſtratuum, ſub ſpecie petiti iuris polluerentur. Ita nec Eutropius Enuchus conſul, conſularibus faſtis relatus eſt.

[e] Plato. 6. de legib. Valer. Maxim. lib. 2. c. 4.
[f] Lucian. dial. Enuchus.
[g] l. 4. §. 1. ff. ad l. Cornel. de ſicar.
[h] Valer. Max. lib. 7. c. 7.

Digitized by Google

Huic humanæ, ciuilique rationi accedit diuina, nam Deo dicenti Creſcite & multiplicamini, parendum eſt, inquit Clemens Alexandrinus,[i] eaque ratione homo fit Dei imago, quatenus cooperatur ad generationem hominis; ſacramentum hoc magnum eſt in Chriſto & in Eccleſia, decernit Apoſtolus;[k] hæc enim vnio vnde propapagatur vita temporalis, refert ſacratiſſimum myſterium, cui debemus æternam, & cui vt latè diffundatur, materiam præbet; Vnde damnati ſunt ab Eccleſia velut hæretici, qui nuptias prohibebant de quibus idem Apoſtolus,[l] in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum prohibentes nubere: ſic impij Manichei damnati,[m] quòd dicentes corpus eſſe â malo principio, generationem quantum poſſibile erat, impediebant ne malum multiplicaretur. Sic Tertulianus[n] agit aduerſus Marcionem, qui nuptias prohibens, ſoli cœlibi & ſpadoni baptiſma conferebat; ſementem, inquit, generis humani compeſcere totum optimo Deo non congruit, quomodo enim ſaluum hominem volet, quem vetat naſci, de quo naſcitur auferendo; quomodo habebit in quo bonitatem ſuam ſignet, quem eſſe non patitur? quomodo diligit eum, cuius originem non amat, non erit humanior duritia Pharaonis naſcentium enecatrix, nam ille animas adimit, ille non dat, ille aufert à vita, hic non admittit ad vitam, ſub vtroque homo interficitur, in altero iam editus, in altero edendus. Iiſdem argumentis Ebrardus[o] pugnat contra Valdenſes hæreticos nuptias interdicentes; Nihil inquit, Chriſtus redemiſſet, niſi Chriſto filios & filias genuiſſet Eccleſia, ſi eorum inuidia valuiſſet, etiam ipſi nihil eſſent, qui ergo nubere prohibet, & hominem naſci prohibet, qui autem naſci prohibet, prohibet & renaſci.

Chriſti tamen Domini ſententiâ[p] à communi propagationis lege abſoluuntur, qui propter regnum cœlorum abſtinent à coniugio, qui dixit creſcite & multiplicamini virginitatem poſtea ſuadet,[q] modum figit, qui modum aliquando diffuderat, is colligit qui ſparſit, is cædit ſyluam qui plantauit, is metit ſegetem, qui ſeminauit, nec vt damnanda cæditur ſeges, ſed vt tempori ſuo parens; tempus enim breue eſt, inquit[r] Apoſtolus. Itaque ſapiens ad meliora properat, vitam æmulatur Angelicam, vt poſſit effici vnus cum Deo ſpiritus. Nec propterea timendum ne deficiat ſpecies humana, nam vt inquit Chriſtus,[ſ] non omnes capiunt verbum iſtud; arcta via eſt[t] quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt cæterorum comparatione qui illam ingrediuntur. Facultas generandi data eſt propter totam ſpeciem, inquit D. Thomas,[u] ſicut ars ædificandi & pugnandi, vt autem non eſt neceſſe quod omnes homines ſint ædificatores aut milites, ſed ſufficit aliquos eſſe, quantum expedit ciuitati, qui talibus fungantur officiis;

[i] lib. 2. Pedago. c. 9.
[k] Epheſ. 5.
[l] 1. Timoth. 4.
[m] Baron an. 277.
[n] lib. 1. in fine aduerſus Marciõ.
[o] Biblioth. Patrum to. 4.
[p] Math. 19.
[q] Tertulia. lib. 1 aduerſus Marcio. in fine.
[r] 1. Cor. 7.
[ſ] Math. 19.
[t] Math. 7.
[u] Contra Gentiles lib. 3. cap. 136.

Digitized by Google

ſicut in corpore, diuerſa membra ad diuerſos actus ordinantur; ſic cùm generatio non ſit de neceſſitate indiuidui, vt eſt potus & cibus, ſed tantum de neceſſitate ſpeciei, non eſt neceſſarium quòd omnes homines actibus generationis vacent, ſed quidam ab his actibus abſtinentes, poſſunt aliis mancipari, putà militiæ, vel contemplationi: propterea Iuſtinianus chriſtianus imperator [x] abrogauit leges, quæ cœlibatui pœnas indicebant, & vitam cœlibem in monaſteriis profitentes [y] miris extollit laudibus. Nec inde timet aliquid Reipublicæ nociuum fieri, cùm tanta ſit hominum fœcunditas vt ne numerus eorum excedat, pro ratione ciuitatis limitanda matrimonia præcipit Plato, [z] & peſtes, bellà, diluuia, ſimileſque clades mundo cenſet eſſe neceſſarias, [a] vt luxuriantem hominum multitudinem demetant. Inhibenda in vitibus palmitum fœcunditas, ea enim eſt natura, vt parere malit quàm viuere, quidquid materiæ adimitur fructui accedit. Sic in homine primùm ſenſibus dedito coërcenda fuit hæc cupiditas fructui ſpiritus inimica. Concedatur Religioni, quod caſus aut iniquitas abſumeret; quod ars ad fœliciores prouentus reſecat.

[x] l. 1. C. de infirmandis pœnis cœlibatus.
[y] Nou. 5. de Monachis.
[z] lib. 5. de Repub.
[a] Arnob. lib. 1 adu gentes.

Cæterùm ſteriles non ſunt habendi, qui dum generationem animantibus communem negligunt, imaginem ſuam mentalem in rectè factis exprimunt; per Euangelium, inquit Paulus, [b] vos genui, & ſicut nuptiæ terram implent, [c] ſic virginitas paradiſum: ſic ſe ſubtrahunt à carnali commercio, vt ſpirituali magis indulgeant ſintque communes virtutum parentes, ita deliteſcunt in receſſu, vt illic potiſſimùm agant & proſint tum ſingulis tum vniuerſis, ingenio, voce, conſilio.

[b] 1. Cor. 4.
[c] Can. nuptiæ. 32. q. 1.

Mutuus eſt inter vtrumque ſexum amor.

§. 3.

IN principio [d] Deus creauit cœlum & terram, cœlum vt agens, bonitatis ſuæ maximam, ſplendidiſſimam, incorruptam in corporali natura imaginem; Terram vt patiens, perfectibile, non minùs auidum recipiendæ perfectionis, quàm cœlum communicandæ. Cùm autem, vt dicit Ariſtoteles, [e] mas ſit qui in alio gignit, fœmina quæ in ſe, meritò cœlum vt mas, terra vt fœmina ſtatuitur ad rerum inferiorum generationem. Æternus rerum parens, non minùs in ordinando ſapiens, quàm in creando potens, organicam mundi molem in tam præclarum ordinem digeſſit, vt ſumma imis, & ima ſummis citra confuſionem miſcerentur, primumque amoris in natura vinculum inter formam & materiam, cœlum & terram, abundantiam & egeſtatem

[d] Gen. 1.
[e] De generat. animal. lib. 1. c. 2.

Digitized by Google

egeſtatem, vtriuſque deſcenſu & aſcenſu vniuerſa conſtare conuerſim implexa littera VA. Hieroglyficè teſtantur Ægyptij. Sic ſpiritus viuificus à ſuperioribus naturis in has inferiores diffluens efficit vt terra non ſit amplius inanis & vacua; ſic cœlum, [f] ſol, ignis ſurſum ſunt, & infra mittunt vires ſuas; terra autem emittit ſemen in altum; hic enim eſt ordo naturæ, vt deſcendat quod in ſublime eſt, & aſcendat quod in imo eſt; ſic ignis [g] propriam ſequens materiam deſcendit, licèt aſcendat per ſeipſum; ſic in animali principium motus eſt à cerebro, è ſurſum exiens vſque ad vltima organa pedum.

[f] Paracelſ. lib. 1. ſagacis Philoſophiæ.
[g] Albert. Magn. lib. 2. de motib. animal. c. 2.

Vt vniuerſo ſuæ partes conueniant, [h] & ſit in illis ſimiliter ſuperioris cum inferiore coniunctio, perfectorum animalium ſpecies quælibet ad indiuiduorum generationem, habet marem & fœminam æquali ſemper numero in his quæ bina pariunt, vt ſunt columbæ, turtures, in cæteris ferè pari, ſic vt æqualitas quæ vni familiæ deeſt, ab altera compenſetur. In animalibus autem quibus multiplex eſt partus, [h] prodigioſum eſt, omnes mares aut omnes fœminas naſci. In ipſomet innocentiæ ſtatu [i] fuiſſent tot mulieres, quot viri; dum planta putreſcit & in animalcula mutatur, ſunt hæc non vnius quidem, ſed vtriuſque ſexus. Intendit igitur, vt maris ſic fœminæ generationem natura, cùm vterque ſexus æquè neceſſarius ſit ad ſpeciei conſeruationem, debiliorque fœmina ſic intenditur quemadmodum ſub cœlis & elementis ſuperioribus terra, venter ſub capite, materia ſub arte, populus ſub principe. Ita dicit Deus, non eſt bonum hominem eſſe ſolum, [k] faciamus adiutorium ſimile ſibi, ſcilicet ad generationem, non ad alias operationes, quæ meliùs perficerentur auxilio viri, quàm mulieris. Fit quidem fœmina [k] propter virtutis actiuæ debilitatem, imaginationis errores, materiæ indiſpoſitionem, vel propter aliquam tranſmutationem ab extrinſeco, puta à ventis auſtralibus qui ſunt humidi, & in hoc mirari licet generationibus præſidentem diuinam prouidentiam, quæ ex fortuitis ordinem, ex indiuiduorum defectu ſpeciei conſeruationem elicit.

[h] Supra l. 4. §. 1. & l. 11. §. 1.
[h] Plin. lib. 10. cap. 44.
[i] D.Tho. 1. q. 99. a. 2. ad 3.
[k] D.Thom. 1. q. 92. a. 1.
[k] Idem ibidem.

Illa maris & fœminæ perfecta diſtinctio reperitur tantùm in perfectis animantibus, nam nata ſunt ad quaſdam operationes generatione nobiliores, & illas exercere debent extra tempus coïtus in quo videtur vnum corpus fieri ex mare & fœmina. In illorum etiam formatione, cùm plura requirantur, ſicut in magnis ciuitatibus, diſtincta debent eſſe officia, [l] quæ in minimis exercentur ab vno. Sic plantæ virtutem generationis habent ſimul actiuam & paſſiuam, ſemenque in ſe productiuum ſui ſimilis; cùm hæ alimento iugiter inhæreſcant altiſſimis defixæ radicibus, nec ad mouendum ſint aptæ, confuſas perpetuoque mixtas habent maris & fœminæ vires vt nullo

[l] Ariſt. 4. Politic c. 15.

Digitized by Google

alterius congreſſu ex ſeipſis progignant. Arboribus tamen [m], imò potius omnibus quæ terra gignit, herbis etiam vtriuſque ſexus diſtinctionem aliquam ineſſe diligentiſſimi naturæ tradunt. Manifeſtior eſt in palma, cuius fœminæ ſine mare non gignunt, circa illum nutant pronæ blanditioribus comis; illum afflatu viſuque ipſo, & puluere etiam circumſtantes dicunt maritare, huius arbore exciſâ, viduâs poſt ſterileſcere, adeoque eſt veneris intellectus.

Plin. lib. 13. cap. 4.

Obſcurus tamen eſt ſi comparetur ei qui viget in animantibus, quorum vt ſexus diſtinctior eſt, ſic ardentior, exultans, blanda, ſagax magis libido: quis non miretur bombices qui ex ſerico quem ſibi texuerant tumulo rediuiui, & ex erucis facti papiliones albi, pulchri, nec volant nec edunt, ſed propagationis tantùm cauſâ ſic transformati, miro ſenſu, indiciiſque nobis iguotis, maſculi fœminas ambiunt, illis alarum applauſu crebro gratulantur, copulantur, mox à partu, emiſſo quod in proximum annum ſeruatur ſemine, contabeſcunt & intereunt. Etiam lumbrici ex ſenſibus ſolo tactu præditi, ſexum agnoſcunt, vt vere, tempeſtate potiſſimùm humidâ calidaque, ex cauernis medij prodeuntes, apertis vteri meatibus coniunguntur. Fera quælibet animalia, etiam infenſa ſibi, vt lupi, canes, apri, tauri, fœminis ſuis blandiuntur, & ab illis læſa non ſe vindicant; coram ſuis aues canoræ mirè geſtiunt, ardentiùs modulantur; columbus circuit, tripudiat, moras indignatur pleno gemibus gutture; pauo conſorti ſuæ placiturus conchatam caudam, gemmanteſque colores explicat, aduerſo maxime ſole, quia ſic fulgentiùs radiant.

In homine potiſſimùm mutuus eſt, blandus, ardens, ſi quid obſtet vim & iras ſpirans, inter vtrumque ſexum amor, cumque cæteris animantibus temporarius ſit, in illo perpetuus eſt, ſic intelligendum videtur illud geneſis, erunt duo in carne vna. Ædificauit Dominus Deus coſtam, quam ſumpſit de Adam, in mulierem: benè dicitur ædificauit, inquit D. Ambroſius, [n] quia in viro & muliere domus videtur eſſe perfecta, ſicut enim vir publicis officiis, ita mulier domeſticis miniſteriis habilior cenſetur, vnde flamen dialis [o] ſi vxorem amiſit, velut domo deſtructa, mutiloque corpore flaminio decedit; vnum ſunt, propterea ſi viro vſus domus relinquitur, [p] poteſt habitare cum vxore; & ſi vxori relictus ſit, poteſt habitare cnm viro, at ab inuicem diuerſi, velut imperfecti nec integri reputantur. Nemo culpet homines, quòd huic naturali in ſexum propenſioni deſint, ſed quod illi nimiùm indulgentes vxorij, feriatâ ratione toti ſint in ſenſibus: nam propter ipſum videre & videri, tot fiunt diurni nocturnique conuentus, omnes pompæ in publicum prodeunt, vt gloria inſoleſcat, & complacendo luxuria negotietur.

[n] lib. de paradiſo. c. 11.

[o] Gellius. lib 10. c. 15.

[p] l. 4. ff. de vſu & habita.

Digitized by Google

occupat hic ardor iuuenum mentes, & primos illarum impetus à rebus honeſtis, miſerè detorquet ad muliebria; occupat viros, mille periculis implicat, & hic ſæpè peſſimus dæmon faces priuatæ publicæque diſcordiæ, certaminum & bellorum accendit: occupat ſenes ætatis & maieſtatis oblitos, velut ſint quod fuerunt, canis & rugis mouent controuerſiam intempeſtatiuâ laſciuiâ. Ita vidimus equos veteranos, fractis viribus, ad equæ tamen conſpectum & odorem exultabundos, ſaltibus, hinnitu, lætâ & arcuatâ fontis compoſitione iuuentutem mentiri. Tandem non ætas, non inſignis ſacræ publicæque vitæ conditio, ſexus obliuionem inducit, opinio, dignitas, fortuna, cedit naturæ, cuius bonum in perniciem ſuam conuertit modum excedens humana cupiditas.

Amor ſi excedit torquet, temperatus ad omnia fœlix eſt.

§. 4.

BRuta feruntur in venerem ardore cœco, per quem ſola ſexus diſtinctione placet fœminæ mas, mari fœmina, quique nihil appetit præter copulam, quâ langueſcit expletâ. At homo ſimul intelligentiâ & ſenſu præditus, geminum habet amorem, geminamque venerem, vnam cœleſtem quam Aſtrologi tribuunt libræ, aëreæ Veneris domui, aliam terreſtrem, Tauro propriam, animalem, corporeæ ſcilicet generationi deditam. Cùm primum [q] pulchritudinis humanæ ſpecies oculis noſtris offertur, eam mens in qua reſidet prima venus diligit & veneratur, velut imaginem diuini vultus cuius, ex propheta, lumen ſignatum eſt ſuper nos, & cui arridet vniturque ſympathicè hic ſupremi decoris in corpora diffuſus radius. Non itaque corpus hoc amans deſiderat, ſed ſuperni luminis ſplendorem per corpora refulgentem, admiratur, affectat & ſtupet; quapropter quod cupiunt, aut quærunt amantes, neſciunt, Deum namque ipſum ignorant, cuius ſapor occultus, odorem quendam ſui dulciſſimum operibus ſuis inſeruit; hinc coram illo Dei ſimulachro obſtupeſcunt, contremiſcunt, propter illud deſpiciunt cætera, & in illud vellent tranſformari. Hunc amorem diuinitatis quendam ſenſum præ ſe ferentem non improbat, imò velut innocentem, à turpitudine penitùs alienum, fouet etiam timorata conſcientia, ſibique de illius puritate in arcanis ſuis plurimum plaudit. Oues Iob igne cœli comburuntur, ideſt, inquit D. Gregorius, [r] etiam innocentes ardent amore, qui dicitur ignis Dei, quia ſi non faciente Domino, tamen permittente, decoris ſui ſpeciem imprimente generatur.

[q] Marſil. Ficin. in conui. Platon. orat. 5.

[r] Moral. in Iob. c. 1.

Licèt hic amor habeatur inter res honeſtas quæ ſibi præmium ſunt, amans tamen amari vult, & ſibi velut mortuus viuens in amata perſona, de qua ſolum cogitat, pro qua ſolum agit per mutuum illius amorem, vitam ſibi reſtitui deſiderat iterùm amore refundendam; ſed ardoris ſui conſcius, neſcius alieni, quem etiam ſtupens debitis officiis non valet promereri, rebus velut deſperatis tacito mœrore conficitur, inter vitam, mortemque medius, vitam doloris ſenſu, mortem pallore, rerumque omnium abdicatione præfert: dejecta mens, ſuis tantùm intenta pœnis nihil aliud capit, non ſtudia, non domeſtica publicaque officia, pendent opera interrupta, [s] minæque murorum ingentes: ſic apud Comicum loquitur adoleſcens, [t] & tædet & amore ardeo, & prudens, ſcienſque viuus, videnſque pereo, nec quid agam ſcio. Miſerum quod dolor placet, & ſuam cladem inter ſuſpiria recognoſcens animus liqueſcit in obſtinatæ triſtitiæ voluptate, velut iuſtum ſit, imò glorioſum tam illuſtribus flammis abſumi. Hic intellectualis amor à natura fuerat inditus homini, vt dum diuinam formam contemplatur, huic concupiſcat ſimilem generare, indeque coniugium honeſtatem, venerationem, firmitatem, acciperet, & ſciret vnuſquiſque, vt ait Apoſtolus, [u] vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore; at infirma mens dum primæ veneri nimium adhæret, ab illa ſimul & ſecunda, quæ propagationem intendit, proſcribitur; ſic ille [x] in flammas abiit, ſic pectore toto, vritur & ſterilem ſpirando nutrit amorem.

[s] Virgil. 4. æneid.
[t] Terent. in Enuch. act. 1. ſc. 1.
[u] 1. Theſſal. c. 4.
[x] Ouid. 13. Metaph.

Non naturæ ſed incompoſitæ mentis vitium illud eſt, vt eius è contrario, quæ in carnales ſolos affectus, brutorum more labitur illoque igne nigreſcit, ſicut aliæ in ſterilem cinerem conuertuntur. Sæuus criminum ſtimulus eſt libido quæ nunquam manere quietum patitur, [y] nocte feruet, die anhelat, de ſomno excitat, à negocio abducit, à ratione reuocat, aufert conſilium, amantes inquietat, lapſos inclinat, caſtis inſidiatur, potiendo inflammat, vſuque accenditur, nullus peccandi modus, & inexplibilis ſcelerum ſitis morte tantùm ſananda, quanquam ſicut ad legitimos amores hominem allicit natura pulchritudine, ſic à vagis deterret horrendâ fœditate corporum virulentâ ſanie diffluentium. Hoc amoris infami lapſu, vires animæ, corporis, fortunæ, gratiæ dilabuntur, homo de ſpirituali fit caro & ſanguis, & corruptione ſuâ ſic olim mundum infecit, vt cœlo terraque confluentibus aquis eum opportuerit deleri diluuio.

[y] D. Ambr. lib. 1. de Abel. c. 5.

At amor caſtigatis his exceſſibus, & in temperiem mixtæ ex intellectuali & corporea natura congruam veniens, nexus eſt opportunus, viri intellectu, mulieris ſenſu præualentis; vires vnius, ſic alterius infirmitati concordes præſtat, vt ex aſtrologorum aphoriſmo venus liget martem, & ex vtriuſque congreſſu nata dicatur harmonia;

Digitized by Google

nam præſtat inter onera matrimonij grande ſolatium. Amor ſexus ex inſtituto naturæ procedens, non abſtractus, non ferus, tria potiſſimùm efficit in amante, pulchitudinem, induſtriam, fortitudinem.

Amor pulchritudinis proles ipſam, vt cumque conceditur, velut parentem in omnibus exprimit, amantem pulchrum efficit, tum vt conformetur pulchræ rei amatæ, tum vt pulcher pulchræ, pulchris gaudenti reciprocum amorem promeratur. Cæleſtis illius caloris velut primordialis formæ proprius effectus eſt, materiam, partium ordine, luce decore, qui diuini ſplendoris fulgor eſt, exornare; ſic amantes frontis lætitiam, veſtis ornatum; auri, gemmarum ignes rutilos, florum pigmenta, inceſſus, totiuſque corporis gratiam impenſiùs affectant. Eſt enim pulchritudo internæ bonitatis flos alliciens intuentes. & ſenſibilis quædam ratio, intellectuali ſympathica ſimul & gratiſſima. Sic anno renaſcente [a] ſentiunt arbores fœcunditatem ſuam, & gaudium floribus teſtantur, tunc variis colornm picturis in certamen vſque luxuriant, aliaſque quàm ſint, oſtendunt; læta tunc eſt camporum facies, gratiſſimos odores ſpirant zephiri, perſonat aër auium dulciſſimo concentu; tunc ſol recedens ad primum punctum arietis in quo fuit creatus, naturam prouocat ad latè celebrandum diem ſuum natalem, vtque ſolito pulchrior ad amores & partus diſponatur; tunc etiam dies ſunt longiores, vt diutiùs frui liceat ad miraculum gratiſſimo ſpectaculo, proximæ fæcunditatis ſpes nutriente. Adrianus ſophiſta [a] Athenis non declamabat, niſi auro & gemmis ſplendidâ veſte; Demoſthenes [b] eloquentiſſimus, etiam in veſtitu fuit nitidus & venuſtus; ſimilis genij Pacraſius pictor, [c] quoties pingeret, purpurea veſte induebatur, aurea corona capiti impoſita; eo cultus ſplendore amorem erga decoras artes, & teſtabantur ſuum, & conciliabant alienum; egregium opus paritura mens illi pulchritudine præludebat & ſemetipſam, vt opus ideæ promiſiſque reſponderet, prouocabat. Amorem velut diuinum quid in ſe habeat, his auguſtiſſimis cæremoniis, & velut inconcuſſæ fidei primitiis placandum putant, & quia ſapientiæ partus eſt, magnificè [d] tractandum.

[a] Plin. lib. 16. c. 25.

[a] Philoſtr. in vitis Sophiſtarum.
[b] Gellius lib. 1. c. 5.
[c] Athenæ. lib. 12. c. 21.

[d] 2. Macab. 2.

Igitur amor eſt auidus pulchri, vt autem nullum ſine medijs obtinendi naturale deſiderium inſitum eſt, etiam callet artes quibus inducatur non vulgaris ſed excellens pulchritudo. Superior cœleſtium ſpirituum hierarchia cæteras illuſtrat; in cœlo venus amoribus præſidens, dicitur lucifer, non ſolùm quia parum à ſole diſtans ſæpe nitet cum illius aurora, ſed eo quod inter planetas lucidior & pulchrior, inter mercurium & ſolem media, lucem arteſque mentibus infundit ad ſplendorem obtinendum. Amor ignis eſt, habens cum

ardore ſplendorem, nam delectationis quæ amorem comitatur proprium eſt, inquit D. Thomas[e] animum dilatare vt magis obiectum ſuum capiat, hinc Athenis[f] in academia ſtatuam amoris erexerant, cui quoditianum fiebat ſacrificium, velut amor artibus & ſcientijs omnibus quæ illic docebantur addiſcendis propitius eſſet; eſt enim amor boni & pulchri, artes autem omnes ſectantur bonum & pulchrum. Hic docet beſtias propagationis tempore ad edendos ſecurè fœtus ſuos, latebras quærere, cubicula ſternere, aues miris & naturæ ſuæ congruis modis nidos fabricare: hoc ardore ſuccenſis ſpiritibus philomela die noctuque meditatum carmen decantat, & aliæ volucres ſimiliter altè concinunt æmulo congreſſu, vt mirum ſit tantis vocibus, tam exigua corpora ſufficere. Quis dubitet vt inter aues, ſic inter homines ortam ex amore muſicam, cùm ideo venus dicatur harmoniæ mater, & apud omnes populos etiam barbaros orbis noui, ſuos affectus amantes exprimant cantilenis. Primus inuentor muſicæ[g] amatorias odas cecinit, nec vnquam magis excellunt, quàm in amatoris velut duplici ſympathico furore perciti poëtæ: illis affinis eſt eloquentia, quam etiam rudes affectant, cùm amare cœperint, non ingrato peritis ſpectaculo, videre quo ferat æſtus ille naturalis, vnde rhetorica duxit originem.

Artes cæteræ debent ſimiliter ſuos ortus & perfectiones ſuas amori. Amiſſi filij deſiderio pater,[h] quam in mente ferebat, imaginem expreſſit ære, & colendam ſeruis expoſuit; fingendarum[i] ſimilitudinum ratio, idcircò ab hominibus inuenta eſt, vt poſſet eorum memoria retineri, qui aut morte ſublati, aut abſentia ſeparati ſunt. Pauſias pictor amauit Glyceram,[k] coronas ex floribus texentem, certauit imitatione eius, & flores omnes pictura expreſſit; ſimplicium & compoſitionum vim primus tentauit, medicinamque orſus eſt qui dilectæ morbo laboranti ſubſidium conatus eſt afferre. Denique ſcientiæ & artes omnes circa amorem verſantur; muſica conſiderat quis tonus placeat; gymnaſtica quis geſtus; agricultura quo ſemine gaudeat terra; aſtrologia amicitias ſyderum; ſacerdotes quæ officia Deo amica ſint, & ad artium inueſtigationem impellit oblectatio.

Tandem amore ſpiritus vitales & animales incaleſcunt, ſic lætiores diſcuſſa caligine lucidi, diffuſi feruntur ad fortia contempto periculorum metu, vnde eiuſdem ſpeciei animalia potiſſimùm inter ſe decertant, tempore coïtus; apud homines etiam hodie Venus Marti conſentit, validumque conciliandi muliebris amoris philtrum eſt bellica fortitudo, imbelles plus mirantur, quod plurimum ab eorum diſtat infirmitate, gaudent illo ad ſui deffenſionem parato præſidio; præcellentis pulchritudinis putant argumentum à fortiſſimis poſſideri, cùm ipſa fortitudo, ſit prædominantis amoris effectus ipſæque ſe

[e] 22. q. 33. a. 1.
[f] Athenæ. lib. 13. c. 5.
[g] Athenæ. lib. 14. c. 15.
[h] Sapien. c. 14. fulgent. mytol. lib. 1.
[i] Lactant. de origine erroris. cap. 1.
[k] Plin. lib. 35. c. 11.

fortes exiſtimant, vnum cum fortibus effectæ, Apud Græcos & Perſas [l] vrgente publicâ neceſſitate, amicæ diis ſupplicabant, ardentius enim ſupplicant. At Plato [m] dicit abſurdum mulieres in bello non dimicare, veluti aues pro filiolis contra feroces beſtias, ſed ad aras confugientes, infamare genus humanum, velut omnium ignauiſſimum; illas aſſerit amore fortitudinem & concipere & viris inſpirâre; ita Spartani venerem armatam colebant; Alcibiades [n] amori plurimùm deditus, & hinc ſe ſentiens haurire fortitudinem, pinxit amorem in clypeo: Perſæ coniuges liberos, pellices ducebant ſecum in bellum, vt fortiùs decertarent. Hector generoſiùs pugnat, & inſtaurat certamen, cum aduertit ſe ſpectari à Trojanis mulieribus, quæ pro muris ſtabant: id fœliciter ſucceſſit Ferdinando Regi Hiſpaniarum, qui ducens ſecum in bellum Iſabellam Reginam, cum toto genitæo aulico, gloriæ apud mulieres cupidine ſic accendit militum animos; vt inſignem de Rege Granatæ victoriam reportarit.

Vt fortitudinis incentiuum, ſic præmium eſt amor; olim inter diſceptantes procos propoſitis publicis certaminibus dilecta cedebat victori; Plato [o] his qui ſe præclarè in bellis geſſerint, concedit quas voluerint nuptias; Dauid [p] obtinet Michol filiam Saül in coniugem, ob deletos Philiſtæos: Caleb [q] dat filiam ſuam ei qui vrbem Cariatſephet cœperit, & mos fuit milites, [r] id eſt militum amores, myrtho veneri dicatâ, coronare.

Igitur amor ſi iuſtis limitibus contineatur, primum & maximum eſt prouidentiæ donum, prouocans homines ad prolis ſuſceptionem, & ad fortia quæ neceſſaria ſunt ad educationem. Fallit heroas magna, publica, bellica, æterna meditantes, dum illos ſubiicit puellæ, cuius mens eſt infirma, tunc potiſſimum cùm floret pulchritudo; fallit ſapientem qui cùm ambiat à nullo pendere, ſummo bono in ſinu ſuo poſito frui, volens tamen extrà fertur, infirmo ſexui ſeruitutem exhibet, & ex eius ore, vultuque placido, fœlicitatem ſuam metitur. Raptus & magiæ quædam ſpecies eſt, ſingulorum quidem libertati noxia, ſed humani generis propagationi, [s] dulce neceſſariumque malum.

[l] Athen. lib. 13. c. 11.
[m] lib. 7. de legib.
[n] Plutarch. in Alcibiad.
[o] Lib. 5. de Rep.
[p] 1. Reg. 18.
[q] Ioſue. 15.
[r] Plin. lib. 15 c. 29. Tertul. de corona mil. c. 12.
[s] Vide ſupra l. 12.

Amor conſortem non patitur.

§. 5.

Licèt animalia quæ naturæ ſuæ facilis genio gregalia ſunt coetus ineant, ſolidæque pacis fœdera videantur ſancire ob ſolam quam habent in eadem ſpecie conuenientiam, præualet tamen in ſingulis amor ſui, iras enim accendunt & fortiter decertant vt quodlibet ſibi ſimilibus præferatur pro cibo & venere, ita vim iraſcibilem concupiſcibili dedit in præſidium natura. Appetunt vitam diuturnam in qua conſiſtit vſus omnium operationum & voluptatum, vt hanc ergo tueantur collapſaſque vires reſtituant, quærunt mira ſolertia cibum neceſſarium, & inuentum ſi deſit copia quæ pluribus ſufficiat, quod viribus præualet, cæteris excluſis totum occupare nititur. Ita morſibus ſe dilaniant canes exiguâ quadam eſcâ inter multos non multum impares projectâ, quam partiri potentioris auida fames non patitur, ſic rapacia quæuis animalia, quibus non aliter quàm inito conflictu præda contingit, viuunt ab inuicem ſegregata, prouidentia naturæ quæ ſic tollit occaſionem aſſiduæ, & in magnis armatiſque viribus crudeliori pro cibo dimicationi. Generaliter quæ plus amat natura, minus patitur inter plures fieri commune.

Furit magis ſpeciei cuiuſlibet mas, dum ſtatis temporibus ambit fœminam, vt procos excludat, ſoluſque concupita fruatur; tunc enim agit non pro ſingulari vita tandem morti concedenda vt in cibo præ cæteris obtinendo, ſed pro ſpeciei conſeruatione ſic pro vita multiplici, per ſucceſſiuas propagationes immortali, quàm quilibet per ſe magis quàm per alium ſeruari cupit, [t] velut propoſito quodam æternitatis præmio. Inter hyænas [v] mares ſinguli fœminarum gregibus imperant, timent libidinis æmulos, ideo grauidas cuſtodiunt, morſuque natos mares caſtrant, contra grauidæ latebras petunt; Odore pardi [x] coïtum ſentit in adultera leo, totaque vi conſurgit in pœnam, idcircò aut culpa flumine abluitur, aut longius comitatur. Videmus tauros fœminas ſuas cornuali concertatione deffendere; arietes pro ſuis ouibus capitaliter inſæuire; equos adiunctas ſibi fœminas colaphis ac morſibus vindicare; In columbis imperioſos mares ob ſuſpicionem adulterij pleno quærela gutture, ſæuis ictibus fœminas roſtro ferientes: quantâ feritate decertant inter ſe gallinacei, & in cæteris auibus mares, vbi vernum tempus rediuiuo calore proritat illos in venerem

[t] Cardan. de rerum. variet. c. 27.
[v] Plin. lib. 8. c. 30.
[x] Id. cap. 16. & lib. 10. cap. 34.

venerem cum germanæ ſint concupiſcendi & iraſcendi virtutes, illos facilè concitat ad iram libido.

Pluribus de cauſis hic zelotypiæ motus, violentior eſt in homine quam in cæteris animantibus multiparis, nam in illis vt in canibus, lupis, cattis, vulpibus, fœmina poteſt à pluribus maſculis iniri, integro cuiuſque fœtu, & omnium partu; at hominis conceptio vnici maris opus eſt; quòd ſi plures admittat fœmina, intemperantiam ſeminumque confuſionem natura damnat vt plurimum ſterilitate. Hinc impreſſit fœminis ſtudium ſeruandæ pudicitiæ, quam iterùm impotenti zelo maritus exigit, vt hoc duplici præſidio tutior eſſet animantis omnium præſtantiſſimi genitura. Brutorum mutuam libidinem accendit ſola ſexus in eadem ſpecie diſtinctio, at hominum amorem excitat fouetque pulchritudinis tum corporeæ, tum ſpiritualis, virtutem ſcilicet diuino quodam radio præ cæteris effulgens ſpecies. Zelum igitur ex inſtinctu naſcentem plurimùm auget honoris ſtimulus, nec regna [y] ferre ſocium nec tæda ſciunt; non ſe compatiuntur vt duo in eodem loco corpora, ita nec amores; amica cenſetur inter res illas quæ ſimul ad duos non poſſunt pertinere; vnius proci commendationem, alterius ſplendidior virtus obſcurat, vota deſtruit. Inde factum eſt vt iure gentium, mariti fama vxoris incontinentis opprobrio læſa ſit, velut ille careat his dotibus quæ amorem poſſint mereri, ſtipulatum conſeruare.

[y] Seneca tragic. in agamem.

Sexus imbellis plus miratur in viro bellicam fortitudinem, hanc plus amat, illi ſe libentiùs, quia tutiùs committit, vt teſtantur theatra quæ vix martem ſine venere, heroam ſine dilecta, variis empta certaminibus referunt. Glorioſum igitur apud homines habetur pulcherrimas vxores promereri, & id fuit in Platonis Republica viris in in bello fortibus propoſitum præmium; nec ſine prouidentia, nam eadem bellica fortitudo quæ quas voluit nuptias conſequitur, eas ab aliis intactas ſibi ſeruat, & petulanti fœminarum procorumque laſciuiæ frænum iniicit In contrarium malignus populi rumor hunc publicâ notat infamiâ quem mulieris incontinentia decipit, reali ſi non formali diuortio aliis velut amore dignioribus in iura ſua receptis.

Huic malo ex aliena culpa crudeliter innocentis famam lædenti, vt maturiùs leges occurrerent, lenibus primum, tum acerbioribus remediis vſæ ſunt. Primo genicæum in ſecreto domus procul à virorum conſortio ſecretum habuere Parthi, Græci, nunc etiam Hiſpani & Itali. Mos fuit mulieres ſub Eunuchorum & vetularum inuida fidiaque cuſtodia domi continere, in publicum non niſi velatas egredi,[a] velut hæc ſit armatura pudoris, vallum verecũdiæ, murus ſexui qui nec proprios emittat oculos, nec admittat alienos; qui perficiat quod tentauit natura, dum illis capillos ampliores conceſſit pro velamine: vt nequidem principi

[a] Tertullianus lib. de Veland. Virginib.

Digitized by Google

[b] liceat vxores ſine mariti comitatu in trepudium & choræas vocare.

[b] Syntagnia Iur. lib 6. c. 10. n. 11.

Quemadmodum in cæteris rebus, ſic in hoc generationis præludio vtitur natura luditque contra poſitis, hic largitur pulchritudinem, quæ cùm ſit diuini ſplendoris radius diffundi vult & videri, viſa mentes per oculos rapit, omnibus grata, ab omnibus expetita. Inde ſuccenditur zelus qui lucem hanc obſcurare, ſolem nubilo tegere tentat, vt externæ cupidini materia ſubducatur, ſibique ſeruet quod omnium ambiret libido. Id tamen fit in omnium, etiam dilectæ, zelantiſque pœnam, qui amoris dulcedini horrendas miſcet amaritudines; vnde meritò notant aſtrologi ſeptimam cœli domum, ex diametro primæ vitæque oppoſitam, ſimul ſignificare nuptias & hoſtes. In hoc affectuum conflictu partibus ita compoſitis, vt vnus ſit contra plures, quis non æſtimet plures præualere in vnum hunc pugno lucem ne fulgeat continere volentem; raram eſſe cum pulchritudine pudicitiam, vix tot procorum amoribus tentatam, aliquem non redamare. Fallit vigiles exploratorum oculos ſagax amor, cogi neſcius nititur in vetitum, placet inconceſſa voluptas, iuſque peccandi facit ipſa peccati ſuſpicio. Scit hæc zelantis animus, hinc torquetur, & in pœnam ſuam diligens alienæ cupiditatis explorator, cum grauem facti ſuſpicionem [c] conceperit poteſt ex ea iudicio contendere, & thori ſui vindex ream coniugem poſtulare. Motum hunc licet acerbiſſimum, horrendi tamen criminis vltorem in antiqua leges Deus comprobabat miraculo fere quotidiano per aquas zelotypiæ.

[c] l. 2. §. fin. & l 30 Cod. ad l. Iul. de adult.
[.] Num. 5.

Hic amori non conceditur iras & arma deponere, non licet blanditiis victos ab actione ceſſare, deprehenſam enim in adulterio qui retinet, incidit in crimen lenocinij, [d] & alieni peccati reus eſt. [e] Diabolus Domino æmulatur, inquit Tertulianus, [f] docuitque ſuos patientiam propriam, illam dico quæ maritos dote venales, aut lenociniis negotiantes vxorum poteſtatibus ſubijcit. Ne tantùm crimen fœda pariſque turpitudinis indulgentia maneat impunitum, iure Digeſtorum [g] cenſetur inter iudicia publica, ſic vt liceat vnicuique ex populo reum poſtulare, cùm læſa ſit natura, Reſpublica, inter Chriſtianos Eccleſia ſacramenti prophanatione. Iure Codicis, [h] proximis tantùm, neceſſariiſque perſonis defertur accuſandi copia, ne volentibus temerè liceat connubia fœdare. Et quia negotium hoc tenebrarum ſine teſte peragitur [i] vtroſque reos in opere deprehenſos lex antiqua marito permiſit occidere; poſtea ius hoc excluſo marito permiſſum fuit patri, [k] quia plerumque pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit; cæterùm mariti calor & impetus fuit refrenandus.

[d] l. 1 § lenocinii ff. ad l. Iul. de adult.
[e] Cap. ſi vir. de adulter. & ſtup.
[f] Lib. de patientia in fine.
[g] l. 4. §. 1. ff. ad Iul. de adulter.
[h] l. 30. Cod. eod.
[i] Deut 22.
ſen. lib. 1.
[k] l. 20. & 22. ff. ad l. Iul. de adulter.

Eadem ratione lex Iulia [l] non permiſit mulieres de matrimonio violato quæri quia nimium obnoxiæ ſunt zelo qui fræno contineri debuit, & vt filio parentem, liberto patronum, ita nec vxori

[l] 1. C. eod.

maritum propter reuerentiam licet in iudicium ex delicto vocare, alioquin naturalem hanc diuinoque iudicio ſtabilitatem authoritatem, ſimul familiæ pacem & ſplendorem leuiſſimis de cauſis temeraret. Saltem lex ciuilis [m] æquiſſimè ſanxit, ne maritus poſſit accuſare vxorem adulterij, ſi ipſe impudicè viuat, & hanc legem ab Antonio Imperatore latam, ſummopere probat D. Auguſtinus [n] ne maritis videatur criminis impunitas concedi. Nemo ſibi blanditur de legibus hominum, inquit D. Ambroſius, [o] eadem à viro quæ ab vxore debetur caſtimonia; Chriſtianus [p] vxori ſuæ ſoli maſculus naſcitur, vtriuſque eſt vnus Deus [q] pater, vnus Chriſtus pædagogus, vna Eccleſia mater incontinentiam prohibens; vtriuſque vna debet eſſe moderatio & verecundia, quorum eſt vita communis, communis gratia, communis in cœlo ſine ſexus diſtinctione, ſalus. Licèt igitur iura non concedant mulieribus actionem in viros, parendum tamen eſt infirmioribus animis grauius ob violatam coniugij fidem, læſis: vltimum eſt nuptæ malum, [r] palam mariti poſſidens pellex domum. Ideo lex diuina [s] præcipit vt ſi quis noluerit amplius habere conſuetudinem cum captiua, eam libertate donet, nec illam cum alia ſuper inducta domi retineat, cum zelotypiæ graui ſupplicio & imminentibus periculis.

[m] l. miles. §. iudex ff. eod
[n] lib. 2. de adulter. coniug. cap. 8.
[o] De Abraham. lib. 1. cap. 4.
[p] Tertulia. Apolog. cap. 46.
[q] Clem. Alexand. lib. 1. pædag. cap. 4.
[r] Seneca Tragic. in agamen.
[s] Deut. 21.

Tam acerbus eſt hic zelotypiæ ſenſus in humano corde, vt ſæpè populos in principem contempta majeſtate concitauerit; plures tyranni [t] perierunt propter exceſſum luxuriæ quàm crudelitatis, quia familiis ſuis labem hanc inferri, populi non patiuntur. Tandiu ſuperbiam Regis Tarquinij [v] populus Romanus perpeſſus eſt donec aberat libido, hanc ex liberis eius importunitatem tolerare non potuit. Eadem quærela patres armauit contra filios, vt cum Iacob moriens [x] ferit filium ſuum Ruben hac maledictione, effuſus es ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui: Conſtantinus [y] Criſpum filium occidit calumnia Fauſtæ nouercæ conquerentis quòd eam de ſtupro tentaſſet. Eadem vſus eſt feritate Sigiſmundus Rex [z] contra Sigerium filium quem ex prima coniuge ſuſceperat; ſic Catilinæ libido fuit ſceleſtiſſima, [a] nam cum oreſtellæ veſano amore correptus, filium haberet nuptiis ſuis impedimentum, cum veneno ſuſtulit, protinuſque ex rogo eius maritalem facem accendit.

[t] Bodin. 4. Reipu. ca. 1.
[v] Florus. lib. 1. c. 7.
[x] Gen. 49 4
[y] Baron. an. 324.
[z] Id. an. 520.
[a] Valer. Maxim. lib. 9. c. 1.

Omnes zelotypi ſæuiunt in vindictam per calcatas naturæ, familiarum, Reipublicæ, Religionis leges; læſus amor furor eſt humano ſatiandus cruore, tum in priuatis certaminibus, tum in bellis, quæ ſæpè latentem, veram tamen hanc habent cauſam, vt poſt Troadis excidium, gentium omnium teſtantur hiſtoriæ. Quaſi vigeret adhuc in mortuis rabies hæc inuida & promiſſam defunctis quietem poſſet perturbare; Quidam teſtamento cauit pulchras quas amauerat mu-

Athenæ lib. 4 c. 17.

lieres in funebri ſuo conuiuio occidi, ne venirent in aliorum poteſtatem, huic tamen immanitati reſtitit populus, irritumque voluit eſſe teſtamentum.

Quis humanæ vitæ ſortem miſerrimam, non miretur, & doleat, videns ſic inſperſos vbique voluptatibus dolores, amoremque vt ait Plato, dulce-amarum, odia omnium ſæuiſſima parere: ſummum ſibi bonum ſpondent ex mutua fruitione coniuges, tamen, inquit Apoſtolus, [b] habebunt huiuſmodi tribulationem carnis, ſed longè grauiorem ſpiritus, cùm illos zeli feralis & tartareus ardor, in mutuam egerit pernitiem. Deus ipſemet peccantibus graues minitans pœnas, perſonam agit ſponſi, cui fides ſeruata non eſt, ſeque paſſim in ſacris paginis vocat zelotem. Hæc vnica vox recenſet primum & maximum mandatum decalogi Deum ſcilicet ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligendum. Non vult habere conſortem in amore, qui parem non habet in dilectionis retributione [c] & tamen ſic vult amari, vt cuncta ſimul amentur cum ipſo, & ſic vult amari, vt nihil præter ipſum ametur, debet enim in creatore diligi creatura, non in ſe & per ſe ſummus omnium, ſumma charitate diligendus eſt, infinitus infinitè, hanc amplificationem, vitalemque infinitatem mentibus inſerit, vt ſol qualitates ſuas cognatis corporibus. Mens igitur ſponſo ſuo ſe caſtam exhibeat abdicatis in totum mundi cupiditatibus; nec enim miſceri poſſunt vana veris, [d] æterna caducis, ſpiritualia corporalibus, ſumma imis, vt pariter ſapias quæ ſurſum ſunt & quæ ſuper terram. Fœlices illi viri per quos Dominica Aſcenſio præfigurata; Enoch raptus, tranſlatus Elias: fœlices qui ſoli iam Deo viuunt, ſoli vacant intelligendo, diligendo, fruendo: Miſeri qui tenentur humanâ cupiditate; qui fidem Deo iuratam non ſeruantes zelantis mouent iras & in parata dæmonibus incurrunt ſupplicia.

[b] 1. Corinth. 7.

[c] D. Bernard. ſerm. 8. in cœna Domini.

[d] Id. ſer. vlt. in Aſcenſ. Domini.

Illibata debet eſſe coniugii fides.

§. 6.

Animalia quæ prolem ſuam non valent educare niſi collatis maris & fœminæ laboribus abſtinent à vago concubitu, & illibatam coniugii fidem ſibi mutuo ſeruant, ſi fera ſint & gregalia, partus tempore ſoluitur ſimilium ſocietas, maſque quilibet ſolus cum ea quam ſibi ſelegit fœmina, ſeparatum, ſolitarium, latens quærit domicilium, vt ſecurius ſuo fruatur amore, & proli naſcituræ prouideat. Ita fit inter aues omnes ocynes, etiam inter turtures, palumbos, perdices, coturnices, cornices quæ propterea fœlix erant in nu-

Digitized by Google

ptiis augurium. Idem optat amans homo procul à cæterorum conuerſatione, ſolus relinqui cum dilecta, quæ ſibi omnis boni loco eſt, cuius ideò fœliciſſimam poſſeſſionem vindicare cupit à procorum oculis & concupiſcentia. In votis eſſent ſyluæ, ſolitudines, rura ſed quia mos eſt ciuitates inhabitare, amori timido ſe fideiuſſorem exhibet publica fides, nam ideò conueniunt in nuptijs contrahendis vtriuſque familiæ capita, Regis authoritate fit contractus, quem Eccleſia ſanctifiat. Olim [t] ad ſponſi domum ducebatur vxor, per noctem, vnde faces præferre mos erat, facie tamen tecta velo, deinceps perpetuo, hiſque cæremonijs amori zelanti, conſortemque non patienti, blandiebantur; ſic tranſibat in poteſtatem mariti, interdum per coëmptionem, vt quemadmodum res noſtra ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt, [u] ſic intelligatur vxorem ad maritum pertinere, vt alterius fieri nequeat, ipſo nolente, & quod amplius eſt, etiam conſentiente. Nam matrimonium, vnde legitimam prolem ſperat Reſpublica iuris eſt publici, [x] propterea de adulterio quo violatur, tranſigere non licet; [y] illud inultum relinquens maritus, lenocinij crimen incurrit, [z] & ipſe velut adulter punitur.

[t] Alexa. ab Alex. lib. 2. c. 5.

[u] l. 11. ff. de reg. iur.

[x] l. 4. §. 1. ff. ad l. Iul. de adult.

[y] l. 8. ff. de tranſact.

[z] l. 2. 8. 29. ff. ad l. Iul. de adult.

Liberum eſt, ſeruato conuiuij decore, extendere manum ad eſcas menſæ appoſitas, ſed eas eripere de manu & ore eius, qui prior illas accipiendo ſuas effecerat, vis eſt omnium indignatione ferienda; ſic, inquit Epictetus, vnicuique licet pro ſuæ conditionis modo, virgines ambire, ſed vbi tranſierint in mariti poteſtatem, & effectæ fuerint vnum cum eo corpus, crimen eſt, velut homicidium partem hanc eſſentialem, ab eo diuellere. Etiam barbari ſub orbe nouo ſine principe, ſine lege viuentes, legem hanc naturalem in cordibus ſuis ſcriptam probant, dum illibata ſeruant coniugia, quæ pollui crimen eſt apud illos vix notum, & ſi contigerit, expiandum horrendo ſuppliciorum genere. Si feris inſitum eſt copulam ſam extrema concertatione deffendere, & contra procos vindicare, quamuis plures admiſſi fœcunditatem non opprimant, id multo magis decet homines, cùm vagos concubitus, vt in meretricibus natura damnet ſterilitate, & adulteria leges omnes tum humanæ, tum diuinæ temporalibus æterniſque pœnis inſectentur, addiderunt ad libidinem comprimendam ſeueras illas pudicitiæ ſanctiones, gladio impudicitiam coërcentes Reſpublicæ, [a] vt puritatem vtriuſque ſexus, & domi connubio reſeruaret affectus, & in publico metus legum, vt ſic duplici præſidio caſtimonia niteretur, cùm intus ſit quod ametur, & foris quod timeatur.

[a] Saluian. lib. 7. de guber. Dei.

Seruata matrimonij fides, dat familiis ad nominis perpetuitatem poſteros, Reipublicæ ciues; Eccleſiæ filios, ô quanta peruerſitas adulterij, quo tot iura publica temerantur, quo domus deſinit eſſe tutiſ-

Digitized by Google

ſimum homini præſidium, inter amoris læſi furores, inter procorum & adulteræ timendas ſemper inſidias, inter acerbos ſed tacitos zeli cruciatus, cui nequidem in tormentis libera vox; inter publici rumoris infames notas: fulget vxor maritalibus radiis, [b] at contra maritus polluitur vxoris vitio iniqua penitùs conditione, vſu tamen recepta; huic malo nullus compatitur, omnes inſultant turpibus cachinnis; amorem enim inuidet alter alteri, gratumque videtur ſpectaculum, tot vigiles mariti zelantis oculos deludi. Adulteros iudicabit Dominus, vtinam pœna ſaltem deterreat à tam graui ſcelere, quo pax, vnitas, honor familiarum crudeliſſimè dilaceratur, bona ad extraneos transferuntur, educationis liberorum cura deſeritur, magnum ſacramentum in Eccleſiæ Chriſtique Domini contemptum prophanatur.

[b] l. Fœminæ. ff. de Senator.

Vt vitæ tranquillitati nihil magis aduerſum eſt ea prauitate, quæ vertit amores in odia, quæ ſibi primum, tum charis omnibus ſupplicium eſt, ita nihil ſancta & intemerata coniugali fide in proſperis & aduerſis optabilius, cùm in eo poſita ſit præcipua vitæ ciuilis fœlicitas, habere fidum pectus cum quo indiſtincta ſunt omnia; in quo curæ ſolatium, conſilia ſpeſque ſecretum, læta geminam gratiam inueniant. Quantum fidei, quantum caſtimoniæ marito debeant Chriſtianæ mulieres diſcant vel ab Ethnicis quæ maritorum caſus omnes ſuos exiſtimarunt, [c] cum carceratis incluſæ, exules ſequutæ, cum mortuis conſumptæ, vt vnum eſſet amborum fatum, ſicut vnum fuerat cor, & velut ipſis tolerabilius eſſet, morte iungi, quam vita diſtrahi. Ideo matrimonium deportatione, aquæ & ignis interdictione non ſoluitur, [d] nec etiam ſi lepra ſuperuenerit, [e] ſed tenentur coniuges ſibi mutuò adeſſe; quid enim tam humanum eſt quam vt fortuitis caſibus ſint inuicem participes; Ideo refert geneſis Euam de viri latere ſumptam, nam lateribus iunguntur qui pariter ambulant, & pariter quo ambulant intuentur, inquit D. Auguſtinus. [f] Mulierum fides, amore, ratione, legum metu conſtringitur, nam ipſa delinquente partus fit illegitimus, & hereditas defertur ad extraneum, vnde licet, vt diximus, viro vxorem adulterij accuſare, non mulieri virum, [g] quia crimen viri non tam graue damnum infert.

[c] Valer. Max lib. 4. c. 6.
[d] l. 1. Cod. de repud.
[e] Cap. peruenit. de cõiug. leproſ. l. 22. ff. ſolut. matrim.
[f] lib. de bono coniugi initio.
[g] l. 1. C. ad l. Iul. de adult. gellius lib. 10. c. 23.

Perpetuum ſit coniugii fœdus.

§. 7.

COeli & terræ velut maris & fœminæ primum à Deo diximus conſtitutum eſſe connubium, vnde cæteris ſeruandæ leges magnis lucidiſque deſcriptæ caracteribus proponuntur. Eſt communio bonorum, cùm terra ſit in cœlo per ſolititatem, cœlum in terra per ignes, mettalla, gemmas rerum omnium ſemina; mutuus amor per lucis & influxus deſcenſum; vaporum & fructuum aſcenſum; tandem apparet fœcunditas in rerum ordinata generatione: Talis coniugij fœdus perpetuum eſſe probat, tanta partium mundi conſtantia, vt æterna poſſit æſtimari; & licèt immota terra in aſſignata ſibi regione decumbat, cœlum tamen velut zelo percitum innumeris in illam conuerſis oculis ſeruat excubias, illam ambitu ſuo cingit, nequidem extra relicto loco quo diuortat. Hinc animalia quæ ad prolis educationem coniugium ineunt, perpetuum illud ſeruant, & licet expleto partus tempore, redeant ad ſimilium greges, idem tamen maris & fœminiæ par quod prius iunxit amor, ſeruat indiuiſum; plus cæteris adhærent ſibi, & vere redeunte ad antiqua redeunt fœcunditatis munia.

Sic dùm Deus creauit hominem maſculum & fœminam, adjecit præceptum hoc, relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori ſuæ; meritò, nam pater, mater, auia, naturæ fortunæque opera ſunt, vir & vxor Dei myſterium ſunt, habuitque priùs vir vxorem, vxorque virum, quàm patrem & matrem, ideo his relictis adhærebit vxori ſuæ, vt quod primum illi datum eſt, præ omnibus ſeruet ad vltimum, nec vnquam eſſet ſine altera, cum ſine altero, altera creata non ſit; neceſſitas ſeparat filium à parentibus, nulla virum ab vxore. Erunt, inquit, duo in carne vna, vnum autem eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum ab omni alio, propterea maior eſt coniunctio coniugum, quam inter quoſlibet conſanguineos, quia non eſt affinitas, ſed vnitas,[l] ſicut homo ſibimet ipſi idem eſt, non conſanguineus. Eſt igitur matrimonium vt definiunt IuriſConſulti,[m] viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ conſuetudinem continens. Hæc legalis transformatio, publicis familiarum votis expetita, Eccleſiæ ſacramento ſancita, non relinquit in coniunctis ius quo ſe ſibi in poſterum vindicent, cum ſit publicum, & priuatis pactionibus tolli non poſſit.[n] Id naturæ congruum eſt, quæ ad amorem pertinaciter concipiendum, dedit cordis ſubſtantiam carnoſam, ſpiſſam, neruis multis intextam;

[l] D. Tho. 3. q. 29. a. 2.

[m] §. 1. Iuſt. de par. pot.

[n] l. 27. ff. de Reg. Iur.

Digitized by Google

dedit voluntatem, quæ dum amat, totaliter & in perpetuum amare conſtituit, idque votis & iuramentis ſolemniter proteſtantur amantes.

Duplici potiſſimùm ratione coniugalis ſocietas debet eſſe perpetua, 1. quia mulier pro dote præcipua fert ad virum, pulchritudinis & pudicitiæ florem, nunquam cum decerptus eſt, reſtituendum, ſic compenſari debet affectu perpetuo; Quod ſi ſoluerentur matrimonia ex concupiſcentiæ vagis affectibus, nullæ tandem eſſent fœminæ quæ violatæ & deceptæ, quæ velut turpiter proiectæ voluptatis reliquiæ, non venirent in contemptum. Æquius eſt vt cuius fuit commodum ſit onus, & is cui placuit adoleſcentia, ferat ætatem, minus quidem oculis ſplendentem, ſed vtiliorem familiæ, nam defloreſcente vultu, matureſcit animus ad res domi prudenter peragendas.

Secunda & præcipua ratio perpetuitatis coniugi reſpicit liberos, quibus parentes debent prouidere non breui & temporaneo affectu, ſed perpetuo, ſic perpetua debet eſſe patris & matris ſocietas vnde naſcitur, cuius eſt vinculum, & ad quem neceſſariam dicit relationem. Facto aut meditato diuortio, tranſirent in liberos odia parentum, ſic enim theatra lugent appoſitos in eſcam odioſo marito filios à matre, & prohibet lex diuina, [o] ne pater vxoris dilectæ filium, præferat odibilis primogenito. Quis relictæ filiis prouideret? eo ſaltem affectu qui conſtante matrimonio manet integer, ſanè matrimonia crebrò ſoluere, hoc eſt ſuſceptos ex eo liberos crudeliter exponere. Si matrimonium publicum eſt, tum naturæ, tum Reipublicæ munus, illud qui ſemel iniit debet abſoluere, multo magis quam publicum ædificium, [p] quod incœptum non debet relinqui. Cùm nulla diuortij ſpes affulget, & coniuges perpetuum intelligunt eſſe fœdus quod ineunt, ſe ſibi mutuò contemperant, ſuiſque moribus legem dicunt, vt in poſterum alta pace fruantur; impenduntur ſeriò quærendis bonis ad neceſſitates & ſplendorem familiæ; quidquid agunt, quidquid patiuntur, id leue & gratum efficit amor.

[o] Deuter. 20

[p] l. 1. §. 1. ff. de pollicit.

Lege naturali, hiſque rationibus ductæ plæræque gentes perpetua non temporaria voluerunt eſſe matrimonia, vt quingentis ferè annis poſt Romam conditam, [q] nullum factum eſt diuortium, & apud Iudæos ad duritiam cordis [r] permiſſum fuit, ne grauiora mala contingerent. Perpetuum hoc fœdus cæteri populi teſtabantur certis cæremoniis, vt Lacedemonii [s] qui venerem in vinculis colebant; Athenienſes qui in eius templi ſummitate, ignem fouebant inextinguibilem; paſſim apud Græcos, amaſij amatæ foribus appendebant coronas, [t] quæ orbiculari ſua figura ſine fine, ſperati connubij amoriſque perpetuitatem ſignificabant, vt annulii pronubi qui olim apud Romanos, & nunc etiam apud nos nuptis dantur.

[q] Gellius lib. 4. c. 3.

[r] Math. 19. 8.

[s] Pauſan. in Laconi.

[t] Athenæ. lib. 13. c. 2.

Cœlum

Cœlum terræ maritus, cuius fulget radiis, cuius influxu caloreque fit fœcunda parens, interdum tamen vibrat grandines & fulgura, & condicta per hyemem abſentia, illam omni decore ſpoliat, turpem & ſterilem efficit Huic illuſtri, ſed interdum ſæuo marito, viciſſim terra multis in locis, frontem rupibus aſperam, arenis ingratam, aquis ſtagnantibus deturpatam oſtendit, nec tamen ſoluitur diuina voce ſancitum vtriuſque connubium. Nullius matrimonij pax eſſet diuturna, non impleret annum, ſi ad leues quaſlibet querelas vel zeli ſuſpiciones diſſolueretur; his non debet coniugum amor extingui ſed accendi, vt ignis ſuperiniectis roris inſtar aquæ guttulis. Dulciſſimum eſt, præteritas ſimultates & æmaritudines, redintegratis fortiter affectibus ad lucrum compenſare. Columbæ, [u] mares imperioſos etiam iniquos ferunt, quippe ſuſpicio eſt adulterij, quamuis natura non ſit, tunc plenum querela guttur, ſæuique roſtro ictus mox in ſatisfactionem exoſculatio, & circa veneris preces, crebris pedum orbibus adulatio.

Sic illibatam matrimonij fidem voluit eſſe Tertulianus [x] vt etiam ab vxore ſeruaretur cineribus defuncti mariti, qui ſemper putandus eſt illi viuere. Vnum inquit, matrimonium præfiguratum fuit in Adam & Eua carnaliter, in Chriſto & Eccleſia ſpiritualiter; vni viro fecit Deus adiutorem, non adiutores; mulier quæ duos habuit maritos, vnum habet in ſpiritu, alium in carne, at qui à carne diſiunctus eſt, in corde remanet: illic etiam vbi cogitatus & voluntas ſine carnis congreſſu, adulterium perficit; vſque adhuc maritus eſt, ipſum illud poſſidens, per quod & factus eſt, ideſt animum, in quo ſi & alius habitabit, hoc erit crimen: non eſt excluſus ſi à viliori conſortio carnis diſceſſit, honorabilior maritus eſt, quantò mundior factus eſt; ſic habens duos, eligat cui ſe adulteram præſtet; puto, inquit, ambobus. Hanc opinionem non probauit Eccleſia quia directè pugnat contra ſententiam hanc Apoſtoli, [y] Mulier alligata eſt, quanto tempore viuit vir eius, ſi autem mortuus fuerit, libera eſt, cui vult nubat, tantum in Domino. Licita ſunt igitur ſecunda matrimonia, ſed vulgo non habentur honeſta, nam multa licent, quæ non expediunt. [z] Secundas nuptias exiſtimarunt antiqui velut ſignum illegitimæ cuiuſdam intemperantiæ, [a] qua ne ſacra prophanarentur, flamini ſacerdoti, & Pontifici Maximo iterare matrimonia non licebat; etiam nunc Eccleſia [b] bigamos ad ordines non admittit, & hoc argumento probat ſanctius eſſe, ſolutos manu Dei iterum iugo collum non ſubmittere: ſolutus es ab vxore, dicit Apoſtolus, [c] noli quærere vxorem Redde filiis quod debebas vxori, amore præſentium, deſiderium abſentis tempera, nec nouercam illis ſuperinducas fortaſſis inter alia mala, etiam fœcundam. Hinc enim odiorum incentiua, offenſionum

[u] Plin. lib. 10. c. 34.

[x] lib. de monogamia.

[y] 1. Cor. 7.

[z] l. 44. ff. de reg. iur.

[a] Valer. Max. lib. 2. c. 1. D. Hieron. lib. 1. aduer. Iouinian.

[b] Can. ſi quis diſt. 33. Baron. an. 58.

[c] 1. Cor. 7.

Digitized by Google

diſcrimina: hæc obiter ex multis quæ protulimus in Digeſto ſapientiæ, ſufficiant hic ad commendationem illibatæ perpetuæque fidei in coniugiis ſeruandæ.

Debilia ſunt rerum optimarum initia.

Lex 16.

DVm verno tempore ſol ad nos redit, inſtauratque mundum velut renaſcentem, natura diſcuſſo quo langueraț per hyemem torpore, lætior, amoribus geſtiens & ardens, ſpes maximas dat ſuæ fœcunditatis; ſed ſi primos eius conatus aduertas, irritum putabis quod aggreditur, tam exiguos, debiles, degeneres fœtus videbis vt illam inualidam, te deluſum meritò poſſis æſtimare; Arbores poſt ſplendidam illam florum iactantiam, depoſita pulchritudine, proferunt concretum quid inſipidum vel aſperum, oculis & ori penitus ingratum; aues poſt tot cantilenis celebrata, tot certaminibus promerita connubia, velut ægræ ſuis incubant ouis, quæ nullam præferunt ſpeciei ſuæ figuram. In viuiparis fœminarum intumeſcunt vteri, velut veneno, langueſcunt vires, & tunc in illis amorum fructus videtur ægritudo. Indignetur licèt præceps, contumelioſa, moraſque non patiens mens hominis, opus ſuum natura peragit ſeruato ſemper ordine, ſurgens à minimis ad maiora; ſolem enim ſuum imitatur qui per gradus ad nos accedit, ſinguliſque diebus ab aurora ſimiliter ſe promouet in meridiem. Sic procedunt vniuerſa lentè, prouidè, maturè, ſcilicet excluſis ſenſim contrariis qualitatibus inductiſque propriis non vi, non periculoſo ab extremo in aliud tranſitu, ſed ſuauiſſima progreſſione, quæ continuò ſpes implet, & boni fruitionem multiplicat.

Digitized by Google

Initia generabilium ſunt mole parua, virtute maxima.

§. 1.

OMne viuens interitus ſui futuri conſcium, ne ſpecies ſua depereat, amoris illecebris & naturæ cæco quodam impetu rapitur ad ſimilis ſui generationem. At ſtatim, in totum ſibi ſimile, figura, quantitate, virtute, non producit, equus enim alium equum pari corpore, ſubito non generat, vt ignis ignem, nam igni generando datur apta materia, at illam animal ex ſe ſumit; totam igitur quam habet alteri non communicat, quia certis contenta limitibus, tota non poteſt ſimul ad duos pertinere; quod ſi diuidatur in partes, vt vna detur generato, eâ minuetur generans, & non amplius ſibi ſimile generabit; exhaurietur vnica productione, cum multiplices natura deſideret ad ſui contra tot caſus conſeruationem, & tandem his ſucceſſiuis ad generandum decrementis, breui ſpecierum dignitas abſumeretur. Aliam igitur diuina ſapientia dixit generationis legem, qua viuens à viuente procedit ſecundum naturæ ſuæ ſimilitudinem, ſic illæſa generantis ſubſtantia, vt multis hiſce productionibus perenni fœcunditate ſufficiat.

Viuens omne ſemen emittit, ex quo primum oriuntur ea, quæ ſecundum naturam conſtituuntur, [d] non tantum vt ex materia, ſed vt ex motus efficiente principio. In animalibus procedit ex ſuperfluo alimenti, potiſſimum ex ſanguine qui trahitur è vena caua, & decidit ſi non ab omnibus corporis partibus, ſaltem à præcipuis cerebro, corde, iecore, cogente, digerente totius forma, vnde quælibet eius portio, totius vim habet, qua corpus vniuerſum conformetur. Dum affluit & redundat turgeſcens impetu ardoreque corpus perturbat, excretum autem, hoc placidum, lene, tranquillumque reddit, vnde ſi naturæ limites non excedat hic motus, vires non exoluit, ſed ad illum perpetua quædam ex ſuperfluo alimenti materia ſuggeritur. Confluit in ſemen ex toto corpore quam plurimus ſpiritus vitalis qui diligenter ei permiſcetur, præterea calorem quemdam diuinum atque cœleſtem obtinet, in quo reſidet poteſtas, tum naturalis & altricis animæ, tum eius quæ ſenſum, motum & appetitum habet. Dum materno calore fotum efferueſcit, quæ compreſſæ atque tacitæ in eo deliteſcunt facultates in actum erumpunt, & viribus ſeſe oſtentant. In eo ſpiritus procreationis author, omnium partium conformator & opifex radicitus inhæret, haſque vbi conformauerit, poſtea ſemper aſſiſtens, in omnem vitam quantum poteſt diutiſſimè & ſa-

[d] Fernel. Phyſiolo. lib. 7. c. 2. & 3.

Digitized by Google

luberrimè conſeruat. Quantitate parum eſt, virtute maximum, & diuturnum, cum ad omnes partes & ad vltimum vſque vitæ perueniat. Nam vitalis calor, vna cum humido primigenio eſt à ſemine: ex eo partium ſimilarium primo ducta ſunt velut ſtamina ad quæ illabens maternus ſanguis concreſſit, efficitque ſubſtantiam carnoſam; hæc ſtamina ex humido liquidoque ſemine creata, ad extremum vſque perueniunt ſenium, & in omnem vitam ſemper aliquid eius humidi retinent.

In plantis & arboribus, humor per radices, truncum & ramos apprimè digeſtus lento per cuncta ductu, eorum ſpiritus, ideam, naturamque hauriens, illam exprimit, cùm calore cœli concretum maturum, tandem terræ, velut matrici conditum fuerit. Verbum diuinum quod hominem à mundi illecebris, à fortunæ caſibus ereptum, transfert ad cœleſtia; Eccleſiam & potentia ſapientiaque ſæculi triumphantem, Chriſtus comparat grano ſynapis, quod minimum eſt omnibus ſeminibus, creſcit tamen velut in arborem, ſub cuius ramis aues cœli requieſcunt. Quanta ex vno ſemine Chriſto virtutum ſeges quæ totum orbem terrarum, & vacuas Angelorum in cœlo ſedes, implebit! Quælibet bona lex diuina vel humana ſemen eſt paucis quidem verbis conceptum, ſed immenſum virtute, cum futuris ſæculis proficiat; pius aliquis ſermo, liber, occurſus viri boni ſemen eſt cuius vis totius vitæ mores formabit.

Vt ad naturalia redeamus, continuum miraculum eſt, in tam exiguo ſemine vim tantam, maximum in minimo contineri, velut ſit imago quædam vnitatis infinitæ ſimul & fœcundiſſimæ. Illius maximum opus eſt, debitam ſpeciebus animalium vel plantarum quantitatem eo concludere compendio; ſingulorum figuras inuiſibili penicillo reddere, latentem fomitem vitalis caloris & ſpirituum ſic fouere, vt ſuis temporibus ſurgat in æqualem ſuo principio dignitatem, & fœcunditatem: Mirum quod ex vno tanta procedant, infinito quodam progreſſu; quod in ceruis & coruis ex digeſto per vnum diem alimento prodeat vis, quæ continuis vitæ functionibus impenſa, non attrita, duret ad trecenteſimum annum. Inter tot in vno miracula, etiam illud ſpectatiſſimum, quod hæc tanta vis non impetu, ſed ſenſim & per ætatum gradus ſe proferat.

Digitized by Google

Diutius duratura & præſtantiora lentè natura perficit.

§. 2.

COrpora quæ vel ars vel natura conformat conſtare debent iuſtiſſima partium ad ſe mutuo, & ad ſuum totum proportione, vt in gigante caput cæteris reſpondens membris, maius ſit quam in homoncione; vt veſtibulum regiæ domus ampliſſimæ, latius pateat quam priuatæ; vt exordium orationis excedat id quod breuiter epiſtoliis præmittit vrbanitas. Sic in quantitate diſcreta, in tempore quod eſt numerus motus, ſi longiſſima ſit duratio, inter eius initia reputamus quæ in cæteris diuturna viderentur. In maximis annis mundi, [e] mille anni ſunt ſicut vnus; In magnis annis 360 ſolarium, quilibet gradus valet duodecim annos: In annorum ſeptimana, annus cedit pro die; naſcentem vocamus Eccleſiam in primo & ſecundo ſæculo poſt Chriſtum; Seth [f] qui vixit nongentis duodecim annis pubertas in qua genuit filium Enos, fuit an. 105. ſic de cæteris Patriarchis quorum vt vita fuit prolixior, ita iuuentus excedebat annos qui nunc extremam conſtituunt hominum ſenectutem. Sic volunt [g] primam ætatem & infantiam populi Romani fuiſſe ſub Regibus per ducentos quinquaginta annos, quibus circum ipſam matrem ſuam, cum finitimis luctatus eſt; adoleſcentiam ſub conſulibus per ducentos annos; per totidem virilem ætatem vſque ad Auguſti extrema tempora, tantæ molis erat, Romanam condere gentem Seruat hanc legem natura, & plus temporis impendit in formatione rerum, quibus diuturniorem concedit vitam. Elephas [h] viuit ducentis aut trecentis annis, propterea geſtatur in vtero per biennium, eius iuuenta incipit ab anno ſexageſimo. Leonibus [i] vitam eſſe longam aſſerit Plinius, & infert ex eo quod plerique dentibus defecti reperiantur; inde fit vt initio ſint informes, minimæque carnes magnitudine muſtellarum, ſemeſtres vix ingredi poſſunt, nec niſi bimeſtres mouentur. At contra Ephemerum illud animal [k] quod vna tantum die viuit, habet mane iuuentam ſuam, perfectam ætatem meridie; ſenectam & obitum veſperi. Herculem [l] facete Lucianus vocat trieſperum ab trinoctio illo, quod traditur in eo concipiendo inſumptum.

[e] Picus Mirandul. in heptaplo. & Pſal. 89.

[f] Gen. 5.

[g] Florus initio.

[h] Plin. lib. 8. c. 10.

[i] Ibid. cap. 16.

[k] Ariſt. hiſt. animal. lib. 1. c. 5.

[l] Rhodig. lib. 6. c. 7.

Aurum, gemmas, criſtallum, & ea quæ vix alterantur, conſtat quidem eſſe opus naturæ, ſed non vnius ſæculi: leges, fœdera, decreta quæ tranſeunt in poſteros, ſuſpenſo diu conſilio, tentata per moras ratione & fortuna, ſancire mos eſt: matrimonium quod indiuiduam vitæ ſocietatem continet, longo parentum examine, & olim captis

Digitized by Google

augurijs fieri ſolebat, cumque in cæteris fauſtum eſſet, thus, ignibus iniectum ſtatim incendi, hic interiecta mora[l] flammas concipere auſpicacius videbatur. Diu deliberandum quis ſit in amicitiam recipiendus, quia cum placuerit, toto, nec amplius vario pectore debet admitti. Zeuxis culpantibus quod tardè pingeret, reſpondit ſe multum temporis inſumere pingendo, quia in multum tempus vellet ea durare. Naturam imitabatur quæ diutius elaborata, ne in vanum laboret, perficit, operationiſque ſua mora eſt in rebus vt permanentiæ ſic excellentiæ validum argumentum.

[l] Dio Caſſius.

Eximia citò non poſſunt abſolui, quia plures in materia requiruntur diſpoſitiones, ad perfectioris formæ receptionem, multa ſunt eliminanda, plura introducenda, motu qui non niſi ſuceſſiuè, & certa temporis menſura procedit. Eo quod alimentum in momento mutari non poteſt, [m] vis retentrix illud retinet, quoaduſque fuerit vt decet elaboratum; tres eius fiunt coctiones, prima in ventriculo, ſecunda in hepate, tertia in ſingulis partibus: aër quem inſpiramus repentè non euadit nutrimentum ſpiritus animalis, ſed paulatim immutatur, & innato ſpiritui familiarem acquirit qualitatem: vaſa ſpermatica, & inteſtina ſunt ſinuoſa, vt quæ continent, longiore mora perficiantur; maximè ſinuoſus eſt plexus retiformis, in quo ſpiritus vitalis, fit animalis. Tandem vbi natura voluit diutius materias immorari, ibi tranſitum ipſis molita eſt difficilem, ſic in hepate anguſtæ ſunt venæ ſanguinem perficientes. Optimi fructus tardius matureſcunt; Hypocrates [n] dicit eas aquas eſſe puriores quæ ex altiſſimis & ſiccioribus locis fluunt, magis enim ab imo profectæ colantur. Maſculus pubertatem habet tantum anno decimo quarto, cum illam obtineat fœmina duodecimo.

[m] Galen. lib. lib. 7. de vſu part.

[n] lib. de aëre, locis & aquis.

Igitur & magis duratura, & magis excellentia, diuturno magis tempore perficiuntur, etiam agnoſcuntur; nam hæc interpoſita mora plurimum confert ad eorum commendationem, & vt efficit rara, ſic pretioſa. Viros eximios ad cæterorum regimen & tutelam, cœlum pluribus ante ſæculis, præmiſſis etiam prodigiis & oraculis promittit, quàm ſupplicanti mundo concedat: dum premit neceſſitas agnoſcunt homines liberatoris beneficium, præparantur vt illo ſe dignos efficiant, dulcius accipitur, quod ſub aliqua dilatione præſtatur: at contra licet pretioſum, vileſcit oblatum, vnde mos fuit, [o] vt iam pactæ ſponſæ non ſtatim traderentur, ne vilem haberet maritus datam, quam non ſuſpirauerat ſponſus dilatam. Sanguis vt gratior partibus quibus adhæreſcit, & aſſimilatur accedat, quaſi ros minutiſſimus per venas capillares ſtillatur. Optimum frugibus & arboribus niues diutius ſedere, [p] quia liquorem ſenſim præbent, qui non ingurgitat & diluit, ſed quomodo ſititur diſtilans, velut ex vbere

[o] Can. inſtitutum. 27. q. 2.

[p] Plin. lib. 17. c. 2.

Digitized by Google

alit omnia quæ non inundat. Sic præſtantiora ſenſim è materiæ ſinu prodeuntia, plus habent gratiæ, ſpes progreſſu ſuo non fallente diutius implent, diutiùs poſſidentur, & mentes humanas longiori gratoque magis detinent ſpectaculo.

Vt malum citrium [q] omnibus temporibus poma producit, & alia pariter auferuntur, alia florent, alia cadunt; Vt eſt in admiratione pinus, [r] quæ habet fructum matureſcentem, habet proximo anno ad maturitatem venturum, ac deinde tertio, quo menſe ex ea nux decerpitur, eodem matureſcit alia, & ſic diſpenſatur, vt nullo non menſe matureſcant; ſic dum plura eiuſdem ſpeciei indiuidua eodem tempore quædam naſcuntur, adoleſcunt, perficiuntur, minuuntur, occidunt, in hac varia multitudine omnes ſimul ſpeciei conditiones noſtris oculis ſubiiciuntur, præteritum futurumque tempus fit velut in æternitati præſens, totaque natura fruimur, dum videmus pueros adoleſcentes, viros, ſenes, etiam decrepitos, omnes hominum mores, omnis ætatis gradus præoccupata temporis ſucceſſione, vna die contemplamur, & quibus inter ſe differant, perſpicimus.

[q] Athenæ. lib. 3. c. 5.
[r] Plin. lib 9. c. 26.

Miraris aliquos prius vitiis inſoleſcere, quam in bonam frugem veniant; ea ſolet eſſe magnorum virorum indoles, vt quædam generoſa vina, [s] non niſi poſt decimum quintum, vel vigeſimum annum matura ſunt, & potui vt decet, aptâ fit morâ bonum, quod recens durum & aſperum videtur, at non patitur ætatem, quod ſtatim in dolio placet: quod in pomis eſt, [t] itidem eſſe aiunt in ingeniis, quæ dura & aſpera naſcuntur, poſt fiunt mitia & iucunda, ſed quæ gignuntur ſtatim vieta & mollia, atque in principio ſunt viuida, non matura mox fiunt, ſed putria; Relinquendum eſt igitur in ingenio, quod dies atque ætas miteſaciat. Auguſtus [u] prima iuuenta variorum dedecorum infamiam ſubiit, ſtupri, adulterij, & diſſolutæ in omnibus vitæ: Scipio Africanus, [x] Fabius Maximus, Alcibiades adoleſcentiam in vitia procliuem egerunt; Illis vt vitibus [y] ætate prouectioribus, fructus extitit melior. Tandem homines infantes cæterorum animalium pullis ſunt longè infirmiores, adoleſcentes poterni magis, tanquam [z] ſe tanto attollat excellentius ſupra cætera animalia vis humana, quanto magis impetum ſuum, velut ſagitta cum arcus extenditur, retrorſum reducta, diſtulerit. Habemus quod in quorundam adoleſcentia miremur ſapientiæ canos, fœlicemque ſine tyrocinio, magiſtram indolem; vnde licet ſpes noſtras vltra ſortis humanæ terminum mittere, habemus quod laſciuientem feramus iuuentutem, quæ torpere neſcia impendit tunc vires malæ cupiditati, quas matura ratione, virtutibus, bonæque menti, cum vſura reſtituet. Accelerata & præcocia citò deficiunt; prodigium fuit, [a] arborem ſtirpe non ramis & palmite fructum tuliſſe: Salaminus puer [b] qui triennio crêuit ad

[s] Athenæ. lib. 1. c. 25. & 24.
[t] Gellius lib. 15. c. 2.
[u] Sueton. in Auguſt. c. 78.
[x] Valer. Maxim. lib. 6. c. 9.
[y] Plin. lib. 16. c. 27.
[z] D. Auguſt. lib. 13. de Ciuit. Dei. c. 3.
[a] Plin. l. 17. c. 25.
[b] Id. lib. 7. c. 16.

Digitized by Google

tres cubitos, inceſſu tardus, ſenſu hebes, cito abſumptus eſt, & immoderatis ægritudinum ſuppliciis præcipitem incrementi celeritatem compenſauit. In publicis potiſſimum negotiis, quippe maioribus, lentè feſtinandum, nam ipſa ſe velocitas implicat: ſcelera impetu, bona conſilia mora valeſcunt, [c] non properanti omnia clara, aperta, certa; feſtinatio improuida & cæca.

[c] Tacit. lib. 1.

Indulgendum debilibus rerum initiis.

§. 3.

SEmina ſuis aptè locis commiſſa vim & energiam à principiis acceptam explicant, ſe proferunt congruis temporibus, ſed ortu tam infirmo, vt innumeris exponatur iniuriis. Plantæ habent initio plurimum humidi, & ſic magnam mollitiem augmentis aptam, extendi facilem, minus tamen, vt reſiſtat externis, validam, quàm ſiccum & durum. Quod in illis eminet, tenerrimum, vento, grandine, gelu facilè decoquitur. per ſummum telluris adherent, haſque non munitas ſedes peruadit inimica frigoris aut caloris ſiccitas; alimenta conſumendo, necans. Ita controuertitur inter authores, an mundus creatus ſit vere, æſtate, vel autumno, ſed nullus aſſeruit creatum hyeme, cuius infeſta rigidiorque tempeſtas, nec edendis, nec ſeruandis nouellis teneriſque productionibus fuiſſet apta.

Huic naſcentium infirmitati ſubleuandæ, non deſunt cauſæ generales & ſingulares, nam quia vere herbarum, arborumque tenella germina timent ariditatem, & dulci humido, velut lacte volunt nutriri, oriuntur mane cum ſole in tauro, pleyades, hyades verſus ſeptentrionem; hœdi verſus auſtrum, tandem orion, & veſpere arcturus, ſtellæ quæ cient pluuias & ventos humidos: Ver etiam tempus eſt omnium viuaciſſimum, fœcundiſſimumque, cum natura ſua ſit calidum & humidum. Operiunt quidem ſiliquæ naſcentes arborum gemmas & flores ne tam facilè lædantur à frigore, ſi tamen præcox natura, citius quam par ſit, ſe proferat, proiiciatque creſcendo leue quo tegebatur, velamen, cœlo nondum propitio, temeritatem ars emendat, operculis, velis, aggere, foſſione, irrigatione, illæſaſque præſtat mille modis. Cato [d] omnes ventos & imbres in tota arborum tranſlatione damnat, nec permittit ſurculum qui inſeritur in vento exacuari; Romani aduenam platanum vmbræ gratia ſic coluerunt; vt diu illas nutrirent vino, quo gaudent, radicibus infuſo; Palmas nouellas ferro non attingunt agricolæ, ſed religant comas vt in altitudinem exeant. Cæteræ plantæ naſcentes, [e] licet validæ, ſi debilitentur,

[d] Plin. lib 17. c. 11. & 14.

[e] Theoph.

…ntur, fiunt mucidæ, & ex dulcibus amaræ, quod enim prouenit ex ſemine degenerat, ſi eius impetus naturalis, aliquo motu fuerit immutatus, quippe tunc alius, atque imbecillis redditur, quod enim inter initia agitur, ad rei perfectionem ſpectatiſſimum eſt. hib. plantar. lib. 2. c. 20. & lib. 3. c. 9.

Animalia fera quibus ars noſtra non opitulatur, ſua ſibi prouident, vt teneros ſuos fœtus à temporis & externa qualibet iniuria tueantur; piſces [f] in ſtagna & amnes tranſeundi euidens ratio eſt, vt tutò fœtus edant, quia non ſunt ibi beſtiæ, quæ ipſos deuorent, fluctuſque minus ſæuiunt. Halcyones fœtificant bruma, tunc mare placidum indulget editæ proli nondum ſatis validæ contra vim ventorum & fluctuum. Aues cæteræ quaſi prouidentia nidum mollibus plumis floccisque conſternunt tepefaciendis ouis, ſimul ne durus ſit pullis infantibus. His docentur mulieres, amore vigilantiſſimo conſulere ſuis infantibus, quos à conceptu, in partu, & primis annis mille circumſtant pericula: hominis animalium ſuperbiſſimi abortus [g] cauſa fit, odor à lucernarum extinctu, aut leuiſſima quælibet cauſa ſi mater ſalierit, aut fuerit horrendum aliquid conſpicata, aut ex dolore, aut ex crudelitate inſigni, vel medicato aliquo cibo vel medicamenti potione, vel miſſione ſanguinis, vel alia ſimili euacuatione: Grauidas itaque vt ſibi conſulant, vrget duplex amor, ſui & partus, indiſtincta fere ratione; nam ſæpius cum partu mater extinguitur, iuſto prouidentiæ decreto, vt ad maiorem cautelam amori metus accederet; his conſentit adſtantium affectus, miniſtrando quæ cupiunt, quæ oderint auertendo, ægras, etiam dum turget materia, non patiuntur purgari, [h] niſi poſt quartum menſem, cum ſcilicet iam vires acquiſiuit fœtus initio debilior, & velut fructus arboris recens, qui à minimo vento læditur. Quot infantes mors immatura rapiat patet ex ſingulis familiis, in quibus ex magno ſuſceptorum liberorum numero, duo tantum aut tres ſæpè ſuperſunt, qui conceſſum à natura vitæ curſum impleant. Infirmior ætas, temporum iniuriis magis patet, & præſumitur facilius occumbere, vnde ſi mater [i] cum filio anniculo naufragio perierit, filius hic prius deceſſiſſe creditur.

[f] Plin. lib. 9. c. 19.

[g] Galen. in lib. 3. epid. c. 8. & in Apho. 27. lib. 7.

[h] Id. in Aphor. 1. lib. 4.

[i] l. 26. C. de pact. dotalib.

Mirum quod referunt [k] Germanos infantulum mox in lucem editum, atque ab vtero calentem ad flumen deferre, ibique ceu candens ferrum in frigidam aquam immergere, vt & roboretur corpus, & periculum de vigore illius ſumatur: grande periculum, quia fit tranſitus ab extremo in aliud, quis neget multos tenellos ſic expoſitos interire: ſumma fortè mulierum hac in gente fœcunditas, ſic egit de hominis vt de canis partu, ex quo multis proiectis pauci pulchriores ſeruantur; vt habeant vnum fortem, multos necant: apud illos indigniſſimè vis hominis ex corpore tantum, non ex anima cenſetur, grauius ſanè frequentiuſque infanticidium eo quod legibus

[k] Galen. lib. 1. de ſanitate tuenda.

[l] In Theæteto. Platonis [l] permiſſum erat mutilos partus non alere. Crudelem hanc impietatem, ne feris quidem notam, eluit Chriſtiana Religio, docuitque imaginem Dei non ſic leui de cauſa ab hominibus delendam, & licet corpore debilem, fouendam tamen omni cura, cum ſæpius ſublimes mentes minimis omnium excipiantur corporibus, velut angelis cognatæ, qui nullum habent corpus,

Infantiam ſequitur pueritia, pueritiam adoleſcentia, vtraque cum ſit initium naſcentis rationis, eiuſque partis quæ hominem conſtituit, leui & parcente manu venit inſtituenda; vis enim metuſque optimam alioquin indolem retundit, ſpiritus ſeruitute comminuitur; Patres, inquit Apoſtolus, [m] nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros, vt non puſillo animo fiant. Sic præcipit Plato [n] pueros non tanquam coactos in diſciplina, ſed quaſi ludentes enutriri, vt pateat quæ ſit vniuscuiuſque indoles; non enim, inquit, decet liberum hominem, cum ſeruitute diſciplinas diſcere, & fruſtra diſcit, ſi cogatur, cum nulla animæ violenta diſciplina ſit ſtabilis.

[m] Coloſſ. 3. 21.
[n] 7. de Republ.

Verum eſt [o] Lacedemonios, Lucanos, Germanos, liberos ſuos ab infantia victu aſpero, in continuis laboribus & certaminibus educaſſe, vt verum colligerent robur, ſed ad illa ferenda, laudibus & præmijs concitati vltrò ruebant, vt nunc ad pericula milites, quorum vulnera tegunt coronæ; ſic fortitudinis & dura tolerandi habitum, liberè, iucundè, glorioſè ſibi comparabant. Non eſt improbanda ciuilis inſtitutio quæ diuinam imitatur; nam cum Deus ſeuocat hominem à rerum mundanarum voluptatibus & ambitu, durum quidem eſt illi renuntiare omnibus quæ poſſidet; proclamat tamen Chriſtus, Venite ad me omnes qui laboratis & ego reficiam vos; tantis electos præuenit benedictionibus dulcedinis vt obſcurent rerum proiectarum ſenſum; intus eſt quod guſtatur, extrà quod relinquitur: non eſt acerba medicina, protinus enim delectat dum ſanat, aliorum remediorum poſt ſanitatem, voluptas eſt, pietas pariter & ſalutaris & dulcis. Ita miror quotidie nouitios noſtros, quibus parum eſt vitæ ſæcularis delitias, quibus enutriti fuerant, reliquiſſe, auſtera religionis obire munia, etiam amplioris perfectionis ardore extorquent precibus, à ſuo magiſtro ſingulares carnis afflictationes, & quis meritò compatiatur, cum illis gaudeant, cum illis proficiant, cum hæc ex charitate, ex adumbrato martyrio tolerata, ipſos cœleſtis voluptatis torrente perfundant, & id quod acerbum videtur, fit fons & cauſa ſpiritualis dulcedinis. Indulget itaque Deus ad ſe vocatis, etiam auſtera ſequentibus, quia pro ſe certantes internis reficit præmiis; arrhas concedit futuræ gloriæ, quæ gradum ex paſſione recipit, ſic grati laudes Deo dicunt cum propheta, [p] Secundum multitudinem dolorum meorum, in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

[o] Tacit. lib. de morib. german.
[p] Pſal. 93.

Ab ortu tenera formanda ſunt.

§. 4.

RES omnes ordinato progreſſu, certiſque temporum gradibus è cauſis ſuis prodeuntes, illas creſcendo tandem exprimunt: ſemen eſt initium exiſtentiæ, & exiſtentiæ prior ætas, eſt initium, materiaqne diſpoſita comparandæ perfectionis. Animalia quidem habent innatos inſtinctus agendi quod ſpeciei ſuæ conuenit, ſed ita rudes, vt illis inſtructa natura ſæpius cæcutiat & aberret ſine magiſtro, vnde pullos ſuos aues docent volare, [q] cibum querere, dolis & impetu decertare. Hac indigere diſciplina conſtat in canoris auibus quæ cantum edunt inconcinnum & alienum, ſi à parentibus ſuis non fuerint edoctæ; patet in canibus qui licet ſtirpe ſint venatici, non habent initio debitam indagandi ſolertiam, aberrant, & à præda facilè deluduntur, ſi non peritos veteranos diu ſequuti & æmulati fuerint.

[p] Deut. 32. D.Thom. 1. q. 101. a. 1. ad 3.

Ideo potiſſimum tenera ſunt, & apta diuerſimodè formari rerum initia, vt homo naturam arte præoccupans ſuam efficiat, habeatque velut mundi Dominus cuncta, etiam animalia inſtrumenta viuentia, quæ cum inſtruxerit ſeruiant vitæ ſuæ neceſſitatibus, impleantque quod ab inanimatis non eſſet ſperandum. Hinc quæ à feris diſtinguntur, velut domeſtica, [r] talia ſunt non natura ſed educatione; taurum viribus & feritate leoni parem, ducit quo vult puella, motuque verberis coërcet: equi feroces & generoſi, aratro, ſellæ, bellis, ferendis oneribus ſeruiunt, eo quod inter manus noſtras creuere, & à primis annis humani vultus terrorem, diſcuſſit conſuetudo. Nam equos, tauros, arietes, porcos ſcimus eſſe feros & ſylueſtres in diuerſis mundi partibus, quas non incoluerunt, aut incolere deſierunt homines, illoſque naturæ ſuæ relinquerunt. Animalia cætera quæ dicuntur fera, ſi paulò poſt à partu è parentum cubili rapta, nutriantur ab hominibus, vt elephanti, leones, lupi, cerui, quælibet alia fiunt domeſtica, iugum patiuntur, triumphantium currus traxerunt, & olim in deſertis degentes Anachoretæ [ſ] leones ſic ſicuratos habebant pro fida ſui cuſtodia, & vt inter homines enutriti non nocerent hominibus, vnde Iuriſconſulti [t] hæc animalia, licet natura ſua fera, definiunt non fieri occupantis, ſed eius eſſe ad quem ire & redire ſolent. Aues canoræ quæ ad nos aduehuntur ex Canaria inſula & in caueis fœtificant, etiam linariæ, cum è nido recentes educantur, addiſcunt philomelæ melodiam, in minus forti gutture ſuauiorem, illamque ſic habemus in diſcipulis diuturnam, quam in magiſtra breuem, & ad

[r] Inſtit. de acq. rer. Dom.

[ſ] Paſſim in vitis patrum

[t] §. pauonū Inſt. de rer. diuiſ.

duos tantum menſes natura conceſſerat. Etiam voces humanas iuuenes pſytaci, corui, picæ, ſturni, graculi docentur, & reddunt tam expreſſa pronuntiatione, vt auribus noſtris illudant, omnibus gratiſſimo ſpectaculo, dominis ſuis vtili, cum olim Cæſares ſalutarent.

Vnius anni ſurculos inſerimus, & adrogatos ab aliena ſtirpe ſtatim habemus magnas arbores, mira ſupra naturam pretioſi fructus accelerata propagatione, quia vt non vetus, ſic docile fuit quod inſertum eſt. In non frugiferis rami naſcentes obſequuntur agricolæ, cuius ductu vel in altum emittuntur, flectuntur, intexti componunt concamerationes, aululas, ambulationes, quæ quia ſunt viuæ, creſcunt, cum lapideæ minuantur, & ipſo temporis progreſſu quo deperit in cæteris nouitatis decor, ipſæ fiunt quotannis pulchriores. Tenellos naſcentes ramos tractando ludit ars, nobiliore quam in famulis metamorphoſi dum non mutat homines in arbores, ſed arbores in homines nec ſine motu, ſub diuerſis ventorum flatibus.

Tandem animalia, plantæ, gummi, res quælibet ab ortu ſuo tenellæ, ſcilicet abundantes humido, formantur ad libitum, & dum fundit illas natura, nondum ſolidè concretas, poteſt ars quibus voluerit figuris imprimere. Talis eſt etiam hominis indoles, velut tabula raſa, omnium capax, & in qua tam licet feros quam humanos mores, heroëm quàm ignauum ſuis coloribus exprimere; igitur qui captata rerum naſcentium occaſione, in cæteris omnibus naturam præueniendo perficit, ſpeciei ſuæ hac diligentia primum conſulat; fingant puerorum animos patres & magiſtri, bona & in ſequuturam ætatem manſura virtutum imagine. Infans in vtero, alieno vixit ſanguine, calore, ſpiritu, nunc in lucem editus, mente rerum ignara, debet alienis formari documentis, nam vt non innato, ſed audito ſermone loquitur, ſic non ſimpliciter indita, ſed ab aliis mutuata virtute proficiet: Vacuum illud petit impleri; non deeſt cœlum materiæ ad excipiendam formam diſpoſitæ; ſol diaphanum mox vt ſibi præſens eſt, illuſtrat, adſit tenellis adoleſcentium animis ad optima promouendis, ſimilis effuſa bonitas ſimilis officioſa diſciplina.

Quibuſdam fœlix eſt indoles, quæ ſine longo magiſterio, honeſta ſimul cum audierit, complectitur; tam facili, tam obnoxio ſunt præcipientibus ingenio, vt ignores an virtutem à natura, an ab educatione receperint: paucis tamen id contingit, cæterorum non ingrata videtur conditio ſi ad virtutes exercitatione diuturna proficiant. His fauet ætas ad recipiendum facilis, ad retinendum quæ cœperit obſtinata; opiniones enim quæ iuuenibus infunduntur, altè deſcendunt, & vix poſſunt educi: ſeruant omnia figuras quas tenera induerunt: Vnde Plato [v] prohibet adoleſcentibus narrari fabulas de Deorum adulteriis, odio, certaminibus, ne ſub his authoribus licita hone-

[v] 1. de Republ.

ſtaque videantur eſſe crimina. Neglecta puerorum educatione, inutiles & ſuperfluæ ſunt leges [x] prohibentes iniuſtitiam in commerciis, vt vanus eſſet labor eius qui ex fonte venenis infecto profluentes riuos expurgare tentaret. Malum, quod vbi cœperit, non ceſſat, præueniendum eſt, ſi remedia ſpem darent ſanitatis, melius ſemper eſſet non ægrotare, quam ſanari; ſic legiſlatores irrito labori ſuo parcunt, integritati Reipublicæ plurimùm conſulunt, ſi priuſquam fiant leges de puniendis criminibus, illis viam obſtruant per leges pertinentes ad bonam liberorum inſtitutionem. Non ſic humana mens, mercurio volatilior fixari poteſt, vt interdum etiam conceptis virtutum ſeminibus à recto non deflectat, ſed facilè ſe reſtituet in bonum, quod illi conſuetudo naturam fecerat; extincti carbones citò reaccenduntur. Qui fuit apparitor, [y] non poteſt fieri preſbyter, niſi ab infantia fuerit educatus inter monachos, facili negotio redire præſumuntur primi virtutum habitus, & illis interiecta ſæuitiæ miniſteria non nocent, vt nec ingenuitati [z] manumiſſio. Plurimùm ergo poteſt initium in ſubſequentia.

[x] Id. 1. de legib.

[y] l. 52. C. de epiſ. & cler.

[z] §. fin. inſt. de ingenuis.

Ex initiis pendent ſequentia.

§. 5.

INitium rei à cauſa ſua procedentis ſemen eſt, cuius intima vis ideam ſequuturæ perfectionis continet; per totam iuſtæ magnitudinis conformationem diffunditur, illi pro fundamendo ſubeſt, calorem ſpiritus, vitæ fomitem ad extremum conceſſæ durationis propagat: ex omnibus generantis partibus deciſum ſimile ſibi producit non modo ſecundùm ſpeciem, ſed & ſecundùm qualitates proſperas aut infœlices quæ tunc ipſum afficiunt, & ab hoc initio poſteris longâ ſerie naſcituris lex imponitur. At cùm in omnibus cauſis ordinatis, [a] effectus plùs dependeat à cauſa prima, quàm à cauſa ſecunda, non agit niſi in virtute cauſæ primæ, & cùm omnis virtus generalis [b] vel ſpecialis inferiorum reducatur ad virtutes cœlorum generales vel ſpeciales, totaque materia corporum inferiorum [c] ſubiaceat variationi ſecundùm motum corporum cœleſtium, antiqui ſapientes exiſtimarunt rem quamlibet fore fœlicem aut infœlicem prout cœlum influxerit ipſâ naſcente. In his præcipuum iudicium ſumitur à ſigno aſcendente, primaque domo, quàm duplicatis gradibus totam vitæ ſortem continere quidam aſſerunt. Alij per imagines & electiones conſtituunt ſibi fœlix initium, vt deinceps habeant proſperos ſucceſſus. Ab annuæ reuolutionis hora prima obſeruant aſtrologi, quid

[a] D. Thom. 1. q. 104. a. 2. & 12. q. 19. a. 8.

[b] Id. 2. 2. q. 96. a. 2. ad 2.

[c] Idem 1. q. 115 a. 3.

Digitized by Google

omnes actus ſpecificans, quod ab initio non valet, [h] tractu temporis non conualeſcit; ita bonus vſus non iuſtificat iniuſtè quæſita, [i] vt regnum tyrannicè occupatum. Legi contra tyrannum infirmæ, cœlum ſuffragatur, nam, inquiunt, [k] cùm Rex fit per proditionem, plerumque parum durat, quia talia fiunt ſilente lunâ, vel à maleficis obſeſſa, vnde regnum non poteſt eſſe diuturnum; magno in malis publicis ſolatio. Qui ſeruum expoſitum collegit [l] deinceps habere debet, ſub eo ſtatu quem initio habere voluerit, idest vel vt ſeruum, vel vt filium. Si ſic finis reſpondet initio, maximum argumentum nobis eſt ſperandæ beatitudinis, ad quam primo creati, poſteà per Chriſtum recreati ſumus, ſi modo huic conſentiamus fœlicitati.

[h] l. 29. ff. de reg. iur.
[i] Can. neque; q. 6.
[k] Cardan. lib. de Aſtrolog. interrogatio.
[l] l. 1. C. Theo. de expoſ.

Quamuis aliquo naſcente ſit infœliciſſima ſyderum poſitio, quæ videatur ad prauos mores inclinare; quidquid auguria denuntient, quidquid ex infami proſapia vulgi rumor malè coniiciat, hæc omnia poteſt ſuperare nati diligens ad probitatem inſtitutio; nam cœleſte corpus nihil poteſt in corpoream, ſpiritualem, immortalem animam, libera ſupra fatum, ipſa fati iudex artifex, poteſt primos vitæ annos virtuti conſecrare, fœlici in ſequentem ætatem præiudicio. Nemo Socrate ad amorem procliuior, nemo continentior: Zenocrates, Demoſthenes, Cleanthes impedimenta naturæ diligentià vicerunt. Sed huius victoriæ cauſa ſimul & augurium eſt, ſi quis in virtutis & vitiorum biuio, viam virtutis ſectetur ab adoleſcentia, ſerpentem naſcens naſcentem elidat: Beatus vir, proclamat Ieremias, [m] cùm portauerit iugum ab adoleſcentia, ſedebit ſolitarius & tacebit, quoniam leuauit ſuper ſe. Deo ſtatim traditus, priuſquam vel minimas cupiditatum ſordes anima contraxit; ſui primitias offerens, [n] primitias ſpiritus recipit; totum ſe dans, totus in diuina transformatur, & effertur ſupra ſortis humanæ conditionem. Hæc eſt vera ingenuitas, vera vita innocentiæ primordiali proxima, nunquam ſubiiſſe mortalis peccati, ſeruitutem & plagas: dulciſſimum, vtiliſſimum eſt ſic maturè conuerſo diutius tota vita rectè compoſita frui: quis dubitet ab his fœlicibus initiis longè maiores fieri profectus virtutum, cùm illis impendit anima omne tempus, omnes vires ſuas, quas cæteri partiuntur in extirpandis, quos contraxerant, vitiorum habitibus; Plus amat Deus [o] innocentem quàm pœnitentem æqualis charitatis, plus amans plures confert gratias, quibus anima capacior, expeditior effecta, diuina magis promeretur, recipit, aſſurgit in immenſum ſupra valles ſæculi, hoc poſito vocationis ſuæ fundamento [p] in montibus ſanctis.

[m] Thre. 3. 28.
[n] Roman. 8.
[o] D. Tho. 1. q. 20. a. 4. ad 4.
[p] Pſal. 86.

Parentes infirmos ſuos fœtus, amant, fouent, educant.

Lex 17.

LEgem præcedentem præmiſimus ad probandum eſſe debilia rerum initia, internis externiſque caſibus expoſita, & tamen talis momenti, vt ex illorum bona conformatione pendeat omnis qui ſperatur per ætates profectus. Hinc facile iudicium, naturam optimam quæ non deeſt in neceſſariis, quæ malis vrgentibus opportuna prouidet remedia, huic etiam naſcentium infirmitati valido conſuluiſſe ſubſidio. Longè petendum non fuit, quia fragilis hæc entitas ſimul vt exiſtit foueri vult, nec ſuſtinet vel ad momentum ſibi relinqui; præſens igitur debet eſſe, etiam prouidum vt nociua caueat, potens vt ab irruentibus ſe vindicet, conſtans ne labore deterreatur, ſed cœptum educationis opus ad perfectum adducat. Has omnes diuinæ bonitati proprias conditiones implet parentum amor, nam cùm illi militent paſſiones omnes, illarum iunctis viribus, arte, dolis, fortitudine difficilia quæque ſuperat, prolemque ſeruat incolumem.

Inſignis eſt parentum amor pro fœtus ſui tutela.

§. 1.

DIximus [q] innatum eſſe dulcem & vehementem amorem maris & fœminæ; in illum animal extra ſe ferri raptu quodam, quia cùm intendat vniuerſale bonum, ſcilicèt propagationem ſpeciei, ſingulorum arbitrio liberiori relinquendum non fuit. Ineſt voluptas, non vt finis, ſed vt condimentum quo neceſſarios ſuos omnes actus perfudit indulgens natura; nam imperium ſuum ſic temperat, vt agentia ferantur ardenti deſiderio in id quod iubet, operiſque laborem compenſet & fallat mira dulcedine. Voluptatem non eſſe cauſam coniunctionis maris & fœminæ, ſed eſſe medium, & velut inſtrumentum quod opere perfecto deſeritur, patet in eo quòd animal omne cùm fœtum edidit, vt illius educationi totum impendatur, abſtinet à venere; perit ſtatim omnis illius ſenſus, extinctuſque qui vehemens

[q] Supra l. 15. §. 3.

mens fuerat ardor, ne ſcintillas quidem aut fumos emittit. Tunc mas & fœmina ſexum ignorant, & prius per coniugium videntur vnum effici, vt deinceps vnum ſint, collatis laboribus in prolis educatione. Amor ſexus cedit amori fœtus vt potentiori qui parentis vtriuſque vota in ſe velut in centrum confluentia, miſcet, vnit, tota in ſe conuerſa, ſibi penitus addicit.

Liberorum amor cœlitùs naturæ illigatus eſt, & planè ab aurea illa infractaque pendet catena, quam natura perpetuo contexens, & deſcedentibus naſcentia coniungens, ne in nihilum relabatur, ſibi cauet. Hunc amorem abſolutiſſimum, verum, ſincerum exiſtimant philoſophi, [r] quia bona congerit, onera fert, prouidetque liberis, nihil ab illis ſperans, nihil recepturus, ſolâ ſuâ gaudens beneficentia. Imitatur cauſas ſuperiores, quæ cùm ſint inalterabilis ſubſtantiæ, ſimul & inexhauſtæ bonitatis, nihil à nobis accipiendo in nos dona ſua immenſâ quadam largitione profundunt. Mirandus hic amor in parentibus, qui licèt non habeant vt Deus & cœlum, vim immenſam, ſed limitatam, & nimio labore deficientem, indefeſſum tamen habent affectum prolem ſuam iuuandi etiam vitæ ſuæ periculis & cum ſubſtantiæ ſuæ detrimento: plantæ ſuam tranſfundunt in ſemen, vt impleatur & diteſcat, marceſcunt. Viperas [s] prægnantes abiicere oportet, quippe virtutem ſuam pro prole abſumunt. Animalia cætera videmus dum prolem educant, macie confecta, vrgentur fame, & tamen eſcam ori ſuo iam appoſitam, iam libatam, licèt guſtu proritante ſibi negant, & pullis offerunt: ſic Plato [t] pingit nudum amorem, quia ſpoliat ſe bonis omnibus, vt his amatum inducat & ornet, non culpandâ profuſione cùm in eo ſit & viuat amans; cur enim eius gratia bonis ſuis parcat, qui vitæ ſuæ non parcit.

Liberis oculis nec vittâ obductis eſt hic amor, quippe vigilantiſſimus parentes in perpetuis habet excubiis, incubat vna, dum alia venatur eſcas, mira in earum diſtributione iuſtitia [v]; mira ad præcauendas & auertendas iniurias, ſolertia, quæ vel exercitatos in inueſtigandis auium nidis & ferarum cubilibus agricolas fallit. Nam ſi tam prouidæ fuerunt in illis occultandis, ſtabiliendis, ſtruendis dum adhuc furerent in venerem, & ſolo voluptatis ardore, videbatur eorum phantaſia detineri, ſi ſic in futurum ſunt ingenioſæ, laborioſæ, quid non agent in præſenti, cùm chariſſimæ prolis conſpectus, & infirmitatem teſtata vox, amorem in auxilium aduocarit: quanto ſpiritu, quantâ feritate prædam venantur; quantis artibus, per ſinus & anfractus intentos etiam fallentes oculos ad notum cubile perueniunt? quantâ profuſione paruulos implent, ne gemitu ſe prodant; quantis dolis ad eos venientes, auertunt? ſi quis ad nidum perdicis [x] accedat, procurrit ad pedes fœ-

[r] Plutarch. lib de amore parentem.

[s] Mathiol.

[t] In conuiuio.

[v] Vidæ l. 8. ſupra.

[x] Plin. lib. 10. c. 33.

ta prægrauem aut delumbem ſeſe ſimulans, ſubitoque in procurſu, breui aliquo volatu cadit velut alâ fractâ, procurrit iterum, iam iam prehenſurum effugiens, ſpemque fruſtrans donec abducat à nido. Imbelles etiam & infirmæ fortes fiunt, cùm agitur de prole vindicanda, inuolant aues, ſæuiunt feræ in raptoris etiam potentioris læſionem; furor eſt, nam oblitæ ſui præcipites ruunt in pericula. Tygris mater [y] videns catulos ſuos à nauigante venatore aſportari, ſe præcipitem dat in mare; Pullo Elephanti [z] in acie vulnerato, mater ad vindictam exiliens, turbauit exercitum: Hinc Plato [a] præcipiebat, liberos cum parentibus ad bellum procedere, vt certantibus animos adderet prolis amor, & vt pater plurium vitam agens, multiplicatis viribus ſibi pugnandum intelligeret.

[y] Solin. c. 25.
[z] Florus lib. 1. c. 18.
[a] lib. 5. de Republ.

Tandem hic amor conſtans eſt, nec vnquam deficit, quamdiu poteſt prodeſſe: aues & feræ partus ſuos aſſidua fouent tutela donec auctis viribus, ſibimet prouidant; infantes alunt, fortiores deducunt & comitantur, vocibus ſibi propriis & naturaliter intellectis monent de præda impetenda, de hoſte veniente, aut fugiendo, aut fortiter excipiendo, ad vtrumque ad dolos & certamen exercentur, gratiſſimo ſpectaculo dum parentes iam ætate prouectæ, laſciuiunt cum ſuis iuuenibus, ſeu tradendæ cauſa diſciplinæ, ſeu transformans amor, id ab illis exigat. Hòc affectu pueraſcens Ageſilaus [b] viſus eſt arundine pro equo conſcenſâ cum puerulis ſuis ludere, ſed rogauit hoc ſpectantem, ne id aliis referret, donec ipſe filios habens experimento diſceret, qualis ſit parentis in paruulos affectus.

[b] Plutarch. in Ageſilao

Ardentior & firmior hic eſſe debet in homine, quàm in cæteris animantibus, nam inſtinctui ad id naturali iudicium accedit, ſcilicet reflexa cognitio, quâ fruitur hac viua ſui imagine, ſpes ſuæ poſteritatis concipit, videt quis futurus ſit laborum ſuorum fructus; amat amorem ſuum, qui mutuo coniugis & liberorum amore ſimul inardeſcens, tot reflexionibus dici non poteſt quantùm accreſcat ſibi. Videt pater ſingularem ſuam exiſtentiam in liberis velut reproductam, & multiplicatam, vnitate ſeruatâ dilatatam, ſic amor ſui à ſe non recedens, ad extra tamen negotiatur; ſuis artibus & conſiliis explicandis anguſta nimis erat vna perſona, vnicaque ſtabilienda fortuna, itaque gaudet habere plures ſui viuas imagines, velut ampliorem materiam in quam prouocatus amor plura conferat.

Talem ſupponunt leges parentum amorem, maximum, ardentem, cæteros excedentem. Vnde ſi pater [c] pro vlciſcenda morte filij aliquem falsò accuſauerit, detergit calumniæ notam amor, ita vt illi non importet infamiam: exhæredati liberi [d] præſumuntur ingrati, niſi probent ſe gratos, at pater exhæredatus præſumitur gratus, niſi probetur ingratus. Si accuſatus de morte filij [e], ſibi manus intu-

[c] l. fin. ff. de publ. iudic.
[d] l. 28 C. de inof. teſta.
[e] l. 3. §. 5. ff. de bon. eor. qui ante ſentent.

lerit, cenſetur id feciſſe dolore amiſſi filij, ſic eius bona non publicantur. Tam intoleranda videtur illi mors filiorum, vt huic dolori lex remedium quæſierit per adoptiones, extraneos in defunctorum locum ſubſtituendo. Generaliter patris & filij eadem cenſetur eſſe perſona, [f] is videtur in agro remanere colonus cuius filius remanet, & iniuriæ [g] filio illatæ, actio patri competit. Ita læſus à filio velut à ſeipſo, facilis eſt ad veniam; pater prodigum ad ſe reuertentem benignè nihil improperans excipit, Dauid vitæ & coronæ ſuæ inſidiantem filium, intactum eſſe præcipit, intus eſt [h] enim in patris pectore qui interuenit & exorat affectus, vrgentur patris viſcera, iterùm filium genitura per veniam.

[f] l. vlt. C. de impub. & al. ſubſt. l. 22. C. de agric. cenſ.
[g] §. patitur Inſt. de iniur. Vide ſupra. l. 9. §. 2.
[h] Chryſol. ſer. 1.

Matris tenerior & intimior eſt affectus.

§. 2.

MVtuò ſe iuuant, præueniunt, in vnum concurrunt velut æmulâ concertatione duorum parentum affectus in exhibendis proli ſuæ pietatis officijs, indiſtincta videtur amborum cura, tamen experimur teneriorem eſſe, & eſſentialem magis matris amorem. Mas enim definitur [i] qui in alio, fœmina quæ in ſe generat; hæc igitur quod à mare recipit ſuum efficiens, [k] prolem velut eſſentiæ ſuæ partem, vt corporis ſic affectus arctioribus vinculis colligatam, propriamque ſibi vindicat. Hinc inter animalia quorum vagus eſt concubitus fœmina fœtui ſola prouidet; in cæteris in quibus alendæ proli, parentis vtriuſque cura deſideratur, mas accedit tantùm vt adiuuans fœminam, cui principalis agentis titulum ſic affectum intenſiorem, hoc in opere natura concedit. Ita videmus inter aues fœminam nocte dieque tota ouis incubantem, horâ vnâ vel alterâ circa meridiem exceptâ, quâ mas in eius ſubit locum, vt ardore, ſiti, fame confecta paululum reficiatur, tum hæc impatiens moræ redit ad propria, nidoque marem velut extraneum excludit non ſine gratulatione præſtiti ſubſidij. In omni falconum & accipitrum genere, cùm edaciſſimi ſint pulli, quibus amore præcipuo prouidere debet mater, etiam ipſa marem plurimum autecedit corporis magnitudine, virium & ardoris præſtantiâ; nam cui natura pro prole ſingularem dedit affectum, vt illum impleret, fortitudinem & arma conceſſit.

[i] Ariſt. de gener. anim. l. 1. c. 2.
[k] §. 32. Inſt. de acq. rer. domi.

Finem eundem, modo tamen contrario, prouidentia ſibi proponit in homine: nam cùm eius excellentia non in corporis, ſed in animi viribus conſiſtat, & is temperamento omnium delicatiſſimo primum viuat

Digitized by Google

ex ſenſibus, matri ad teneris ætatis educationem, optimè prouiſum eſt, fœminis ideò calor copioſus à natura negatus fuit, ne ſanguis partui neceſſarius ab illo calore abſumeretur, & ne ad actionem promptiores, minùs vacarent domeſticis: aſſiduas igitur circa pueros natura duplici tenet vinculo, amoris & complexionis, hiſque conſentiunt humanæ leges, [m] quæ propterea fœminas remonent ab omnibus publicis officijs: ad hæc etiam mens earum non videtur ſatis firma; his impl ca entur periculoſè dum geſtant vtero, dum lac præbent pueris, à quibus diuelli ſupplicium eſſet. Indulgetur ergo vtiliſſimæ ad bonum publicum infirmitati; indulgetur matri dum non abducitur à tutela ſibi commiſſa paruulorum, quos plus amat quàm pater, ſuos enim ipſa cognoſcit, pater putat, vnde partus ventrem ſequitur, & cùm aſtrologi ſumant ſignificationem Patris ex quarta cœli domo, aſſignant matri decimam medium & verticem cœli, vnde validior perpendicularis influxus, & vnde totius gen turæ fundamenta colligunt, ſi Manilio creditur, quaſi præcipua ſit ad nati conſtitutionem & conſeruationem, mater.

[m] l. ff. de reg. Iur.

Certè culpanda non eſt natura quòd hominem inter animantia præcipuum naſci voluerit infirmiſſimum, illum enim ſimul amori materno potentiſſimo, vigilantiſſimo, & vitam naſcentem vitæ perfectæ commiſit. Amat mater ſtatim à conceptu, [n] alio quam oculorum ſenſu fœtum ſuum agnouit, quot in vtero naturæ, tot in corde fuerunt amoris motus; plus diligit quem diuturnis doloribus tulit, peperit, ſuum effecit; arctius enim complectimur quæ laborioſè comparata ſunt, & ſic amor ille matris, conſcientia, antiquitate, pretio, præcipuus eſt. Sed cur Ariſtoteles, [o] inquirit rationem eius amoris qui non conſultat, qui fertur ſolo naturæ ſapientis ductu, ſibimet cauſa: cæteris exemplar, cum ſit eſſentialis & idæalis amoris, propter ſe cuncta fouentis, prima deſcriptio.

[n] Ariſt. moral. nicomach. lib. 8. c. 12.

[o] Id. dicto loco.

Amoris illius primigenij miri & ſtupendi ſunt effectus, primus quidem quod mater, delicata, infirmi temperamenti, volens tamen exponat ſe grauiſſimis partus doloribus, vt quoties de partu, toties de funere ſuo cogitet. Quod ſi quis exſecto matris vtero naſcatur, [p] venit tamen ad legitimam matris ſucceſſionem, vitam & hæreditatem dat illi pro ipſo moriens mater, etiam conceptis votis fœlicitatem omnem, quam alias ſperare debuerat, in illum tranſfundit; propterea notant [q] auſpicacius pueros naſci enecta parente, ſicut Scipio Africanus, primuſque Cæſarum à cæſo matris vtero ſic dictus, & Manlius qui Carthaginem cum exercitu intrauit. Id videtur exprimere charitatem Chriſti domini qui morte ſua crudeliſſima vitam nobis & gloriam promeruit, vt parentem ſuum homo plus diligeret illi vita libertaſque per horrentes plagas fuit reſtituta. Si fuerit partus innoxius

[p] l. 1 §. 4. ff. ad S.C.Tertilian.

[q] Pl n. lib. 7. c. 9.

Digitized by Google

mater [r] non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Ab his initijs amor eius vbique ſe profert ſollicitus de recens nato, miratur, complectitur, oſculis, voce motibus delinit, flentis dolores coniectat vt ſedet; adeſt ad minimas queruli voces, lædentia remouet, grata, pulchra quæque miniſtrat, ambit teneros affectus etiam infirmitatis ſimilitudine, fractiſque vocibus & geſtibus, vt balbutienti complaceat, repuareſcit.

Si decedat pater pupilloſque relinquat orphanos, inſignis eſt amor qui matrem, vt illis conſulat, non permittit ad ſecunda vota tranſire; qui procis omnibus dat repulſam, & deſiderium abſentis mariti præſentium paruulorum complexu temperat. Non licet quidem [s] defuncto, vxori perpetuam indicere viduitatem, ſed licet quædam legare ſub ea conditione, vt non nubat antè pubertatem filiorum, quia tunc magis cura liberorum, quam viduitas iniungitur, quod lex cœlia ſentia non permittit marito morienti, id conceditur amori matris, quaſi non minus proſit Reipublicæ curam agendo liberorum quos ſuſcepit ex primo matrimonio, quam ſi plures haberet ex ſecundo. Tunc licèt fœminæ à publicis officijs remotæ ſint, poſſunt tamen [t] filiorum curam gerere, quaſi lucem & fortitudinem negotijs peragendis neceſſariam, amor ſuppleat. Ad id etiam admittuntur licet debitrices aut creditrices filiorum, [v] cum cæteris omnibus prohibeatur pupillorum curam gerere, ſi res eorum habeant obligatas, cenſetur enim mater res filiorum præponere. Quod ſi tutelam non gerat, [x] contra voluntatem eius tutor dari non poteſt. Si alimenta filijs dederit, [y] ſi captiuos ab hoſtibus redemerit, cenſetur id feciſſe cauſa pietatis, non animo repetendi, nec enim videtur bonis parcere, qui vitæ ſuæ non parcit pro filijs. Cum mater falſo mortis filij nuntio mœſta domi ſederet, ad primum conſpectum redeuntis exanimata eſt, quia matris amantis anima, volens vnum fieri cum filio amato, illicò ſpiritus omnes ad illum tranſmiſit, quibus ipſa deſtituta, interijt. Hæc raptu quodam, at conſultò Agrippina quæ [z] cum Chaldæos conſuluiſſet de Nerone, reſponſumque fuiſſet regnaturum; ſed matrem occiſurum; occidat, inquit, dum imperet, putabat ſe cæſam, etiam in filio fore ſuperſtitem, & regnaturam. Fuit iuſtior Sanctiorque [a] pietas matrum, quæ vt filios ſuos cœlo parerent, illos ſeque ſimul martyrio conſecrarunt.

Si nunc deſint occaſiones ſic amorem naturalem in diuinum tranſferendi, ſaltem pueros votis ſanctos efficiat pia mater, pietatis rudimenta tenellis animis inſtillando; debilis ætas cogi neſcia diſcat inter blanditias elementa fidei, diſcat Deum inuocare vt primum patrem, creatorem, ſaluatorem, glorificatorem; diſcat ab eo cuncta pendere; diſcat puer propoſitis præmijs non poſſe ſe melius matris

[r] Ioan. 16. 21.

[s] l. 62. ff. de condit & demonſtr.

[t] Auth. matri. C. qdo mul. tute. off. fungi po.

[v] l. 19. C. de excuſ. tutor.

[x] l. vn C. ſi contra vol. mat. tut.

[y] l. 2. C de neg. geſt. l. 17. C. de poſtl. reuer.

[z] Sueto. in Nerone.

[a] Vide ſupra l. 12. § 4. in fine.

Digitized by Google

affectus promereri ; quam ſollicita erga Deum deuotione. Altè deſcendunt & velut in naturam tranſeunt tales habitus, diuque contrarijs quos mundus inducere tentat, reſiſtunt. Certabit meritò mater cum patre an plus contulerit ad rectam filiorum inſtitutionem, cum illius dederit fœlix initium, vnde pendent ſequentia.

Vide ſupra l.16.§.5.

Matres nutrices filiorum.

§. 3.

TErra magna mater cœlo prægnans, quas parit plantas alit humore vnicuique congruo, velut tot illi ſint vbera, quot partus, vnde multimammiam vocauerunt antiqui. In viuentibus, vt natura perfectior eſt, ſic amor erga prolem intenſior, parientium circa prolis educationem, cura ſollicitior. Inſecta oua ſua forti lanugine tegunt contra cupiditatem auium & frigoris iniurias & quia vix durant in annum ſequentem vt parentis officio fungantur, hos ſuos partus Soli relinquunt fouendos. Piſces oua ſua ſimiliter proijciunt, electâ tamen in aquis tranquilliori regione, in qua poſſint ſecurius educi. Hic eſt inferior & ignobilior parentum erga prolem affectus. Aues oua quidem pariunt, ſed nidis aptiſſimè contextis, intrà mollibus reponunt, incubant, editos fœtus indicibili ſolertia fouent, alunt, ducunt, & quæ ſuæ ſunt perfectionis docent. At in viuiparis quadrupedibus materni ſanguinis portio defæcata, & nullo contaminata vitio, cum primum fœtus mouetur, in mammas concedit, vt naturæ mutationibus in lac conuerſa, recens nato partui familiare & conueniens ſuppeditet alimentum. Sentit abundantiam ſuam mater, & repoſitum à natura nectar, vt fundat, turgentis, tenſique vaſis dolor premit; exonerari, voluptas ſimul, & egentium paruulorum amor inuitat.

Alijs animalibus [b] infra ventrem vbera jacent, mulieri ſupernè ad pectus naſcuntur, vt in promptu ſit oſculari, amplectique & fouere infantem, nimirum quia pariendi & alendi finis eſt, non neceſſitas ſed amor; tota & integra mater eſt, quæ quos peperit, ſuis alit vberibus [c]; imperfectum autem & dimidiatum matris genus peperiſſe, ac ſtatim ab ſeſe abieciſſe; aluiſſe in vtero ſanguine ſuo, neſcio quid quod non videret, non alere nunc ſuo lacte, quem videt iam viuentem, iam hominem, iam officia matris implorantem parum abeſt ab abortus crimine: mammarum bicipitem fontem ſanctiſſimum corporis, humani generis educatorem, arefacere & extinguere; partum iam perfectum, iam genitum, iam filium, proprij conſueti, cognati

[b] Plutarch. lib. de amore prolis.

[c] Gellius lib. 12. cap. 1.

ſanguinis alimonia priuare: ſicut enim valet ad fingendas animi, atque corporis ſimilitudines vis & natura ſeminis, ſic ad eandem rem lactis quoque proprietas valet. Vt videmus arborem lætam & nitentem, in alium locum tranſpoſitam deterrimo terræ ſucco deperiiſſe; ſic ita corpus & animum ingenitis benignè primordiis inchoatum, degeneri lactis alimento corrumpi.

Qui filios ſuos aliis nutriendos tradunt, vinculum illud, coagulumque animi atque amoris quo parentes cum filiis natura conſentiunt, interſcindunt, aut certè diluunt, deteruntque, nam cum infantis facta eſt ex oculis amolitio, vigor ille maternæ flagrantiæ paulatim reſtinguitur; infantis etiam affectio, in ea ſola vnde alitur, occupatur, abolitis ita naturæ pietatis elementis qui ad parentes fertur amor, non naturalis, ſed ciuilis & opinabilis eſt. Hinc ſæpe degeneres filii, & tot maiorum titulis parta nobilitas deperit, pueris non heroico, non caſto, ſed improbo fortè turpique ſanguine, non affectu ſincero, ſed fucato enutritis. Hiuc vitio Quintilianus [d] adſcribit corruptam ſuo ſæculo eloquentiam: Inde bellicæ ſuæ fortitudinis defectum timebant Germani [e] qui propterea partus alienis nutricibus alendos non delegabant: hinc timebant degenerem probitatem Patriarcharum fœminæ, quæ licet eſſent velut reginæ, filios tamen propriis lactabant vberibus. Si ad corporis conſtitutionem ferè tantùm confert, naſcentis ætatis alimentum, quam ſemen, in matre adulterii quædam ſpecies eſt, in marito lenocinii, alienum ſanguinem ſuo miſcere, aliena nutritos ſubſtantia, quæ primæuam debilem diuturnitate diluat, pro ſuis agnoſcere; Pudeat Chriſtianas mulieres minus eſſe continentes feris animantibus, quarum fœminæ, quandiu fœtus habent alendos, maſculum neſciunt, fugiunt, horrent.

[d] Dialogo. de oratorib.
[e] Tacit. de morib. germa.

Ad Patrem pertinet præcipua liberorum inſtitutio.

§. 4.

MAter impleuit debitæ pietatis officia, quæ conceptum vtero, ſollicitè ne læderetur geſtauit, editum fouit, ſuis aluit vberibus, ad virtutis & pietatis regulam tenellos mores prima finxit, prima dedit Chriſtianæ pietatis rudimenta, ſed matrem domi ſemper manentem diu non fert ignita puerorum indoles, diſcurrendi cupida; euolat è reſidentis ſinu, & niſi prouideas, peruerſa vitium conuerſatione, nouiter impreſſa virtutis facies obtunditur. Timendum ne naſcens ratio temerè velit, vt de naturalibus, ſic de diuinis ferre iudicium, &

Digitized by Google

compoſitos ad pietatem mores inter puerilia reputans; ea vanitas præclarum æſtimet, cum prætexta deponere.

Parum eſt dediſſe vitam, ad bonum & malum indifferentem, niſi bonam effecerit inſtitutio, nam ea deficiente malę nati, ipſo ſui pondere ruunt in omne dedecus; benè nati, etiam deteriora ſequuntur, nam magna ſcelera non ex vili natura, ſed ex generoſo genio, mala educatione corrupto prodeunt. Propterea maturè puerorum fortiter inſtituendorum curam pater ſuſcipiat, pro conditionis ſuæ ratione, ſi liberalis ſit, magiſtris tradat educandos procul à domus delitiis & licentia, illoſque ſic è fouentis matris ſinu raptos, ſolidioribus ſecunda nutriat ablactatione. Sic autem aliis formandos tradat, vt ipſe ſemper inuigilet eorum profectibus, diſcenda, remouenda præcipiat, decurrentis per ætatum gradus diſciplinæ primus motor.

Cœlum ſub diuinarum mentium ductu,[f] ſic nobis præſidere dicunt Platonici, vt corpus in corpora, mentes in animas influant: primus hic à Deo conſtitutus generationum pater, ſignificat officia patris erga liberos, qui cum corporeæ ſimul & ſpiritualis naturæ ſint, vtrique debet prouidere; Tenetur enim alimenta filio præſtare[g] pro modo facultatum, ſi adeſſe ſibi non poſſint, & vt poſſint, tenetur eos artes docere; vnde Solon[h] apud Athenienſes lege ſancinit filios non teneri patri ſeniori alimenta præſtare, ſi non illos artem conuenientem docuiſſet. Impeditur arrogatio,[h] ſi arrogans alios liberos habeat, quos iuſtis nuptiis procreauit, ne illorum diminuatur ſpes, quam vnuſquiſque liberorum obſequio ſibi parat. Huic naturali pietati etiam cedit ea quæ verſari videtur circa res diuinas vnde non licet parentibus[i] ingredi religionem, niſi prouiſum ſit ab illis vt filij educari poſſint: D. Auguſtinus[k] hæreditatem Eccleſiæ relictam, exiſtentibus teſtatori filiis recuſauit, quicumque, inquit, vult exhæredato filio hæredem facere Eccleſiam, quærat alterum qui ſuſcipiat, quàm Auguſtinum, imo Deo propitio neminem inueniet. Etiam filii naturales[l] alimentari debent; etiam adulterini ne partus pereat, ne culpa natos matris inſontes trahat. Dicuntur naturales, eo quod illos natura genuit, non honeſtas coniugii, at ex lege naturæ natis debentur alimenta, & licet adulterini non videantur partes Reipublicæ, nutriri debent ſicut in humano corpore, calli, verucæ, tophi, qui non ſunt partes corporis, viuunt adhærentes viuenti. Actionem igitur habent illegitimi pro alimentis ſibi præſtandis, ſicut legitimi[m] pro vindicanda parentis hæreditate, ſi ſine cauſa præteriti aut exhæredati fuerint.

[f] Marſ. Ficin. lib. de vita cœl. comp. c. 21.

[g] l. Fin. C. de Alend. liber.

[h] Plutarch. in ſolone.

[h] l. Nec ei ff. de adoptio.

[i] D. Tho. 22. q. 189. a. 6.

[k] Serm. 49. de diuerſis habetur. can. quicũque 17. q. 4.

[l] Auth. licet C. de natur. liber.

[m] l. 3. & 5. ff. de inof. teſtam.

Rarum id eſt in familiis malum, nam ad quærenda natis fortunæ bona, ſic ſæpius ardent parentes, vt modum excedant, & pietatis titulo impiè ruant in cupiditatem quæ eſt radix omnium malorum. Si tam

Digitized by Google

tam peſtilens eſt pietas, & tam nocens, inquit Saluianus, [k] nec amare expedit, nec amari, quia nec parentes amorem debent appetere ſibi noxium, nec filij deſiderare parentibus obfuturum. Grauis eſt etiam filijs, qui pernicioſas illis parit hæreditates, & illos inter improbiſſimum quæſtum improbè educat; cùm his potiſſimum debeat pater bonam inſtitutionem, quæ ſumma fœlicis vitæ ducendæ, etiam fortunæ conciliandæ hominibus ars eſt.

Quanta peruerſitas, inquiebat Crates, tantis laboribus bona liberis quærere, nec curare quales filij ſint hi, qui talibus ſunt vſuri, vt ſi quis pedem negligens magnam gereret curam de calceo. In auibus cum ſoli mares canori ſint, ipſi docent pullos ſuos ſimiliter, & ex naturæ ſuæ regulis modulari; In humana ſpecie viro, cui à virtute nomen eſt, cui mens contingit in temperamento ſicciori & calidiori ad contemplationem, ſcientias, artes, virtutes aptior, ad fortia præſtantior, etiam competit talibus filios inſtituere. Illis tradere debent facem à maioribus acceptam, in poſteros per manus mittendam, vt poſſit tum Eccleſiæ, tum Reipublicæ ſplendor eſſe perpetuus. Ideo iure ciuili [l] non mulier, ſed vir habet filios in poteſtate, hunc Deus liberorum Dominum conſtituit, inquit D. Chryſoſtomus, [m] vt ipſorum, velut chariſſimæ ſuæ poſſeſſionis curam ageret, bonum animi, quod præcipuum eſt, illis procurando, & vt nulla tegerentur excuſatione, ſi bonos non faciat, cum teneros, ſubditos, ad omnia flexibiles illi prouidentia conceſſerit.

Tam neceſſarium eſt id officium, vt velut vni non ſatis habeatur fides, patri patrinum ſubſtituit Eccleſia, [n] ſicut ad vitæ perutiles functiones obeundas, natura bina membra conſtituit. Parentes igitur filios ſuos, & patrini eos quos de fonte lauacri ſuſceperunt erudire ſummopere ſtudeant; Illi, quia eos genuere, & eis à Domino dati ſunt; iſti verò, quia pro eis fideiuſſores exiſtunt. Ad id etiam mouentur intereſſe proprio, laus enim filiorum reflectitur in parentem, velut radius in ſuum ſolem. Corona ſenum filij eorum, inquit ſapiens; [o] ſic vt diximus, [p] tres fratres vna die in diuerſis certaminibus olimpiæ victores, reportatas coronas capiti communis ſui patris impoſuerunt; ſic Conſul Romanus [q] filium in bello & triumpho ſequutus, ſpectatus fuit, non vt acceſſor, ſed vt author gloriæ; ſic parentes decurionum [r] fruuntur eorum priuilegiis; ſic Nero [s] cum adhuc honeſtè ageret effigiem Cn. Domitio patri, petiuit à Senatu.

Sed ô facinus, [t] ſi parentes dum plus æquo temporalibus bonis incumbunt, talia doceant filios; ſi non eos inſtruunt, ſed peruertunt, infundendo teneris animis violentum amorem diuitiarum, gloriæ, vanitatis. Quomodo poterit iuuenis vndarum moles euadere, cunctis impellentibus atque mergentibus conſilio & exemplo: patrem

[k] [illegible] Eccl[illegible] Catholic.

[l] Inſt. de patr. poteſt.

[m] lib. 3. contra vituper. vitæ monaſt

[n] Capit. Caro. Magni lib. 2 c. 46.

[o] Prouer. 17.

[p] Supra § 2.

[q] Val. Max. l. 5. c. 7

[r] l. 9. [illegible] pœn.

[s] Tacit. [illegible] annal

[t] D. Chryſoſt. lib. 3 cont. vitup. vitæ monaſt

non facit generatio, improbos enim filios, velut non ſuos abdicant; ad bene viuendum minima portio eſt viuere; quid ſi vitam boni malique communem materiam in malum educatione peſſima detorqueant, quam alienum eſt patris nomen ab impietate quæ liberorum animas æternis addicit ſuppliciis. Miſeri non magis in parentum patrimonia quam in vitia ſuccedunt; antequam habeant in dominio res paternas, habent in animis ipſos patres; antequam habeant illa quæ falsò dicuntur bona, antè habent illa quæ verè probantur mala, creuerunt inter execrationes parentum, qui diuitias, honores, vitiorum incentiua, illis & optarunt, & miniſtrarunt: cum iudicij dies venerit, dicent, perdidit nos aliena perfidia, patres ſenſimus parricidas. Melius amari non poſſunt filij, quam ſi amentur vt Deus conſtituit, & in eo ipſo qui dedit vt amentur, ſic enim præcipit, [u] vt patres tradant mandata Dei filiis ſuis, & ponant in Deo ſpem ſuam, non obliuiſcantur operum Dei ſui, & mandata eius exquirant, hæ ſunt opes quas debent parentes filiis ſuis parare, vnde ſi ſunt diuerſæ religionis [x] ei tradendi ſunt educandi qui fidem orthodoxam ſequitur. Tunc proderunt diuitiæ, cum venerint in manus pauperum ſanguine non madentes, quæ nec iras in ſe Dei hominumque iniuſta poſſeſſione concitent, etiam in poſteros transfuſa maledictione.

[u] Pſal. 77.

[x] l. 12. Cod. de hæret. & manich.

Nata beneficas ſibi cauſas agnoſcunt.

Lex 18.

AD cauſæ dignitatem pertinet eminere ſupra rerum quibus influit & ſortem & conſpectum, vt hanc nec natura, nec cognitione poſſint aſſequi In Theologicis eſt clariſſima caligo [y] & per aſpectus priuationem & ignorationem, vere cognoſcimus eum qui omnium quæ ſunt, eſſentia ſuperior eſt; ſydera tacito ſupernè labentia cœlo, velocitatem ſuam ſub ſpecie ſtantis atque immoti operis abſcondunt, ſingula in opere ſunt, plurima tamen latent, cætera obſcuro gradu & per occultum aguntur; formæ, qualitates internæ, motrices, & vniuerſi rectrices intelligentiæ humanos fugiunt oculos; Religionis veritates, Principum conſilia, ſcientiarum & artium certiores regulæ, ſunt in myſterio, vitales corporis partes, tunc cum ſanæ ſunt, & probè ſuis funguntur muneribus, non ſentiuntur; ſic, vt diximus, [z] cauſæ ſuperiores, inſciis, etiam ingratis & inuitis inferioribus ſua donant; Id autem ita fit, cum hæc inferiora nihil

[y] D. Dionyſ. de myſt. Theol. cap. 2.

[z] Supra l. 9.

conferunt ad actionem, & paſſiuè tantum habere ſe debent ſub influxu dominante; at vbi cauſa ſecunda coagit, etiam neceſſe eſt agentem ſuperiorem agnoſcat, vt illi poſſit eſſe conſentiens & conſona. Duplici ratione, primò vt oblatam expoſitamque largitionem opportunè recipiat; ſecundò vt cauſam, gratitudine quadam efficiat in ſe benigniorem, impleatque hoc in opere quod ſuum eſt. Sic viuentia quibus à natura datus eſt motus, vt a debilibus initiis ad ampliores profectus ſe promoueant, agnoſcunt beneficas ſibi cauſas, illis venientibus occurunt, auida boni cupiditate; etiam ex ſe liberales prouocant, ne deſit hæc beneficentia, in quam itur duplici dantis & accipientis motu.

Omnia conuertuntur ad cauſas ſibi profuturas vt ab illis accipiant.

§. 1.

PLato [a] conſtituit amorem in chao, ideſt appetentiam boni in natura nondum habente perfectionem, ſed vndè affulget & haberi poteſt auidis in eam affectibus propenſa. Nitetur illam ſibi comparare propriis & innatis viribus dum feret ætas, vt proximè dicetur libro ſecundo, Interim quæ naſcendo debilia ſunt, & quibus natura motum negauit, agnoſcunt cauſas vnde bonum conueniens poteſt illis contingere, in illas propendent, & ſua patefacta neceſſitate benignitatem inuocant Sic Athenis [b] erat imago terræ quaſi fœminæ, ſupplices in cœlum manus tendentis, vt obtineret imbres, qui ſi deficiant, iacet infœcunda. Sine ſimulachro, dum vrget ſiccitas, terra ſquallore ſatis teſtatur indigentiam ſuam, & quot hiant rimæ, tot ora pandit quibus implorat cœli humentis indulgentiam. Semina norunt intra terram, & procul à ſuperficie quam ſolis calor decoquit, eſſe repoſitum humorem quo vegetent; Illic ideò ſtatim mittunt radices, licet hi, quibus pleni ſunt, ſpiritus, naturali ſuo motu, & à cœlo tracti, ſuperiora primum deberent petere. Helyotropia ſolem ſuum ſequutur; cæteri flores coram illo blandè reſolutis foliis, apertoque ſinu, illabentem ad interiora ſua vim eius excipiunt. Potiſſimum lothos herba in Euphrate naſcens, [c] tanto ſolis tenetur deſiderio, vt eum non ſolum noſtro hemiſpherio fulgentem, ſed in alium orbem deportatum, quantum licet, ſequatur, nam caput & florem veſpera mergit, vſque ad medias noctes, totaque abit in altum vt ne dimiſſa quidem manu poſſit inueniri, hinc paulatim ſubleuata, ad ortum ſolis emergit extra aquam, flore plurimum circa meridiem ela-

[a] In conuiuio.

[b] Pauſanias in atticis.

[c] Plin. lib. 13. cap. 19.

Digitized by Google

to. Quid in vmbra plantæ patiantur, oſtendunt pallore ſuó, & quia pedibus non datur moueri, capite quantum poſſunt ad lucem; qua cuncta vigent, ad liberum aërem vi cœleſti prægnantem, inclinantur.

Expreſſior eſt in animantibus cauſæ iuuantis, ſenſus & inquiſitio: licet in illis vltimo gradu iaceant conchæ, plantarum inſtar terræ, etiam mediis in aquis affixæ, norunt tamen vnde torpori ſuo & indigentiæ remedium ſit; viuunt in diem, & conſumpto quem in illum repoſuerant hnmore, nouum expectant à fluxu maris, huncque licet extra poſitæ, clauſtris apertis, hora condicta præſentiunt: Agniculus [d] licet verſetur in millibus ouium recognoſcit vocem parentis, feſtinat ad matrem, lactis quoque materni notos ſibi fontes requirit; quamuis cibi deſiderio teneatur & potus, tranſcurrit tamen aliena vbera, licet humore lactis exundent, ſolam matrem requirit, ſolius materni vberis ſuccos ſignificat abundare: paſtor errat in diſcretione ouium, agniculus in agnitione matris neſcit errare.

[d] D. Ambr. examer. lib. 6. c. 4.

Dum eſſem in conuentu noſtro compendienſi, è ſylua in nemus noſtrum allata eſt cerua partui proxima, ſed ſic à ruſticorum canibus malè habita, vt illi penitus vires deficerent: itaque proſtrata, cum fugere non poſſet, diſperatione millies terræ caput alliſit, donec manè cum expirantem, venationi præpoſiti reperiſſent, exciſus eſt vterus: mirum, eductus infans, caligantibus paululum oculis à nimia luce, & paulatim explicatis poplitibus, iuit ad matris vbera, cunctis mirantibus & miſerantibus. Ab hoc amoris & compaſſionis ſpectaculo redeuntes, à natura magiſtra didiſcimus, matrem & natum ſic ad ſe ſimul mutuis affectibus concurrere, vt ſi libertas adſit neuter amborum præueniat, ſi præpediuntur, qui poteſt, totum iter ad vnionem abſoluit; Iuiſſet cerua mater ad hinnulum ab ea remotum ſi fuiſſet ſana, ſed quia iacebat immobilis, ad illam paruulus ſe quo potuit motu contulit.

In iuuenum paſſerum turba, quilibet ſuos agnoſcit parentes, illiſque tantum, & alarum applauſu blanditur, & pro recipiendis eſcis ore panſo ſupplicat; ſic gallinarum pulli matrem ſuam à cæteris diſcernunt, ſi paululum aberrauerint, vocantem, de periculo, de præda, de quiete monentem audiunt, citi ſequuntur, & ſub alarum præſidium confugiunt.

Eadem ſed inſtructior ſed ſuauior eſt in pueris hominibus ad matrem nutricem inclinatio; in eius tantum vlnis ſecuri, lætantur, geſtiunt, rident; ſi quid occurrat horridi, è collo pendent; ſinum toto corpore premunt, velut inde tantum ſit illis ſperanda ſalus, vnde vitam hauſere. Vtinam ſimilis eſſet in hominibus ad Deum ſincera conuerſio; quid nobis de virilitate, de ſenectute blandimur, tota

Digitized by Google

hæc vita, quam in terris ducimus, alterius fœlicioris in cœlo pueritia eſt, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, inquit, Apoſtolus:[e] infirmos multa circumſtant mala, plura fingit opinio; vani vana formidant, falſis bonis in pretio poſitis, ſi defuerint, lamentantur mortales vt pueri, detracta præ manibus pupa; ſunt laruæ, ſunt terriculamenta quæ metum & lachrymas excutiunt, ſed quid refert quam falſa ſit doloris cauſa, cum verus ſit dolor qui ſenſu ſuo miſeros in deſperationem agit. In talibus anguſtiis poſiti, leuant ſupplices manus in cœlum, & humano ſubſidio deficiente, diuinum implorant: primos iſtos pietatis motus quos vi quadam expreſſit neceſſitas, poſtmodum ratio ratos habet, fides perficit: quod enim melius poteſt eſſe conſilium quam malis prementibus, ad ſummè bonum, amantem, miſericordem Deum confugere qui ſæpius permittit aduerſa nobis euenire, vt inſtar prodigi, conſumptis omnibus ad ipſum redeamus: non poteſt non amari talis amor, qui nos culpa noſtra lapſos reſtituit; non poteſt non inuocari talis miſericordia, pereuntibus ſemper propitia, pœnas in præmium, fulgura in pluuias conuertens, ab infanticida mundo ſanguinolentos expoſitos ſumma pietate colligens, portanſque velut nutrix in brachiis ſuis,[f] cœleſtibus alimentis reficiendos.

e Epheſ. 4. 13.

f Oſee. 11.

Nata cauſis ſuis beneficis gratitudinem exhibent.

§. 2.

AGnoſcunt quidem omnia cauſas à quibus beneficijs afficiuntur, ſed prius eſt noſſe, quam experiri bonas, nam vt exemplo ceruæ demonſtratum eſt, ſæpius à cauſis iuuantur, eo quod illas primo conueniunt, petuntque vt accipiant: prius glans intelligit terram ſibi fore nutricem, quam in eam radices mittat; conchæ prius aperiuntur, quam maris fluctus inundet, cum hient procul ab eo poſitæ. Si ſic ad cauſas ſuas inſtinctu ſolo res afficiuntur, quantò plus cum ab illis acceperint diuturna beneficia, quibus etiam feræ nobis conciliatæ blanditijs & officijs gratiam rependunt.

Sic ima ſummis in mundo conſentire ſapientes aſſerunt, vt nullum ſit beneficium ſine gratitudine, licet ad cauſam cui defertur, non perueniat. Philolaus dixit ſuffimenta aquæ & terræ, eſſe tributa quæ perſoluunt, incruenta ſacrificia quæ litant cœlo regnanti: quo plus arbores acceperint à terra, illi radicibus magis adhærent, & parentem[g] gratiſſimis frondibus, floribus exornant, ditant ſeminibus. Cor-

g D. Baſil. in Hexam. hom. 1.

Digitized by Google

ni, aquilæ, accipitres; ſui iuris effecti & à parentibus emancipati; illis loco cedunt, ne videantur æmuli rapinæ, vnicuique enim [h] ex illis pari, magno ad populandum, vt ſatietur, opus eſt tractu. Ita cum adoleuit apum iuuentus, [i] & ad laborem roborata conualuit relinquitur liber parentibus locus. Experimur in canibus, felibus, cæteris domeſticis animalibus, filios licet viribus præſtantiores, in omnibus vltrò cedere matri, cum illa, nunquam vel læſa vel laceſſita in certamen deſcendere. Magnum hoc eſt homini documentum de honore parentibus exhibendo.

[h] Plin. lib. 10. cap. 3.

[i] Quintil. declam. 13.

Effectus iuriſgentium primæui ſunt, inquit lex, [k] erga Deum religio, vt parentibus & patriæ pareamus. Quartum eſt decalogi præceptum honora patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram. Situm eſt [l] in duarum tabularum confinio, priori ſecundam applicans, quia parentum natura videtur mortalis & immortalis eſſentiæ confinium; mortalis propter corpus corruptibile, & cognationem cum cæteris animantibus; immortalis verò, quia gignendo refert Deum genitorem omnium, Deo namque ſubminiſtrant parentes, in gignendis liberis, at qui miniſtrum ſpernit, ſpernit principem. Quidam aiunt patrem matremque Deos eſſe conſpicuos, hoc vno differre, quod Deus ſit magni mundi genitor, hi parui, nec fieri poſſe vt pius ſit erga Deum inuiſibilem, qui erga hos conſpicuos eſt impius. Ad diuinum accedit quod vitam dederint, primum ſubiectum humanæ fœlicitatis, diuinæ gratiæ, immortalis gloriæ, vtque ad Deum vltimum finem nati peruenirent eos optimis morum inſtitutionibus formarunt.

[k] l. 2. ff. de iuſt. & iure.

[l] Philo Iud. lib. de decalogo.

Hinc meritò concludit Ariſtoteles, [m] vt Deo, ſic parentibus æquale reddi non poſſe, illis enim debet filius hanc ipſam dandi facultatem, & quidquid adjecerit illis cedit, vt acceſſorium principali, vt ſolo, quod in eo ædificatur, vt qui fructus annuos ex agro ſibi liberaliter conceſſo, colligit, hos ſe debere fatetur donatori, denique velut omnia referimus in Deum etiam quæ labore noſtro comparauimus. Sunt enim, inquit Plato [n] parentes velut Dij domeſtici, dilectione, prouidentia, conſilio, votis, rem liberorum in melius quotidie promouentes, vnde continuus illis cultus debetur duplex, animi in veneratione, corporis in rebus neceſſariis exhibendis.

[m] lib. 8. moral. c. 16.

[n] lib. 11. de legib.

Cultus animi conſiſtit in pia quadam reuerentia, qua fatentur liberi preæminentiam chariſſimæ ſibi perſonæ, ſunt enim parentes natorum Domini, nam ex paterna poteſtate, regia ciuiliſque duxit originem. Cultus hic interior eſt in affectu omnium antiquiſſimo, [o] Exterior exhibetur verbis, honorificè de illis, & illis loquendo; ſignis & effectis aſſurgendo, famulando, impediendo damna, bona procurando, iuſſis obſequendo, etiam eorum vt Dei obſeruata voluntate quæ ſit bona [p] & bene placens.

[o] Vide ſupra l. 12. §. 2. Bonacina in 6. præcept. decalogi.

[p] Roman. 12

Digitized by Google

Maxime res ad victum neceſſarias tenentur ſuppeditare, tanquam debitores, [q] pulchriuſque eſt iis per quos ſumus, quam nobis ipſis in his rebus opitulari: docet id natura, quæ vt diximus, [r] vrgente neceſſitate, reuocat quod prius in abundantia conceſſit tanquam precariò, directoque dominio ſemper penes cauſam largientem, remanente. Accidens [s] procedens ex ſubiecto, illud perficit, & comparatur ad ſubiectum, vt actus ad potentiam; calor naturalis digerendo [t] generat pinguedinem, quæ ipſum conſeruat, illique, ſi fames vrget, cedit in alimentum, omnis bona diſpoſitio corporis, [u] redundat in cor, ſicut ad principium & finem corporalium motionum. Caput [x] influens virtutem in alia membra, recipit ab illis obſequia & nutrimentum; Magna arteria, aorta dicta, ex ſiniſtro cordis ſinu procedens, ſtatim in ipſum reflectit ramum coronalem quo alitur, ſic in corpore vaſa omnia nutriuntur eo humore quem generant & continent; ſtomachus chilo, hepar ſanguine, cyſtis fellis felle, ſplen melancholia; qui plantat vineam, de fructu eius edit, ſeruus emancipatus cenſetur eſſe Domini [x] & filius patris. Ciconiæ [y] feſſas ſenio parentes alunt, & per aëra deferunt; auibus ipſis non eſt graue, quod pietatis eſt plenum, non eſt oneroſum, quod ſoluitur naturæ. Hoc naturali iure egentibus parentibus à filiis præſtari debent alimenta

[q] Arist. moral. lib. 9. c. 2. [r] Supra l. 12 § 5. [s] D. Thom. 1. q. 3. a. 6. [t] Id. [illegible] 22. q. [illegible] a. 1. ad [illegible] [u] [illegible] q. 38. a. 5. ad 3. [illegible] [x] l. 1. ff. de hæred. instit. [y] Plin. lib. 10. c. 23 D. Ambr. exam. lib. 5 cap. 10

Id receptum etiam eſt, apud homines iure gentium, apud ipſoſmet barbaros impium habetur parentibus non ſubuenire. Antiqua lex eſt, [z] liberi parentes alant aut vinciantur, vnde filius [a] cui pater procurauerat ambas manus præſcindi, hoc liberatus periculo egenti patri alimenta præbere damnatus eſt, quia cum lex decernit, liberi parentes alant, eſt intelligenda de malis patribus, nam bonos quilibet alit ſine legis imperio. Id paſſim lege ciuili ſtatuitur; [b] etiam exulem patrem filius debet alere, etiam incœſtuoſum; [c] nam licet legum contemptor & impius ſit, tamen pater eſt, iura naturæ nullo iure ciuili dirimi poſſunt; filio [d] ſemper honeſta & ſancta patris perſona videri debet; vt Deum, ſic parentem laudant iuſti, licet ab vtroque multa patiantur. Parentes igitur filiis ſunt loco Dei, ſemper benedicti, etiam dum aduerſis exagitat, ſunt loco principis, in cuius conſilia geſtaque ſubditus non inquirit; ſunt vt creditores, quibus etiam ab affectu ceſſantibus, debitum ſoluendum eſt; nam bona non cenſentur, [e] niſi deducto ære alieno. Vnde ſi alicuius pater & filius ſint in eodem periculo, [f] & vnum tantum poſſit iuuare, pater eſt liberandus potius quam filius, quia id patri debet propter ſanguinem, propter reuerentiam & gratitudinem; poteſt alium filium nanciſci, non alium patrem.

[z] Seneca contron. 1. [a] Id contro 7. [b] De agnoſcendis & alendis liberis vel parentibus ff. 25. tit. 3. Cod. 5. t. 25. [c] Nou. 12 c. 2. auth. inceſtus. C. de inceſt. & inutil. nup. [d] l. 9. ff. de obſ. par. præſt. Plato. 4. de legib. [e] l. 39. ff. de verb. ſign. [f] D. Th. 2. [illegible] q. 31. a. [illegible]

Patri honor, matri amor præcipuus exhibendus eſt, vt intenſiori eius amori, [g] par quantum fieri poteſt, reddatur. Tobias moriturus

[g] Supra l. 7. § 5.

h Tob. 4. hoc præceptum inter alia dat filio ſuo [h] honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius, memor enim eſſe debes quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero ſuo. Pietatem hanc prouocat ipſa ſexus infirmitas, & ſenectus, quæ vt viris venerationem confert, ita fœminis contemptum ingerit, deletâ ſcilicet qua prius commendabantur formâ, & corpore mirum in modum ab annis deformato.
i Auth. 105. c. 2. Vxor Conſulis [i] mariti radiis coruſcat, mater verò ſi conſul voluerit; Relicta eſt filio libertas eius exercendæ venerationis, debitam enim effecit lex non principis, ſed naturæ, ſic illam perſoluit, non neceſſitas, ſed amor.

Inter animantia ſolus homo, tanquam ſortis diuinæ particeps ob cognationem quandam Deum cognoſcit & cupit tanquam authorem, inuocat & amat vt patrem, vt regem veneratur, timet vt dominum; patris nomen, inquit Tertulianus, & pietatis & poteſtatis eſt, amorem & timorem exigit, & ſi prouocamur ad exhibendum parentibus honorem ea ratione quod Deum referant, ſi tantum defertur imagini, quanto plus debetur perſonæ, debetur Deo, à quo
k Act. 17. 28. omnis paternitas, in quo viuimus, [k] mouemur & ſumus. Iam non hecatombis placari vult, qui bonorum noſtrorum non indiget, petit à nobis cor, petit affectus, petit ſacrificium laudis quod in quauis fortuna, à plebeio, vt à rege præſtari poteſt: Ideo petit, vt ſic bene meritis plura conferat: nam vt ſoli tantum expoſiti ab eo illuſtramur, ſic in Deum eſſentialiter beatum conuerſi, habemus beatitudem. Nobis laboramus cum illum, etiam amore puriſſimo colimus, quia reſpiciendo ſolem hunc illuſtramur; eſſentialem amorem amando, amamur; amati, bonis & fœlicitate cumulamur.

Effectus contingentes & degeneres non lædunt cauſæ ſuæ nobilitatem.

Lex 19.

REbus inferioribus optimè prouiſum videbatur, quod illarum rectores cœli, ſunt inalterabiles qualitate, incorruptibiles ſubſtantia, motu regulares, vnde pares in ſubditis affectus & effectus erant ſperandi: fallunt tamen expectationem noſtram rerum hîc naſcentium cœlo contrariæ conditiones, aſſiduis enim alterationibus concuſſæ, nutant, donec aut ſenſim certis gradibus vt creuere, ſic depereunt, aut præcipitio collidun-

tur

tur non vna ratione, ſed modis infinitè variis. Vagam hanc ſortem motionum Philoſophi [l] vocant contingentiam, qua fit vt nonnunquam à proprio ſolitoque ordine res aberrent, ſiue paulatim debilitata virtute, ſiue contrariorum occurſu, ſiue deficientibus in materia diſpoſitionibus, vnde ſeminaria natura plantæ & animalis prolem ſuam, neque ſemper, neque opportunè parit vbique, neque perfectam, vt apparet in monſtris, quia natura generans impeditur, vel intrinſecus, vel extrinſecus, & conditiones, diſpoſitioneſque materiæ influxum cœli permutant. Cœlum enim eſt tantum cauſa remota, vnde determinatio effectus pendet potiſſimum à cauſa proxima quæ materiam afficit. Immenſam hanc varietatem, cuius cauſæ nos latent, adſcribimus caſui, cum tamen res omnes certa procedant ratione, cum nihil ſit fortuitum reſpectu cauſæ vniuerſalis, & ſi rediret eadem diſpoſitio, idem ſequeretur effectus. Interim mundanum ſpectaculum gratius efficit inſperata diuerſitas, quæ nouitate placet, irregularitate [m] legem ordinariam commendat, animumque blandè perducit ad cauſæ latentis inquiſitionem.

[l] Albert. Magn. lib. de proceſſu vnius. tr. 4. c. 4. D. Th. opuſc. 18. de fato cap. 3.

[m] Vide ſupra l. 6. §. 3.

Bonum & æquiſſimum fuit parentes liberorum educationi & inſtitutioni operas ſuas diligenter impendiſſe, vt ſicut eſſe, ſic bonum eſſe conferrent, Id tamen totum non ſemper ex votis ſuccedit, nec bono patri neceſſariò contingit bonus filius. Si ſub ſole lucis, pulchritudinis, fœcunditatis parente, naſcuntur obſcura, turpia, ſterilia; ſi ſub cœli motibus regulatiſſimis, tot contingunt potiſſimum in humanis confuſa, vt horum antiqui [n] cauſam dicerent eſſe, vagam, cæcam, indignorum fautricem fortunam, quid miramur parentibus prolem non reſpondere, ſub ſanctiſſimis Eccleſiæ principiis, ſub bonis principibus & legibus mores eſſe corruptos, ſub patris optimi præceptis & exemplis, liberorum vitia graſſari. Auguſtum [o] lætum atque fidentem diſciplinâ domus fortuna deſtituit. Iulias enim filiam ac neptem, probis contaminatas relegauit: Nero maiorum ſuorum, [p] non virtutes, ſed vitia tantum retulit, ſicut gagates lapis pro imagine vmbras tantum reddens. Marcus Aurelius Imperator [q] filium habuit Commodum ſucceſſorem improbiſſimum, itaut poſt obitum acclamatus fuerit patriæ hoſtis & parricida: monſtro [r] ſimilis fuit Scipionis Africani filius: In Curionum domo videre licuit, & patris grauiſſimum ſupercilium, & filij perditam luxuriis vitam. Notant [s] egregios omnes Philoſophos, indoctos filios habuiſſe.

[n] Plin. lib. 2. c. 7.

[o] Sueton. in Angnſto. c. 63.

[p] Id in Nerone.

[q] Baron. an. 182.

[r] Valer. Maxim. lib. 9. c. 1.

[s] Philoſt. lib. de vitis ſophiſtarum.

Huius infœlicis ſucceſſionis aliqui cauſam eſſe dicunt, quod magni viri [t] ſenſibus parum dediti generationi minus attendunt, & ad illam tunc inclinantur, cum fœlices ingenio planetæ malè conſtituti, languidos ad id corporis officium ſpiritus efficiunt. Verius eſt mentem non ex traducere venientem, ſed à Deo creatam liberam, non inducere paren-

[t] Ariſtot. prob.

tum qualitates, eadem qua in cæteris animalibus ratione, virtutem non eſſe bonum hæreditarium, rem eſſe ſacram extra commercium poſitam, à Deo non ab hominibus expectandam.

[v] Theoph. hiſt. plantar. lib. 2. c. 3.

Multæ & penè omnes arbores [v] ex ſemine natæ degenerant, & ex illis nihil vrbanum, ſed ſilueſtre prouenit, ex piro piraſtrum, ex olea oleaſtrum; perficiuntur inſitione, homines diſciplina, ſed quæ ſæpius cadit in mentes filiorum ſic auerſas, vt efficiatur ſine fructu; an quia præſtantium virorum filij, virtutem velut ſibi nimiùm familiarem & domeſticam ſpernunt? an quod acquiſitam, ſibique velut propriam reputantes de quærenda non cogitant, nec laborant? an quod illis vt illuſtribus plaudit adulatio, & ad vitia potiſſimum in exceſſu, velut ad quædam heroïca concitat? an familiis vt cæteris rebus termini poſiti ſunt, quos tranſilire non conceditur, ne ſi maiorum virtutibus aliquid ſemper adderent poſteri, vltra quam homini datum eſt noſtra prouehĕrentur; & quia nec ſtare fluxa, nec vltra progredi poſſunt limitata; cadunt ſic vt præſtantium in familia, claudat agmen, is cui filius degener contigerit.

Certè non eſt quod parentes tantum querantur de hac inuſta nomini ſuo turpitudinis nota; ipſorum enim gloriam contra poſita malè nati filij peruerſitas, non obſcurat, ſed commendat. Notum eſt omnibus illos eum bonis exemplis ad virtutem præiiſſe, ſed peruerſa mens, inſtar mercurij, ſolidari neſcia, quo plus manu paterna premebatur effluxit quà data cupiditatum via: periit inter eminentiora Dei dona, primus Angelus, periit in corporali & ſpirituali gratiarum paradiſo, bonis omnibus cumulatus homo primus; periit in Chriſti Domini collegio traditor Apoſtolus; pereunt quotidie peccantes, ſub auxiliis diuinæ gratiæ, ſub Angelorum illuſtrationibus & tutela. Ex ſchola dialecticorum, prodierunt Sophiſtæ, ex Iuriſconſultorum rabulæ, ex medicorum carnifices; ex Eccleſiaſticorum & Religioſorum ſchiſmatici, hæreſiarchæ, & omnium corruptionum optimi fit peſſima, quid igitur mirum, ſi quandoque procedant ex bonis parentibus mali filij. Sol totum ſuum ſibi ſeruat ſplendorem, pulchritudinis actum & fontem, licet ſub eo monſtra fiant; æterna manet in cœlo fœlicitas, licet ex ea ceciderint Angeli; habet immotam ſuam ſanctitatem & veritatem mater Eccleſia, licet à filiis ſuis prauis moribus & erroribus laceſſita, ſic ſeruatur illuſtribus familiis illibatus ſuus honos licèt in illis quidam degeneres exſtiterint. Hæc eſt mortalis huius vitæ ſors, vt mala bonis, zizania tritico, mœſta lætis; tineæ floribus intermiſceantur; vnum hoc ſupereſt remedium, ſeparare pretioſum à vili, [x] mundum ab immundo, [y] lucem à tenebris vt initiò fecit Deus, & diſcretis ſuis temporibus diem & noctem.

[x] Ierem. 15.
[y] Leuit. 16.

Malè nati liberi morum prauitate, diſcedunt ipſimet ab illu-

Digitized by Google

ſtri ſua familia, vt meteora quædam terreſtria ſurſum genita, infimam ſibi propriam citò petunt regionem etiam ſuomet pondere ruentibus viam aperit ſubtilis, nec talia ferre valens aër; obſtinatè peccantes tandem tradit Deus [z] in reprobum ſuum, vt faciant ea quæ non conueniunt, pœnæ ſuæ ſimul & authores & vindices, mortem enim ipſe non fecit, ſed impij manibus ſuis accerſierunt eam pertinaces in malis, Eccleſia ſpirituali ſuo gladio ſeparat à fidelium communione quam ſuo polluerent & infamarent commercio; ſic parentes improbos filios quos nec minis nec beneficiis ad meliorem frugem adducere potuerunt, tandem ſuos eſſe negant & extra familiæ ſuæ corpus velut excrementa proiiciunt, abdicatione vel exhæredatione; licet, inquit Saluianus,[a] filij membra parentum eſſe videantur, non putandi ſunt tamen membra eorum eſſe à quibus affectu cœperunt diſcrepare, quia morum degenerantium prauitate, perierunt in talibus naturæ beneficia. Integer manet familiis & parentibus ſuus honos, diſſoluta ſocietate cum malis, & ſi ſuos eſſe negent, quos probos ſibi ſimiles efficere non potuerunt; tunc noxa caput ſequitur, pars vitio ſuo perit pro totius incolumitate, pietaſque vt natura tunc facit quod melius eſt.

Roma. 1. 28.

a Lib. 3. de gub. Dei.

Natura, quantùm licet, facit quod melius eſt.

Lex 20.

IN ſingulis diebus creationis mundi, vidit Deus quod produxerat eſſe bonum, at perfecto ſex dierum opere, vidit cunctaquæ fecerat, & erant valdè bona: nam partium inter ſe & cum toto, ad quod velut in finem dirigebantur, concentus, vniuerſalem, ſic eminentem abſoluit bonitatem. Quæ tunc facta ſunt, fuerunt velut principia, fundamenta, cauſæ rerum deinceps longa ſæculorum ſerie producendarum; poſitis enim ab initio legibus cuncta decurrunt, & ex hac naſcentium conditione pendent quæ ſingula ſibi vindicant, actionis paſſioniſque iura. Nos eiuſdem operis mundani cauſis obſeruatis in præcedentibus legibus, illarum æquitatem & bonitatem diſtinctis paragraphis proſequuti, nunc conficimus corollarium quoddam, vnde conſtet totum hoc de quo viuimus, de quo diſputamus, eſſe valdè bonum. Si nunc non datur, quod æternitati proprium eſt, rerum omnium cauſas & effectus, temporum ſeriem vno proſpectu, nec etiam quæ præmiſimus, vna ſimul idea contemplari, ſaltem iuuat multùm diffita in arctum vt facilius ſpectentur, compendio concludere.

Vniuerſum hoc non poteſt non eſſe valdè bonum, cum ſit ſummi

boni Dei, vnitatis infinitæ ſpectabilis imago, ipſius Dei manibus, arte, ſpiritu conformata. Infinitatem refert rerum innumerabilis in diuerſitate multitudo; vnitatem, ordinata partium ſibimet adhærentium, & inſertarum inſenſibili commiſſurâ æquabilis ſeries, vnde fit mundus vnus. Hic ordo ſignificat ſuperiora, ſequentia, media, donec per ſuccedentes gradus ad id quod vltimum eſt, deueniatur. Res illæ ſic deiectæ, non ſunt conſiderandæ ſecundum imminutam hanc ſuam entitatem, ſed prout ſunt partes vniuerſi, aliarum ſocietate, boni finiſque communis gloria fulgentes: ſi iacent ſubſtantiæ & qualitatum gradibus vltimæ, primæ ſunt vt cæteræ conſtituantur, minus habent ornamenti, plus neceſſitatis, vnde præcedentium ſunt fundamentum: non eſt enim vegetatiuum ſine elementatiuo, ſenſitiuum ſine vegetatiuo, rationale ſine ſenſitiuo. Gradus etiam in ſpecie deiectionem compenſant vt plurimum excelſæ cœloque datæ qualitates, plus enim virium & ſplendoris eſt in lapidibus quam in metallis, in metallis quam in plantis, in plantis quam in arboribus, in vegetabili quam in ſenſibili, ſic res infimæ non abdicatæ, ſed vt regentis numinis ſingulari fauore ad digniora ſublatæ videri debent.

Ideo potiſſimùm ſunt in vniuerſo quædam humilia, vt excipiant influxus ſuperiorum, quæ primam cauſam exprimunt, in eò quod aliis ſunt boni, & amplioris perfectionis cauſæ. Sic initio factum eſt cœlum vt mas, agens, influens, perficiens; terra vt fœmina patiens, perficienda, ſuperiorum ſeminibus fœcundanda. Cœlum mouetur, quod actiuitatis proprium eſt, ſed mouetur immobiliter, ſcilicet mutans ſitum non locum, ad imitationem actus primi in quo quies & motus mirè coïncidunt; infinitas enim præuenit, & iam obtinet, id omne quod motus poſſet proſequi; æmulatur id quantum fieri poteſt cœlum motu ſuo circulari citiſſimo, quo fit vt partes quæ ſimul totius ſitum non obtinent ſaltem ſucceſſiuè, diſtantiaque minima temporis aſſequantur. Cœli vis fixa, validè nimis ex perpendiculo quædam affeciſſet inferiora, cum alia vnde procul abfuiſſet, præterita, abdicata, languida iacuiſſent, at motu omnibus partibus neceſſariam vim ſuam æquiſſimè diſtribuit.

Immobilis ſitu terra, omnium aſſiduis generationibus mobilior, origine pauperrima, aliorum largitionibus diues, extat exemplum humilitatis exaltatæ. Ignis vbi creuit in incendium, videtur omnia conſumpturus; mare cum ſæuit, ruentibus in ſe ventis, videtur terras aſſumpturum, at illis & agentibus omnibus limites à creatore poſiti ſunt, quos non tranſgrediuntur, niſi cum iuſſerit in peccantium pœnam. Exceptis his in plura ſæcula dilatis diuinæ iuſtitiæ diebus, cœli & elementa æquiſſimo commercio in bonum vniuerſi, potiſſi-

mum hominis conſentiunt, & perpetuò nobis fauent, etiam inſciis, inuitis & ingratis.

In his vniuerſalibus, natura quod intendit, ſemper aſſequitur, partibus ſuis ſic in pondere, numero, menſura diſpoſitis, vt nihil deficiat; præteritum tempus, habemus fideiuſſorem futuri, & ſi poſt tot ſæculorum, generationum & corruptionum reuolutiones, cœli, ignis, aqua, terra, eaſdem habent qualitates quas, dum crearentur, acceperunt à Deo; ſi ſit adhuc idem ſpecierum numerus qui fuit mundo naſcente, & eædem ſingularum virtutes, quid-ni ſperanda ſit perpetuitas, nec metuendus finis, niſi cum diſſolutionem iuſſerit, qui fœdus hoc cœlorum & elementorum ſanxerat. In rebus autem ſingularibus obnoxiis interitui, natura non facit ſemper melius quod intendit, ſed quod poteſt, prout cauſarum influxus exceperit diſpoſita materia. Non facit etiam quod melius eſt ratione partium, ſed totius cuius ſunt partes; vt in humano corpore, non facit vbique caput & oculos, ſed pedes & manus, etiam partes ignobiliores quæ pertinent ad complementum totius, alioquin non fieret totum, ſed pars, partiſque dignitas derogaret totius perfectioni.

Vnicuique rei nihil videtur ſeipſa melius, nihil quod ab ipſa magis amari & conſeruari mereatur; cum ergò producit ſibi ſimile, facit quod ſenſu ſuo melius eſt, talis eſt generatio, proceſſio ſcilicet viuentis à viuente ſecundum naturæ ſimilitudinem. Si quis obſtet materiæ defectus, præſtat natura quod melius fieri poteſt, vt caſu luxatis embrionis membris, præcipuas partes vitales cor, hepar, cerebrum, impenſius conformat, vnde fit vt deformes, quales Æſopus, Oedipus, ſint ingenioſi, quod enim corpori detrahitur, organis melioris partis, animi ſcilicet, accreſcit. In aqua calida, dum alteratur qualitas, ſaluam natura ſeruat ſubſtantiam, vnde fit in integrum reſtitutio: in imperfectis & mutilis animalibus, integram protegit vim ſeminalem, qua perfectum animal generetur. In multis plantis quarum folia ſtipiteſque calor, aut frigus aduſſit, radicibus velut theſauro, ſeruat vim qua verno tempore germinent. In apoplexia dum perimuntur actiones animales ſenſus & motus, eximit ab oppreſſione vitales, ſcilicet reſpirationem, ſpirituum & ſanguinis per corpus diffuſionem. Cum indiuidua ſtatim in conuenienti magnitudine non poſſint generari, ſed infirma ſint ab ortu ſuo, illa diuerſis munit præſidiis, plantarum ſemina, duro, aſpero, aculeato, amaro, inſipido tegit cortice; debiles fœtus animalium, parentum amori, tutelæ ſagaciſſimæ ſimul & generoſæ committit.

Tandem cum mundus conſtet ex contrariis, quæ mutuam aſſiduamque vim in ſe conuertunt, pereuntibus rebus ſingulis, quod publicum eſt, velut præcipuum illæſum ſeruatur, ſcilicet ſpecies in

indiuiduorum corruptione & generaliter quod vni perit, accedit alteri primum nobiliori, tandem vniuerſo. Magnum id hominibus documentum, in vtraque fortuna ſic verſari, vt vnum, quod neceſſarium eſt, ſemper ſit ſaluum, vt vrgente periculo, ſenſus rationi, corpora ſpiritualibus, æternis temporalia, humana diuinis ſeruiant; ſalus ex inimicis, ex tentatione prouentus habeatur: nihil perit ſapienti, qui totum intra ſe regnum Dei poſſidet.

Cauſâ principali, vel conſueto procedendi modo deficiente, ſimile quid ſubſtituitur.

§. 1.

IN hoc rerum elementalium fluxu continuo, ſub cœlorum variis ſemper motibus & radiis, neceſſe eſt hîc varia contingere, cauſas & præſcriptos ipſis agendi modos verſari cum vniuerſo, vt opportunè ſemper pari vultu paſſuque non adſint edendis inferiorum actionibus: natura tamen actus infiniti proles interim non ociatur, ſed multiformis, ſolerti genio his quæ deficiunt obuia commodè ſubſtituit, vt opus propoſitum ad ideæ ſuæ rationem quantum fieri poteſt, abſoluat. Abſentem motu ſuo ſolem, & aliud luſtrantem hemiſphærium, vimque viuificam referunt eius aſpectus ſextiles & trini, ſuomet corpore fœliciores; Illius etiam vices agunt, Venus orientalis, ſtellæ calidæ, cor leonis, ſpica, ſyrius, canicula; tandem ignis per hyemem luce & calore cuncta recreans, in alchymia breui tempore perficiens: ſi ſimiliter fiat lentus, humiditate mixtus & inæqualis; frigore mortuas papiliones & muſcas ſuſcitat, excludit oua, & quarundam herbarum vt lactucarum ſemen, & hinc illum velut potentem regnantis in cœlo ſyderis miniſtrum colebant Perſæ. Fracaſtorius apoplecticos deſperatos ſanauit circumdando caput acriter ſartagine calefacta, vt ſic excitati ſpiritus animales, velut à calore naturali, obſtructos humores diſcuterent. In aſtrologicis electionibus, cum vix haberi poſſit cum duobus fœlicibus planetis lunæ coniunctio, illam, inquit Ptolomæus,[b] coniunge cum ſtella fixa duarum miſturam habente. Decanatus ſignorum[c] ſingulis ordine ſuo planetis deputantur, & cum in ipſo decanatu planeta fuerit, licet in alieno domicilio, ſic tamen eſt habendus velut eſſet in proprio.

[b] Centil. nu. 28.

[c] Iul. Firmic. lib. 2. cap. 4.

Inferioribus ſimiliter vicaria ſemper virtute prouiſum eſt. In pleriſque regionibus à mari plurimum diſtantibus ſunt ſalſi fontes, è quorum aqua velut marina ſal conficitur. Sunt & multi montes è qui-

bus foditur inſtar mineralium. Naſcente mundo [d] fons irrigabat vniuerſam ſuperficiem terræ, cum Dominus nondum pluiſſet ſuper terram; ſic Perſia maximam habet frumenti copiam, cum tamen illic rarò pluat, nam terræ vaporibus nimis calore diſſipatis, vel retuſis, cum deficiunt imbres, vtuntur fluminum ibi frequentium irrigatione. [d] Geneſ. 2.

Ex eo quòd vbique terrarum viuunt homines vt plurimum ſani, & ex occaſione laborantes ſanitati reſtituuntur, inferre licet vbique ſimiles ſaltem vicarias temperamento noſtro congruas reperiri qualitates, opportunas magis, ſi cùm alunt, etiam ſanent. Hinc in medicinis [e] ſi non dentur exteræ ſub ſolis ardoribus natæ, maioriſque vt creditur virtutis, plantæ, ſubſtituuntur indigenæ, quas conſtat minoris quidem, ſed non minus congruentis eſſe qualitatis. [e] Galen. lib. de ſubſtitut.

Corpus humanum cœleſtis & elementaris mundi proles & complementum non caret ad functiones ſuas ritè peragendas hac ſubſidiaria virtute, cum enim illæ ſint primæ conſtitutionis partes ſpermaticæ [f] exhauſto iam vnde natæ ſunt principio reciſæ, vel corruptæ, eædem ſpecie reſtitui non poſſint, iis cognatum aliquid gignitur quod vſum haud diſtinctum præſtat, vt oſſis loco callus; ars naturam imitatur; & cum partes compoſitæ penitus extirpatæ reſtitui non poſſint, ita ſuccurritur vt pro crure abciſſo fiat ligneum, manus ferrea pro naturali. Anguſta nimis exiſtunt inſectorum corpora vt capere poſſint cordis, iecoris, pulmonis cæterorum viſcerum, vt in perfectis animantibus conformationem; ſed habent aliquid partibus illis proportionale, & reſpirationis vicem ſubit tranſpiratio. [f] Idem lib. artis medicinal. c. 82.

Viuens corpus aliud extremum & mortuum intra ſe non patitur, ſed illud modis omnibus foras propellit, ſi negetur exitus per vias ſolitis egeſtionibus apertas, alias præter ordinem ſibi molitur natura, ſolidarum etiam partium penetratione, vt cum aliqui ſpicam, cultrum, acum, intra pulmonis capacitem improuidè ſorbuiſſent, [g] hæc poſt aliquot dies aperto ſponte ſua latere foras proiecerunt; Tale quid à paucis annis apud nos accidit nobiliſſimo adoleſcenti caſu quem ſub ſpicilegij nomine eleganter expreſſit Renoaldus Doctor Medicus. [g] Van helmont de iniectis materialib.

Multiplicem hanc prouidentiam æmulatur politica dum plures habet ſubordinatos ad regiminis & iuſtitiæ diſtributionem miniſtros, vt vno auulſo non deficiat alter, ſic ſolatur hominis ſterilitatem adoptione, filiorum mortuis parentibus orbitatem, tutela; viduitatem ſecundo matrimonio; ſic teſtatoris mortem hæredis inſtitutione; vnius hæredis defectum alterius ſubſtitutione; iniurias per reſtitutiones & æquiualentia compenſat. Defecerunt Romæ Patricij qui ex centum Senatoribus electis à Romulo fuerunt oriundi, & familiis illis ceſſantibus ſuffecti ſunt Senatores vno nomine dicti Patres conſcripti.

Duæ ſunt Reſpublicæ [h] vna magna & verè publica cuius terminos [h] Seneca de ocio ſapiẽt. c. 31.

Digitized by Google

ſole metimur; alia minor paucis contenta regionibus, cui maria, montes, priuatæ leges lim tem ponunt: Priuatam hanc vix inuenias quæ ſapientem, aut quam ſapiens pati poſſit. Itaque ſi foro, ſi bello, ſi regimini ſuas non impendet operas. quippe ſedibus iſtis ab ambientium turba præoccupatis, ſi ciuis amiſerit officia, exercebit hominis, & maiori Reipublicæ deſeruiens cunctis prodeſſe conabitur, vita procul ab ambitu, ab opinionum & vitiorum turpitudine defæcata, exemplo, voce, ſcripto, ea quæ veritatem decet libertate, apud omnium gentium & temporum homines concionabitur, & in priuato lare magnos explicans animos publicum aget negotium. Abſtractas illas mentes, ab orbe toto quem mouent ſeparatas ad munus Angelicum his verbis excitat Propheta [i] Laudate habitatores petræ, de vertice montium clamabunt, ponent Domino gloriam, & laudem eius in Inſulis narrabunt.

[i] Iſay. 42.11.

In realis præſentiæ defectu, quod optat natura perficit per Imagines.

§. 2.

Vnum, aſſiduum, licèt vulgatiſſimum opus naturæ multis concurrentibus ſpectandum miraculis ſtupens video, ſcilicet quòd res quælibet ſenſibilis, ſi lux affulgeat ſui ſpeciem & imaginem emittit, corporea incorpoream, viſibilis inuiſibilem, limitata propagationibus infinitam; innumeris oculis vnam, omnibus æqualiter ſine ſui diminutione communicabilem; in tanta ſimilium & diſſimilium turba impermixtam vt cum quamlibet vel minimam loci partem ſpecies omnes ſimul impleant, vna tamen alteri non ſit impedimento. Sic effusè corpora ſuas emittunt imagines, quia cum ſint effectus diuinæ bonitatis æmulantur quantùm poſſunt immenſitatem ſui principij, & cum ſuis quæque locis commenſurentur, nec ſe penetrent, ſaltem vbique volunt eſſe per ſuas imagines. Ineſt illis appetitus redeundi ad originem ſuam ſpiritualem, vnde cum ab idæis proceſſerint, per oculos perueniunt ad animum, vt ex phantaſmate fiat intellectus qui mundum ſenſibilem gratiſſimo laudis ſacrificio refundat in archetypum intellectuale.

Illæ rerum imagines quibus inexpletè repletur aër, remotis obiectis aut extincta luce deficiunt, at vbi viſus opera peruenerunt in potentiam quæ ab ipſis dicitur imaginatio, illic & in memoria fixas ſedes obtinent, fiunt omni loco, omni tempore præſentes, etiam in tempore

pore præſentes, etiam in tenebris viſibiles vt animum in ſe conuertant importuna ſæpius ſollicitatione. His prouidens vtitur natura, vt præteriti, velut præſentis periculi metum incutiat, & ita cautum animal, contra vim hoſtilem iam expertam vel fuga ſibi conſulat, vel ad eam ſuperandam ſe componat ira fortiter concitatis in prælium viribus.

Paſſiones quæ virtutibus militant aguntur maximè rerum abſentium imaginibus, & ſi nihil eſt in intellectu quod non fuerit in ſenſu, ſenſuſque proximè menti ſubſeruientes viſus & auditus ſolas capiant rerum imagines, illis debemus rectam omnem morum inſtitutionem. His inſtruitur prudentia præteriti memor, futuri per ſimilitudines conjectatrix; his fit ſibi fidens malis omnibus ſuperior fortitudo; Aliquem, inquit Seneca, [k] habeat animus quem vereatur, cuius authoritate ſecretum etiam ſuum ſanctius faciat; eum elige cuius tibi placeat & vita & oratio, & ipſius animum ante te ferens & vultus, illum tibi ſemper oſtende vel cuſtodem vel exemplum. Opus eſt aliquo ad quem mores noſtri ſeipſi exigant, niſi ad regulam praua non corriguntur.

[k] Epiſt. 11. in fine.

Spes quæ dicitur vigilantis ſomnium abſentis boni ſemper præſens imago, totam humanæ vitæ ſcenam abſoluit, cum enim præſens vndarum inſtar effluat, & omnis cogitatio quæ rebus dicit ordinem tendat in futurum, ad quod nullum ius, nulla nobis cautio competit, deficiente rerum exiſtentia, neceſſariò paſcimur imaginibus. Ita mercator non habita, velut iam poſſideret computat, & ne deficiant mille ſe terra marique periculis exponit: furit igne ferroque miles, & vitam ſperans hoſtium ſpoliis ditiorem, gloria celebrem, votis in ſe pugnantibus mortem oppetit. Dum aula ſequaces ſuos alit ſpe futuri ſplendoris naturam imitatur, quæ captiuis libertatem, ſitientibus fontes, famelicis eſcas indulget in ſomnis, & veros ex abſentia dolores ſolatur ficta per imagines præſentia.

Eloquentiæ maxima pars eſt oratorem ſic affici rerum imaginibus, vt in illas quodammodo transformetur; nam phantaſia & intelligentia habent rerum virtutem, [l] aliquando ſpecies intellecta calidi & frigidi, delectabilis aut triſtabilis talis exiſtit qualis vnaquæque res eſt, propter quod tremunt & timent intelligentes tantum; qui cibos auidius expetunt, ſaliuam habent eiuſdem ſaporis; ex remedij cogitatione aluus laxatur; ægri fortiter cogitantes de ſanitate interdum ſani fiunt, cum habetur ſermo de re aſpera, dentes ſtupeſcunt; cum de profunditate præcipitium minante caligant oculi, fremunt pedes, totumque corpus horrore concutitur, hæc ita fieri dicunt ſubtiliores Philoſophi, quia cùm Deus per ideas cuncta creauerit, & cùm omne corporeum procedat & regatur ab incorporeo, mirum non eſt ſi mens

[l] Pomponat lib. de incãtationib. Marſil. Ficin. lib. 13. cap. 1.

noſtra, diuinæ imitatrix, ſpecies & idæas concipit quæ plurimum poſſint, nos primum etiam exteros afficiant.

Cùm autem in aliquibus excedit vis illa, prauæ conformationis & diſpoſitionis vitio, & in melancholicis & prægnantibus, ſupra fidem ſunt quæ ſolet edere cogitationum & actionum monſtra, vt quod aliqui ſe putent eſſe vaſa teſtea, aues, boues, etiam mortuos & dæmones, ſolitiſque humanæ vitæ functionibus abſtineant: Cum mulier deſtinet naturaliter inſpirationes vitales ad fœtum eius quod fortiter appetit, imprimit figuram in pari membro, quod in ſe tunc licèt inaduertanter contigerat. Stupendum eſt, [m] quod quædam partui vicina, videns militem recenter ex conflictu manu truncatum, puerum edidit manu carentem; alia partui proxima videns reum decapitatum, peperit maturum infantem cruento collo cuius caput nuſquam apparuit; ſi fides oculato teſti ſit habenda magnum naturæ miraculum eſt, phantaſiæ ſolam imaginem membrum ſine ferro præſcidiſſe, ſine penetratione, vel egeſtione momento conſumpſiſſe. Ad hanc imaginationis vim ex praua diſpoſitione maleficam, referunt ſagarum vetularum faſcinationes, quæ tenellis potiſſimum infantibus & fructibus ſunt infeſtæ. Longas texunt authores talium mirabilium hiſtorias quæ probant vim imaginis internæ, quantumque poſſit in bonum aut in malum habita ratione diſpoſitionis in agente ſimul & patiente.

[m] Van Helmont. lib. de iniectis material. & de animali phantaſtico.

Internas autem illas imagines ars produxit ad extra, & ſenſibus expoſitas effecit primò per ſermonem, qui cùm ſit ſpecierum exiſtentium in mente per aures ſenſibilis imago, genuinam originis ſuæ vim cenſetur præ ſe ferre, non ſolum vt mentes mentibus exponat, vt ſicut Angeli per ſpecies, ſic illæ per verba cogitationum ſimulachra ſibi mutuo loquantur, diuerſique ſe moueant affectibus, ſed etiam ab aliquibus dicuntur talis efficaciæ quæ plurimum poſſit in corpora; ſcripturas, characteres, in ſympathica materia figuras, quas vocant taliſmanicas inſculpſerunt curioſi, & his promittunt vim cœleſtis configurationis fluentem excipere, ſiſtere, & ad quotidianos vſus ſibi ſemper velut præſentem ſeruare, mirando ſane ſpectaculo ſi promiſſis reſponderent effectus.

Hac exploſa ſuperſtitione familiaris eſt vſus imaginum, cum loco, peregrinatione, morte diſſitas à nobis chariſſimas perſonas pictura vel ſculptura in effigie præſentes efficit & amori blanditur. Sic olim principes ambitu celeberrimo ſtatuas ſuas per omnes ditionis ſuæ regiones erigebant, nummis inſculpebant, vt omnibus per prouidentiam viderentur adeſſe. Antiqui [n] maiorem imagines foris circa limina affigebant cum hoſtium ſpolijs, quæ nec emptori refringere liceret, triumphabantque etiam dominis mutatis ipſæ domus & erat

[n] Plin. lib. 1. cap. 35.

hæc ſtimulatio ingens exprobranti quotidie tectis imbellem Dominum intrare in alienum triumphum. In bibliotecis, * ex auro, argento aut ære dicabantur eorum vultus, quorum immortales animæ in iiſdem locis loquuntur, & ſi veri non habebantur vultus, fingebantur, cùm omnes ſcire cupiant qualis fuerit aliquis. Marcus varro libris non ſolum authorum nomina, ſed & imagines inſcripſit, & in omnes terras miſit vt præſentes credi poſſent vbique. Cur indignatur hæreſis, Chriſtianos pietati ſuæ tale ſolatium & fomentum largiri dum Chriſti Domini, Matris Virginis colunt imagines, habito ad eos quos referunt, reſpectu. Illæ ficta beatorum præſentia, mores formant, exemplo docent, litteras ignorantibus mutæ loquuntur, virtutem cum diuinis auxiliis hominibus eſſe poſſibilem, ſolidæ tranquillitatis fontem, imperiis ſplendidiorem, viros bonos inter mortales æterna fama, inter beatos immortali gloria donantem.

* Plin. lib. 35. cap. 2.

Efficacior eſt in piorum mentibus æternorum ſemper præſens idea, per fidem, ſpem, & charitatem. Chriſtiani ſpe gaudentes vt ait Apoſtolus, in eamdem Chriſti Domini morientis & reſurgentis imaginem transformantur. Sanctis martyribus inerat tam expreſſa futuræ gloriæ ſpecies, vt iam velut immortales, impaſſibiles effecti gauderent in tormentis, ° & putares alium loquentem, alium patientem, ignibus corpora non diſſolui, ſed indurari, aſpicientes ſcilicet in authorem fidei & conſummatorem Ieſum qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta. Per fidem ambulamus non per ſpeciem, inquit Apoſtolus ᵖ eſt enim in piorum cordibus fides tam firma, vt velut iam tranſierit in immarceſſibilis gloriæ conditionem, definitur ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. Coram hac æternitatis imagine ceſſat terrenorum omnium anxietas, in his qui ſurrexerunt cum Chriſto facti ciues ſanctorum & domeſtici Dei.

° D. Aug. ſerm. de S. Vincentio.

ᵖ Hebræo. 11.

Compendiis & imaginibus luſit prouidentia, & vbique maximum in minimo concluſit: Mundus hic locorum ſpatiis diffuſus, infinitatis diuinæ ſimulachrum eſt ordo vnitatis, tempus æternitatis, annus ſæculum refert, dies annum, homo creaturas omnes, dum animi ſui conſtantia ſortem hic omnem ſuperat, integritate fœlicitatem omnem delibat ſeipſo ſimul & Deo fruens. Adeſt huic mundano ſpectaculo, cum ad id ſe natum, & in amphitheatri medio poſitum intelligat: Videt placidè ſyderum principum, legum, regnorum ortus & interitus; hæc quæ multis ſæculis ſuſpenſos detenuere populos, apud illum ſunt velut per horam ſcena vel actus magnæ illius mundanæ tragicomediæ, læta mœſtis, ima ſummis in finem vſque ſæculorum permiſcentis. O ſi liceret & præteritorum memoria & futuri præuiſione vniuerſi partes velut orationis ſic contexere, vt totius

Digitized by Google

ſenſus perciperetur, mentem ſingularia prætergreſſam totam detineret in æterni & infiniti boni contemplatione, cuius temporalia ænigmaticam quandam picturam propoſuerant. In hoc grandi ſpectaculo, hominis aut regni vita, licet longiſſima momentum eſt; non fuit, non erit, ecce dilabitur cum ſuis ſpectatoribus hæc tota theatri facies. O ſuper hæc amanda, quærenda, ſperanda veritas & æterna fœlicitas.



Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

DE RERVM CONSERVATIONE & augmentis.

PRÆFATIO.

HVmana mens hoc habet ſpiritualis & immortalis eſſentiæ ſuæ præſens argumentum, quod ſeſe ſupra materiam, locum, tempus, præteritum & futurum, efferens, ſiſtat hæc præſentia iudicio ſuo, velut iam æternitatis particeps. Vidit libro præcedenti cauſas vniuerſales & particulares, diuinæ bonitatis æmulas, vnde perenniter fluunt rerum eſſentiæ; Vidit res iam exiſtentes in ſuis debilibus initiis, eodem quo generatæ fuerant amore foueri, ne perirent internis externiſque caſibus expoſitæ; Vidit eas ſibi ſimile viciſſim generantes, & à maioribus accepta vitæ principia tradentes poſteris, vt ſic indiuiduo ſingulari pereunte, multa ſuperſint, ad ſpeciei, mundique cum omni ſuo decore perpetuitatem. Neceſſe fuit res certis temporum interuallis in naturam venturas, ſic ab aliis produci; nec enim id ſibimet ipſis præſtare poterant, nec agere cum nondum eſſent, nec dare quod non haberent, cum illis non exiſtentibus non ineſſet, nec idæa, nec appetitus, nec vis agendorum. Neceſſe fuit ſic ſeriatim è cauſis ſuis prodire, vt ſeruaretur fatalis quidam ordo, & vacuas intereuntium ſedes æquis partibus, eiam cum fœnore naſcentia replerent. Neceſſe fuit in ortu ſuo iacentes ſine viribus ſic ſtatim excipi, amicè foueri ab iiſdem vnde proceſſerant cauſis præſentibus, fœtuſque ſuos velut quaſdam adhuc ſui partes complectentibus. At quia non vna vel altera generatione exhauritur cauſarum particularium fœcunditas, & nouiter naſcentibus infirmis, prouidendum eſt, parentes adultos iam fœtus emanci-

Digitized by Google

[a] Deuter. 31. pant, ſuæque fideī committunt. Prouocat aquila [a] pullos ſuos ad volandum; [b] Leæna docet catulos ſuos prædam capere; animalia cætera longo exercitio paruulos ſuos inſtruunt qualiter oporteat habitus naturaliter inſitos, in actum educere; vt nociua fugiant, profutura conſequantur. Maturis ergo viribus debent deinceps ſibi laborare, cauere, prouidere, vt hoc tyrocinio ſuiſque periculis fiant inſtructiores ad proximi ſui fœtus educationem.

[b] Ezech. 19.

Actiones illæ quamuis à qualibet agentium ſpecie limites accipiant, in eam tamen diffunduntur varietatem, vt difficile ſit eas certo numero, certiſque legibus complecti, tum propter ſolutam libertatem potentiarum, & contingentes affectus vnde manant tales actiones, tum ob diuerſitatem objectorum à quibus ſpecificantur, tandem ob varios caſus qui ſine delectu ſe rebus interſerunt, illarumque ſortem cæca quadam temeritate modis innumeris agitant. Nec tamen ab hac inquiſitione velut infinita deſiſtendum: Nam ſi nautæ ventos, medici morbos, muſici vocis tonos infinitè varios, paucis diſtinctisque terminis aſſignant: ſi ſuas actiones Iudiciarias ex vagis paſſionibus, & vniuerſo, quod homini poteſt competere, rerum omnium dominio, ad certa tamen capita Iuriſconſulti [c] referunt, ſpes eſt naturales actiones, omnium ordinatiſſimas poſſe certa tradi methodo.

[c] Inſtit. de actionib.

Triplex nobis videtur eſſe naturalium agentium finis, primus vt in exiſtentia ſua conſeruentur. Secundus vt augeantur & à debilibus initiis ad ampliora ſe promoueant, tertius vt à contrariis ſe poſſint tueri. Conſideramus autem naturam, vel in agendo liberam pro ſui conſeruatione; & pro debita ſibi magnitudine comparanda, proprias & mutuatas vires ad id explicantem; aut comtemplamur eam vexatam, & pariter vel propriis, vel auxiliaribus munitam copiis illæſam ſe ab hoſtium obſidione præſtantem; Qualiter in talibus ſe gerat, ſcilicet in conſeruatione, acquiſitione, & ſui tutela diſtinctis huius ſecundi libri partibus, legibus, paragraphis, oſtendimus, vt in hoc operum Dei tractatu expreſſior ſit ratio laudandi diffuſam in omnibus eius bonitatem & ſapientiam. Latent nos rerum eſſentiæ, his autem quibus veſtiuntur accidentibus ludit natura, vim aliquando latentem indicans, ſæpius fallens, vt cum in tytymalis ſub ſpecie lactis præbet venenum. Igitur figuris coloribus, ceteriſque qualitatibus fides in totum non eſt habenda, ſed certius quod elici poteſt de eſſentia iudicium petendum eſt ab operatione, à fructibus eorum cognoſcetis eos, inquit Chriſtus; agens enim, [d] quantum poteſt, agit ſibi ſimile. Hic ergo de actionibus tractatus ad ſecretiora naturæ nos admittet, & compendio quodam rerum principia, fineſque complectetur.

[d] Supra. lib. 1. l. 15.

Digitized by Google

REBVS A SVIS CAVSIS INSITA ſunt quædam permanentiæ principia.

Lex 1.

RES in vniuerſo diuerſæ, ad ſummæ tamen vnitatis expreſſionem ordinatæ, mutuo datis receptiſque qualitatibus ſic miſcentur, ſic ſenſus fallente commiſſura [a] ſe complectuntur, vt ab alia in aliam tranſitus vix notari poſſit, & ſub identitatis imagine ſubrepat alteritas. Talis etiam eſt effectuum è ſuis cauſis, inſenſibilis quædam emanatio; fœtus enim hominis primum matris vtero geſtatus vnum cum ea fuit, eius viuens ſpiritu & ſanguine; poſtmodum editus, vlnis, ſinu, ſicut prius vtero portatur, eodem, ſed lacteſcene ſanguine nutritur, & indiſtinctum quid reflexione multiplicatus amor efficit. Huic amori qui diuinum imitatur, non fuit ſatis ad paucos dies, menſes aut annos prodeſſe, accidentalia, citoque peritura dona contuliſſe, etiam cum fructibus fundum dat, ſubſtantiam ſcilicet rem immobilem, ad vltimum vitæ terminum duraturam, corpus potentiis & organis ad proprias actiones obeundas inſtructiſſimum. Ita res productæ vix cenſendæ ſunt extra ſuas cauſas, cum per inſita cauſæ beneficio principia, ſint & agant. Sic cœlum ſemper inferiora videtur vtero ferre, dum cingit ambitu, dum illa ſuis agit motibus, luce recreat, viribus implet.

[a] Supra.lib. 1. 3. §. 3.

Corpora ſenſibilia ne diffluant agendo, ſolidis nituntur fundamentis.

§. 1.

HAbet terra ſuæ conſeruationis duplex præſidium, ſcilicet pondus & ſocietatem; ponderibus librata fugiens exceſſu nociuum ſibi cœli calorem ab eius circunferentia quantum fieri poteſt longè recedit in centrum, & illic immota manet, quia ſurſum aut deorſum declinans, fieret vicinior cœlo, ſic alterutram ſe dederet hoſtili qualitati. Siccitas quæ ſuo termino facilè continetur huic in quiete ſecuritati, plurimum fauet. At ne ſingulæ partes in ſe recedentes à toto diuellerentur, nec inter ſe cohærerent, vt patet in arenis, accedit

Digitized by Google

eſſentialis humiditas qua conglutinantur & totum fit compactum, ſolidumque.

Eaſdem illas qualitates quibus terra ſe tuetur, vtiliter impendit natura pro mixtorum omnium conſeruatione; Nam cuiuſcumque ſint ſpeciei, cuiuſcumque virtutis, plus habent terræ quam cæterorum elementorum, vt non euaneſcant nec diffluant & hoc eſt præcipuum conſiſtentiæ ſuæ fundamentum. Debetur ſiccitati, ſolidæ, denſæ, terrenæque qualitati, quod cœlum ſubſiſtit figura ſua rotundum, quod ſtellæ lucem emittunt, quod in hac cœleſti militia ordines ſuos ſeruant; quod inferior materia & quantitas diuerſis ſit inſignita figuris ad ſpecierum & indiuiduorum diſtinctionem, quod in corporibus ſint partes organicæ ad implendum munus potentiarum, denique quod pulchritudo aptis lineis & coloribus mentes per oculos ad diuina rapiat. Nam aër & aqua humiditate ſua faciles ad omnem impreſſionem, nullam retinent; obiectis recedentibus ſtatim delent quas ſuperficie receperant illarum ſpecies, & ſi continui ſolutionem patiantur, diuulſæ partes, & externo ſuperuenienti conformatæ in ſe momento recedentes, confundunt & abſorbent figuram alienam. Nullæ fiunt lapidum metallorum, gemmarum, foſſilium, in vegetatiuo vel animali conuerſiones niſi à terreno ſpiritu, qui firmitatis, conſiſtentiæ, permanentiæ principium eſt.

[f] Bacon. in hiſtoria vitæ & necis.

Ita viuunt diutius qui ætatem agunt in locis ſiccioribus, [f] firmius enim & diuturnius eſt, quod ſiccum eſt, quales ſunt arbores æthiopiæ, æſtibus exuſtæ, quæ aquis propinquæ proueniunt, minus durant quam quæ in ſiccis, vt ſalix populus, ſambucus: nam principium corruptionis eſt humidum aqueum, quo abundantes herbæ frigidæ quotannis moriuntur, vt lactuca, portulaca; calidæ verò ætatem & annos ferunt, vt hyſopus, thymum, meliſſa. Expurgata ab hoc humido fiunt diuturniora, vt metalla, lapides, oſſa, ignem paſſa vitra, lateres; corpora conſeruantur ſiccata in aperto aëre, in fumo, in igne; aut admixtione calidi, vt ſalis & aromatum, à quibus conſumitur humidum, ſic incorrupta manent ſepulta corpora in quibuſdam caueis vnde exhalat vapor calidus, ſulphureus, & vbi eſt maxima ſiccitas quæ corporis humorem exſugit; ſic incorruptæ manent muſcæ ſepultæ in electro aut arborum gummis.

[g] 2. de partib. anim. cap. 9.

Sicut, inquit Ariſtoteles [g] qui ex limo aut alia maſſa humida animal effingunt, id præſtant firmo aliquo ſubdito ſtabilimento, ſic in hominis formando corpore natura partes carnoſas erexit atque ſtabiliuit ſubiectis oſſibus quæ forent tanquam propugnacula aduerſus omnes impetus, velut ædificij baſes & columnæ; vt autem in omnem partem flecti poſſet ex variis diſcretiſque compactum eſt: omnium ſedes & origo ſpina eſt, quam veteres carinæ in nauigio primum iactæ comparant,

parant, cui, ſeu fundamento, latera, prora, puppis innixa cohærent; os autem cum ſit ſicci terreniqne temperamenti, firmum, ſolidum, immotum ex ſe conſtituit, ſuper quo fertur & decurrit motus.

Non ſolum autem mollia intus firmantur ſicco, ſed & exterius teguntur, talis eſt animalium cutis, arborum & plantarum cortex. Intus autem mollia ſiccum habent exterius vt domum portatilem, murum, præſidium quo ſe tuentur, quo etiam dum ſe proferunt, latent contra vim & inſidias hoſtium; talia ſunt in plantis nucliata ſemina; in animalibus, cruſtata, conchiliata, vnde patet omnibus entibus firmitatem, ſecuritatem, permanentiam naturaliter contingere à ſicco, quod facile ſuo, difficile alieno termino continetur.

Langueſcentem, timidam, & velut in vmbra deiectam ſiccitatis proprietatem, heroica fortitudine præſtantem efficit in ſe ſapiens, dum neglectis rebus externis, ſeipſo contentus, bonis in ſinu ſuo poſitis gaudens, ſibi fortuna & imperium eſt. Hæc fuere Stoicorum vota, quæ ſuperat immenſis interuallis Chriſtiana pietas, dum hominis ſolitarij cor templum conſecrat Dei maieſtate repletum, ſplendoribus illuſtratum, oraculis edoctum, bonum omne in ſummo bono poſſidens. Talis homo vnus cum Deo ſpiritus effectus, neſcit diuidi, neſcit flecti ad arbitrium fortunæ, immotus ſi non dat, permittit infra ſe cuncta moueri, ipſe velut throni [h], procul à rebus infimis, totis viribus in eo qui verè ſummus eſt, immobiliter firmiterque hæret, diuinumque aduentum, ſine vlla motione recipit, ac Deum portat.

[h] D. Dionyſ. de cœleſti hierar. cap. 7.

Vis interior præcipuum eſt in rebus permanentiæ principium.

§. 2.

FOrma ſubſtantialis qua rerum ſingularum natura conſtituitur, ſeu ſit à producente, ab angelis, aut à cœlo, imperantis ius & poteſtatem obtinet; cum enim ſimilia ad ſe mutuò naturaliter inclinentur, in vnum humida confluerent, euaneſcerent aërea, terrea ſubſiderent, ſoluta partium organicarum diſſimilarium compage, ſi non illas forma ſpiritusque dominans in proprijs ſtationibus velut fræno contineret. Inde fit [i] vt omnia corpora quæ habent in ſe ſpiritum acrem, vt ſales & huiuſmodi durent & non ſoluantur ob frænum permanens & durabile ſpiritus dominantis & imperioſi cuncta penetrantis & mouentis: at vbi talis ſpiritus euaporauerit, aut ſuffocatus fuerit per frigus, tunc ſolutæ partes à fræno, coëunt ſecundum

[i] Bacon. lib. 2. noui organi. aphor. 48.

Digitized by Google

deſiderium ſuum naturale; formaque hæc ſuo primo miniſtro deſtituta, diſcedit à corpore, quod paulo poſt putrefactione conſumitur.

[k] Fernel. Phyſiolog. lib. 4. c. 2. & ſeq.

Inde patet calorem [k] quo cuncta viuunt non eſſe elementarem, tum quia viget in his quæ complexione frigidiſſima ſunt, vt papauer, & mandragora; tum quia elementaris caloris proprium eſt congregare homogenea, at hic calor cœleſtis heterogenea miſcet, & mixta continet ne diſſoluantur: vt momento totum corpus peruadat, oportuit illum poſitum eſſe in æthereo & tenuiſſimo ſpiritu, at ne tota vitæ ſpes, huic volatili, ſubſtantiæ nec fidæ ſatis eſſet commiſſa, neceſſe fuit innatum illum calorem ali humido primigenio, pingui, oleoſo, quod à ſemine procedens, ad vltimam vſque ſenectam perdurat: eſtque ſpiritus & innati caloris fundamentum, actionis & vitæ fomes. Illud efficit durabile vnctuoſa ſubſtantia quæ cometas etiam in aliena regione diu ſeruat incenſos; quæ ignes artificiales in mediis aquis præſtat inextinguibiles, & quæ videtur immortalis cum ex cineribus igni validiſſimo ſuperpoſitis, fluit nobiliſſimus liquor vitri mox concreſcentis & per quotcumque ſæcula immunis à corruptione. Cùm diuerſus ſit arboribus humor pro ſanguine, [l] ficis lacteus, ceraſis gummoſus, vitibus aqueus, viuaciores ſunt, quibus lentior.

[l] Plin. l. 16 c. 38.

Quod autem humidum hoc primigenium in aliquibus hominibus longiorem aut breuiorem vitam efficiat, id medici referunt in primarum qualitatum temperamentum humidum calidumque ſpeciei noſtræ conueniens: Aſtrologi [m] in influxum Saturni fœliciter, & in ſigno fixo conſtituti, in optimum cœli ſtatum tunc cum aliquis natus eſt, potiſſimum à primæ domus ſigno, fœlicibuſque planetis corpore aut aſpectu illic exiſtentibus: conſiderant etiam Dominum horoſcopi liberum à combuſtione & maleficis, ſimiliter ſi luminaria fœliciter poſita ſint, ab infortunis non læſa, Ioui aut Veneri iuncta.

[m] Origan. parte 30. cap. 2.

Altius permanentiæ cauſam inquirit D. Thomas; [n] dicit enim cœlum empyreum licet motu careat, influere in inferiora, & illis aliquid fixum & ſtabile largiri vt puta continendi & perſiſtendi vim, vt enim perpetuitas motuum inferiorum reducitur in motum vniformem, tanquam in cauſam, ſic permanentia eſſe ſubſtantialis inferiorum, habebit etiam in cœleſti mundo aliquam cauſam, hæc autem non videtur eſſe alia, quam virtus demiſſa à corpore maximè ſtabili, motuque omni vacante, quale eſt cœlum empyreum. Qualiter autem alicui pluſquam alteri fauens influat, id tam excedit humanæ mentis captum, vt in tanta ſcientiarum vanitate nullus id ſe aſſequuturum promiſerit. Conſtat tamen rebus omnibus ineſſe certum licet latens permanentiæ principium, cui velut fundamento niti debet quidquid actiones negotiantur; nihil ſolidum inædificari poteſt

[n] 1. q. 66. a. 3. ad 2.

Digitized by Google

in arena mobili, & nihil aut parum ad vitæ prolongationem confe- ret tota Galeni & Empyricorum ſchola vltra terminum ſpeciei aut indiuiduo cœli legibus præfixum: fato viuimus, conualeſcimus, morimur, inquit Quintilianus, [o] medicina quid præſtas niſi vt iuxta te nemo deſperet. [o] Declamat. 8.

Rerum præcipua vis eſt in medio.

§. 3.

AD inſita rebus permanentiæ principia pertinet, quod earum præcipua vis ſedet in totius compoſiti medio, triplici potiſſimum de cauſa, ſcilicet ſeruandæ dignitatis, diffundendæ virtutis, & obtinendæ ſecuritatis. Rerum corruptibilium maxima dignitas eſt in exiſtentia, media, ſi aduertas inter duo non eſſe, vnum quod præceſſit, alterum quod ſequetur, & hæc medij conſideratio [o] rationem habet excellentiæ ſupra negationem & priuationem, ſicut vnitatis ſupra diuiſionem, vnum eſt enim medium, duo ſunt extrema. Vnus ſol in medio ſex aliorum planetarum [p] velut Princeps incedit hoc nobili ſtipatus ſatellitio, vnde dicitur à Platonicis cor & ſedes animæ mundi, vim ſuam præcipuam habens in orbis ſui centro, & illic exiſtenti planetæ tribuens. In motu viam tenet inter duos tropicos vt mediam ſic viuificam, & hinc animalium figuris diſtinctam. Subiectus huic cœlorum medietati terræ tractus [q] ad omnia fertilis eſt, modicus illic corporum habitus, ritus molles, ſenſus liquidi, ingenia fœcunda, totiuſque naturæ capacia. Ad inſtar vniuerſi corpus humanum in ſui medio & ſub ſingulari ſolis influxu continet cor vitalis caloris ſpirituſque fontem in partes omnes per arteriarum riuos ſe diffundentem. In medio ſuo habet flamma verum calorem ignis, circa verò calorem terræ per fumum. Vbique quod melius eſt ignobiliori cortice tegitur; gemmæ reperiuntur in communis lapidis ſinu velut matrice; humor criſtallinus eſt in oculi medio, tanquam in ſitu digniori, & vt obiectorum imagines commodius excipiat. Hinc apud Numidas [r] in publico conſeſſu, locus medius habitus eſt honoratior; ſimiliter apud Perſas [s] qui zonam medium corpus ſuccingentem, velut aliud zodiacum auro gemmiſque pro dignitatis gradu diſtinguebant.

[o] Carol. Bouillus in Epiſtolis.

[p] Haly. 1. pa. c. 4. Philo. lib. quis ſit rerum diuinarum hæres.

[q] Plin. lib. 2. c. 78.

[r] Saluſt. in bello Iugurtino.

[s] Plutarch. in Alexa.

Sedet Epiſcopus in medio clericorum ſicut ſtetit Ieſus in medio diſcipulorum, pacem illis cœlitum munus afferens, & in omnibus ad iuſtitiam æqualiter diffuſa bonitate prouidens: hoc ſitu pariter omnibus proximo, & ad auxilia præſtanda diſpoſito, paratum & omni-

bus exhibitum ad ſalutem ſufficiens gratiarum auxilium Chriſtus ſignificabat. Intelligit à centro ad circonferentiam, æqualem eſſe diſtantiam, aranea, quæ in telæ ſuæ venaticæ medio conſiſtit, vt hinc ad prædam capiendam, vel ruinas reparandas per circuitum pari celeritate conuolet. Ea ratione cor è medio corporis ſingulis partibus, ſol circumſtantibus ſphæris influit; Malus altior, nauis medium tenens æquali funium tenſione commodius totam trahit; Rex ſedem habens in regni ſui medio, partibus cæteris bello vel ſeditione laborantibus facile promptumque magis fert auxilium.

Tandem hæc nobilior compoſiti pars ad commune bonum nata, cum in ea recumbat tota conſeruationis & reſtitutionis ſpes fido magis tutiorique præſidio fuit cuſtodienda. Ideo tenet inter cæteras medium, prouidentiâ naturæ vt procul ab extremitatibus quæ pulſantur aduerſis, ipſa ſecurior in ſeceſſu remaneat. Elementa [t] proprias ſuas qualitates non obtinent niſi in medio ſui loci; nam alterantur à circumſtantibus, vt aër vicinus igni fit æſtuoſus & ſiccus, vicinus aquæ fit nebuloſus; ſimiliter aqua in ſummo ſui repletur vaporibus vt aër, vicina terræ fit lutoſa ſic ſingulis elementis propria qualitas, in medio velut in penu vel theſauro repoſita intacta manet, ne tollatur hæc integrantium partium mundi diſtinctio promouendis actionibus neceſſaria.

[t] Albert. Mag. tract. 1. de natura locor. c. 3.

Cum partes omnes, vt diximus, [v] inſertione quadam vix ſenſibili tranſeant in ſe mutuo, cumque inferioris ſupremæ conueniat cum ſuperioris infimis, fit vt quod vnicuique proprium eſt, ſit & appareat tantum in medio; fructus arborum concreſcunt in mediis floribus; ſemina pro conſeruatione ſpeciei pretioſa, latent ſedentque ſuis diſtincta cellulis in medio fructus, cuius alliciens ſuauitas efficit vt ſemen contemptum, intactumque maneat; quod maximè ſpirituoſum [x] & calidum eſt in ſemine, ſe recipit in medium eius quod ei loco centri, craſſius verò & magis terreſtre ſe profert ad exteriora pro vallo. Ex ſemine prodeuntia corpora principij ſui ſortem in partium ordinatione ſequuntur, & quod habent pretioſum ſeruant in ſui medio. Ita cor fons caloris naturalis eſt in thorace, non ſolum vt indè calor in omnem partem commodius diffundatur, ſed vt ſub coſtarum munitione, ſub manuum fortiter decertantium cuſtodia ſecurum & illæſum maneat. Viperæ vis ſalutifera, quæ proprij ſui veneni ſit antidotum reſidet in corporis medio, vnde captis ad tres aut quatuor digitos extremitates amputantur. Inde politica ſumpſit artem arces, munitiones, lectiſſimas militum copias in limitrophis conſtituendi, vt dum tardant franguntque hoſtem irruentem, in medio metropolis [y] & in ea Rex ſecurè ſedeat. Apud Romanos in exercitu qui ſpeciem quandam totius Reipublicæ referebat, ſigna & mi-

[v] lib. 1. l. 3. §. 3.

[x] Alb. Mag. tr. 1. de ſpiritu & reſpir. c. 5.

[y] Plato. 5. de

litum pœcuniæ ſeruabantur in eius medio velut loco tutiori, non niſi deletis cæteris, belli caſus paſſuro.

Cum animal fugiens ſibi contrarium, mouetur motu conſtrictionis, retrahitur tota eius ſuperficies verſus vnum punctum in medio, & figuratur concauum dimidiæ ſphæræ; cauſa eſt, inquit Albertus,[z] quod motor non eſt aliqua forma elementaris, ſic enim motus eſſet rectus, ſed eſt aliqua reſultatio, aliquod veſtigium motoris cœleſtis, cuius motus eſt in gyro. Tendit etiam in medium velut in aliquid cœleſti qualitate præditum, & minus obnoxium corruptioni. Simile quid contingit hominibus in mundana varietate dura paſſis, indignantur externa, factoque cum illis diuortio in ſe redeunt, & ſiquidem innocentem gerant animum, excipiuntur velut in cœleſti æternæque pacis ciuitate, in quam rerum omnium hoſtilium irruptiones non perueniunt; licet ob vitæ neceſſitates exterius prudentia pro famæ, familiæ, bonorum tutela negotietur, litiget, aut arma moueat, qualiſcumque ſit rerum euentus, quantumcumque ſæuiant contumeliæ, hoſtium & potentiorum furores, vir bonus Deo plenus nihil ab his mouetur; cor ſuum præſens habet aſylum & ſanctuarium quo confugiat; gaudet momento talibus inſidiis eripi, ex alto ſolidoque fluctuantia deſpicere, æternæque pacis ſecuritatem prælibare iam beatus.

[z] Lib. 1. de motib. animal. c. 1.

QVÆRVNT OMNIA BONVM SIBI conueniens quo poſſint conſeruari.

Lex 2.

HÆc quæ diximus inſita rebus permanentiæ principia, illius tantum initia & rudimenta ſunt, quæ pluribus indigent ſuperadiectis actibus vt ad perfectum poſſint adduci; Non ſiccitas, non ex oſſibus firma corporis conſtitutio, non forma ſubſtantialis, non calor, non humor primigenius per ſe vitam efficiunt ab internis & externis iniuriis immunem, ſed hæc ipſa ſubſidium quærunt, ali & foueri deſiderant; ſic enim inter ſe conſentiunt hæc inſita vitæ principia, vt tamen mutuo ſe complexu perimant; Calor humidum quo paſcitur, abſumit, calorem per omnia diffuſi ſpiritus exhauriunt, partium iacturâ totum interit, ſi non externo reſtituatur beneficio. Id autem non contingit, inſciis, ingratis, inuitis,[a] vt cœlorum influxus, ſed quæritur

[a] Supra l. 9.

Digitized by Google

viuentis diligentiâ, ſolertia, labore quem delinit & dulcem efficit innatus amor ſui.

Viuentibus innatus eſt amor ſui, ſuæque conſeruationis.

§. 1.

RES quælibet exiſtit per ſuam vnitatem eſſentialem, quæ ſignificat indiuiſionem in ſe, & diuiſionem ab omni alio, ſic in ſe collectam, ſic diſcretam à rebus cæteris, vt nulla coïncidere poſſit in eius identitatem. Hæc vnitas [b] licet indiga, quippè conſtans entitate ſolitaria, cum infinita quadam cæterarum priuatione, diuinam tamen vnitatem, eſſentiali & ſummo amore ſe complectentem æmulatur, in eo quod quiſque ſuam intenſiſſimè diligit, & habet velut centrum vnde procedit, in quod refluit omnis operatio. Id ſignificare videtur mundus generali phyſionomia, ſic conuerſis in ſe luminibus & viribus, vt in ſui commune centrum confluant; Etiam inſenſibilia, ſenſum & affectum oſtendunt pro ſua conſeruatione, dum ſtipatis partibus duritiâ muniuntur, vt externis vndè poſſent alterari, præcludatur aditus, vixque poſſint deiici vel diſſolui. Plurimis ineſt orbicularis figura velut ſecurior, in quam ſcilicet minimum poteſt impetus cadens in punctum; aquæ gutta ſe colligit in orbem, ne diuiſis fuſiſque partibus fiat debilior, ita pendet ex alto, quandiu non vrget pondus nimium, vt non cadat in terram à qua conſumeretur, planum tangit in puncto, vt & ſiccum hoſtile vitet quantum poteſt, & ſi decliue viam aperuerit, expeditior aufugiat.

[b] Marſil. Ficin. in conuiuium. or. 2. Alanus Varenius lib. de amicitia.

Planta quæ dicitur ſenſitiua, ſi tangatur, ſtatim contractis foliis procumbit humi, non aliter quam imbellia quædam inſecta, quæ vt vim in ſe patratam vitent, quaſi foret hoſtibus ſuis inutilis & ingloria, mortem ſimulant. Spongias ſenſum [c] aliquem habere credunt, argumento quod multò difficilius abſtrahuntur, niſi clanculum accedat auulſor. Refert Plinius [d] iuxta Trogloditarum inſulam fruticem naſci, qui ſe carpi ſentiat, & ſtatim induratus aciem ferri hebetet.

[c] Ariſt. 1. hiſt. anim. c. 1.
[d] lib. 13. cap. 25.

Producit fœtus ſuos natura, non abiicit, & quia tutela certior eſt ex proximo, ſibi quiſque commiſſus eſt. Bruta licet in cæteris torpeant, tamen ad viuendum ſolertia ſunt, aliis inutilia non deſunt ſibi, vt ſe vi, dolis, paſſionibus tueantur. Tandem nihil eſt quod ſui diſſolutionem non fugiat, magna vi marmor euellitur è ſua rupe; ſub ſecuri gemit abſciſſum lignum; mortem horret non opinio, ſed na-

tura; ſi animalia quæ ita creata ſunt,[e] vt ſuo quæque tempore moriantur, mortem fugiunt diligunt vitam, quantò magis homo, qui ſic fuerat creatus, vt ſi viuere ſine peccato voluiſſet, ſine termino viueret, ideo mors, quæ ex pœna quam præceſſit culpa, prouenit, & quam natura refugit, contriſtat nos, niſi, vt monet Apoſtolus,[f] fides nos reficiat.

[e] D. Auguſt. ſerm. 32. de verb. Apoſt.
[f] 1. Theſſ. 4.

Omnium quidem entium, ſed nobiliorum magis ſecuritati natura conſuluit, & vt illæſa permanerent tutioribus texit præſidiis:[g] Adamas inter lapides pretioſiſſimus, etiam eſt duriſſimus; latent alta terra, gemmæ, margaritæ, pretioſa metalla; cerebrum cranio duriſſimo tegitur, cor conſtat carne dura, ſolida, neruis intertexta, in corporis medio poſitum, tegitur coſtarum munitione, iuxta brachia pro ipſo decertare parata: Extra rerum alterabilium ſortem Angeli conſtituti, in vnitatem ſuam ſemper collecti[h] nunquam ceſſant à ſui cognitione & amore, Deum imitantes qui bonitatem ſuam abſolutè & neceſſariò vult. Vnde beatis illis ſpiritibus eſſentia ſpirituali cognatus homo, ſe pluſquam animalia cætera, amare, ſuæque conſeruationi magis ſtudere debet, ſapiens autem plus cæteris, eo quod vita dignior ſit; ſic Ariſtippus[i] increpatus ab intrepido nebulone, quod in tempeſtate metum pallore teſtatus eſſet, reſpondit non de pari anima tibi mihique cura eſt, ac metus; ſic pro regis cuſtodia milites excubant, & eum non patiuntur obiici periculis, in quo verſatur omnium ſalus.

[g] Ariſt. 2 de partib. animal. cap. 14.
[h] D. Thom. 1. q. 19 a. 3. & q. 60. a. 3.
[i] Gellius. lib. 19. c. 1.

Naturalis eſt igitur amor ſui, etiam honeſtus,[k] eo quod omnia quæ ad amicitiam pertinent, à ſeipſa ad alios deueniunt, & vnuſquiſque maximè ſibi amicus eſt: Amare proximum ſicut ſeipſum præcipit Chriſtus,[l] & in hac exhibendæ charitatis ratione, dicit contineri legum omnium impletionem, quia nemo lædit ſed beneficiis afficit eum quem amat, amaret autem ſemper, & iuuaret proximum, ſi amaret vt ſeipſum, nam nemo[m] carnem ſuam odio habet, ſed nutrit & fouet eam, ſicut Chriſtus Eccleſiam; Ita ſummum, effuſum, perpetuum in homines diuinum amorem exprimit Apoſtolus per eum quo quiſque pro ſe naturaliter afficitur; Eum nunquam intermitti, nunquam vacare ſupponit lex, quæ permittit[n] abſenti beneficium conferre, pro ignorante[o] fide iubere, & ſemper qui non prohibet[p] pro ſe interuenire, mandare creditur; Legatum factum alicui,[q] cum petierit, non eſt conditionale, quia ſupponitur certò quod petit.

[k] Ariſt. lib. 9. ethic. cap. 8.
[l] Math. 5
[m] Epheſ. 5. 29.
[n] l. Fin. C. vt dig. ordo ſeru.
[o] l. 30. ff. de fideiuſſ.
[p] l. 60. ff. de reg. iur.
[q] l. 85. ff. de cond. & demon.

Humano pectori ſic infixus eſt hic amor, vt ſit fundamentum pietatis, quæ cum tanto honoris apparatu exhibetur patriæ, nam vix quiſque niſi propriis allectus commodis curat publica. Remex pellit nauem, vt cum ea feratur, & magiſtratus gerit officium, vnde res ſua

Digitized by Google

familiaris fiat melior, ſplendidiorque. Ita iubent Imperatores, [r] Curiales vrbium, in eis domos proprias habere vt ſit eis ratio pugnandi pro aris & focis. Olim agri limitrophi militibus [s] concedebantur cum prohibitione alienandi, vt ſimul pro ſuis & patriæ rebus decertarent; ſic apud pleroſque populos [t] diuites admittuntur præ cæteris ad regimen Reipublicæ, quia eorum magis intereſt eam ſeruari. Omnes amant publica, eo quod illis deletis, etiam priuata depereunt, ſicut ſubmerſa naue, omnes quos vehit naufragium patiuntur; at ſi tale periculum non immineat, & deſit proprium intereſſe, rarum eſt priuata publicis non anteferri, & vnumquemque non magis velle ſibi, filiis & amicis, quam Principi bona ſua cedere; ſic motus ſympathicus quem habet ferrum ad magnetem, ſuperat motum communem grauitatis, quo ferebatur in centrum. Sic præcipua cibi concoctio fit in partibus ſingulis quæ ſanguinem, commune corporis alimentum, in ſuam ſubſtantiam conuertunt.

[r] l. 8. C. de ædif. priuat.

[s] l. fin. C de fund. limitr.

[t] Ariſt. 2. polit. c. 9.

Hinc externa quæruntur velut ſubſidia vitæ, quæ primum eſt naturalis amoris obiectum; hinc in armorum ratione, antiquior eſt cauendi, quam ictum inferendi cura; grauius puniebatur abjecto clypeo, quam enſe miles; firmiores ſunt confœderationes ad deffenſionem, quam ad aggreſſionem initæ, & hæc fuit prima iuſti belli ratio, vim vi repellere, vt dicetur infra. Eſt igitur contra naturam inferre ſibi violentas manus, qualiſcumque fortuna premat, quia nos vitæ noſtræ tutores, non tortores prouidentia conſtituit, illi fidem non ſeruant, impreſſam mentibus vim externis omnibus ſuperiorem inficiantur, proditoriè ſe dedunt aduerſis, quæ ſuperare debuerant, qui metu, tædio, dolore, animas ſuas proiiciunt. Hi cæca deſperatione, dum pars fœlicitatis eripitur, totam cum vita ſibi negant, deſertores perire malunt, quam exerceri; ad primos hoſtis congreſſus arma deponunt, contempto Dei Imperatoris in auxilium venientis iuſſu: non eſt credendum ſenſibus, qui preſentem dolorem ſummum æſtimant, quot videmus ex hoſtium, tyrannorum, ægritudinum ſæuiſſimis cruciatibus ereptos; cùm aduerſis & proſperis ſibi ſuccedentibus vita contexta ſit, illam proximæ ſubtrahit fœlicitati, innoxium fundit ſanguinem, qui quia ſe miſerum putat, permittit. Læditur in creatura ſua Deus, in ciue ſuo Reſpublica, & in eos qui ſic iniuſtè ſe necant, iuſtè leges armantur, inſepultos abiiciunt [v] pro his nolunt ſacrificium offerri; ſi caſu factum non peregerint, [x] infames efficiunt. Olim apud Athenienſes & Maſſilienſes [y] mos fuit, vt rei capitis damnati venenum biberent, ſed meritò tandem abrogatus, quia non decet hominem ſui amantiſſimum, eſſe ſuæ mortis executorem, & à pietate magis alienum eſt, aliquem ſui ipſius, quam filium patris eſſe carnificem: Ita reo damnato, præſides non

[v] Can Placuit. 5. q. 5.

[x] l. 38. §. 12. ff. de pœn.

[y] Valer. Maxim. lib. 2. c. 1.

poſſunt

poſſunt relinquere mortis electionem,[z] quia videretur ſuæ morti cooperari.

[z] l. 8. ff. de pœn.

Igitur homo, vt concordat cum inanimatis, appetit ſui conſeruationem; vt cum animalibus appetit obiecta ſenſuum; At vt rationalis appetit bonum & verum; non ſolum vitam, ſed beatam vitam, æternæ veritatis legibus conſonam. Imprimis diligit homo ſeipſum propter ſe, inquit D. Bernardus,[a] caro quippe eſt, & nihil ſapere valet præter ſe, cumque ſe videt per ſe non poſſe ſubſiſtere, Deum ſibi quaſi neceſſarium incipit per fidem inquirere & diligere; at verò cum cœperit occaſione propriæ neceſſitatis colere & frequentare meditando, Deus innoteſcit & dulceſſit, itaut eum diligat, non iam propter ſe, ſed propter ipſum. Mentem autem ſuam deïformem veneratus, integritatis ſuæ diligentiſſimus cuſtos procul ab illa pellit viles & prophanas cogitationes, ne quid illuſtrationibus diuinis officiat.

[a] De interiori domo. & Epiſt. 11.

Innatus eſt boni conuenientis ſenſus & appetitus.

§. 2.

Licet in accepta à ſuis principiis eſſentia conſeruari, primus ſit rebus inſitus affectus cæterorum fons; hæc tamen entitas ſolitaria propriis viribus non ſtat, ſed alieno foueri debet auxilio: cum autem in mundo contraria, bonaque malis aut contigua aut permixta ſint, quælibet ſpecies ſic â ſapiente natura dirigi debuit, vt bonum appetens in nociuum velut in inſidias, temerè non incideret. Ex terræ matris ſinu, quælibet planta ſugit ſibi congruum humorem; aquis gaudens & conſtans cucurbita, ad illas, ſi vicinæ ſint, inclinatur; arbor longas mittit radicum propagines per ſaxoſa, vt perueniat ad fœlicius ſolum nutritioni ſuæ magis propitium: Ita partes corporis[b] cum ſint aliæ calidæ, frigidæ, duræ, molles, non omnes ex eadem ſubſtantia nutriri poſſunt, ſed ſimiles ex ſimilibus, quas eliciunt ex ſanguine, qui nunquam ſic eſt expurgatus & ſimplex vt has in ſe differentias non contineat.

[b] Fernel. lib. de functio. & humor.

Non eſt inferendum cum Campanella[c] res omnes animatas eſſe, quia notitiam & appetitum habent boni ſibi conuenientis; Id enim fit motu naturali quo ſimilia feruntur ad ſe mutuo, vt infra demonſtrabimus, & hæc eſt ſympathiæ, non occulta vt vulgò dicunt, ſed planè ſenſibilis ratio: Nam humidum per tria maximè operatur, inquit Albertus,[d] ſubtilitas facit penetrationem ipſius, interminabilitas dat ei motum in alterum; vaporabilitas eleuat partes eius in quo

[c] Lib. de ſenſu rerum & magia.

[d] Lib. 5. de vegetabil. tr. 2. c. 4.

Digitized by Google

eſt, vt effluere poſſit & ſecum educere; per hanc euaporationem humidi, delibat planta conuenientem ſibi qualitatem, & huic iam facta ſimilior, vt magis adhæreat, ad illam magis accedit. Sic optimè plantis à natura prouiſum eſt,[e] vt cum non obtineant vim egerendi excrementa, nihil attrahant cibi, quod minus alere poſſit.

[e] Theophr. de cauſ. plãtar. l. 6. c. 14.

In animalibus expreſſior eſt illa conuenientis boni, ſubita, momentanea, nunquam aberrans cognitio. Ouis auiditate celerrima depaſcens herbas prati, nociuas non hæſitans præterit, rapit intermixtas vtiles; ſic apis flores quoſdam præteruolat, aliis inſidet & innocuam exercet deprædationem, non pulchritudine, non humido turgeſcente deluſa, vt à nociuis ſuccum eliciat. Quam mirabili ſolertia, quælibet animalium ſpecies, dum ægrotat de remedio ſibi prouidet. Ibis roſtri aduncitate[f] per eam partem ſe proluit, qua reddi ciborum onera, ſaluberrimum eſt: hypotamus acutiſſimam nactus hirundinis cæſuram, ea venam in crure aperit, & nimiam ſuam leuat repletionem. Teſtudines ruta, ciconiæ origano, apri hædera, canes & feles gramine ſibi medentur; ab his vt alui deiectiones, phlebotomiam, denique medicinam, ſic cæteras artes[g] didiſcimus; ædificatoriam, lutum aqua paleiſque temperantem ab hirundine, nauticam à piſcibus, velificationem à nautilo; laboris & regiminis vices, militares excubias à gruibus & anſeribus: hinc apud Ægyptios animalia plurima pro Diis culta, eo quod naturali ductu homines vtilibus inſtruxiſſent artibus.

[f] Plin. lib. 8. c. 27.

[g] Photius Biblioth. c. 147.

Ouis diſcernit à cane lupum, cum vtroſque nunquam viderit, perdix coruum ab accipitre. Elephas[h] veſtigio hominis animaduerſo, intremiſcit inſidiarum metu, iras profluat, & à cœpto remouetur itinere. Tigris etiam feris cæteris truculenta, homine viſo transferre dicitur protinus catulos: hæc eſt natura rerum, hæc eius potentia, ſæuiſſimas ferarum, maximaſque nunquam vidiſſe quod debeant timere & ſtatim intelligere cur ſit timendum, etiam quid ſperandum. Elpis Samius in Africam delatus naue, iuxta littus leone conſpecto arborem fuga petit; adeſt leo procumbens, & hiatu quo terruerat, miſerationem petit: os morſu auidiore inhæſerat dentibus, cruciabatque inedia; blandienti feræ tandem hic fidem habens quod nocebat, euellit, gratiam dicunt leonem retuliſſe, quandiu illic fuit nauis, venatus aggerendo. At vnde ſciuit medicas manus, niſi forte vis malorum etiam feras omnia experiri cogit: vtilia & hoſtilia ſibi ſolo viſu percipiunt, ideo pronum eſt in priora caput,[i] quia ſenſus ante bona aut mala denuntiant.

[h] Plin lib. 8. cap. 16.

[i] Id. lib. 11. c. 37.

Mergi præſentiunt tempeſtates, & relicto mari ad vada conuolant; glyres, mures, aranei præuident ruituras domos, à quibus diſcedunt etiam trimeſtri ſpatio antequam collabantur: iuuenes hirun-

dines, philomelæ, turtures, venturam ſentiunt hyemem, quam nondum ſunt expertæ, & vt illam vitent in alias autumno terras tranſmigrant. Hinc quibuſdam viſum eſt animalia pluribus quam nos ſenſibus eſſe prædita, ſic in illis defectum rationis nobis conceſſæ, compenſari. Pudendum, inquit Plinius [k], omnia animalia quæ ſunt ſalutaria ipſis noſſe, præter hominem. Non omninò iuſte queritur, nam experimenta medici per aliorum mortes quæſierunt, & iam pro tuenda corporis ſanitate remediorum copia laboramus; At lugendæ magis ſunt latentes ægritudines animi, in ſuam perniciem paſſiones omnes amorem, odium, ſpem, iram, metum explicantis: ruunt in nociuas cupiditates miſeri, quibus læditur corpus, hebeſcit anima, languet eius intima vis; certè non deficit in animalium nobiliſſimi tutelam diuina prouidentia, malum enim hoc ſenſus & ratio percipit, damnat ſyndereſis, tamen peruerſus peccantium animus ſciens volenſque ſe præcipitem agit in mortem. Vtinam ſaperent & nouiſſima præuiderent, tam fœlici pro ſpiritualibus quam pro corporeis augurio.

[k] Lib. 27. c. 3.

Dicunt enim ægros ſæpius ſanitati reſtitutos per ea quæ ardentius appetebant, licet haberentur vt nociua, hæc illis ideò negari vetat Hypocrates: [l] Idem refert in ſomnis [m] talia ſæpè præiudicia contingere, quia cum corpus quieſcit, anima in motu eſt, corporis, quaſi domus ſuæ partes explorat, & circa impreſſas ſibi ſpecies verſatur: Galenus ſcribit quod cum circa diaphragma ægrotaret ſe ſomniaſſe liberaturum iri, ſi ſanguinem mitteret ex vena quæ eſt inter pollicem & indicem; miſiſſe ſanguinem & conualuiſſe; diuinationes illas ſic vocari dicit Cicero, [n] quia à diuis immittuntur; cum Aſtrologi coniecturis vti ſoleant vt generalia quædam præuideant, ſoli numine afflati particularia prædicunt, inquit Ptolomæus. [o]

[l] Lib. 2. Aph. 38.

[m] Lib. de ſomnis.

[n] Lib. de diuinat.

[o] Centiloq. nu. 1.

His prætermiſſis quæ miraculi loco ſunt, videmus communiter omnibus inſitum boni conuenientis appetitum, maximo diuinæ prouidentiæ argumento, quæ dat eſcam omni carni; Ex eodem ſolo, vt dictum eſt, multæ plantæ ſugunt proprium alimentum: ſic vnum infinitatem æmulatur, dùm multis ſufficit, velut omnia ſint in omnibus. Vnumquodque lætatur in propriis, & in ſuo quieſcit centro, quod alteri violentum eſſet; piſces petunt aquam in qua mergimur, talpa terra gaudet qua ſuffocamur, aues aëre libero, vnde præcipitio collideremur; & tamen ex aquis, ex terra, ex aëre, vitam & ſpiritum ducimus, quamuis diuerſa ratione. Ita videmus in rebus ſingulis vnum & multa; nihil vacat in vniuerſo, diſtinctis rerum affectibus, nihil eſt quod aliquos non moueat, nihil quod non amet & ametur. Inter homines maxima foret conciliandæ pacis occaſio quod affectus in diuerſa feruntur, vt quod vnus reſpuit, alter am-

Digitized by Google

biat; his abundè natura ſufficeret, & ſic diuiſi mortales non colliderentur, ſi non eorum affectus opinio cogeret in vnum quod à pluribus ſimul non poteſt poſſideri; Vnus eſt ſolus Deus qui quia infinitus, omnium ſimul implere poteſt deſideria, ampliori quam ſolis luce præſens illuſtrat omnium mentes, implet multiformi ſpiritu in vnitatem tamen diuinam, velut centrum charitatis, coïncidente.

Corpus fertur in locum ſui conſeruatiuum.

§. 3.

ANtiqui, mundum dixerunt eſſe animal, pulchrum, ornatum, in actione perpetuum, propter partes ex dignitatis & officiorum ratione, ſic optimè ſubordinatas, vt omnes in totius perfectionem, motu nunquam aberrante conſpirent. Cœlum illi caput eſt, vnde fluit in inferiora motus omnis & ſenſus; altum tenens, & vniuerſa ſuo cingens ambitu, omnium locus eſt in immenſitate diuina locatus, extra quem nulli corporum nec expedit, nec licet tranſmigrare. Sub ipſo ſphæræ ſunt ignis, aëris, aquæ, terræ, ex his elementis cum inferiora componantur etiam habitant in eo, cum quo qualitatibus conueniunt, vt à ſimili prædominante conſeruentur, & in eo quieſcant. Sic ignis & aër ſurſum euolant; aquea & terrea ponderoſa motu recto, velut citiſſimo infra cadunt: aues in quibus multum eſt ignei & aërei ſpiritus, cum terreſtri, vt libuerit quieſcunt & paſcuntur in terra, aut in omnem partem motu liberrimo per aëra volitant: piſces frigidi, quorum caro viſcoſa quæam eſt humiditas, habitant aquas; greſſibilia grauia & terreſtria, terram incolunt; Arbores humidæ vt tiliæ, ſambuci, alni, circa ripas aquarum optimè proueniunt; vnctuoſæ quales pinus, abies, cedri, cum multum habeant ignis & aëris, gaudent montibus.

Conſtat ipſo ſenſu mixta ſibi quærere domicilium in elemento cui magis congruunt per primas qualitates in ipſis dominantes, ſunt enim velut partes quæ in ſuum totum confluunt, vt ſeruetur integritatis & ordinis lex à Deo dicta, & ne nociuis contrariis diuiſa magis exponantur. Maior eſt difficultas cur citra primas qualitates, occulto quodam influxu ſunt loca, rebus certis hoſtilia, cæteris amica. Cur non viuat, [p] aſinus in Scythia, equus in Æthiopia, aurata in occeano Britannico, in mediterraneo ſalmo, lepus in Itaco inſula, canis in Sigaro, ſerpens in Ebuſo baleari, noctua in Creta, aquila in

[p] Plin. lib. 8. c. 28. & lib. 10. c. 29.

Rhodo: quod eſt illud vnius generis ſaluti aduerſum, quæue iſta naturæ inuidia, aut qui terrarum dicati ſingulis termini? quod extra Iudæam balſamum non proficiat, quod Elephantes à primo tantum climate, vſque ad quartum generent, leones non vltra ſextum; quod alliciat nos occulta dulcedine natale ſolum, non ex opinione aut conſuetudine natis affectibus, ſed bonum ſuum ſentiente natura in regione quæ corporis optima parens & nutrix eſt. Sympathiam aut antipathiam illam Albertus [q] refert in cœlorum influxus, qui etiam in proximis ſibi locis, calore, frigore ſimilibus, tamen diuerſus eſt, propter diuerſitatem horizontis & meridiei.

[q] lib. de locorum natura.

Loca determinatis quibuſdam qualitatibus à cœlo ſic affici probat, quia locus cœlo proximior eſt, vnde prius in illum, quàm in locatum vis imprimitur, hanc vim ſe recepiſſe & habere confidit locus, quia non mouetur vt illam obtineat, ſed habitam ad ſe venientibus corporibus imprimit. Locis ineſſe vim actiuam, ſpiritum opificem qui locatum perficiat, patet ex communi chymicorum ſententia, dicentium eandem eſſe lapidum & metallorum omnium materiam ab Archæo terræ ſublimatam, quæ in ferrum, ſtannum, æs, argentum, aurum conuertitur pro diuerſa loci, & matricis illam recipientis diſpoſitione, vt ſanguis commune corporis alimentum, vltima digeſtione, vi partis in quam incidit conuertitur & aſſimilatur; ſic fuſilis materia formam accipit loci recipientis; ſic partus vt plurimum fit ſimilis matri. Si contra quod ſolet mas gignatur in vteri parte ſiniſtra, & corpore & animo accedit ad mulierem, ſi verò mulier in parte vteri dextra, accedet ad colorem, vocem, & mores viri: Natus in Æthiopia etiam ſigno humano cum Ioue & Venere aſcendente, erit niger: ad vim loci referri poteſt quod chilus in ſtomacho tantum fluidus eſt, alibi concreſcit: plantæ in alienum ſolum tranſlatæ, originis ſuæ vires non ſeruant; ſic tranſplantati populi, in ſecunda aut ſaltem tertia generatione amittunt mores climatis vnde ſunt oriundi, & aſſumunt eius in quo reſident. Æſtimat Aſtrologia vim planetarum ratione domus & ſigni in quo ſunt corpore vel aſpectu: Exiſtens in hoſtili ſolo captiuus, habetur vt ciuiliter mortuus, & rediuiuus [r] cum in patriam poſtliminio redierit.

[r] l. 16. ff. de capt. & poſtlim. reuerſ.

Igitur tam in magni mundi, quam in parui & ciuili corpore, partium ſanitas & actio in hoc eſt poſita, vt vnaquæque in ſuo ſibi proprio loco conſiſtat. Luxatum quidem corporis noſtri membrum ſola natura non reſtituit, ſed expectat Chirurgi manum; at in mundo partes eius omnes inſitum habent motum quo propria loca repetunt, ſitumque ſibi vindicant illas vnde vis externa deturbarat. Sic grauia laxatis tandem, rupiſque quibus ſurſum detine-

Digitized by Google

bantur vinculis, quantò citius fieri poteſt in ima relabuntur, & eodem pondere quo ſe mouerant, quieſcunt cognatiſque partibus fortiter adhærent, ne facilè poſſint diuelli. Aër licet in terræ viſceribus editus, cum calore rarefieri cœperit, concuſſo, fractoque quo detinetur carcere per hiatus euolat in ſuperiorem ſibi propriam regionem: quanto fragore ruunt è montibus torrentes, donec nacti planum æquor, mixtis ſenſim vorticibus conquieſcunt. Itaque contra naturam eſt pulſos ex oriente patria ſua Chriſtianos, ſacras illas ſedes ſuas non vindicare iunctis viribus, ſed oblitos ſuæ vitæ, conditionis, pietatis, mutuis cædibus deleri, plaudente cui decertant, impietate. Quas oceanus in terram bis quotidie profert vndas, pari
Gen. 1. 9. tempore repetit, ex antiquo Dei decreto, * quo iubentur in vnum congregari: ſic quos interdum viros bonos ad officia charitatis mittit è clauſtro pietas, cito reuocat in ſolitudinem velut in centrum ſuum, in ſphæram propriam, ſecuram integritatis regionem, centrum enim indiuiſibilis vnitas, vnit & ſeruat, ſicut diuiſio deſtruit.

Vnumquodque ſeipſum præfert alteri.

§. 4.

GRauia quidem deorſum feruntur, vt in propriam ſibi regionem, quæ ſuæ faueat conſeruationi, ſed hæc excipit terra ſuperficie tenus, & quia non datur penetratio corporum, partes centro viciniores ſoliditate ſua tutæ, ius hoc præcipuum inalienabile ſibi ſeruant, nec vnquam vel proximis vel ſuperuenientibus concedunt. Quemadmodum hîc qualitatum ſimilitudo confert ad vnionem, non ad penetrationem, nec tollit ius quod ſibi pars antiquior vt præcipuum vindicat centro proximam fieri, ſic animalia eiuſdem ſpeciei, veniunt quidem in ſocietatem, pro cibo tamen & venere decertant, & ea quæ viribus excellunt, æmulis ſuis volunt præferri; Nam operari ſequitur eſſe, & vt vnumquodque ſibi vnum eſt in ſubſtantia, vt ſibi viuit exiſtentia non communicabili, vt ſuam non alterius ſentit indigentiam, ita ſibi laborat, affectibus primum in ſe, quam in alios conuerſis: Non exundant fontes & flumina niſi repletis propriis canalibus; vis generatiua contingit tantum in perfecta ætate, & ſemen fit ex ſuperfluo alimenti; ventriculus benigniori chili parte ſibi ſeruata fruitur, priuſquam inteſtinis, quod digeſſit, eroget.

Digitized by Google

Eadem inclinatione ducuntur homines, vt ſibi prius quàm aliis preuideant, vt ſaluis ſuis rebus, alienis auxilientur, id quò natura docet, ratio comprobat, nam ſuo cuiqùe corpori præſens eſt anima; vnicuique ſui boni, malique[i], non alterius ſenſus ineſt; vnicuique ſui tutela fuit commiſſa, vt adeſſet ſibi non mendicato, ſed proprio, proximo ſemper & nunquam deficiente beneficio. Si nobis non conceditur aliquam noſtri partem in alios transfundere quamuis id amoris aut miſericordiæ raptus tentauerit, ducto ab eſſe ad operari argumento, nihil videtur detrahendum ex actionibus noſtræ conſeruationi neceſſariis, niſi quod ſuperfluit. Ciuilis quidem ſocietas ad quam naſcimur, charitas, cui nos lex Chriſtiana deuouet, communes quaſdam & auxiliares operas à ſingulis exigit, ſed omnium idea, exemplar, fundamentum eſt amor ſui, qui propterea ſupponendus eſt integer & perfectior. Ita communis boni ratio, includit, vt diximus, ſingularis commodi, velut finis eſſentialis motiuum, vnde ſtipendia, præmia, honores, his qui ſe pro Republica benè geſſerint, decernuntur: Miſericordia, miſeriam alienam, propter paritatem conditionis, noſtram ſibi fingit, vt alteri velut nobis ipſis auxiliemur: Iuſtitia quæ negat alteri faciendum, quod ſibi quiſque fieri nollet, fundatur in amore ſui, qui nunquam caret notitia ſimul & affectu rerum, prout expedit, agendarum.

Proferuntur quidem exempla[t] Theſæi & Pirithoi, Oreſtis & Pyladis, Damonis & Pythiæ, & aliorum plurimornm qui ſe pro amico deuouerunt; & id leges non interdixere, ne deſerta foret hominis vita, nullius amicitiæ cincta præſidio, vt etiam hic excedens amor, ſolitos eius lapſus ex oppoſito magis argueret, & ſub tantis exemplis turpius videretur, officia lege gratitudinis debita non præſtitiſſe.

[t] Valer. Maximus lib. 4. c. 7.

Amor ſpecies quædam eſt raptus & magiæ, transformantis amantem in amatum, in quo ſe putans eſſe & viuere in illo ſe diligit & ſeruat, ita ſibi ſemper laborans, dum alteri videtur conſulere. Nunc in Gallia id amicitiæ miraculum obſcurat conſuetudo, quæ vix vllum permittit in duellis, ſine amico decertare. Aguntur in pericula miſeri, vana fortitudinis oſtentatione, eo quod certamen detrectare probroſum eſt, non conſilio, non electione, ſed caſu; non pro amico, ſed pro ſeipſis, ſcilicet vt vitetur infamiæ nota decertant; cum omnes nobiles paratos eſſe velint, id officium nobili, licet ignoto poſcenti cuilibet exhibere; ſic igitur ſibi quiſque prouidet, etiam dum impendi videtur pro cæteris; pugnat non amico, ſed ſibimet, vel parens mundo ſæuam in ſuos tyrannidem exercenti, nam quos alit ſplendidiùs, habet vt captiuos gladiatores, in arenam ad alterius arbitrium deſcendere damnatos; victorem in aliam detinet cædem; exitus pugnantium mors eſt, ferro & igni res geritur.

Digitized by Google

Hac opinionis, vanitatis, furoris diſcuſſa caligine, communis eſt Catholicorum Doctorum [v] ſententia in extrema neceſſitate ſpirituali, vnum quemque teneri proximis adeſſe, etiam cum facultatum, vitæque periculis; debent enim temporalia ſpiritualibus cedere; tunc res agitur non tam proximi, quam Dei, cuius inuicta ſtare debet lex & veritas; cui tanto pretio quæſitæ, ſacratæ mentes debent cuſtodiri, omnium externorum quæ in nobis ſunt, diſpendijs. Quomodo Chriſtus animam ſuam poſuit pro nobis, [x] ita debemus animas noſtras pro fratribus ponere, ſi periclitetur fides ſæuiente tyranno, populante hæreſiarcha; talis fuit martyrum mens, ſanguine ſuo teſtari veram eſſe Chriſtianam Religionem, à qua velut infœlici, cœloque non probata, deterreri poterat mortalis infirmitas. Habet ſimiliter Eccleſia [y] martyrum loco, pios illos ſacerdotes qui ſub Valerio & Galieno peſte laborantibus exhibuerunt charitatis & Religionis officia.

At vbi verſatur corporalis proximi neceſſitas, [z] huic quiſque tenetur tantum ſubuenire de ſuperfluis vitæ & ſtatus, in cæteris ſe poteſt anteferre. Vnde debitor extremam patiens neceſſitatem, non tenetur rem debitam reſtituere creditori, ſimili neceſſitate laboranti, quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia, & eſt melior conditio poſſidentis. Ipſa intus reflexa brachia docent intentionem naturæ ad ſe cuncta referentis, ſaltem prius ſibi quam alteri volentis prouidere; Inde tot leges ciuiles & Eccleſiaſticæ quibus id decernitur, vt de Cypriſſis [a] ex luco Daphnenſi non excidendis, quia inſeruiebant in Ægypto ad continendos aggeres Nili; de caricis [b] ex agro Athenienſi non aſportandis, vt illis incolæ loci, ſoli fruerentur: Copia frumentorum, inquit Caſſiodorus [c], prouinciæ primum debet prodeſſe cui naſcitur, alienis ſiquidem partibus debet impendi quod lupereſt, & tunc de externis cogitandum, cum ſe ratio propriæ neceſſitatis impleuerit: de fontis aqua [d] primum pars illi cedit, è cuius agro deriuatur in publicum: Rem alienam gerentibus, [e] non interdicitur rerum ſuarum adminiſtratio; tres liberi Romæ, [f] quatuor in Italia, quinque in prouinciis, excuſant parentes à tutela: In generali obligatione [g] pignoris non veniunt ea, quæ quis non eſſet in ſpecie veriſimiliter obligaturus, vt veſtem, ſupellectilem, alia miniſteriis eius neceſſaria, & quæ ad affectionem eius pertinent: ſi nullum ſit ius ſeruitutis, [h] poteſt quilibet aquam ſibi nociuam auertere, licet aliis noceat; Inquilinus [i] poteſt durante locatione à domo expelli, ſi eam Dominus ſuis vſibus neceſſariam habuerit; ſunt apud Iuriſconſultos innumera his ſimilia.

Etiam in ſpiritualibus gratia habitualis [k] quæ ordinatur ad actus interiores meritorios, eſt nobilior gratia gratis data, quæ ordinatur ad

[v] D. Tho. 2. 2. q. 26. a. 5.
[x] 1. Ioan. 3.
[y] Martyrol. vlt. Februa-rij.
[z] Bonacina de charitate puncto 6.
[a] Cod. de Cypr. ex loco.
[b] Athenæ. lib. 2. c. 2.
[c] lib. 1. varia. c 34.
[d] l. 6. C. de ſeruit. & aqua.
[e] l. 8. §. fin. ff. de procura.
[f] l. 1. C. qui numero lib. ſe excuſ.
[g] l. 6. ff. de pugn. & hypot.
[h] l. 2. §. 9. ff. de aqua & aq. pluui.
[i] l. 3. C. de loc. & cód.
[k] D. Th 12. q. 111. a. 1. ad 4.

ad vtilitatem proximi; Iudæis [l] oportuit primum prædicari natum apud eos Euangelium. Hæc eſt generalis & catholica rerum diuinarum deſcriptio & ordo, inquit D. Dionyſius, [m] vt primum Pontifex participet, ſatieturque iis, quæ aliis diuinitus daturus eſt, deinde ita demum ea etiam cum aliis communicet. Prudentes [n] habitæ ſunt virgines quæ non dant petentibus de oleo ſuo, ne ſibi & aliis non ſufficiat: ea ſe ratione tuentur qui vt ſibi Deoque vacent, publicas dignitates abdicant.

[l] Act.13.46.
[m] De Eccleſ. hierar. c. 3.
[n] Math. 15.

Ex hoc inſito naturaliter amore ſui, quo propria præferuntur alienis etiam publicis, factum eſt iure gentium vt eſſent diſtincta rerum dominia. Fabulantur quidem in aureo ſæculo omnia communia fuiſſe, & in eius primeuæ fœlicitatis ſub Saturno memoriam, quotannis Romani Kalendis Ianuarij xenia mittebant, velut ſingulari rerum ſuarum dominio renunciarent, externis in eius poſſeſſionem miſſis. Communionem hanc in ſuam Rempublicam transferre voluit Plato, [o] quaſi querelas & lites omnes extincturus ſi ciues, velut amici, meum & tuum non admitterent, ſed communis eſſet omnium labor & fruitio. Id quidem receptum eſt à quibuſdam philoſophis Brachmanis, [p] Gymnoſophiſtis, Eſſæis, Pythagoricis, vt refert Philoſtratus, tandem à primis Chriſtianis, apud quos, vt ait Tertulianus, omnia erant communia præter vxores. Non mirum ſi communem inter ſe volebant eſſe poſſeſſionem, qui omnem aſpernabantur, qui renuntiantes cupiditatibus quibus miniſtrant diuitiæ, ancillas cum domina procul à ſe pellebant. Potuit hoc inſolitum vitæ genus aliquandiu ſeruari in paucorum hominum ſocietate cui placebat, & in ipſo rerum neglectu deeſſe non poterat paupertas. At vbi viſum eſt diuitias eſſe, corporis tum familiæ, tum Reipublicæ neruos, ſeu vitæ neceſſitatibus commercio prouidendum ſit, vel bello repellendus hoſtis, legiſlarores comprobarunt poſſeſſionum diſtinctionem, quam ipſamet docuit natura.

[o] Lib. 5. de legib.
[p] Philoſt. in vita Appolonij.

Expoſuit quidem initiò res profuſa largitione, his tamen legibus, vt fierent occupantis, & quod quiſque induſtria, labore, bona fortuna ſibi comparauerit, velut ſuum, in vſus etiam abuſus ſuos excluſis cæteris ſibi vindicet. Ex primis hominibus Abel & Cain licet fratres eſſent, eorum quiſque diſtinctam ſuam habuit familiam, diſtinctas poſſeſſiones ex quibus obtulerunt Deo ſacrificium, vnus gratiſſimum qui ſincerum & pingue, alius parcum & repulſa dignum, creatori ſcilicet negante quod ſibi ſeruaret auaritia. Tunc ſolius naturæ ductu quilibet ſeipſum amans vitæ ſuæ ſingulari neceſſitati prouidebat quæſitis labore bonis, quæ cum ob id multum amaret, etiam cæteris communia eſſe non patiebatur. Vnde probat Ariſtoteles [q] contra Socratem inter ciues bonorum communionem nec poſſibilem eſ-

[q] Lib. 2. polit. cap. 2.

Digitized by Google

ſe, nec vtilem; Nam homo quæ ſunt ſibi propria, magis curat quam aliena & vt eſt, ſic agit ratione quadam indiuiduali nec communicabili.

Quæ ſunt vniuerſitatis in nullius bonis ſunt, itaque cum careant Domino ſub eius oculis non proficiunt, ſed nullo curam laboremque ſuſcipiente, iacent inculta: quis enim ſibi vix ſufficiens operas ſuas impendet in agri communis cultura, cuius non percipiet fructum, ſed quem auidæ fortioris manus diripient: quanta foret iniquitas, laborantem laboris ſui præmio fraudari, admiſſis indifferenter omnibus ignauis & violentis ad eius deprædationem? Sublata ſpe meſſis, quis ſemina terræ mandabit, & quæ vix ſibi ſufficiunt, iactabit in incertum? ſi collatis operibus communia debent perfici, quantus eſſet in laboris ſingulorum æſtimatione labor? jam ſeruitus eſt inuitos cogens, languentes & torpentes habens ad opus, quod alacriter cum proprium eſt, perficitur, cum familiæ, liberiſque prouidus amor bona congerit.

Si ex rerum diſtincta proprietate naſcuntur lites, quanto magis ex bonorum communione cum omnes ad idem ſibi vindicandum æquo iure concurrunt, & inter illas, vt inter feras præualet, qui viribus præſtat? ſi deſes in bonorum communium participatione, tantum ſibi vindicet, quantum competit induſtriis & laborioſis? In hac vſurpatione promiſcua, ſub communionis titulo, nulla foret communio, æquitas nulla, ſecluſis ſcilicet à poſſeſſione his quorum cauſa quidem eſſet melior, vis autem ad occupandum infirmior, tantumque ſub vim inferentium & patientium mortibus Reſpublica concuteretur, quantum olim Roma ſub Agrariis legibus. Melius igitur eſt ex inſtituto naturæ dominia diuidi, ſingulorum affectibus quærenda, conſeruanda, diſpenſanda relinqui.

Hæc dicta ſint non vt prouocentur homines ad amorem ſui, nam ad illum ardentius quam par ſit ferri, tum philoſophia, tum religio, leges tam humanæ quam diuinæ conqueruntur, & in fine ſæculorum homines futuros ſui amantes velut vltimum pereuntis mundi ſymptoma, denuntiat Apoſtolus.[t] Notandum hic aberrare non ſapientem naturam, ſed opinionem vulgi, hominem tantum æſtimantis ex corpore, ſenſibus & fortuna: Cenſeatur & denominetur ex mente præcipua ſui parte, tunc amor ſui, & hæc ſe cæteris præferens eſſentialis dilectio, erit ſummæ ſuæ perfectionis incentiuum. Diuitias, honores, amicos, cætera corporis & fortunæ dona, velut externa reputet, & cum Stoicis, hoc tantum ſuum ſibi proprium bonum habeat in ſua poteſtate poſitum, intellectum circa veri cognitionem, voluntatem in ſuis affectibus ad naturæ legem regere; ex Chriſti Domini perfectiori diſciplina, hoc vnum ſit illi pro-

[t] 2. Timoth. 3.

Digitized by Google

poſitum, charitate Deo conformari, non innocens tantum ſed deiformis erit amor ſui. Tunc enim homo ſe Chriſti ſpiritu viuentem, ſe, ideſt ipſum in ſe Chriſtum externis omnibus inconcuſſa fortitudine præferet. Mundus illum vocet ad terrena negotia, expoſitis deliciis blandiatur ſenſibus. pœnas minetur; ſollicitet ad iniquitatem amicus, rapiat turba, ius ad id feciſſe videatur conſuetudo, expoſtulet debita ſuis pietas quidquid fremant parentes, Reges, populi, illis ſe Chriſtianus præponet liber, ſolutus, omnibus ſuperior, nunquam externis cupiditatibus animam ſuam ſibi chariſſimam, Deo ſacram, oppignorabit.

Nihil dare poſſum Deo quod accedat illi, nam bonis ſuis infinitis abundans noſtris non indiget, hoc vnum à me petit miſericors, vt ad dona ſua largius excipienda, ſanctioris vitæ legibus cordiſque dilatatione diſponar: ſic ab æterno me amanti vt complaceam, me amabo; ſedatis, abdicatis circa terrena paſſionibus, puro mentis ſpeculo diuinas excipiam illuſtrationes, quibus poſſim in ipſum ardentius transformari, ſic Deum in me diligam, amabo quod amat, curabo quod commiſit, colam aſſiduus quod ſanctificat: ſic ordinata charitas a deo procedens in deum refluet circulari quodam motu à Deo per Deum in Deum agendo, requieſcet.

Prius neceſſariis prouidetur.

§. 5.

CVm Moyſes Deum deſcribit primo cauſas vniuerſales creaſſe cœlum ſcilicet & elementa, vnde ſecundis agentibus tota vis ineſt, & hæc prius feciſſe, quid eſt aliud quam atteſtante toto mundo, legem hanc futuris rerum proceſſibus dixiſſe, vt inter multa quæ comparari debeant, primum neceſſariis prouideatur: hæc eſt lex beneficiorum, inquit Seneca, [s] vt primo demus neceſſaria, deinde vtilia, deinde iucunda atque manſura; incipiendum autem eſt à neceſſariis. Aliter enim animum peruenit, quod vitam continet, aliter quod exornat, aut inſtruit. Neceſſarium eſt, cui velut poſito fundamento rei ſingularis incumbit exiſtentia; vnde manant, ſaltem vbi recipiuntur profectus, & quo ſublato, quidquid eſt entitatis, virium & gratiæ concidit. Semen plantæ vim innatam continet qua ſurgere poſſit in cauſæ ſuæ generantis ſimilitudinem, ſed cum ſit tam exiguæ quantitatis, vt debitæ partium commenſurationi non ſufficiat; cum pulpæ qua fouetur & alitur humidum, ſenſim

[s] lib. 1. de benef. cap. 11.

Digitized by Google

abſumptum, proximam denuntiet egeſtatem, primos ſuos conatus impendit vt aliunde ſubſidium ſibi conquirat. Vbi ſolis acceſſu latentes in eo ſpiritus incaleſcunt, & his turget infixus humor, non effertur ad calidi, & ſupra trahentis cœli motum; imò radices infra mittit in terram vnde ſuget perpetuum alimentum, ſuis ſuffecturum profectibus. Ita ſemen animalis in vtero trahendi ſanguinis poſſidet facultatem, non ſecus quam magnes ferrum; quare primò competentem ſibi ſanguinem attrahit [t] quem & facilè vincere, & celeriter aſſimilare & ſibi nutrimentum facere poſſit per adnatas venas & arterias vegetius effectum, pulſando tres principes partes efformat, iecur, cor & cerebrum, quæ ſunt cæteris vitæ, motuſque principia, poſtmodum alias ipſis vtiles, primo iecur [v] vnde infantes actiones animæ mutuæ nutritiuæ robuſtiſſimas poſſident, ſecundo actiones profectas à corde. Id [x] enim primum cohærere atque conſtare neceſſe eſt, ex quo incrementum & motus cæteris partibus accedit.

[t] Galen. de natural. facult. lib. 1. & lib. 1. de ſemine.
[v] Galen. lib. de fœtuum formatione.
[x] Ariſt. de gener. anim. lib. 2. c. 6. & de iuuen. & ſenect. c. 3.

Ignis contra motum ſibi proprium tendit infra, vt materiæ quæ præbet alimentum adhæreat, labentem ſequitur, & ſi conſiſtat immota, non prius apice ſurſum nititur, quam incendio latiori, baſim qua ſolidè nutriatur, effecerit: quis niſi prius iactis fundamentis ædificat, & neceſſariis ſumptibus ſupputatis, [y] ne turpiter ſubſannetur, ſi non potuerit conſommare? quis bellum commiſſurus non prius de annona, munitionibus, angariis & neceſſario commeatu cogitat? hinc apud Romanos [z] tot conceſſa in cauſa primipilari priuilegia. Vrbium fundatores prius explorant cœli ſtatum, ſoli fœcunditatem, maris portus, fluminum vias, vicinorum mores & fœdera, quæ ſi deſint in pœnam ſuam coït ciuilis ſocietas, fruſtraque fiunt leges ad inſtitutionem vitæ, ſi prius quo ſubſiſtat vita non habuerit. Vt corpori ſic mentibus neceſſaria præbeantur ſcilicet bonæ leges quæ ſunt velut fundamenta ſurgentis Reipublicæ.

[y] Luc. 14.
[z] l. 3. & 4. C. de primip. l. 4. C. in quib. cauſ. pign.

Non eſt quod conqueramur in nobis prius eſſe corporale, [a] quam ſpirituale, prius nos ſenſibus quam ratione duci, ſeruat hunc ordinem natura, & pro fundamento ſupponit elementatiuum vegetatiuo, vegetatiuum ſenſitiuo, ſenſitiuum rationali, Cum autem ſic nobilium etiã operum ſuorum initia rudia ſint, illa, pudore hic conformat in abditis, nec profert, niſi plurimum elaborata. Non obſtat quod arbores ſtatim vt vernum tempus fauerit, ſine fructu floribus luxuriant, quaſi tunc pulchritudinem vtili, decorem neceſſario nobilis natura præferat. Illam cogita vires ad hoc opus hyeme tota congeſſiſſe, radices impleſſe ſucco, cuius pars ſubtilior & aërea, altum petens, turgentes ramos primò ſic exornat, donec quod ſolidius ſubeſt ſole digerente in fructum conuertatur. Sic in iuuentute ſplendet pulchritu-

[a] 1. Cor. 15.

Digitized by Google

do, propter optimam corporis temperiem innatique calidi copiam, [b] cum non multum abſit à vitæ principiis. Id igitur quod delectat, non præcedit, ſed ſubſequitur optimam humorum craſim, neceſſarium vitæ fundamentum, cuius decor eſt, tum ſignum, tum effectus. [b] Galen. 3. epidim.

Neceſſaria delectabilibus præferri patet, in eo quod ſi res periclitetur, & in extremis poſita, iiſdem modis reſtitui debeat, quibus primo conſtitit, cedunt vtilibus decora, & poſtpoſitis ſenſuum lenociniis conſeruationi neceſſariæ prouidetur. Ornamenta publica priuataque deſtruuntur, cum id expedit ad obſeſſæ ciuitatis munitionem, tunc, & cum malacia nauem in mari detinet; ceſſat luxus in conuiuiis, vt arctè cunctis alimenta ſuppeditentur; fiunt omnia communia, [c] ceſſante priuilegio. Ita fames vultus pulchritudinem extenuat, illique prius impenſos humores natura repetit, vt ad vitæ fomitem, internis eos infundat partibus. Sic abdicatis delitiis rigidiorem diætam exigit medicina, pro corporis ſanitate, Philoſophia pro virtutum habitibus comparandis; Religio rerum terrenarum contemptu, in expiationem delictorum, & vt vnum quod neceſſarium eſt, facilius poſſit conſequi. [c] l. 2. ff. ad l. Rhod.

Pulchritudo & voluptas exundantia quædam eſt bonitatis, quæ non tantum implet indigentis naturæ deſideria ſed velut oblitam ſui, ſatiatam ſecuram in vlteriora diffundit: vnde ſi floribus, vultibus, gemmis quibuſdam ineſt procul ab vtili pulchritudo, & ſine vſu decus, id eſt ſingulare [d] quid, velut præludium æternitatis, in qua nulla premet neceſſitas, & ideò ſola pulchritudine ſine libidinis incentiuo perfruimur. At communiter in hac indiga mortali conditione, cum voluptas ſit tantum quædam exuberantia boni, ceſſat, vbi deficit cauſæ ſuæ plenitudo. Voluptates ſectari iuuenile vitium eſt, vt profuturis intendere, virilis maturique iudicij munus. [d] D. Auguſt. de ciuit. Dei lib. 22. c. 24.

Cum hæc ita ſint, & in naturæ hominumque moribus, neceſſaria delectabilibus præferantur, quærit D. Ambroſius, [e] cur Noë non dicitur ſeruiſſe triticum ad vitam neceſſarium, ſed plantaſſe vineam ad delicias commodam. Reſpondet in hac vniuerſi reſtitutione ſicut & in creatione, abundantius neceſſariis à Deo fuiſſe prouiſum, & terram impinguatam tanta rerum congerie, ſpecierum & elementorum ſeminibus prægnantem, omnigenas meſſes vitæ neceſſarias vltrò protuliſſe, ſic virum ſapientem vt de deliciis cogitaret, prouocauit abundantia. [e] lib. de noë & arca c. 19.

Id vnum quod Chriſtus dicit nobis eſſe neceſſarium, Deo ſcilicet inhærere, opus eſt Angelicum; tam ſublimis perfectionis, vt in ſuperandis quæ contra militant cupiditatibus, in acquirenda quæ nos

Digitized by Google

ad illud promouet charitas, tota vita, cum aſſidua mentis intentione, tum neceſſaria, tum breuis ſit, ita nunquam nobis ad delitias vocatio conceditur, ſed viatoribus nobis ſemper vltra progrediendum eſt, paruulis in vtero matris Eccleſiæ, vel ab eius vbere pendentibus, ſemper creſcere neceſſarium eſt, donec ad plenitudinem ætatis Chriſti perueniamus.

NIHIL FIT AVT AGIT SEIPSO, SED indiget auxiliis.

Lex 3.

NAtum omne pares habet ſuis initiis progreſſus, & ſicut nullum ens fit, ita nec agit ſeipſo, ſed vbique ſemper indigum alienis ſtare debet auxiliis. Alia tamen ſors eſt naſcentis & proficientis, nam ſolo cauſæ beneficio primum in exiſtentiam producitur, nihil enim ad id conferre valet quod nondum eſt, at agens vtitur medijs, quæ vel edit, vel conquirit, eligit, moderatur dictis à ſe legibus, & ideo velut ſua ſibi vindicat. Solus Deus ob infinitam ſuam perfectionem cui nihil deeſt, nihil poteſt ſuperaddi, omnia complere valet vt creauit ſeipſo, nullis aduocatis auxiliaribus viribus, nam ſua potentia [f] quæ eſt operationis principium, eſt ipſa ſua eſſentia infinita. At in Angelis, quorum exiſtentia non eſt eſſentia, & qui compoſiti ſunt ex actu & potentialitate, materia ſcilicet metaphyſica, D. Dyoniſius [g] diſtinguit, ſubſtantiam, virtutem operationem. Id multo magis contingit in entibus inferioribus, quæ quia plurimum recedunt ab eſſentiali diuina ſimplicitate habent cum forma ſua, accidentia realia ſuperaddita, potentias ſcilicet quarum vi ſuas edunt operationes. Tales operationes cum ſint externæ, tranſeuntes, & ſæpius intermittant, dici non poſſunt potentiæ, quibus proprium eſt, eſſe fixum, internum, inexhauſtum: Et illæ potentiæ cum reſideant in ſingulis organis non ſunt forma quæ eſt vniuerſalis, & illarum commune principium, ita ſunt hæc ab inuicem diſtinguenda. Sicut ſemen, vt diximus, primò mittit radices in planta, venas in animali, quibus ſugit alimentum ſuis profectibus neceſſarium, ſic ex forma quam ſeu generans, ſeu cœlum impreſſit, emanant potentiæ vitales, organorum actus, edendis in poſterum operationibus neceſſariæ; Cum ita ſint, velut eſſentiæ fructus; velut perennis fontis

[f] D. Tho. 1. q. 77. a. 1.

[g] De cœl. hier. c. 11.

Digitized by Google

riuulſi, non tam auxiliaribus quam indigenis viribus voti compotes efficiuntur. Similes ſunt populis qui ſe liberos exiſtimant, ex eo quod reguntur ab his quos elegerint. Potentias illas generaliter diuidimus in actiuas & paſſiuas, his enim duobus modis vel agendo vel patiendo ens omne perficitur.

Inſitæ ſunt rebus ad ſui perfectionem potentiæ.

§. 1.

INfinitum eſt inſitarum rebus potentiarum ſeriem texere cum ex illis procedat hæc actionum immenſa diuerſitas quæ colludit & negotiatur in vniuerſo: Si vegetans, nutritur, creſcit, generat; ſi ſenſus quilibet in animali ſuas obit functiones, viſus rerum ſpecies, auditus ſonos, guſtus ſaporem, odoratus odores, tactus, externas qualitates, molle, durum, aſperum, percipit; ſi ſtomachus poteſt citò ſolidum alimentum macerare, & in fluidum liquorem ſoluere, quod ars vix diuturnis molendinorum tormentis, armatiſque ferro palis crebrò cadentibus, aqua ſtillante, perficit, ſi liquorem hunc expurgant inteſtina, & defæcatum guttatim per meſeraicas refundunt in iecur, ſi vertitur illic in ſanguinem, ſi ſanguinem iterum ab humore ſuperfluo purgant renes, à bilioſo fel, à terreſtri ſplen; ſi liquidum ſolæ continent venæ, percurre cæteras humani corporis functiones procedunt omnes à diuerſis potentiis, quarum vnaquæque in ſuo proprio reſidet organo.

Amplioris virtutis ſunt illæ quæ dici poſſunt cognoſcitiuæ, quia cæteris, organiſque modis innumeris vtuntur, prout expedit ad nociui fugam, boni, finiſque conſecutionem; acuminato penicillo, calamo ad reddendum atramentum optimè compoſito pingentis manus, infinitè varias exprimit figuras; faber vnico malleo quot formas metallis imprimit, ita licet vnius organi determinata ſit conformatio, illud tamen, inflectit, explicat, contrahit potentia & ſpiritus opifex, tot modis, quot exigit rerum & obiectorum contingentia. Singulares illæ potentiæ inhærentes organis, miniſtræ ſunt habituum inſitorum, quibus, vt dictum eſt, animalia naturæ ſolius magiſterio, vtilia ſibi, nociuaque percipiunt, & prout caſus obtulerit res hoſtiles vel amicas, ad pugnam, vim, dolos aut fœdera, quantum fieri poteſt, aptiſſimè componunt.

Brutis quibus totum in corporeis bonum eſt, datæ ſunt illæ pro corporis tutela potentiæ, at homini, cuius fœlicitas in ſpiritualibus diuiniſque conſiſtit, datæ ſunt potentiæ ſpirituales, vniuerſaliſſimæ,

Digitized by Google

vltra ſortem corporalium, ad immenſitatem propius accedentes; primum ratio quæ naturaliter habet in ſe generales agendorum idæas, nam de omnibus iudicat, fœcundiſſima propagine vnum infert ex alio, artes per experimenta conficit, congruis illas inſtruit præceptis & organis, naturam imitatur, ſuperat & perficit, ſic homo fit mundi quodammodo Deus, quia nouus conditor.

Cum eius fœlicitas in actione morali, & recta ſui ipſius quippe nobilioris in vniuerſo partis inſtitutione conſiſtat, inſitarum ſibi inclinationum præcipua videtur eſſe circa Deum Religio, quam ſequitur ſyndereſis, monens quali iuſtitia colendus ſit; hæc omnium mentibus impreſſa lux, oſtendit verum & bonum, & ſi rectè quis intendat diſcuſſis opinionum tenebris à falſo maloque diſcernit. Bona conſcientia etiam obruta delectat [h] concioni ac famæ reclamat, in ſe omnia reponit, & cum ingentem ex altera parte turbam contra ſentientium aſpexit, non numerat ſuffragia, ſed vna ſententia vincit, ſi verò bonam fidem perfidiæ ſuppliciis affici videt, non deſcendit è faſtigio, ſed ſupra pœnam ſuam conſiſtit.

[h] Seneca de benefic. lib. 4. c. 21.

At ne vis illa domeſtica, ſenſuum paſſionumque commenſalis, harum commercio polluatur, animo etiam cum viribus ſibi cœlo datis laboranti, ad optima ſuſpiranti, propitius, vt dictum eſt, [i] adeſt Deus per auxilia gratiæ; hanc multiformem vocat Apoſtolus [k] quia ſicut lux omnibus naturæ productionibus, ſic omnibus illa bonæ mentis conatibus fauens adeſt, præuenit, adiuuat, conſummat, & ſi voluerimus diuina, diuinæ nos naturæ conſortes efficit. Meritò circa nos Dei miſericordia dicitur eſſe ſupra omnia opera eius, quæ nos humanis diuiniſque præſidiis munit, non naturæ tamen, ſed æternitatis ſplendoribus illuſtrat, ne deluſa mens à fine ſuo deuiet.

[i] Supra libro. 1. l. 8. §. 4.
[k] 1. Pet. 4. & 1. Cor. 12.

Res non minus patiendo quam agendo perficiuntur.

§. 2.

Miram in vniuerſo videmus extremorum inter ſe conuenientiam, & ſupremis infima, [l] quibuſdam illuſtrium qualitatum titulis congruere: vt Deus habet actu infinitatem, æternitatem, immortalitatem, ſic materia prima illi ex diametro oppoſita has videtur imitari perfectiones, eam æternam aſſeruerunt antiqui, omnes fatentur nullius eſſe determinatæ formæ, incorruptibilem, implentem omnia; terra vt cœlum empireum ſtat ſine motu; luna plenâ & ſilente pariter intumeſcit oceanus, tam fluit in terras, cum ſydus illud ſuum aſcendit ab oriente ad meridiem, quam cum deſcendit ab

[l] Marſ. Ficin. Theol. Platon. lib. 10.

Digitized by Google

occidente ad imum cœli, ijſdem contrariis temporibus velut ſimili fato auſpicatiſſimis Germani [r] ſua celebrabant comitia; planetæ [s] in his etiam oppoſitis quadrantibus habentur orientales; æſtatis initium, [t] æſtatis exitui, hyemis initium, hyemis exitui reſpondet. Hæc infinitè ſimilia Phœnices [v] referebant per draconem in orbem redactum, caudamque ſuam deuorantem, quia rerum initia fineſque coïncidunt. An quia ſic æmulantur omnia motum cœli circularem, in id vnde cœpit redeuntem? an quia naſcente mundo, cum dixit Deus, fiat lux, facta fuit in hoc noſtro hemiſpherio à ſole, arietem meridiemque obtinente; in alio à luna in libra, & ſolis oppoſitione, ſic ſupra infimaque pars orbis ſimiliter illuſtrata fuit.

[r] Tacit. lib. de Morib. germanor. [s] Ptolomæ. quadrip. lib. 1. c. 5. [t] Galen. in introductio de pulſibus. [v] Macrob. ſaturn. l. 1. c. 9.

Hæc quidem congruunt, ſed verior mihi videtur ratio cur inferiora referant ſuperiorum imaginem, quia cum ſint in vltimis naturæ gradibus, imbecilli forma, & ad priuationem plurimum accedente, vltrò ſuperiorum influxus recipiunt; cœlum enim totum formale, virtutibus exundans, ambit cuncta motu celerrimo, vt impleat materiam penè vacantem, cum induitur forma minus nobili. Materiæ primæ potentia diſponit vniuerſum, vt vbique referat, bonitatis, ſapientiæ, potentiæ, cæterarum Dei perfectionum imaginem. Terra, vt diximus in elementis vltima, omnium tamen eſt ditiſſima, pulcherrima, eo quod immota jacens, formæque ſuæ cedentis patientia, cœli vires largius excipit: etiam mixta quæ ſunt in vltimo naturæ gradu, lapides ſcilicet & metalla, ſic ſplendore, ſic occulta virtute planetas referunt, vt ex illis vulgò nomen accipiant. Cera mollis nullam habens figuram, eam quam imprimere volumus, facilè recipit; caret pupilla coloribus, auditus ſonis, olfactus odoribus, lingua ſaporibus, & quodlibet organum vacuum eſſe debet qualitatibus quas ab obiectis recipit, nam ſi iam eſſet affectum, aut nullatenus aut confuſè determinaretur.

Tales optat Reſpublica judices, qui priuatis affectibus exuti, communes tantum induant, juſtitiæ quæ virtus eſt ad alterum digni ſacerdotes, ſicut nomine ſic officio publicam tantum agant perſonam. At quia vix reperias hominem qui vel inſcitia vel paſſione ſaltem interdum non deflectat à recto, publica conuentione & ſponſione conſtitutæ ſunt leges quæ ſingularia quantum poſſunt determinant, [x] nec relinquunt iudicantium arbitrio, hinc ſperatur fœlicior rei publicæ priuatæque ſtatus, nam vt ait Philoſophus, legum lationes ex longi temporis conſiderationibus fiunt, at iudicia de repente, vt difficulter rectam habeat iuſtitiæ & vtilitatis rationem ille qui iudicat. Quid igitur ſperandum aut quid non timendum ex noſtri ſæculi iudicibus qui neglecta legum peritia, contemptis Iuriſconſultorum reſponſis, ex praxi pro captu ſuo dubia lites dirimunt

[x] Ariſtot. 2. Polit. c. 7. D. Thom. 1. 2. q. 95 a. 1. Ariſt. 1. Rheto. 1.

velut antiquis ſapientibus iudicio pares, imò ſuperiores ſint. At tales ſe non eſſe ſentiunt ipſimet, ex incerto, ad momentum vario, conſultationis indigo, ſæpius pœnitente ſuo iudicio. Etiam in ſinum probitatis amantem, occultus quidam amici, familiæ, potentioris, ſpei metuſque ſenſus irrepit, & Iuſtitiæ lances inclinat ad indebita, reclamante peritorum cœtu, ingemiſcentibus familiis quas improuida iudicis vox, grauius quam hoſtilis deuaſtatio agit in deſperationem. Sic ne leuiter de fortunis & hominum vita decernitur, & ſententiæ velut fulminis ictu, alta licet innocua ſanctaque percuſſa cadunt? hæc eſt expreſſa Principis voluntas, publica populorum conuentio, vt poſitæ legi, velut fundamento magiſtratus inhæreat; ſub ea conditione, probatur, poſtulatur, infula decoratur? ad quid tam celebris Iuriſprudentiæ titulus magiſtrorum diligentia & emeritorum cautione comparatus, ſi leges docentur in ſcholis, negliguntur in palatijs? ſi non ex antiquorum ſapientum placitis, ſed ex noui forenſis empyrici æſtu quodam præuaricante proferuntur iudicia, innocentiæ ſimul & maieſtatis ſenatoriæ periculis? Leges conſtitutæ ſunt, ne iudicibus omnia liceant, & ecce Iudex affectato per inſcitiam legum comtemptu, eas quantum poteſt, abrogat, vt ſolus ipſe pro lege ſit. Hac animi præparatione peccat in omnes, donec à ſingulis, prout caſus tulerit, aberret. Scire forum pudnit, quod non ſcire pudor eſſe debuerat; noluit intelligere vt bene ageret, vt abſque laborioſa quæſtionum diſcuſſione, quod primo mentis impetu viſum eſt, pro iure ſit. O lugenda litigantium ſors, tot impenſis & longa ſeruitute ſtrages ſuas ementium? O cæca, verſatilis, iniqua, fortunæ conuitiis omnibus notanda iudiciorum alea? Heu qualis Aſtræa rebus humanis præſidet, ſi abiecta lance, vitta clauſis oculis, armata manu, ruentes ad ſe ſupplices turbas non iudicat, ſed ferit, ferro hinc inde numquam impunè miſſo, & nulli niſi cum alterius iniuria parcente.

Abſtractionem à rebus ſingularibus, potentiamque ſuperiorum influxibus patentem reſpectu perfectioris vitæ paucis Chriſtus expreſſit. Si quis, inquit, vult venire poſt me, abneget ſemetipſum; ſi quis non renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus; qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam, externis bonis, ſanguine coniunctis, ſibimet affectu moriendum, vt nihil mortale ſitiens, nec capiens anima, diuinis impleatur; deſinat eſſe homo, qui vult fieri Deus; & hæc humanitatis priuatio, ſit diuinæ formæ recipiendæ principium. Vt autem deiectæ magis formæ, ſuperiores præſtantiores qualitates facilius excipiunt, ita factum eſt vt idololatria perditæ gentes citiùs ad Chriſtum quam Iudæi conuerſæ fuerint, vt nunc etiam mundanis cupiditatibus pec-

catiſque velut nihilo merſi, auidius vocanti gratiæ conſentiant & perfectionem Euangelicam profiteantur, ideoque tepidos, magis quam calidos aut frigidos auerſatur Deus. Stant enim magis in gradu ſuo, minuſque diuina patiuntur tepidi. Numquid ea ratione verbum diuinum non naturam Angelicam aſſumpſit nobiliorem & in propoſito fixam, ſed humanam vltimam mentium, fluxam, vt labi ſic erigi facilem?

Prophetæ miracula facientes, non viuunt vitam humanam, ſed diuinam, inquit Iamblicus, [y] quaſi anima eorum ocietur, & Deus ibi ſit pro anima, moueatque tanquam excellentior: idem dicit Plato [z] diuinationem contingere hominibus, cum prudentiæ & rationis vis præpedita eſt à ſomno, morbo, extaſi: hinc fit vt in rebus dubiis ſæpius optima conſilia dentur à minus ſapientibus conſiliariis, & ſint magis fortunati qui minus conſultant, ſunt enim magis à cœlo paſſibiles hi quos proprij motus non infeſtant, ſicut melius ſcribit diſcipulus cuius manum nihil aut parum ad caracterum formationem conferentem, totam dirigit magiſter. * Fruſtra poeticas fores compos ſui pepulit, non poteſt grande aliquid & ſupra cæteros loqui niſi mota mens, cum vulgaria & ſolita contempſit, inſtinctuque ſacro ſurrexit excelſior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali, non poteſt ſublime quidquam, & in arduo poſitum contingere, quandiu apud ſe eſt, deſiſcat oportet à ſolito, & efferatur, & mordeat frænos, & rectorem rapiat ſuum eoque ferat quo per ſe timuiſſet aſcendere.

[y] De myſter. c. 24.

[z] In Timæo.

* Seneca lib. de Tranquill. animi cap. vlt.

Certè quas habemus artes & ſcientias, magis debemus docilitati noſtræ quam inuentioni, nam quilibet, etiam fœlicis genij, pauca marte proprio reperit, cætera diſcit à præceptoribus, & in plurium ſæculorum labores, velut opulentam ſapientum hæreditatem admittitur. Entis omnis inferioris conditio præſtantior fœliciorque magis eſt, quo placidius ſuperioris impreſſiones excipit & ſequitur. Pax, ſummum populi bonum, fructus eſt conſtanter exhibitæ rectoribus fidei, nam omnes iſtæ feritate liberæ gentes, [a] leonum, luporumque ritu, vt ſeruire non poſſunt, ita nec imperare, non humani vim ingenij, ſed feri & intolerabilis habent, regere non poſſunt, quibus non contingit populus qui regatur. Oeconomica, politica, Religioſa ſocietas conſtat ordine, ordo fida perpetuaque cuſtodia dictæ legis à Rectore; Angelus Angelo imperat, [b] & inter iubentem & imperantem ſumma ſemper manet concordia. Obedientia virtus eſt, [c] quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertaſque cuſtodit, vnde primus homo, præceptum quod obſeruaret accepit; Naſcente mundo ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas vi quadam effectiua & fabricatoria, ſicut ſuperfertur voluntas artificis ligno, vel

[a] Seneca lib. 2. de ira c. cap. 15.

[b] D. Bern. lib. de ordine vitæ.

[c] D. Aug. lib imperfecto de Geneſi ad literam.

Digitized by Google

cuilibet materiæ ſubiectæ ad operandum; ſuper aquas, ideſt ſuper inferiorem materiam quæ facilè cedit operanti, vt aqua quibuſlibet motibus. Igitur inferiora minus perficiuntur, actiuis propriis potentiis quam paſſiuis, quibus ſuperiorum vires ampliores, nobiliores excipiunt.

AGENS CONGRVIS INSTRVCTVM eſſe debet mediis & inſtrumentis.

Lex 4.

NImium ſibi blanditur homo, velut in orbis medio rerum medius, admittatur in totius naturæ ſpectaculum etiam in intimos eſſentiarum fontes, vnde tota vis in actionem diffunditur. Latent ipſum æternæ rerum ideæ, liberaque Dei decreta, quæ futuris rebus legem dicunt; Latet partium cum vniuerſo, dierum, annorum cum ſæculis, ſæculorum cum æternitate conuenientia; latent eſſentiæ, formæ, & quæ ex illis manant, actiuæ paſſiuæque potentiæ, cumque ſenſus illa non percipiant, cæca ratio pertentat, debilibus, nixa coniecturis. Externæ tantum rerum facies, motus varij, & quibus perficiuntur organa patent oculis, & hæc tam aptè rebus agendis conueniunt, vt ex illis certius quod haberi poteſt ducatur iudicium; ex inſtrumentis actio, ex actione coniicitur eſſentia, cum agens,[d] quantum poteſt, agat ſibi ſimile. Hinc diuinum quid & propheticum habere videtur quod periti pronuntiant ex plantarum & animalium phyſionomia; Inde Galenus [e] humani corporis partes qua conſtant in ſe & ad inuicem optima conformatione, propter operationes ritè perficiendas expoſiturus, dicit illos ſuos commentarios hymnos eſſe qui conditoris bonitatem & ſapientiam celebrent. Medicorum eſt hanc phyſiologiæ partem exactius per analyſim & anatomen diſcutere, nos communem omnibus naturæ legem exponentes, attingimus tantum vniuerſalia, quæ pertinent ad mediorum & inſtrumentorum conditiones vt edendis ſuis actionibus optimè præparentur; inde ſapientiſſimo conditori Deo laudes dicturi; In hoc enim conſiſtit vera & ſancta magia, vt per mundum elementarem & cœleſtem, perueniatur ad archetypum.

[d] Vide lib. 1. l. 5.

[e] Lib. 3. de vſu partium

Nihil rectè fit ſine congruis organis.

§. 1.

EAdem quæ nos primum in ſocietatem adduxit neceſſitas, res naturales variis iungit fœderibus, vt ſibi mutuò præſtent auxilium, & ipſæmet dum perficiunt perficiantur. Nullum agens inſitas ſibi, & à forma manantes potentias educit in actum, niſi iuuentur organis ad id conuenienter diſpoſitis; hæc autem ex ſe terreſtria, jacentia, dum aliena vi mouentur veniunt in conſortium præſtantis actionis, & ab ea, cui ſuccurrunt, indigent, nobilitantur. Tali nexu ima ſummis deuinxit ſapiens orbis artifex, vt quod eminet non inſoleſcat, velut ſibi ſufficiens, & quod gradu deprimitur, non deſperet in aliorum auxilium, ſuique gloriam aſſumi.

Hæc autem media & inſtrumenta ſunt vel externa vel propria, vtraque prout occaſio, rerumque natura tulerit, edendis actionibus æquè neceſſaria. Ignis proprio ſenſibili corpore carens, alieno tantum inſidet. Vita materialis eſt duplex, altera vegetatiua, altera ſenſitiua, neutra eſt ſine extrinſeco, hinc vegetatiua ſumit alimentum, ſenſitiua motus ſui principium, etiam innixa vegetatiuæ functionibus: Nihil proficit chirurgus ſine medicamentis, artifex ſine propriis arti ſuæ ſolitis organis, politia ſine miniſtris, Religio ſine ceremoniis, bellum ſine maximo commeatu.

Deus ipſemet agit mediantibus cauſis ſecundis, dat inferioribus vim ad ſui conſeruationem per cœlum, [f] hominibus reuelationes & illuſtrationes per Angelos, fidem ex auditu per doctores, idque non ex indigentia, ſed vt dignitatem cauſandi communicet creaturis Nobis autem agentibus neceſſaria fiunt media, vt præfixus, quem diximus, rerum ordo ſeruetur. Vnde nemo [g] poteſt ſeipſum baptiſare; peccatum eſſet inſenſibilitatis, [h] contra rationem, vitæ neceſſaria prætermittere, & tentarent Deum, qui omiſſis penitus humanis mediis, otiante prudentia, diligentia, ſe ſolum diuinæ prouidentiæ committerent. Ita peritos conſulimus, medicos pro ſanitate tuenda, aduocatos in fori negotiis, nautas pro nauigatione. Adam alimentorum, [i] & arboris vitæ vſu corpus ſibi ſeruaſſet immortale; Dauid [k] ſuſcepto contra Goliath certamine plurimum ſperat in Dei exercituum auxilio, tamen ſumit fundam & lapides, & munus obit fortiter decertantis; vnde tam Platonici [l] quam Chriſtiani Gnoſticos inſectati ſunt, qui primum tantum numen, ſine mediis aſſerebant eſſe colendum, & Archontici [m] hæretici damnati ſunt, eo quod repudia-

[f] D. Thom. 1. q. 22. a. 3. & q. 58. a 3.

[g] Id. 3. q. 66. a. 5. ad 4.

[h] Id. 2ª. q. 141. a. 1.

[i] Id. 1. q. 97. a. 3. ad 3.

[k] 1. Reg. 17. D. Auguſt. ſerm. 20. de diuerſis.

[l] Photin lib. 9. contra Gnoſticos. cap. 9.

[m] Baron. an. 175.

rent diuina ſacramenta, quaſi foret indignum inuiſibilia per viſibilia conferri.

His externis inſtrumentis carare ſæpius liberum eſt, licet in damum ſuum; at internis, propriis innatis vti & viuere, idem eſt, parque neceſſitas. Vt vniuſcuiuſque animantis, ita maximè hominis corpus [n] animæ gratia conditum eſt, non modo vt diuerſorium, verum etiam vt organum accommodatum illis inſitis viribus expromendis, atque vt mens eſt formarum præſtantiſſima, & ratio, artium omnium ars vel officina, quod vna omnes omnium animantium vires poteſtate contineat, ita & illius organum inſtructiſſimum eſt, & conformationem pulcherrimam conſecutum; Tria obtinet quæ cæteris animantibus natura non conceſſit, primùm figuram celſam, & rectam que in cœlum ſuumque conditorem ſe attollens, cœleſtes igniculos, & ſemina diuinitatis ſuæ teſtatur; deinde cerebrum ampliſſimum, animi eiuſque partium ſedem, vt enim animus permultis facultatibus præditus eſt, ſic homini quam cæteris animantibus domicilium capacius dari par erat, idque pluribus inſtrumentis contineri. Præterea manus exporrectas belluis denegatas, quibus facilè perſequimur quæcumque mens iuſſerit. In illis digiti ſunt inæquales, [o] vt eorum ſummitates ad æqualitatem venire poſſint, cum molem aliquam magnam in circuitu apprehendunt; diuiſi, & tribus articulis flexibiles cum opportuerit ad menſuram propoſitæ materiæ, contrahuntur, explicantur, diuerſis ſimul incumbunt muneribus, vt cum lyræ fides carptim mira celeritate decurrunt. Aliæ principes corporis noſtri partes primum cum ſuis inſtrumentis conformantur, ſcilicet venæ cum iecore, nerui cum cerebro, arteriæ cum corde.

Organicæ ex pluribus compoſitæ conuenientem habent ad proprias operationes quantitatem & figuram, qua nulla melior eſſe poteſt. His quocumque modo grauiter læſis, vel amputatis, læditur aut ceſſat actio, vt de puero Machabæo [p] cui tyrannus amputari iuſſit, linguam, manus & pedes, dicitur, cum per omnia inutilis factus eſſet, nam qualiſcumque ſit ardens animæ facultas, ſibi detractis organis otiari cogitur. Ita quidam victores bello captis hoſtibus, dextræ manus pollicem abſciderunt, alij poplitis vtriuſque neruos, vt in poſterum ad pugnam fierent inutiles; Ita Iudæi [q] capto Adonibezec abſciderunt ei ſummitates manuum & pedum, cum ipſe prius idem feciſſet ſeptuaginta regibus, quos belli captiuos habuerat: hac atrocitate Annibal, [r] & plures barbari ſæuierunt in captiuos quos abſciſſis manibus, [s] viuere ſuperſtites pœnæ ſuæ iubebant. Non volant aues præciſis alis; naues fulmine bellico deiectis velis maliſque ineptæ fiunt ad

[n] Fernel. Phyſiol. l. 1. cap. 16.

[o] Galen. lib. 1. de vſu partium in fine.

[p] Lib. 1. Machab. c. 7.

[q] Iudic. lib. 1. c. 6.

[r] Valer. Maxim. lib. 9. c. 2.

[s] Florus lib. 3. c. 4.

Digitized by Google

certamen, vt equus acciſis poplitibus, ſic quæcumque ſit interna vis ad actionem deficit ſublatis inſtrumentis.

Cum brutorum vita tota ſit in ſenſibus, illis organiſque ad externas actiones neceſſariis ſingulari prouidentia conſultum eſt; Elephas terreſtrium animalium coloſſus, ingens moles carnea, cùm facilè, flecti non poſſit proboſcidem habet à capite ad pedes vſque demiſſam cartilaginoſam, cauam, neruoſam, qua velut protenſa manu, attingit in omnem loci ſitum, in extremo fiſſura conniuente velut labiis, maxima minimaque colligit, potum & eſcas in eos ingerit; Leoni ex rapto viuenti quanta ad prædam capiendam in animo feritas, in corpore vis; collum & armos veſtiunt ſpiſſæ vndanteſque iubæ, quas nullus peruadat morſus; os rictu & horrendis minax dentibus, pedes armati dilaniantibus vnguibus quos extra pugnam vagina continet, vt eorum acies non atteratur, inſuper huic tot modis armatæ fortitudini iungitur mira velocitas, cuius impetum rugitibus intonans, à longè prænuntiat, prædamque metu debilitat. Feles velut pantheræ pumiliones ſimiliter conſpicimus inſtructos armis, viribuſque ignobiliori prædæ ſuæ commenſuratis. Mitto armatum lancea vnico ſcilicet cornu, tectum lorica non penetrabili Rhinocerontem cum Elephante præliaturum; Aprum furentem, ſpumantem, exertis dentibus hoſtilia quæque ſternentem, dilacerantem; Lupum armo validum, ſerratis dentibus timendum, cum auulſa ſemper quam mordet parte, nunquam ſine præda ſæuiat; Moloſſis potiſſimum Anglicanis æqua feritas, ira pertinacior, vt guttur hoſtile, quod ſemper impetunt, morſu nunquam niſi cum vita ceſſante, premant.

Cuncta curioſè ſpectanti maior apparebit in minutiſſimorum animalium conformatione prouidentia: qua fit vt apes ore tam exiguo, tam diuerſa ferant & exerant inſtrumenta ad ceræ melliſque confectionem, limam qua radunt florum extima, rudibuſque ſuis ob id cruribus infigunt; tubum extremitate ſua ſpongioſum, quo in intima florum immiſſo, ſuccum exſugunt; linguam qua velut canes diffuſum in foliis rorem lambunt, tandem forcipes quibus obſtantia præſcindunt, decertantque cum anima in vulnere ponenda non eſt. Omnium mihi videtur admirabilior araneus vtero ferens liquorem, qui guttatim emiſſus ſtatim multiplicatur, vt aqua dum in aërem conuertitur ratione millenaria; cum aërea tamen illa raritate qua diffunditur, aliquid habet terrei ſpiritus, quo ſimul vt procedit opus texturæ, conceſſit in ſubtilem lanuginem, inexhauſta quadam fœcunditate duci ſemper paratam. Infinitum eſt ſimilia recenſere cum nullum ſit vel minimum animal, cuius apta conformatio non poſſit eſſe diuturnæ ſimul & gratiſſimæ contemplationis materia.

Aues rapaces partes priores habent validas ad impellendum aërem;

Digitized by Google

Ariſt. hiſt. anim. lib. 8. c. 28.
ſ Galen. lib. 3. de alime.

poſteriores minus & acutas, vt facilè ſequantur; cerebrum illis eſt exiguum, [t] ſed durius, quia magnum & liquidum, volatus celeritate conturbaretur; aquatilibus pedes ſunt lati remorum inſtar vt aquarum impulſione forti ad anteriora ſe promoueant. Rapaces roſtro & vnguibus aduncis, vim quam profitentur, oſtendunt: lepores quibus ex celeri fuga ſalus conſtat, pedes habent obductos molli ſpiſſaque lanugine ne poſſint atteri; poſteriores longos, vt reſiliendo vim ad curſum, ſaltumque multiplicent: Serpentibus cum deſint pedes & manus ad prædam continendam, dentes vnci ſunt, ne poſſit elabi: de his conſulendus Ariſtoteles, [u] Galenus, [x] Aldrouandus.

u Lib. de partib. animal.
x lib. de vſu part.
y Ariſt. 7. politic. 3.

Hinc diſcunt homines [y] ad ſpeciem Reipublicæ leges eſſe debere accommodatas; paria negotiis perficiendis ingenia ſeligenda, non infirmiora ne ſuccumbant, non altiora ne negligant; vtendum audacibus in petitione, diſertis in perſuaſione, aſtutis in inquiſitione, rebus deſperatis proficit quorundam temeritas, vt in extremis morbis, extremum remedium. Etiam ſacramenta in materiis, effectibus ſuis congruis Chriſtus inſtituit; vnus eius ſpiritus, diuerſis diuerſa confert dona ad ædificationem corporis Eccleſiæ, vt quilibet opus impleat ad quod aſſumitur. Fœlices qui norunt ambulare ſecundum vocationem [z] qua vocati ſunt; parata ſemper, vt diuina voluntas in ipſis, & per ipſos fiat, inſtrumenta.

z 1. Cor. 7.

Qui dat rem, dat & apta ad illam media.

§. 2.

ORdinatiſſima partium in vniuerſo complexione fit, vt quidquid eſt, certis innitatur fundamentis, protegatur auxiliis, egat inſtrumentis, vnde qui rem dat aut efficit; etiam confert ea ſine quibus ſtare vel agere non poteſt, alioquin fruſtra diceretur dare, quod negatis ſibi neceſſariis ſubſidiis ne momento quidem conſiſtit. Ita generans [a] cum ſemine ſuo ſimul dat alimentum, quo aliquandiu partus enutritur, vt patet in ouis auium; in pulpa qua continetur plantarum ſemen, etiam quod excidit ex animali, non totum purum & ſincerum eſt ſed miſcetur externa quadam nutrice fouenteque ſubſtantia. Potiſſimum generans cenſetur dare media conſeruationi neceſſaria, eo quod ſemen ſuum implet opifice ſpiritu [b] qui caloris omniumque facultatum moderator, partes omnes conformat, poſtea ſemper aſſiſtens, in omnem vitam, quantum poteſt, diutiſſimè & ſaluberrimè conſeruat. Is itaque ſpiritus non modo primum vehiculum & inſtrumentum eſt procreatricis facultatis, ſed

a Theophr. de cauſ. plantar. l. 1. c. 7.
b Fernel. physiol. lib. 7. cap. 9.

ſed etiam omnium naturalium quibus nutrimur & augemur, earumque auxiliares is vnus omnes in ſe ſuſtinet & comprehendit; ſicut virtus artificis communiter eſt artis & inſtrumenti, ſic virtus animæ [c] & ſua eſt & inſtrumenti ſui, & per hanc virtutem imprimit ſubſtantiæ nutrimenti ſpeciem vitæ, vt in ipſo ſicut in proprio ſubiecto, operationes vitæ exerceantur.

[c] Albert. Magn. lib. 1. de nutritione. c. 5.

In poteſtate noſtra eſt per virtutem intellectus agentis formare phantaſmata accommoda conſiderationi quam volumus & organa quæ in externis operationibus menti miniſtrent, impleantque quod idea dirigit, & manus exequitur. Idem fit in politicis & œconomicis, vt ſicut Deus fecit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem; Ita principes feudis conceſſis conſtituunt ſibi vaſſallos; in partem regiminis quos voluerint & probauerint eligunt miniſtros, agendis leges, rebus pretium, menſuris quantitatem præſcribunt, vnde ſuis armis [d] inſigniuntur. Sic vnaquæque ciuitas [e] olim deffenſores ſuos eligebat, vt Paterfamilias idonea ſibi ſeligit ad famulatum & ſingulis, vt ei placet ſuæ domus officia diſtribuit, vt equos, aues, canes, ſeruos inſtruit, & in ſuos conuertit vſus, ſic infert Cicero ipſum ſibi facere amicos, qui ſunt præcipua vitæ ciuilis inſtrumenta.

[d] l. 11. C. de tiumento Alexand. lib. 11.
[e] l. 1. C. Theod. de defenſorib. ciuitat.

Generalis eſt iuris regula, cum re quæ præſtari debet, etiam venire media ad illam neceſſaria; conceſſa Iuriſdictione, [f] ea quoque concedi, ſine quibus explicari non poteſt; cum qui habet ius hauriendi, [g] iter quoque habere ad hauriendum: magiſtrum nauis, [h] nauem inſtructam præſtare debere, ſicut auriga currum, nec ob id fieri contributionem ſicut in iactu; qui mandat antecedentia, mandare pariter conſequentia ſiue quibus mandatum non expletur; qui habet vſum areæ [k] vel paſcui in fundo, poſſe tugurium ædificare quo ſe recipiat; vino legato, [l] venire vaſa in quibus ineſt, etiamſi non ſit expreſſum, & plura his ſimilia.

[f] l. 2. ff. de Iuriſd.
[g] l. 3. ff. de ſeruit. ruſt. præ.
[h] l. 6. ff. ad l. Rhod.
[i] l. 58. de procurato.
[k] l. 6. ff. de ſerui. ruſt. præd.
[l] l. 4. ff. de penu. legata.

Hinc ipſo naturali lumine docemur Deum factorem omnium, qui viles etiam creaturas tam aptis ad actiones illis proprias, inſtruxit potentiis & organis, non defuiſſe homini animantium nobiliſſimo, in his quæ pertinent ad temporalem & æternam ſuam fœlicitatem; vt ſupra [m] demonſtratum eſt. Rara ſunt & præter intentionem naturæ monſtra, ſic membris mutila, vt proprias ſpeciei ſuæ actiones edere non valeant; horrendum dictu, nouatores ſupponunt Deum, quoſdam homines ex deſtinato gratiis omnibus priuare, pœnis æternis deſtinare, & cum pauci ſint electi ſequitur quod in ſtatu gratiæ, mala, & monſtra ordinaria, multiplicia efficiet boni, ordinis, pulchritudinis autor. O lugenda mortalium impietas, vt non habeantur rei voluntariæ legum tranſgreſſionis, totum ſuum reatum in Deum refundunt, negant eum dediſſe, vt non videantur ingratè recepiſſe, &

[m] Vide ſupra. lib. 1. l. 8.

commiſſum malè adminiſtraſſe; vt non ſint peculatus & concuſſionis rei, Deum ſibi fingunt durum dominum, qui metit vbi non ſeminat, [n] congregat vbi non ſparſit; Patrem infanticidam, ſæuiſſimum tyrannum, qui iubet quod negat & non poteſt impleri, & quia non impletur, iam miſeros præteritos & expoſitos in æternum cruciat.

[n] Math. 25.

Mediorum & inſtrumentorum multitudo ſecurior.

§. 3.

IN corporis humani conformatione, natura geminas hinc inde partes diſponit ad idem munus implendum, duas aures, nares, mammas, manus, vrterias; duos oculos, teſticulos, cordis ſinus, pulmonis lumbos, cum enim ſint propter motum, binario numero diuiſibili continentur. Hæc æqualium è regione ſibi reſpondentium ordinatio regularis plurimum confert ad corporis pulchritudinem, ſic enim nihil occurrit mancum, nihil quod deſit, ſed partes ad ſe mutuo, & ad totum pari reſpectu, implent quod ad compoſiti perfectionem, mens & oculus expetit. Præcipuè tamen in ſenſibus, vnde pendet actionum vitæ tota directio, officiales illæ partes ſunt collegæ, in ſolidum ſuis obligatæ muneribus, quæ poſſunt independenter ab inuicem exequi, vt vna caſu deficiente, altera per ſe totam edat actionem, tutiorque ſit ſub duobus correis debendi natura.

Duplicem homini menſam Deus parauit, terram & mare; duo luminaria quæ ſucceſſiuè mundo luceant: Cochleis [o] duo ſunt cornua ad iter prætentandum, & ſi opus fuerit reſiliendum: Elephanti [p] duos habent dentes prominentes, ſed vno tantum vtuntur ad radices fodiendas, & ad moles impellendas, alterius mucroni parcunt, ne ad futuram dimicationem hebetetur; Barbari & Germani fabricabant naues [q] pari vtrinque prora, vt hinc vel illinc appellere, indiſcretum & innoxium eſſet. Romæ duo Conſules Rempublicam gerebant; In vrbe cum ſingulis officiis vnus præeſſet, annonæ tamen, [r] vt rei inter omnes magis neceſſariæ duo præficiebantur, ſcilicet præfectus vrbi, & præfectus annonæ, hoc in munere collegæ.

[o] Plin. lib. 11. c. 37.
[p] Id. lib. 8. c. 5.
[q] Tacit. lib. 3. hiſtor. & lib. de morib. german.
[r] l. 1. C. de off. præf. vrb.

Non bina tantum, ſed & multiplicia media ad idem munus aſſumuntur, ſic præter obiecta propria ſingulorum ſenſuum, dantur quoque ſenſibilia communia, à pluribus ſenſibus percipi apta, nimirum, motus, quies, numerus, figura, magnitudo, vt vnius defectum emendarent cæteri. Quibuſdam piſcibus [s] dentes ſunt toto ore, vt turba vulnerum molliant, quæ attrita ſubigere non queunt. Apes reges plures inchoant, [t] ne deſint, poſtea cum proles adoleuerit, communi ſuffragio deteriores necant, ne detrahant agmina; vni trunco

[s] Plin. lib. 11. c. 37.
[t] Ibid. c. 16.

vſque ſenos calamos inſerunt agricolæ, mortalitati eorum ſic numero ſuccurritur; ſibi timens hædera, etiam in ramis habet radices quibus & hæret & ſugit alimentum; quia cerebrum excipiens totius corporis vapores, abundat excrementis, cum etiam ipſe ſit frigidi & humidi temperamenti, habet ſeptem vias per quas purgatur, aures, oculos, naſum, os, inteſtina. Protogenes [v] egregiæ ſuæ depictæ tabulæ, quam Romæ in templo pacis poſuit, quater colorem induxit ſubſidio iniuriæ & vetuſtatis, vt decedente ſuperiore, inferior ſuccederet.

[v] Plin. lib. 35. c. 10.

Hinc exiſtimatum eſt [x] ſecurius eſſe plures magiſtratus ad Reipublicæ regimen admitti, nam cum vnicuique ſua ſit virtus, collatæ ſimul, lucem vimque maiorem efficiunt, & quod ab vno peccatum eſt, ab aliis corrigitur; præterea multitudo minus ſubiacet corruptioni, quemadmodum aquæ magna congeries; difficile eſt omnes iraſci & errare, & ſic corrumpi iudicium, ſicut fit in particulari; Ideò fiſcus non ſatiſdat, [y] cum ſemper probus & diues habeatur. Laudatur itaque Tarquinius, [z] quod Senatus maieſtatem numero ampliauerit, & centuriis tribus auxerit. Auguſtus [a] quo plures partem adminiſtrandæ Reipublicæ caperent, noua officia excogitauit, in Conſulatu binos habere voluit collegas; Exiſtimauit cum Catone, [b] in bono publico, ſicut in agro colendo, prouidendum eſſe vt non longè ſit operariorum copia. Pluribus ad id admiſſis, non apparet vnius defectus inter multos ſuperſtites, æternaque conſilia temporis iniurias non ſentiunt; ſic arundo [c] viuax eſt, mori neſcia, propter ſtirpem craſſam, numeroſamque.

[x] Ariſt. 3. Polit. 7. & 11. & lib. 6. c. 8.
[y] l. 1. §. 18. ff. vt legat. nom. cauea.
[z] Florus lib. 1. c. 5.
[a] Sueton. in Auguſt. c. 37.
[b] Plin. lib. 18. c. 5.
[c] Theophr. hiſtor. planta. lib. 4. c. 12.

Cum amici ſint vitæ ciuilis inſtrumenta, expedit plures habere, qui ſe publicis negotiis immiſcent, ſic enim maior in agendis lux, maior vel in aggreſſione, vel in deffenſione potentia, immenſitate quadam tali copia præditus, diſſitis locis & negotiis præſens eſt. Magnæ naüi non ſufficit vna tantum anchora, non vnicum velum, arbori proceræ vna radix, neque publica tractanti, vnius tantum amici fides; octauus orbis [d] habet ſtellas multas, quia per illum infunditur cauſalitas vniuerſalis, omni rei quæ eſt, & viuit; ſicut enim natura non facit per multa quod poteſt facere per vnum, ſic non coarctat in vnum id ad quod multa requiruntur. In publicis perſonis ex plurium miniſtrorum iunctis operibus, vt in mechanicis ex rotis probè diſpoſitis, fit ſupra ſingulorum æſtimationem, miranda virium multiplicatio.

[d] Albert. Magn lib. 2. de cœlo. tr. 3. in fine.

Si naturæ corporeæ, ſi rebus fluxis multiplici remedio prouiſum eſt, non nobis defuit diuina bonitas, in his quæ pertinent ad animæ ſalutem; quæ vt temporalibus omnibus dignior eſt, ſic amplioribus protegenda fuit, & promouenda ſubſidiis. Cœleſtis agricola

Digitized by Google

plures in vineam ſuam vocat operarios, omni hora diei, omni ſæculorum ætate; Impium eſt hanc quam diuina prouidentia ſeligit multitudinem, velut ſuperfluam auerſari; nam quandiu erunt homines, vigebunt errorum, malorum affectuum, peccatorum maledictæ propagines, ſic in ampliſſima meſſe, attentis operibus præſtandis, erunt ſemper operarij pauci. Quot ab initio mundi, ſub lege naturæ, Moſaica, Chriſtiana fuerunt Dei benedictiones viris bonis collatæ, quot infœlices extitere malorum exitus, quot ſanctorum exempla, quot S. Scripturæ verſus, quot humanæ diuinæque leges, ad morum integritatem, quot ad multiformis gratiæ diffuſionem ſacramenta, tot ſunt ſalutis media, quibus, iuuari, curarique poſſunt mortalium animi. Adiice fidam, perpetuamque ſanctorum communionem, Eccleſiæ matris circa nos vigiles curas, Angelorum auxilia, intimos conſcientiæ morſus, ſi peccatur; applauſus, ſi viuitur ex lege Dei. Inter tot naturæ ſimul & gratiæ copias auxiliares, nemo niſi ſciens, volenſque perit. Deus meus miſericordia mea, toties à me repudiata, nunquam auerſa, fugienti ſemper præſens, affectanti tenebras, illuceſcens.

Bona, bonis mediis quærenda ſunt.

§. 4.

CORpus motu ſuo naturali fertur in centrum per rectam lineam, quæ eſt ſine latitudine longitudo, velut fluxus puncti, ſic tum lationis via, tum proficiente ſemper approximatione, ſuo termino, tendens in illum, conformatur. Lignum non prius ignem concipit quam conſumptis aquoſis humoribus, illi per ſiccitatem ſimile fiat, & hæc ſympathica qualitas medium eſt, vltima, ſolaque diſpoſitio, qua poteſt nobilem hanc formam promereri: apes ex dulcibus tantum, & aqua ſincera mel conficiunt; Nutrimur ſimilibus; elementa non veniunt in complexionem, niſi remiſſis propriis qualitatibus, & vt extremitate ſua ſe contingant, mutuo ſibimet, aſſimilantur; Nam contraria vel diuerſa non ſe recipiunt niſi per aſſimilationem.

Ex hac naturali lege inferri debet illa moralis, finem non obtineri niſi mediis ipſi congruis, & quæ naturam eius ſapiant; Bonus, ideſt rationi, legi naturali diuinæque conſentaneus, obtineri debet paribus mediis, non vitioſis. Hoc eſt oraculum Apoſtoli, [e] non ſunt facienda mala, vt eueniant bona; Non licet vti incantationibus, [f] & pactis cum dæmone ad ſanitates reſtituendas; non ſepulchrum

[e] Rom. 3. 8.

[f] l. 1. ff. de extrao. co-

violare, [g] & ſarcophagum effodere, vt inde fiant remedia vel ædificia, hoc eſt enim geminum facinus perpetrare, quo ſpoliantur ſepulti, viui polluuntur; Non elemoſinas [h] facere ex vſuris & malè quæſitis, nam qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi victimat filium in conſpectu patris ſui; Non in regimen animarum [i] irrepere per ſimoniam; Non à continentiæ [k] voto recedere vt infidelis ad fidem hac facta pactione conuertatur, nec vt vitetur [l] periculum mortis; Non adulterium [m] perpetrare ſola voluntate generandi filios; Non humilitatis cauſa mentiri, [n] nam non eſt veritas nec humilitas, vbi regnat falſitas; Non inducere [o] aliquem ad religionem per falſam doctrinam; denique peccatis peccata congerit, qui boni faciendi cauſa, malum perpetrat.

Damnata fuit [p] Parrhaſij pictoris ars ſæuiſſima, qui vt hominem bene pingeret, hominem male peremit, emptum enim captiuum viuum torſit, viſceraque ſenſim dilaniauit, vt exprimeret Prometheum, cuius immortale pœnis iecur vultur erodebat. Meritò fuit accuſatus læſæ Reipublicæ, qui vt oculis blandiretur in vitam deſæuiit, & quia ſerui à ſeruando dicti, quod captiuos non occidere [q] ſed ſeruare victores ſoleant. Herophilus [r] quidem & Criſiſtratus medici, nocentes homines à regibus accepere, vt etiam ſpiritu remanente, ea quæ natura antea clauſiſſet, conſiderarent, vt motus cerebri, cordis, & arteriarum, pulmonis, diaphragmatis, inteſtinorum, conſtitutionem fœtus in vtero, vocis formandæ rationem, & reſpirationis inſtrumenta Quis non horreat tam crudeliter inſtrui medicinam; tolerabile tamen malum, quia principe, viua lege, id permittente in grauiter nocentes quos viuos torqueri mos erat, & quod fieri ſolebat in exemplum, tunc etiam fiebat in diſciplinam.

In talibus non fit, ratione boni, malum, ſed ab aliis cauſis procedens, in bonos vſus conuertitur, ſic colligimus ambarum, naufragij reliquias, & multa pretioſa quæ ſæua maris tempeſtas in littus eiicit; gemmas educimus ex ſerpentum capite, theriacam è vipera, calor putridus fit naturalis à cœleſti vt patet in ſtercoratione; vt liberum populo pateret commercium, ſæpè principis indulgentia duces latronum, egregios militiæ duces conſtituit, ſicut Auguſtus Crocotam, Alexander Demetrium, Soliman Aradim œnobarbum & Draguc. Tunc non fiunt mala, ſed quæ prius erant, deſinunt, cum in publicam cedunt vtilitatem. D. Paulus [s] non prouocauit Athenienſium ignoto Deo immolantium, idololatriam, ſed hinc occaſione ſumpta prædicauit illis Ieſum Chriſtum; non ædificauimus idolis templa, ſed occupata, Deo vero conſecrauimus. In hoc mundo, [t] ciues regni cœleſtis & terreni permiſcentur & ſibi mutuò ſeruiunt, Regnum cœleſte vſurpat ad opus ſuum ciues regni terreni,

guit. D. Th. 1. q. 114. a. 4. ad 2. &c.
[g] l. 4. C. de ſepul. viol.
[h] Eccleſ. 34. Can. fortè 14. q. 5. D. Greg. in paſtor. p. 3. c. 22.
[i] D. Auguſt. de verb. do. c. 35.
[i] 1. q. 1. per totum.
[k] Can. non ſolum. 32. q. 8.
[l] D. Thom. 22. q. 88. a. 1.
[m] Ca. ſic non ſunt. 32. q. 4.
[n] 22. q. 2. can. cum humilitas.
[o] D. Tho. 2. 2. q 189. a. 9
[p] Seneca lib. 5. contr. 34.
[q] §. 3. Inſt. de iure perſon.
[r] Galen.
[s] Act. 17.
[t] D. Aug. in Pſal. 51. & 61.

[v] Philip. 1.

de his Apoſtolus:[v] ſunt qui per inuidiam annuntiant Chriſtum, ſed interim annuntiatur Chriſtus, fiunt iſta donec tranſeat iniquitas; etiam à tyranno [x] benè ſancita valuerunt, vt emancipationes, manumiſſiones, tranſactiones factæ.

[x] l. 5. Cod. Theodoſ. de infirm. his quæ à tyrā.

Licet Deo vti dæmonibus, velut iuſtitiæ ſuæ miniſtris, homini tamen id interdictum, [y] fallunt enim ſub ſpecie auxilij, venantur animas, ad turpia & nefanda ſenſim deducunt, vt patet in tot ſæculis idololatria laborantibus; lædunt, inquit Tertulianus, [z] dein cum lædere deſierint ſanaſſe creduntur. Ita meritò mater Eccleſia filiorum ſuorum ſaluti conſulens, prohibet his mendacibus, in perniciem noſtram coniuratis fidem habere; Vnde non eſt admittenda lex ciuilis [a] permittens vſum eius magiæ, quæ grandines, & cætera naturæ flagella compeſcit, ne diuina munera & labores hominum ſternantur, nec enim dolis carent hæc dona hoſtium, quibus finis eſt mentes auerſas à Deo, ſibi velut plus beneficis deuincire.

[y] Can. remittuntur. 23. q. 4.
[z] Apolog. c. 22.
[a] l. 4. Cod. de malef. & mathem.

At malorum hominum operibus quæ ſuo non noſtro conſilio ediderunt, vtiliter nos vti poſſe quis neget? Phryne meretrix [b] deiectos Thebæ muros reſtituere parabat, ſi hæc illis concederetur inſcriptio, Alexander euerterat, Phryne amica excitauit, id Thebani reſpuerunt, fortè quia tunc adhuc illa publicum corporis ſui quæſtum faciebat; non ſic fuere Romani difficiles, [c] qui magnas opes ab Aua Laurentia meretrice ſibi relictas, magno populi totius applauſu acceptarunt, etiam ludis floralibus in eius honorem inſtitutis.

[b] Athen lib. 13. c. 21.
[c] Macrob. lib. 1. c. 10. Plutarch. in probl. Roman.

Malos autem imperio vel conſilio in malum prouocare, vel mali perpetrandi occaſionem præbere, vt hinc nobis accedat vtilitas pernitioſum eſt, nam reus eſt criminis [d] qui illud ſuadet vel iubet. Sicut Veſpaſianus, qui ſumma ærarij, fiſcique inopia compulſus, rapaciſſimum quemque ad ampliora officia ex induſtria promouebat, [e] quo locupletiores mox condemnaret, his vulgò dicebatur pro ſpongiis vti, quod quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes; Illorum manibus ipſe populum ſpoliabat, nam qui per alium agit, [f] ipſe agere videtur, vnde culpa ſerui [g] imputatur ei, qui non magis idoneum rei communi adhibuit; Magiſter nauis [h] tenetur de ea, ſi tempeſtate periit defectu boni gubernatoris: exercitor [i] nauis, cauponæ, ſtabularij, tenetur de maleficio à ſeruis ſuis commiſſo, etiam ipſo ignorante, quantò magis iubente.

[d] l. 3. ff. de furt. l. 1. ff. de ſeruo corr. can ſollicitatores & can. pernitioſè de pœnit. diſt. 1.
[e] Sueton. in Veſpaſiano cap. 16.
[f] l. 17. §. 7. ff. de iniur.
[g] l. 45. ff. famil. erciſc.
[h] l. 10. ff. comm.
[i] l. 13. ff. locat. l. vn. furti adu. naut. caup. ſtabul.

Minus habet excuſationis qui ſeipſo malum committit, ſpe boni alicuius faciendi, perit enim ſpes vltima ſalutis, ſi vitiis præfigatur honeſti titulus, & quærantur velut media legitima quibus perueniri poſſit ad bonum finem; ſic enim fœnerator, fur, præuaricator impunè rapiet, vt habeat quod filiis & pauperibus largiatur, & per ſcelera fiat miſericors: Cum ad vnicum finem plura comparentur me-

Digitized by Google

dia, propter vnius ſperati boni conſecutionem, innumera fient mala, ſic latiſſimus nequitiæ campus aperietur: Quod intenditur bonum mille caſibus obnoxium forte non continget, at iam certò hæc quæ pro mediis aſſumunrur mala perpetrantur, multiplicantur; vſuris abſumuntur facultates pauperum; concuſſionibus iura temerantur, vt tandem abundans res familiaris, etiam alendis pauperibus ſufficiat: cum proximum diligere debeas ſicut teipſum, æqualiter in omnes diffuſa charitate, quo iure plures enecas, vt vnum iuues; quo iure ſpolias illum vt veſtiaris; quo iure vni detrahis quod largiaris alteri nullius diſpenſator & dominus: Ex tuis non ex alienis conſtare debet liberalitas.

Quis non execretur tyrannum qui per populorum ſtrages, magnatorum proſcriptionem & cædem, per calcata diuina humanaque iura, viam dicit ſibi parare ad fœlix alta pace regimen; Interim ingemiſcit oppreſſus populus, ad turpia quæque cogit extrema neceſſitas, tolluntur heroum pretioſæ nunquam rediture perſonæ, exundant mala ipſa ſua contagione fœcunda, & velut id æquum eſſet, in mutuam ſui tutelam armata; exacerbantur animi, noui gemitus in crimen vocati, nouis atteruntur calamitatibus, donec deficiat vel tyranno populus, vel populo tyrannus pace quæ ſperabatur; in æternum ſublata. His-ce magnis exemplis nequitiæ ſub æquitatis larua ſæuientis, docemur malo, ſicut dæmoni fidem non habendam, bonum ex integra cauſa, vt a Deo indiſtinctè præceptum eſt non minus in mediis quam in fine ſectandum, nam Chriſtus ſimul eſt via, veritas & vita, & ad eum non peruenit niſi conſummata ſanctitas.

Illuſtria mediis illuſtribus perficiuntur.

§. 5.

AGentia ſecundaria ſiue media, vel in ſubſidium aſſumit neceſſitas vel in ornatum abundantia cauſæ principalis, apparatu ſæpius longe diuerſo: Non effundit opes ad decorem ſibimet non ſufficiens neceſſitas, ſed auxiliaribus viribus vtitur vel obſcuris vel ſplendidis, prout illas laboranti, non eligenti caſus obtulerit. At præſtantiores cauſæ, quæ ſplendoris ſui multiplicandi gratia ſeligunt, ſubſtituntque ſibi miniſtros, eos ſuis colluſtrant radiis, vt ex ſubiectorum excellentia, quanta ſit in dominante ſublimior appareat. Imitari conantur Deum qui ſeipſo, per verbum tamen ſplendorem patris cuncta creauit, & in poſterum per illuſtres creaturas, Ange-

los, cœlos, ignes, principes, à ſe condita gubernat. Tantis radiantes fulgoribus ſemper apparuerunt Angeli,[k] vt pro Deo habiti & adorati fuiſſent, ſi non indebitum ſibi cultum humili ſanctimonia reſpuiſſent hac voce, caue ne feceris, conſeruus tuus ſum, Deum adora.

[k] Apocal. 19. & 22.

Cœli quibus inferiora reguntur, fulgent ſtellis innumeris, quæ dum nocte ſerena hinc inde ſtupentes rapiunt oculos, mentem æternum, infinitum quid, confuſè licet ſentientem, ad diuina transferunt. Potiſſimum ingens iſte, totus ſplendidus, ac ſemper lucens ſol[l] eſt expreſſa diuinæ bonitatis imago, omnia quæ cum participare poſſunt, illuſtrans, vt nihil ſit quo non pertingat mira vi ſplendoris ſui; præeſt generationi corporum quæ mouet ad vitam, nutrit, auget, perficit, purgat ac renouat; eſt menſura, numeruſque tempeſtatum, dierum & omnis noſtri temporis. Oriens confuſas in tenebris rerum figuras educit velut è chao; ſua luce, colorum, ordinis, pulchritudinis anima, cuncta diſtinguit, implet, perficit, in ſe conuertit ad inſtar ſummi boni, primæuæ lucis intellectualis.

[l] Hali.1.parte.c.4. D. Dionyſ. de diuin. nomin. cap 4.

Sic in corporalium regimine præcipuus ille diuinitatis miniſter ſplendidus eſt, & ipſe ſimiliter vires ſuas magis mirabiles imprimit gemmis fulgure ſuo pretioſis, vt non facili tantum, ſed & ſplendida medicina omnium nobiliori vitæ medeatur; formas mixtorum, quibus temperamentum & vita conſtat, è cœlo manare multi credunt, eo potiſſimum argumento, quod ad vitæ functiones vtantur ſpiritibus, ſubtili ſcilicet ſanguinis euaporatione, quæ multum accedit ad naturam ſpiritualem, igneam, ſplendidam, vt patet in his qui capite grauiter concuſſo ex oculis ſcintillarum inſtar emicant. Ipſi oculi quibus videtur id omne quod ſol illuſtrat, duo ſunt luminaria, cœleſtibus in hoc præſtantiora, quod non inæquali luce fulgeant, paria quod colorem & motus, amores ſcilicet ingenerent, cum in illis, ſi cœlum fauerit, ſedeat diuina quædam fortiter alliciens, fœliciter imperans, nunquam ſatis miranda, totam implens & ſedans animam, pulchritudo. Ex Apoſtoli ſententia[m] corpus noſtrum templum eſt, ad inſtar mundani templi, his intra ſe corruſcans luminibus, animæ præſidentis intelligentiæ miniſtris: & hinc cum templi materialis Deo conſecrati parietes, auro, marmore, gemmis, ſerico, peripſomate veſtiantur, præcipuus tamen illi decor eſt à luce, ſeu ſolis quo fulget omnis pulchritudo, ſeu accenſis lucernis & cereis, quibus numinis præſentia, mentis puritas & ardor ad diuina colenda, capiendaque ſignificatur.

[m] 1. Cor. 6.

Homines ſcientiis & virtutibns exculti, in Eccleſiaſtica hierarchia, ſicut in ciuili regimine qui præſunt, gaudent velut ampliſſimo digni-

tatis

[illegible] titulo ū dicantur illuſtres, ſic enim intelliguntur Dei circa ces præſtantiores miniſtri. Hæc vna populis omnibus fides, ipſi Deo digniorem cultum exhiberi per digniores miniſtros, ſic olim ſacris præficiebantur primogeniti,[n] chariſſima præcipuaque familiarum pignora; & ſic ex hominibus[o] aſſumptos, velut ſupra ſortem humanam eſſe crederentur, tot myſticis vnctionibus & cæremoniis conſecrare mos erat. Apud pleroſque populos Ægyptios, Perſas, Indos, Romanos, Reges ſacerdotio functi ſunt non amplificandæ ſuæ dignitatis cauſa, ſed vt auguſtos faſces religioni ſubmitterent, & hic ſacer cultus fieret illuſtrior, habens in miniſterio, quod in humanis imperat, vtque quod eſt optimum ab optimo coleretur.

[n] D. Thom. 12 q. 103 [illegible]
[o] Hebr. 5.

Dei vicem agentes in populorum regimine, volunt etiam ſibi ſplendidam exhiberi ſeruitutem, cum præcipuos ditionis ſuæ nobiles addicunt ſuo miniſterio, ſibique proximius famulari, ſit maximus dignitatis titulus, vt patet in electoribus Imperij, & regiæ domus officiis. Cyrus[p] decreuit vt honoratiores ſemper ad fores palatij ſui præſto eſſent ad obſequium ex occaſione præſtandum; ſic erant aulici Dauid, cum quibus manſit Vrias; ſic inuentus eſt Aman[q] in foribus Aſſueri; & hæc etiam nunc inualuit apud Turcas conſuetudo; nam legati miniſtrique, quo ſunt illuſtriores, fœlicius ſibi commiſſum negotium peragunt; audacius ruunt in pericula milites duce nobiliſſimo, dignus enim refert principem, ſub cuius oculis glorioſum eſt fortiter occumbere.

Vide dictis ſapientiæ, tit. Virtus, Poteſtas.
[p] 2. Reg. 11.
[q] Eſther 6.

Confert plurimum ad maieſtatem veſtis dignitas, palatiorum amplitudo, famulitij numeroſa lætaque facies, menſæ luxus, equorum, venationis, rerum omnium cæteris non conceſſus ſplendor. Quidquid erat circa Reges Perſarum erat aureum, ex auro ſceptrum, ſella, thorus, in bello aurea tabernacula, producebatur etiam illic aurea vitis, vnde pendebant pro racemis gemmæ. Cæſar Caligula[r] habuit ex cedro liburnicas, gemmatis puppibus, verſicoloribus velis, magna etiam pomiferarum arborum varietate, inter quas diſcumbens Campaniæ littora peragrabat. Nero[s] piſcatus eſt rete aureo, purpura coccoque funibus nexis.

[r] Suetor. in Calig. c. [illegible]
[s] Id. in Nerone c. 30.

Cum ad conciliandam Imperantibus maieſtatem, non ſatis diuitiarum habere videatur natura, cum illis non ſatis eſſet, auro, gemmiſque, veſtiri, bibere, ſedere, pretium ex raritate, raritatem interdicto fecerunt, ne quis in communes vſus conuerteret res ad cultum & ornatum Imperatoris pertinentes,[t] vt gemmas in frænis equorum, purpuram[v] in veſte, ſacrum incauſtum[x] in ſcripturis. Auguſtæ virtutis & fortunæ vitium eſt hæc inuidia, quæ vt vnus emineat, aliorum obſtat profectibus ne veniant in æqualitatem, cæteroſque ſuperat non ſe attollendo, ſed illos deiiciendo. Sic ſibi contrariis votis ob-

[t] l. 1. Cod. nulli liceat in fræn. equiſt.
[v] l. 1. C. quæ res vendi non poſſ. l. 3. C. de veſtib. holob.
[x] l. [illegible] C. de diuerſ. reſcript.

ſtant dominantes, ambiunt, tamen timent illuſtres miniſtros, ... ſint velut inſtrumenta nimio ſuo pondere manum non ſequentia, ne rectè geſtorum gloriam totam occupent, ne de ſummo miniſterij gradu facilis & immediatus ſit ad ſummam poteſtatem tranſitus, vnde ſcitum eſt illud, magnum aulicum, ſignum non eſſe magni principis; ſatietas aut illos capit, cum omnia tribuerint, aut hos, cum iam nihil reliquum eſt quod cupiant: ſecurius eſſet immoderatos illos profectus dum vigent temperare, quam ſummos præcipitio frangere, & tantæ molis caſu totum Reipublicæ corpus concuti. Solius diuinæ bonitatis infinitæ ſcilicet proprium eſt, non improperare, [v] non inuidere, ſed nos ad ſui ſimilitudinem, prouocare, iuuare, ſuſtollere, nouis quotidie gratiarum auxiliis, naturæ ſuæ congruis, noſtræ ſuperioribus, vt ad ſupereminentem Chriſti charitatem peruenientes, vnum ſimus cùm ipſo.

[v] Iacob. 1.5.

Perpetua conuenit eſſe media quæ vſu non atteruntur, ſed perficiuntur.

§. 6.

AEternus & immutabilis Deus, æterni ſui decreti, circa rerum à ſe creatarum regimen, conſtituit perpetuos & immortales miniſtros, Angelos, cœlos, elementa. Ordo quem ſemel poſuit in Angelis quoad graduum diſtinctionem ſemper remanebit [z] etiam poſt diem iudicij, ſemper vnus idem alios illuminabit, purgabit, perficiet: Idem ſol qui fuit naſcente mundo, nunc nobis lucet & tempora metitur; idem cœlum influit; Idem Iupiter ſerenat, mars fulgurat, eadem luna paribus incrementis & decrementis alternat vices, paribus horis agitat maria; Cauſis illis vniuerſalibus nec ſubſtantia nec qualitate mutatis omnia ſic eadem ab initio [a] perſeuerant. Elementa ſimiliter aſſignatas ſibi ſeruant ſtationes; ſuperiores ſpatium occupant à lunæ concauo ad nos vſque ignis & Aer; non diſceſſit nec diſcedet ab orbis centro terra, licet interdum partes quaſdam illius vis interna concutiat. Huius humiliorem ſuperficiem & abyſſos ſemper implet ex aquarum congregationibus factum mare, [b] venas vndique profundit, vapores ex ſe ſublimari patitur, vnde terrenis omnibus conſtat vita, fœcunditaſque.

[z] D Thom. 1. q 108. a. 6. & 7.

[a] 2. Petr. 3.

[b] Gen. 1. 9.

Hæc elementa, cum ex illis omnia fiant, & in ea reſoluantur, externas quidem habent partes quæ veniunt in permutationem, ſed intactis ſubſtantiæ ſuæ theſauris: mixtorum etiam fluxum Deus ...

cluſit quatuor primis qualitatibus, tanquam littoribus oppoſitis, ne materia in immenſum vagaretur. Mari poſuit terminos,[c] quos mouere non humani iuris eſt, & ſi quando debeant vltra proferri, id non aliter quam cœlo decernente tentandum eſt; ſic plures Reges [d] voluerunt mare rubrum iungere mediterraneo, ſed deſtiterunt ab opere, tum ne depreſſior Ægyptus inundatione periret, tum innumeris prodigiis illos ab hoc auſu deterrentibus. Sub Tyberio[e] deliberatum eſt, an ob moderandas Tyberis innundationes verterentur flumina & lacus per quos augeſcit: viſum eſt optimè rebus mortalium conſuluiſſe naturam quæ ſua ora fluminibus, ſuos curſus, vtque originem, ita fines dederat, ipſum Tyberim nolle prorſus accolis fluuiis orbatum, minore gloria fluere.

c Iob. 26.

d Ariſt. 1. meteor. Kekerman. in politic.

e Tacit. 1. annal. in fine.

Corpus noſtrum, conſtat, vt diximus,[f] humido caloreque primigenio, qui à ſemine trahens originem, durat vſque ad vltimum vitæ ſpiritum conformatur etiam ex organicis partibus quæ ſemper eædem manent in alimentorum & nutritionis fluxu, nec ſemel extirpatas, ars aut natura reſtituit. Id in ciuili corpore voluit imitari politia, vt præcipuas ſui regiminis dignitates, velut partes officiales haberet perpetuas & immotas quibus cæterarum minorum inniti poſſet viciſſitudo; Vt enim Reſpublica vel dignitas non cenſetur mori,[g] ſic regentis perſona, velut eius anima rationalis ſui corporis immortalitatem quantum fas eſt, ſi non facto, ſaltem iure, legiſque remediis æquare debet. Hinc apud pleraſque gentes regnum vni ad totam vitam conceſſum fuit; apud multas hæreditarium, vt idem in progenie ſua cenſeretur viuere princeps, magis ita propenſis in obſequium ſubditis. Eandem etiam regnantem perſonam, factis ſuis ſuperſtitem, regno ſuo coæuam fingebant nominis identitate, cum Imperatores Romani à Iulio Cæſare, dicti ſunt Cæſares, Albanorum Reges Siluij, à Siluio primo eorum Rege; Ægyptiorum Pharaones; Alexandriæ Ptolomæi. In ſua inauguratione donabantur aurea corona [h] in perpetuitatis indicium, aurum enim eſt incorruptibile, & circularis figura fine caret.

f Supra hoc lib. 2. l. 1. §. 2.

g l. 56. ff. de legat. 2.

h Clem. Alexandr. lib. 2. pædag. c. 8.

Idem in magnis dignitatibus ſeruatum fuit; licet apud Athenienſes plerique magiſtratus concederentur ad tempus, quo finito geſtorum à ſe rationem reddebant, tamen Senatus Areopagus, inter maximas Reipublicæ varietates, inter multorum & paucorum potentiam, perpetuus fuit. Cæſar[i] ſpectatiſſimos in partem regiminis aſſumptos ſic conſeruabat, vt plerique in iiſdem negotiis inſeneſcerent. Nec immeritò nam qui ſecuri ſunt de dignitate ſibi diu gerenda, vt ea benè fungantur virtutem peritiamque comparant, illam vſu ſibi naturam efficiunt, cum inde pendeat totius vitæ ſuæ ſplendor & fœlicitas. Hæc regiminis ſcientia caput omnium, maximè cen-

i Tacit 4. Annal.

ſtat experimentis, quæ non alienis ſed ſuis tantum periculis parta peritos efficiunt. Quædam ſunt ex locis perſonis, negotiis indicia quæ non niſi à præſente & diutius explorante percipi poſſunt, in rem ipſam veniendum eſt, & ſic olim ſingulis agris [k] erant adſcriptitij ſerui, quos ab illis diuellere venditione vel donatione non licebat, quaſi verſaretur in eo ius publicum, & agros minus naturam eorum ſcientibus committi, hoc eſſet culturam eorum deſerere.

[k] l. 15. ff. de agric. & ſerui cenſ l. quē-admodum. C. eod.

Nihil ex hoſtium votis quidquam poteſt grauius Reipublicæ contingere, quam peritos, caſuum præſcios, authoritate præmunitos expelli, vt in eorum locum homines noui ſuccedant, & tyrocinij ſemper fiant pericula, nunquam magiſterij fructus percipiantur. Lugemus viros illos publico bono natos, patres patriæ, cum eos rebus infectis mors immatura rapuerit, nec tamen veremur, dignitatibus, ob quas maximè deſiderantur, ſpoliare, viuentes ſepelire, eorumque fatum accelerare ciuili quodam parricidio.

Si dicas eſſe iuſtum omnes æquo ciuitatis iure ad dignitatem per vices promoueri, non aduertis te ſic priuatorum commodis Rempublicam ſubmittere, & eos ad eius regimen velut in prædam æquis partibus ſorte diſtribuendam admitti; debentur ſingulorum officia Reipublicæ, non Reipublicæ dignitates ſingulorum votis ambitioſis; Nihil iniquius hac æqualitate, quæ priuata publicis; nouos homines, cœlo datis; inexpertos expertis, dubia certis anteponit.

Qui regit ad breue tempus, etiam peritiſſimus, magna non aggredietur, quæ non niſi diuturno tempore valent perfici; ſciens volenſque non incurret initij difficilis inuidiam, vt rei bene geſtæ, conſummatæque gloriam ſucceſſori ſuo relinquat. Hac ratione noui homines officium citò depoſituri, aut non tentant ardua, ſed vt ad annum coloni, ſublata futuri ſpe, præſens omne commodum extorquent, & quæ ſibi non agris profutura ſunt, ſectantur; aut ſi mouet illos famæ cupido, vt magnum quid breui ſibi conceſſo tempore moliantur; rarum eſt præcoces illos fructus ſuaues eſſe, & ordine peruerſo, minus obſeruatis rerum temporumque circonſtantiis, non implicari, non concidere præcipitem velocitatem. Adde quod periculoſum eſt maioris dignitatis ſecreta pluribus committi, qui variis acti paſſionibus, iniuria repulſæ, ſucceſſoris inuidia multa tentare poſſunt contra publicam tranquillitatem.

Vt igitur fit diuerſa camporum facies diuerſis anni temporibus, ſolo fondoque non mutato, vt pili, vngues creſcunt & reſecantur, veſtes mutantur, immutatis partibus, quibus hærent & accedunt. Ita ſtantibus quantum licet iiſdem probis expertiſque hominibus in maioribus publicis officiis, licebit minori diuerſi precariò com-

dere ; citra graue periculum, ingenia probare, quæ rebus agendis paria, ſolent ſuis enaſci temporibus ; ad virtutem æmula candidatorum induſtria prouocare, vt nemo niſi ſua culpa iaceat

Verum eſt mutationes illas etiam in magnis dignitatibus vſurpatas à quibuſdam populis. Plato [l] annuum volebat eſſe ſummum ſacerdotium ; Romæ quia Dictatoris [m] dignitas ſumma erat, vltra ſextum menſem non retinebatur. Sic ſpartani [n] & Carthaginenſes Reges ſuos annuos habuere Vuandali etiam precariò, vt omni tempore poſſent à populo deponi, ſic in omni Republica nihil tam ciuile viſum eſt, [o] quam breuem poteſtatem eſſe, quæ magna eſt, quia cum Reſpublica conſtet ex diuerſis, cum ſit corpus minus vnitum ita minus validum quam Monarchia, congrua ſibi ſeligit inſtrumenta, non diuturna ne miniſter conceſſam ſibi poteſtatem vſu ſuam efficiat, quod maximè timet, & tandem accidit, vt apud Romanos, reſoluto ſcilicet in vnitatem, velut principium ſuum, regimine. Cum etiam iuſtum in populari gubernatione [p] conſiſtat in æqualitate, ſecundum numerum, non ſecundum dignitatem, ſequitur vt omnes admitti debeant viciſſim ad magiſtratus, vt communis ſit labor, communis dignitas [q] vt nemo inſoleſcat perpetua poteſtate, nec diuturno ſeruitio frangatur ; nemo audeat alium ſeruitio premere, cuius ſibi ſucceſſuri in honorem mutua forent ſubeunda faſtidia, nemini labor grauis, quem dignitas ſequutura releuaret. Igitur mutato monarchio regimine, quod ſecundum naturam eſt, in multorum potentiam, velut exceſſum imperantis temperantem, illi pariter debuerunt officia velut organa commenſurari, non diuturna, ne nimis ponderoſa, contumacia, & quæ mouentis manum non tam facilè ſequerentur. Sic infirmitati ſibi timenti, ſuſpicionibus laboranti in ſolatium cedit mutatio, ſicut obſeſſæ ciuitati, duces alios aliis ſubſtituere, nouis in diem vti clauibus, teſſeris, ſeque plus varietate, quam viribus tueri. Et ſic muſcæ, pulices, imbellia quæuis animalia celeri confuſaque mobilitate manus noſtras effugiunt.

[l] 6. de legib.

[m] l. 2. §. 18. ff. de orig. iur.

[n] Plutarch. in furio Camillo Ammon. lib. 4. c. 35.

[o] Senec. lib. 5. decla. 8. & & vlt.

[p] Ariſto. lib. 6. Polit. c. 2.

[q] D. Ambr. examer. lib. 5. c. 15.

Mutantur aut repudiantur media cum eſſe deſierint vtilia.

§. 7.

MVndus æternitatis & temporis, immutabilis Dei, & ad omnia procliuis materiæ proles, vbique conſtat mutabilium cum immutabilibus, accidentis cum ſubſtantia ſocietate. Stat terra ſibi ſemper ſeruato frigiditatis & ſiccitatis ſpiritu, licet circumfluis ignis, cœli, aëris, aquarum qualitatibus, vnde calet, madeſcit, prægnans eſt, & variis hinc inde modis afficitur: arbores per æſtatem foliis veſtiuntur ne rami fructuſque ſui nimia ſiccitate laborent, at illa deponunt autumno tepeſcente, velut ſuperflua, & vt tunc nihil erogantes alimenti, totæ ſint in eo congerendo. Serpens [r] vt ſenium perſenſit, in anguſta ſe ſtipat, pariterque ſpecum ingrediens, & cute egrediens, ab ipſo ſtatim limine eraſus; exoletis illic relictis exuuiis, ſe nouum explicat. Ceruis [s] decidua ſunt quotannis cornua, cum enim cæterorum animalium oſſibus adhæreant, illis tantum ſunt in cute, ideo plus ſicca quam vt ali, plus oneroſa quam vt ferri poſſint, illa velut externum corpus à ſe natura proiicit. Aues quolibet anno æſtatis occaſione captata, ſeriatim antiquas pennas nouis commutant: aër qui frigidior inſpiratur ad cordis calorem temperandum, hoc functus officio iam tepeſcens & noxius emittitur, alio puriori partes eius ſubeunte; Quanta celeritate manus artificis permutat inſtrumenta prout exigit operis ſibi propoſiti ratio, & quæ prius neceſſaria fuerant, tunc abiicit, iterum iterumque cum opus erit reſumenda, vel deponenda.

[r] Tertulia. de Pallio. cap. 3.

[s] Plin. lib. 11.

Eadem ratione Princeps, quoſdam è minoribus potiſſimum miniſtris rectè ſuis functos muneribus, honeſtè mittit aliis in eorum locorum ſubſtitutis, ſæpè quia ſic exigit geniorum cum imminentibus negotiis ſympathia, interdum occulto conſilio, rebus plurimis ſimul prouidente, ſic enim facie rerum mutata turbat hoſtis diu meditatos agendi modos, & illudit exploranti; ſic blanditur populo nouitatis auido, inopinatis deiectionibus & promotionibus aulicorum mentes ſuſpenſas tenet inter ſpem & metum medias, & quod præſtantiſſimum eſt, quo flectere voluerit, faciles: tunc ipſe magis apparet rerum arbiter; fœlicitatis fortunæque conditor, cum ſic ex ratione ſortem cuiuſque commutat, cum propoſitis præmiis ſpes accendit, & omnium obſequia promeretur ciuile numen.

Igitur quædam inſtrumenta per vices aſſumuntur & deponuntur

quædam ad certum tempus & opus perpetua ſunt, at penitus ceſſant, fine cui laborabant, obtento. Sic quæ comparata fuerant ad fœtus formationem, eo edito deſinunt, areſcit enim vena vmbilicalis ex venis arteriiſque contexta, emittuntur illæ, quibus infans inuolutus fuerat tunicæ, tantis artibus à natura fabricatæ, Apes [t] fucis vtuntur in edendo fœtu, multum ad calorem conferente turba, poſtmodum eos abigunt, multæque ſingulos aggreſſæ, trucidant. Ædificata & ſolidata fornice, tolluntur ad fulciendum machinæ, multis impenſis diſpoſitæ. Igne ſuppoſito, euolare cogitur mercurius, poſtquam eius mixtione aurum dilatatum vaſis inaurandis impreſſum fuit.

[t] Plin. lib. 11. c. 11.

Talis eſt mediorum vſus, tam in humanis quam in diuinis, vt ſcilicet deponi debeant abſoluto quod per illa intendebatur, opere. Mens [v] dum corpus habitat, vtitur corporali ſimulachro phantaſiæ, vt excitetur ad vniuerſalem pariendam tanquam fundamento vel comite, quo poteſt carere poſtquam propriam ſpeciem peperit, Cognitio Dei [x] acquiritur vt plurimum per alia, inquit D. Thomas, ſed poſtquam iam cognoſcitur, non per alia cognoſcitur, ſed per ſe. Perductis ad Chriſtum magis, euanuit, quæ illos duxerat ſtella: Antiquæ legis cæremoniæ [y] ceſſerunt in aduentu Chriſti, potiſſimum in paſſione, ſcilicet veritate eorum conſummata, cum Chriſtus dixit, [z] conſommatum eſt; ſicut fides & ſpes in clara Dei viſione ceſſabunt & ſimiliter omnia cæremonialia quibus hic ad charitatem accendimur, vnde dicit Apocalypſis [a] de ciuitate beatorum, templum non vidi in ea, Dominus enim Deus omnipotens, templum illius eſt & agnus.

[v] Marſ. Ficin Theol. Platon. lib. 10.
[x] D.Thom. 1. q. 2. a. 2.
[y] Idem. 12. q. 103. a 3.
[z] Ioan. 19.
[a] Apoc. 21.

Illic quidem licebit depoſitis mortalitatis exuuiis, peractis militiæ noſtræ laboribus, in triumphantis Chriſti ducis noſtri gloriam admitti; At quandiu ſumus in hoc tabernaculo, velut in vtero matris Eccleſiæ, non ſunt diſſoluenda quibus alligamur fidei vincula; non ſunt ſpernenda, quibus inſtruimur, purgamur, reficimur ſacramenta: Adhuc nobis ædificatur perpetuæ pacis & fœlicitatis ciuitas, ideo ne quid ex profectibus excidat, omni diligentia cuſtodiendum eſt cor noſtrum, ſenſuſque ratione ſunt cohibendi, Proclamat Chriſtus venite [b] ad me omnes qui laboratis & ego reficiam vos; adhuc in via ſumus, venimus, non peruenimus, [c] ſeruiendum igitur domino cum timore. Sic ſibi cauebat Apoſtolus dicens, [d] Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ; adhuc bellum aduerſus me gero, [e] nondum ſum totus inſtauratus ad imaginem fabricatoris mei, cœpi, reſculpi, & ex ea parte qua reformor, diſplicet mihi quod deforme eſt. Vniuerſum præſentis pœnitentiæ tempus eſt vigilia quædam

[b] Math. 11. 28.
[c] D. Aug. ſerm. 12. in fine de verb. Apoſto.
[d] Roma. 7.
[e] D. Auguſt. in Pſal. 145.

[f] D. Bern. ſermo. in feſto. S. Andreæ.

ſolemnitatis magnæ, [f] & æterni ſabbathi quod præſtolantur, [illegible] cauſaberis vnquam vigiliam longiorem, ſi æternitatem feſti [illegible] attendas, licet enim præparationem habere ſoleant ſolemn[illegible] diurna, diurnam, illa cum æterna ſit, non exigit tamen æternam. Non ſunt ergo tollenda virtutum fulcra, velut perfectum ſit opus quod inchoatur; peregrinanti non eſt in itinere ſuſcepto ſiſtendus gradus; Non ſunt arma deponenda, cum inſtet infenſiſſimus hoſtis; ſperare licet, nondum poſſidere æternam illam requiem, [illegible] ideo ſemper præparari ſapientis eſt.

Quod eminet poteſt agere vel nullis vel p[illegible]

§. 8.

[g] Supra hac l. §. 3.

EX dictis [g] conſtat formas nobiliores, vt ad plures variaſque ſe proferunt actiones, etiam indigere multiplici mediorum & inſtrumentorum apparatu, hæc multitudo ſupplet defectum agentis; ſic enim vt ait Plato, conſtituta fuit ciuitas, vt quod vnus aut duo non poſſunt efficere, plures præſtent. Plura lumina magis accedunt ad lumen ſolis, ſed vt ſol iunctos illos debiles ſtellarum facium, lampadum fulgores vnico ſuo ſplendore ſuperat & operit, ſic patet dari cauſas eminentes quæ non egeant mediorum opera ſubſidiariâ.

[h] D.Thom. 1. q. 14. a. 4. ad 2. q. 45. a. 5. & q. 105.

Deus vt ſeipſo eſt ſplendor & idea boni, pulchrique ſine forma ſuperaddita, intelligit ſuamet eſſentia, [h] non per ſpeciem; cum ſit infinitæ potentiæ, ſolus poteſt ex nihilo res educere per creationem, ſolus poteſt inducere formam in materia nullo mediante agente naturali. Igitur ſi quod eſt optimum non indiget actione, nec mediis vt bonum aſſequatur, quod optimo propinquius eſt, paucioribus indiget ad actionem. Ita naturæ conditor cauſis ſecundis quibus dedit vt eſſent inferiorum principes, etiam conceſſit vim eminentem agendi, minus à mediis & organis pendentem. Intellectus puri, [i] quos rebus inferioribus præfecit, ſine ſenſu, ſenſibilia percipiunt, Beati [k] vident res in eſſentia Dei per ipſam eſſentiam, non per ſimilitudines earum multiplices. Cœli ra[illegible]s, mures, & cætera viuentia producunt, licet deficiant ei quæ ad communem eorum generationem concurrunt organa; [illegible] ſeminis virtus formatiua, quæ ſine cognitione, ſine [illegible], nullis vtens inſtrumentis, ſolo ſpiritu, caloreque pulſante, [illegible] vt decet fabricat, rotunda, longa, ſolida, caua, polita, æqua [illegible]que ſ[illegible] ſibi reſpondentia [illegible]

[i] Iamblic. de myſt. c. 12.

[k] D. Thom. 1 q. 10. a. 9.

Thomas tribus vaſorum cœleſti, vnde ſimiliter zeniophanes præſtigiator occulte ſe dicebat trahere ignem, quem ſponte ſua naſci faciebat. Et Brachmanæ Philoſophi ignem habebant ſacrum, a ſole vt dicebant acceptum, ſine alimento perpetuum; qui alijs appoſita alimenta non conſumebat. Virtus hæc cœleſtis ſe profert ad miraculum ex aſtrologorum ſententia, cum dominante fœlici regnorum fato ad regimen vocantur pueri, fœminæ, imbelles, & tamen præter indigenarum metus, hoſtium ſpes, fœliciter omnia ſuccedunt, vt totum prouidentiæ non humanis viribus tribuatur. Ideo forte ſacris adhibitum thus, eo quod eius arbor ſola, reſpuit omnem cultum & manus humanas dedignatur, totos ſuos profectus volens debere cœlo.

Independentia cœleſte diuinumque ius eſt, quod Reges ambiunt, ſed falſo niſi ſeipſis agant in omnibus; quid enim eſt ſuperiorem non agnoſcere dominantem, & tamen a miniſtris pendere, fidem eorum pretio, blanditijs promereri, obſequium prius exhibere quam recipere, & ſub regentis titulo, turpiſſimum pati ſeruitutem: cum id fortibus animis indignum ſit, vt procedat ab immoderata cupiditate, quæ plurium indiget opera, homerus inducit heroas, ſobrie viuentes, eſcas ſibi ſine famulatu parantes. Talem fuiſſe referunt Palamedem, cui cum Achilles obiiceret quod eſſet rigidior, nullum habens ſibi miniſtrantem, quid igitur hæc inquit ô Achilles, ambas manus porrigens. Ita Metellus vt militarem diſciplinam indulgentia corruptam reſtitueret, lixas e caſtris ſummouit & in agmine neminem militum vti permiſit miniſterio ſeruorum. Intolerabile fuiſſet decretum hoc Sabino diuiti, qui cum eſſet memoria pauperrimus, ſeruos magno prætio ſibi comparauit, quorum vnus ſciret Homerum, alter Heſiodum, nouem præterea lyricis ſingulos aſſignauit; poſtquam hæc familia illi comparata eſt, cœpit conuiuas ſuos inquietare; habebat ad pedes hos memoriæ ſuæ delegatos, qui quos hæſitans incœperat verſus integros redderent, putans ſe ſcire, quidquid in domo ſua ſciretur. Quam ridicula fuit hæc indecenter diuitis vanitas, tam lugenda nunc eſt dominorum conditio ſeruis ſuis ſeruientium; illis ſplendide nutriendis, fouendis, etiam ditandis, facultates & animas ſuas miſere patiuntur oppignorari: hæc eſt vera ſeruitus alijs laborare & acquirere, hoc maximum mundanæ vanitatis ſupplicium pro perſonis indigniſſimis torqueri, cum olim ſerui torquerentur tantum in caput dominorum.

Solus ab hac tyrannide ſit immunis Euangelicæ perfectionis ſectator, nam ſibi ſufficiens & abundans, animo ſano, erecto, deſpiciente fortunam, vt nihil illi debeat, bonis externis nihil adiicit, ſed cupiditatibus detrahit. Pauper, caſtus, ſobrius, ſecretus, ad vitam

Rr

Marginal notes: [illegible] — Athenæ. lib. 1. c. 14. — Philoſt. in vita Appoll. lib. 3. c. 3. — Plin. lib. [illegible] — Athenæ. lib. 1. c. [illegible] — Philoſtr. in heroicis. — Valer. Maxim. lib. 2. 2. — L. ff. de S. C. Sillani.

contentus paucis, æmulatur ſortem beatorum qui nullis indigent. In aliis virtutibus [t] promiſſio futuro tempore iudicatur, paupertati non tam promittitur quam datur, vnde præſenti tempore enunciatum eſt, beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, cum in cæteris dicatur hæreditabunt, conſolabuntur & ſimilia; Nec mirum, nam ſedatis humanis paſſionibus, puro totoque corde Deum capientes, pleni, ſatiati, omne bonum, in infinito poſſident.

[t] D. Bern. ſerm. 5. de aduentu.

Expedit aliquando vim ſuperiorem per media diſpenſari.

§. 9.

SI dum media veniunt in agentis auxilium, vires quidem illius augent, ſed gloriam actionis partiuntur & imminuunt, præſtantioris cauſæ proprium eſt, vt tota ſua ſit actio, nullis vel paucis adhibitis mediis propoſitum ſibi finem aſſequi. Ita Principes nolunt ex alieno videri fortes, ſapientes, magnifici, fœlices, vnde ſemper rectè geſtorum gloriam, cæteris æmulatione timenda ſibi vindicant. Salomon, duarum mulierum de puero cuius eſſet litigantium controuerſiam diremit nullius adhibito conſilio, & ea cœleſti prudentia, qua filius veræ matri redditus eſt, regni ſui futuram fœlicitatem, augurio certiſſimo præſignauit. Minus gaudebat Philippus Rex Macedo, vrbes armis ſibi ſubiicere, quam prudentia, cuius illi ſoli laus tribueretur. Cæſar fœlici fortunæ ſuæ fidem habens, deſperatis rebus exercitum, palantes in tempeſtate nautas confirmauit: Imperantibus, commune votum eſt, videri proprio motu conferre beneficia, inter dubias concertantium rationes, decernere, ſummamque rerum in ſe, non in miniſtris eſſe poſitam; ſit illis hic illibatus excellentiæ gloriæque titulus; ſit in ſumma poteſtate, ſummum quid quod à cæteris non pendeat, quamuis tali valerent ſapientia quæ poſſet rebus omnibus intereſſe, ſi non ſui, ſaltem ſubditorum gratia neceſſe eſt vti miniſtris, vt ad legem naturæ lex ciuilis conformetur.

Solem immenſo ſuo fulgentem ſplendore oculi noſtri non ſuſtinent, laborant, hebeſcunt, offunduntur tenebris nimia luce, ſed hanc blandè per aëra diffuſam excipientes fruuntur pulcherrimo, terræ, cœlique ſpectaculo. Hic cœli princeps cenſetur ab Aſtrologis, [v] infortuna per coniunctionem corporalem, nam comburit extinguitque planetam qui coniungitur ei, at fœlix

[v] Haly. 1. parte. c. 4. de ſole.

eſt per aſpectus, qui vim ſuam viuificam, ſignis & ſtellis imprimunt. Dum ſæuit hyems, externo frigore læſus naturalis noſter calor, foueri debet igne, non tamen immediato, qui graue foret ſupplicium, remediumque malo pejus, ſed per qualitatem eius, quam ab eo diſtantem, & in aëre debiliorem inoffenſè, tactus percipit. Chymici ſolem hunc ſuum, operationum ſuarum motorem primum ignem, cogunt non agere niſi per calorem certis gradibus, prout expedierit, remiſſum, eius etiam ſiccitate per balneum mariæ, aliiſque modis temperata. Poſſet aër corpori circumfuſus, tranſpirationi & inſpirationi immediatus adeſſe, ſed prouidè ſuperextenta fuit externis partibus epidermis, quæ ſine ſenſu, vim eius ſic refringit vt non lædat ſubiectam cutem, ſed afficiat, quantum oportet ad ſenſationem; ſimiliter in interiora receptus, à pulmone præparatur, vt alendis, propagandiſque ſpiritibus inſeruiat. Poſſet mare iure ſuo, occupare totam terræ ſuperficiem, at hæc effuſio, non eſſet beneficij ſed iniuriæ, terram enim efficeret inhabitabilem, infœcundam, diluuio merſam, mortuamque; vt igitur eius ſuccurrat ſiccitati, vtitur mediis; per venas effundit aquam quæ colata dulceſſit, & per vapores ſublimata ſitientem per interualla ſuperficiem recreat, vt ad fructum inter vliginem, & ariditatem media, præparetur.

Summa poteſtas, multa valet exequi per ſe, quæ tamen per intermedias vires fieri, magis expedit ſubditis, non niſi temperata, ſibique commenſurata benè capientibus. Iſraëlitæ [x] videntes montem fumigantem, in quo Moyſes legem acceperat à Deo, perterriti pauoreque concuſſi, dixerunt Moyſi, loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dominus ne fortè moriamur. Ineſt regnantibus cœlo datus ſplendor nimius, qui populi mentes & oculos perſtringit etiam perturbat; Ineſt maieſtas, cui vel minimum refragari periculoſum eſt, & quæ deſcendens ad communia vileſcit; Tiberius [y] volebat ſe per liberos adiri, ſalua maieſtate cui maior ex longinquo reuerentia, adoleſcentibus etiam recuſantibus aliqua ad patrem referre; quod aliud ſubſidium, inquiebat, ſi imperatorem ſpreuiſſent. Liberior eſt ante Magiſtratum & miniſtrum ſubditus in votis ſuis explicandis; Liberior eſt magiſtratus in diligenti, diuturnoque rerum examine, vnde conſiliis lux affulget; Liberior in rebus tentandis, quas poſtmodum reuocare, vel moderari fas erit, at ſic in particularibus, detineri, deiici, prætentare non decet principem maioribus intentum, & immutabilia, quantum licet, inſtar oraculi decernentem. Igitur in vniuerſi ſicut in Reipublicæ regimine potiſſimum ordo conſtituitur, vt vis ſuperiorum mediis interjectis ad inferiores temperata deſcendat, & vt ſol per lunam habet influxus rerum alte-

x Exod. 20. 20.

y Tacit. 1. annal.

Digitized by Google

rabilium conditioni reſpondentes, ita princeps, ſaluo ſuo ſplendore, per miniſtros ad populorum preces deſcendit.

Diuina ſapientia [a] ad nos venit in homine, quoniam & nos homines ſumus qui ad eam venire non poteramus, niſi ſic infirmitati noſtræ congrueret, & ſic fieret mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, per quem omnia nobis donata ſunt. Perierat [a] homo volens fieri ſimilis Deo, Verbum incarnatum eſt, & tale ſe exhibuit, vt quiſquis imitari voluerit, fiat ei iſta imitatio via ſalutis.

[a] D. Auguſt. lib. 1. de doctr. Chriſt. c. 2.

[a] D. Bernar. ſerm. 1. de aduentu.

MOTV CVNCTA SERVANTVR ET proficiunt.

Lex 5.

IN hac communi naturæ prouidentia, quæ rebus cunctis facultates, figuras, partes organis inſtructas concedit, vt agant, notandum illas ſic conformari, ſic armari, præcipuè motus cauſa: Vt cœlum ſphæricum eſt, quia ferri debet motu circulari ſemper in eadem redeunte, vt ignis & aër motu recto centrum ſuum petituri linea recta, partes omnes ſuas, licet æqualis ſint ſubtilitatis diſponunt in longum & acumen; ſic animalia & ad motum & ad qualitatem motus aptas habent, aut efficiunt corporis ſui partes. In mari conchiliata quibus vix alius eſt motus quàm à fluctibus circumuolui, vt plurimum figuræ ſunt orbicularis aut columnaris, & ſic terreſtria timida, ſi deprehendas, conglobantur, mortem velut inſenſibile quid ſimulant, herinacei, inſecta penè omnia, ſe dum impetuntur contrahunt, vt vitent maiores injurias fugiantque celerius non ſuo ſed impellentis motu. Ad motum rectum qui igni & aëri proprius eſt, aptantur animalium corpora in longum protenſa, capite vt aër facilius ſcindatur, acuminato. Potiſſimum, grues & anſeres, hanc quam corpore figuram præferunt imperant agmini ſuo, dum gregatim altum tenentes in longinqua peregrinantur, & ab illis ſic naues fabricare roſtris prominentibus nauta didicit. Auium corpora intextis vndique ſunt velata plumis, quæ reciprocant aërem; duabus alis librata, quibus aëre compreſſo, & poſt ſolutionem auidius in ſe redeunte, ſtipanteque, ſuſtinentur, in illis ignei ſpiritus, cerebri ſoliditas, oculorum acies miranda, totum hoc quod habent interius, & quod exterius oſtendunt, eſt propter motum. Eius inſtrumenta mediam occupant corporis partem

Digitized by Google

in homine, cæteriſque terreſtribus, vnde conſtat motum præcipuam eſſe rerum inferiorum affectionem, cum illi natura tanto, tam diligenti prouiderit apparatu, qui & inclinatas in eo ſpes ſuas oſtendit, & vt conditiones eius inquiramus, contemplationem noſtram prouocat.

Omnia conſtant motu & quiete.

§. 1.

DEus eo quod infinitus eſt, entitatis creatæ extenſionem omnem implens & ſuperans, etiam quæ ſunt apud nos contraria vnitate ſua ſimpliciſſima complicat, [a] & ſic ſumma quies eſt, ſummuſque motus: ſumma quies, eo quod eſſentia ſua, quæ eſt omnis boni, pulchrique fons & idea, infinitè beatus ab æterno, non habens extra ſe principium vel finem, in ſe incipiens, deſinit in ſeipſum: Summus motus, eo quod infinitè ſe ſemper intelligit & amat infinitum, nunquam otiante ſapientia nec charitate, cum vtraque æterna ſua ſit eſſentia, & tam illi neceſſe ſit ſe amare & intelligere, quam eſſe. Omnium ipſe primus actus, primuſque motor, efficit vt ad imitationem ſui, circulatione quæ finem ad initia reciprocat, mundus in ſe agit & quieſcit.

[a] Cuſa lib. 1. de docta ignorantia. cap. 21.

Ad huius eſſentialis æternæque bonitatis ideam, Angeli primo creati ſunt, qui quia componuntur ex potentia & actu, [b] iam incipit in illis motus à quiete diſtingui, nam intelligendo & amando feruntur in ſuum authorem, & cum ab eo proceſſerint, ſimiliter in ſe redeunt, in illum iterum iterumque ſurrecturi, motu beato, qui vt nunquam eſt ſine complacentia, ſic nunquam ſine quiete. Illos Prophetæ [c] deſcribunt pluribus præditos alis, quibuſdam complicatis, cæteris expanſis, nunc placidis, nunc ſe concutientibus, cum fit vox in firmamento quod eſt ſuper caput eorum, denique ſtantes & volantes, nam in ſuis actibus & motibus non habent æternitatem infinitam, quæ ſit tota ſimul, abſque vlla ſucceſſione collecta, ſed habent æuum medium inter æternitatem diuinam, & tempus mundanum.

[b] Marſil. Ficin. Theologiæ Platon. l. 4. c. 2.

[c] Iſay. 6. Ezech. 1. 10.

Cœlum [d] quia eſt corpus deficiens à diuinitate, ideò debet moueri, ſed quia diuinis proximum eſt, mouetur motu locali qui extrinſecus eſt, ſubſtantiam & qualitatem non attingens; & circulari, qui quam minimè à locali ſtabilitate recedit, quia fit in eodem, circa idem, ſecundum eadem; ſimili & iugi continuatione voluitur cir-

[d] Marſ. Ficin. dicto loco.

Digitized by Google

ca ſtabile, ſolus non mutans locum, videtur in motu quieſcens. In illo ſunt ſtellæ fixæ, mouentur tamen cum octaua ſphæra. Planetæ varios habent motus longitudinis & latitudinis, ſed intra zodiacum, in quo ſunt interdum ſtationarij, in eoque fixas habent domos.

In inferioribus expreſſior eſt motus & quietis diſtinctio, vt ſi ſimul eſſe non poſſint, ſibi ſaltem immediatè ſuccedant, & per vices tempus omne partiantur. Aër nunc ſub Ioue tranquillus, blanditur plantarum & animantium generi, tenelliſque fœtibus, quos immotus, ſecuros ad motum euocat, cum interim naues in occeano velis concedentibus, malaciâ langueſcunt. At aliàs tempeſtate ſæuiens, dum ſata ſternit, domos & arbores æquat ſolo, fluctus maris horrendum in modum exagitat, interim homines domi, nautas in portu, terreſtria & volatilia in cubilibus ſuis continet. Elementorum ſphæra vltima, conſtat ſolido & fluido corpore, ſcilicet terra & aquis. In mari vario, & maximè mobili, ſunt quædam immota animalia, vt conchæ rupibus adhærentes, ipſæque rupes, ſpongiæ, & ſimilia, cum in terra immobili, nulla ſint niſi mobilia animalia; ſedes ſtabilis[e] in humido tantum eſt, terreſtrium nulla ſtatu immutabili viuunt, natura motui quietem ſic iungente, vt quod vni deeſt elemento, à ſuis ſuppleatur incolis; nec tamen omni motu vacat terra, nam ſtat cum partes eius agitentur vario cœlorum influxu, hominumque cultura. Certis in regionibus aliquando concuſſæ tremunt, vel ſubſidunt, ſed nunquam niſi ſopito mari, [f] cœloque adeò tranquillo, vt volatus auium non pendeant ſubtracto omni ſpiritu qui vehit, & occultato in venis terræ. Sic in omni motu animalium, pars quæ ſe mouet innititur alteri non motæ, quæ ambulant alternis quieſcunt & progrediuntur pedibus. Ideo corpus conſtat tum oſſibus rigidis, tum neruis, flecti, contrahi, dilatari natis, concurrentibus ad hoc muſculis, articulis, iuncturis quibus vna pars moueri poteſt, altera ſibi iuncta, quieſcente. Vena immobilis, iuncta eſt arteriæ, motum cordis ſemper ſequenti. In actionibus quas concupiſcibilis vel iraſcibilis, vel vtraque ſimul impetu magno promouet, quietis ſpeciem habet quæ comitatur voluptas, eſt enim vltimæ fruitionis quædam prælibatio, & prælantis potentiæ ſtipendium.

Si vitam humanam æſtimes, mixtura quædam eſt belli paciſque, mœroris & gaudij, rerum ſecundarum quibus aliquando quieſcens hæret animus, tum aduerſarum, quibus miſerè conturbatur. Quis eſt tam compoſitæ fœlicitatis, [g] vt non aliqua ex parte cum ſtatus ſui qualitate contendat. Anxia res eſt humanorum conditio bonorum, & quæ vel nunquam tota proueniat, vel nunquam perpetuò duret, ineſt ſingulis quod inexpertus ignoret, expertus horreat. Nihil mortalibus æternum eſt, voluunt humana vices crebræ,

[e] Ariſt. hiſt. animal. lib. 1. cap. 1.

[f] Plin. lib. 2. c. 79.

[g] Boetius de conſolat. Philoſ. lib. 2. proſa. 4.

Digitized by Google

& omnium rerum fuga fit. Videre licet magna gaudia ex inſignibus malis, & immenſa mala ex ingentibus gaudijs. Quid ſtupes, quid miraris? hæc eſt inferiorum conditio, ſic ad tempus quieſcere, ſic moueri; pompa eſt, oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur, dum placent tranſeunt, expirant inſtar vnguentorum, ſuiſque moriuntur flore.

Totum in domus expetitur anima viciſſitudines euntis & redeuntis verbi, ad modicum vadit & venit ad nos; in præſente quieſcit, pro recedente conturbatur dilecta, quærit abſentem nec inuenit per vices & plateas mundanæ ciuitatis. Forte recedit [b] ne nimis aſſiduus contemnatur, & vt abſens magis deſideretur, deſideratus auidius quæratur; diu quæſitus, tandem gratius inueniatur. Si nunquam deeſſet hæc conſolatio, putaremus nos hic habere ciuitatem permanentem, & minus inquireremus futuram. Igitur ne reputemus exilium pro patria, arrham pro pretij ſumma, venit ſponſus & recedit viciſſim, ſe poſſidendum, & quærendum exhibet, donec alteri temporis tam cedat æternitati, motus quieti.

[b] D. Bern. lib. de ſcala clauſtrali.

Quare motus temperatur.

§ 2.

HÆc fuit prima mundo naſcenti [c] conſtituta lex, vt ex luce & tenebris fieret dies vnus, vtriſque conſtans, ſic in poſterum, inter diem actioni, noctem quieti opportunam, bipartito tempore. In ſingulis diebus regulatiſſimo ſuo motu peragit ſol, ab oriente per meridiem & occidentem in id vnde proceſſit punctum rediens, vtrique per vices locet hemiſphærio, horas luci tenebriſque diuerſimodè diuidit prout exigit varia tempeſtatum anni conditio, & compenſans, & bis in æquinoctiis ad ſummam reducens æqualitatem cum occidens offundit tenebras & facta eſt nox, in ipſa pertranſeunt omnes beſtiæ ſyluæ, [d] catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant a Deo eſcam ſibi, ortus eſt ſol & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur; Exit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam, cum cæteris diurnis animalibus miniſterio ſuo dicatis: quam magnificata ſunt opera tua domine omnia in ſapientia feciſti, noctem ferarum inſidijs & ſecuritati; diem cæterorum animantium actioni deſignaſti, contrariorum prouidus conditor, ludens in orbe terrarum.

Quietem ſuadet nox, ſed ad illam cogit virium defatigatio, & obſtinatæ ad laborem cupiditati ad certamen furori bellico finem

[c] Gen. 1.

[d] Pſal. 103.

imponit deficientis corporis neceſſitas, cui parendum eſt. Terra poſt fructus editos petit vacationem, quam ſingulis ſeptem annis lex illi Moſaica [l] concedebat; noualem Iuriſconſulti vocant, quæ præciſa ceſſat, [m] certo quodam tempore nouandarum ſibi virium cauſa. Si quid vltrà fertilibus etiam agris impertetur, illos exhauriet citò nunquam intermiſſa fœcunditas: Plantæ [n] videntur habere aliquid ſimile ſomno, dum omnes nocte contrahunt flores, quædam folia, & tota hyeme quieſcunt, vt glyres, teſtudines, limaces: Temporum circuitu ſolito, arbores æſtiuo tempore exinanitæ, partim ex germinatione, partim ex fructificatione, rurſus repleri reſtituique videntur, deinde ex ea reſtitutione temporibus congruis germinant & pariunt.

[l] Exod. 23. 11.
[m] l. 30. §. 2. ff. de verb. ſign.
[n] Theophr. de cauſ. plãta. lib. 1. c. 14.

. Id ita fit, vt vbique per quietem actio temperetur, quamuis nutrire, augeri, generare, ſint actus vegetabilis potentiæ, quæ propriè non inducit laſſitudinem & ideò non indigent quiete, [o] quæ tantum eſt neceſſaria, cum motus virtutis quæ mouet organum non eſt naturalis motui organi; at cibus mouetur naturaliter ad membrum ſicut ad ſuum locum & ad ſuam ſpeciem, per quantitatem eius fit augmentum, & per ſuperfluum eius generatio, vnde tales motus non inducunt laſſitudinem, ſed perfectionem; propterea ex illis non cauſatur nec vigilia nec ſomnus; At cum motus virtutis non eſt naturalis motui organi, fiatque continuus diſcurſus ſpirituum in organis durante vigilia, inducitur laſſitudo, quæ per quietem debet reparari; Nam organa ſunt harmonicè compoſita, & ab exceſſu læduntur, vnde nullum eſt animal, quod ſemper dormiat aut vigilet, ſucceſſiuè & per vices id præſtat, ſomnuſque eſt propter vigiliam, vt potentia animæ præcedat in actum; & explicentur ſpiritus qui fuerant per ſomnum ad interiora retracti. Si vigiliæ ſunt nimiæ, diſſoluunt hos ſpiritus, corporis vires labefactant, coctionem impediunt, cruditates pariunt, vniuerſum corpus, atque imprimis cerebrum exſiccant, bilem accendunt & acuunt, quia natura circa ſenſus & exteriora occupata, illic ſpiritus & calorem diſtribuit, quibus dum interiora priuantur, refrigerantur & exſiccantur.

[o] Albert. Magn. tract. 1. de ſomno & vigilia cap. 5.

Ita fit vt æſtimatione nocturnæ quietis, dimidio quiſque vitæ ſuæ ſpatio viuit, [p] pars æqua morti ſimilis exigitur, aut pœnæ, niſi contingit quies: nec reputantur infantiæ anni qui ſenſu carent, non ſenectæ in pœnam viuacis, & tamen vitæ hoc tempus annumeratur. Exiguum eſt quod ſeriis impendit ætas matura, & tamen indè detrahit otium, & interuallum quo remitti non diſſolui dicitur animus, nam eius impetum labor aſſiduus frangit, indeque naſcitur hebetatio quædam & langor. Ideo monent ſapientes, mentem humanam natura ſua ampliſſimam in anguſtam non eſſe redigendam

[p] Plin. lib. 7. c. 50.

gendam, vt ad operas præſtandas more ſeruorum adigatur, ſic enim diffluet, malens diſperdi quam cogi, ſicut aër & aqua diffugiunt, & exhauritur imbibita ſpongia ſi manus comprimat. Viatori etiam impigro vtilis mora, quæ vires cibo & quiete reparet; hi per partes ſpontanei defectus impediunt totalem, qui fatigatas vltra modum vires penitus ſternit. Æternis tantum & corruptioni non obnoxiis perpetua conceditur actio, mortalibus alterna requie debet reparari. Vt fructus vitæ percipias ferenda hæc eſt conditio, ſub qua tibi conceſſi ſunt. Interim glorioſa ſeruitus, quæ ſpeciem præfert beatitudinis; certè grauis videri non debet infirmitas, cui pro remedio eſt quies, perfectis, beatiſque exiſtens pro præmio.

Mundanis hominibus, non ſufficit illa quies quam neceſſitas imperat, multò longiorem & lautiorem ſectantur, vt indulgeant ſenſuum voluptati; etiam virtutum æmuli ſuam habent quietem, ampliorem liberiorem & vltra quam exigunt, in actionibus conſumptæ vires; longiorem vitam efficiant diuturno bonæ mentis ſtudio, colant receſſum animi, in ſeipſum, & in diuina ſe reuocantis, hi potiſſimum qui publicis impenduntur negotiis: ſi iuſtitia, ſi charitas in commune bonum te diffundit, vt humanitas tua plena ſit & integra colligat te intra ſe ſinus, qui omnes recipit; cum omnes te habeant, eſto etiam ex habentibus vnus; quid ſolus fraudaris munere tui; deriuentur aquæ tuæ in plateas, ſed inter cæteros bibe & tu de fonte putei tui, quid enim prodeſt ſi vniuerſos lucreris, & te perdas. Ita D. Bernardus [q] monet Eugenium Papam, ſecedat interdum ab humanis negotiis, vt diuinis impleatur, & magis imitetur eum, de cuius plenitudine omnes accepimus: Sume, inquit, exemplum de ſummo omnium Patre, verbum ſuum & dimittente & retinente: verbum tuum conſideratio tua, quæ ſi procedit non recedat; ſic progrediatur, vt non egrediatur; ſic exeat, vt non diſcedat. Ab æternorum contemplatione illuſtrior & doctior ad ſingularia deſcendet animus, & diſcuſſa prauæ conſuetudinis caligine, de rebus, aliis quam vulgus, oculis, iudicabit. Quid pulchrius, quid dulcius, [r] quam inter tenebras huius vitæ, multaſque amaritudines, diuinæ dulcedini inhiare, æternæ beatitudini ſuſpirare, illicque tenere mentem, vbi vera haberi gaudia certiſſimum eſt. Mundanorum inquietudo [s] variat affectiones, vt vna alteram trudat, quies autem habet conſtantiam, in qua maximè intelligitur, quod dicitur, EST.

[q] lib. 5. de conſideratione ad Eugenium PP. c. 5.

[r] D. Auguſt. lib. 1 med. cap. 37.

[s] Idem de libero arbitrio. cap. 8.

Plus eſt motus, quam quietis.

§. 3.

IN hoc vniuerſi ſpectaculo, inter cœlos & elementa, vnum omnium minimum terræ corpus immobile ſenſus deprehendunt, licet nobis in hoc curioſa quorundam obſeruatio moueat controuerſiam. At cœlorum ſphæras ſuperiores & ampliſſimas citiſſimè moueri nullus vnquam dubitauit; omnes notant ſolem ſpatium quod eſt inter orientem & occidentem ſtatis horis diei decurrentem, & licet in ſumma motus æqualitate ſtantis ſpeciem præ ſe ferat, ſatis patet eum moueri, cum videtur ab vno termino in alium perueniſſe, quindecim gradibus qualibet hora decurſis: Mouetur qui nunc præſens, nunc abſens eſt, qui præſentiam ſuam luce, abſentiam tenebris, ideſt creaturarum omnium publico teſtimonio comprobat. Varios in aliis ſphæris & planetis motus ad amuſſim obſeruauit à tot ſæculis tradita per manus diſciplina, ne dubitaremus in illis magnis corporibus longè cætera excedentibus, eſſe motum, cum etiam reperiatur in ſingulis multiplex.

Communis eſt philoſophorum ſententia ignem etiam in ſphæra ſua moueri, tum circulariter vt cœli principis ſui moribus conformetur, tum agitatione perenni, non quidem vt hic indiga materiæ, quam impetat, ſed ob naturam ſuam ſubtilem, actiuitatis fontem, ociari neſciam, effundi cupidam. Aërem pariter ſequi motus cœli patet ex eo quod celerior eſt ab oriente in occidentem nauigatio; At quæ contingit illi ſub ſingulis ventis, ſub omni corporum motu varietas, eſt infinita. Similiter oceanus ſequitur motum primi mobilis, habet ſtatos ſuos fluxus, dum luna aſcendit à prima domo ad decimam, & à ſeptima ad quartam, refluxus dum à ſeptima ad decimam & à quarta ad primam; ſed quis explicet quot concutiatur motibus ab interno ſpiritu, dum imis feruet arena vadis, à ventorum turbine, à procellarum ſe collidentium impetu, à rupium vim repellentium ſoliditate; tandem humiditas alieno termino contineri nata, infinitè mobilis eſt.

Mixta ſapiunt naturam ſuperiorum ex quibus componuntur, & animantia potiſſimum longè plus habent motus quam quietis. Perpetuus eſt vt diximus, in corpore vitalis motus, & quia fit cordis dilatatione & contractione; nec ſimul in contraria fertur, neceſſariò intercedit quies, ſed tam exigua vt ratione tantum, non ſenſu

Digitized by Google

poſſit percipi. Vigilia tota eſt in motu, tunc enim ignei, & aërei ſpiritus cuiuſque facultatis vires explicant, ſenſus habent in procinctu, vt quilibet ſibi proprium obiectum quærat, manus ad opera, pedes ad iter accingunt, etiam cum voluptate, donec paulatim viribus fatigatis, ſuccedens dolor inuitet ad quietem. Eſt igitur quies excedentis actionis remedium, at plura ſunt ſemper alimenta quam remedia; longior eſt actionis innoxia continuatio, breuis eſt in quo langueſcit & ſuccuri debet exceſſus. Quis tam deſes vt tantum dormiat, quantum vigilet? quis viator tantum temporis concedit hoſpitio, quantum itineri. Ex ſeptem hebdomadæ diebus, vltimam tantum quieti Deus ſacrauit, cæteras operi; vnum poſuit in cælo Saturnum contemplationi præſidentem, cæteros planetas ad actionem inclinantes; Ita docuit huius vitæ fœlicitatem in actione poſitam eſſe, charitatem non ſolis affectibus, ſed potiſſimum operibus æſtimandam; eam requiem, quam ex interuallis ſua concedit miſericordia, militiæ noſtræ ſtipendium eſſe non præmium, breuem humanitatem hoſpitij, non patriæ quam ſperamus fœliciſſimam in æternitate manſionem.

Motu res ſeruantur, ſitu & torpore depereunt.

§. 4.

COeli ſupra rerum alterabilium ſortem poſiti, priuilegium eſt, cum nullis indigeat, tantum ad inferioris naturæ commodum moueri, & lucem, qualitates per citiſſimos motus temperatas, liberaliter diſpenſare. Imitantur beneficos illos influxus, Rectores qui velut non ſibi, ſed bono publico nati, ditiones ſuas, vt ſol mundum, ſucceſſiuè perluſtrant, illaſque ſi non immenſa, ſaltem alterna fouent præſtantia. Idem efficit Deo plena, parum externis indigens, nulli grauis, omnibus officioſa charitas, dum egentibus auxiliatur, velut ſi diuinæ bonitatis in omnium tutelam diffuſæ partes ageret. Diuinum hoc eſt in cœlis, Angelis & ſanctis propter aliorum commodum agere, at inferiora cum multis indigeant propter ſe primum mouentur, tum ne ſitu & torpore depereant, tum vt vitæ neceſſaria ſibi comparent, de quibus infra dicetur; hic tantum agimus de motu, in quantum blanditur naturæ rerum, & illas eximit à corruptione.

Id præſtat, quia quodlibet mixtum ex diuerſis conflatum elementis, ſingulorum contrariis qualitatibus debet per vices ex æquo compati, earumque vim hoſtilem, ne pernitioſè deſæuiat, conſen-

tiendo placare; vt ergo ratione terrenæ ponderoſæ molis animanti per interualla conceditur requies, ſic ob partes in eo igneas, aëreas, etiam cœleſtes, quæ virtute præſtantiores ſunt, moueri debet, vt ſuum vnicuique natura tribuat, ideo dicta principium motus & quietis, in eo in quo eſt. Propterea diis cœleſtibus & æthereis[t] olim antiqui offerebant volatilia quaſi gratiora diis qui ſunt in perpetuo motu, cœli enim & aër perpetuò mouentur.

[t] Euſeb. præpar. Euang. lib. 4. c. 4.

Cum longa quies mixto conceditur, quæ in eo ſunt partes homogeneæ, ad ſe inuicem confluunt, relictis cæteris quibus adhærebant, vnde contingit diſſolutio. Ita fit ſedimentum in vrinis; humores prius in ſanguine temperati ſeparantur & fit putrefactio, cum extra corpus & motum extractus ſedet in chirurgicis vaſculis; Ideo verſantur grana in granariis ne putreſcant; Vina quædam alba in doliis ſæpius agitantur vt ſeruent muſti dulcedinem; exercentur milites & populi, boniſque publicis intentos rectorum diligentia continet, ne otio in partes & ſeditionem dilabantur. Infantes mulcentur motu,[v] ſeu ab vlnis matrum, ſeu penſili lecto; cum vires adoleuerint diſcurrunt, laſciuiunt; Iuuenes gymnaſticis exerceri mos fuit in omni benè inſtituta Republica, & Galenus librum compoſuit de exercitatione paruæ ſphæræ, quam dicit plurimum conferre ad ſanitatem, quia varius eſt in ea motus, quo muſculi omnes exercentur & firmantur. His motibus continentur mixti, temperatique humores, ne diſſoluti in ſe, & in partes infirmas decumbant, inundent & putreſcant; at otium & longa quies corpus replet nimiis excrementis, pituitam auget, calorem natiuum obtundit, ciborum coctionem & diſtributionem infœliciorem efficit, corpus ſegne atque inualidum reddit. Spiritus ad omnes ſenſus & mentis naturæque functiones, ignaues.

[v] Galen. lib. 1. de ſanitate tuenda.

His argumentis probatur motum mixtis ad ſui conſeruationem eſſe neceſſarium, nec minus elementis quanquam diuerſa ratione. Planetas contrarium primo mobili motum habere dicit Plinius,[x] vt fundatur aër, qui alioquin nimium quieſcens, ſimilique ſemper actus latione corrumperetur. Quotidianis experimentis ſcimus eum immotum corrumpi, in cubiculis, in ſubterraneis ſpecubus, in ſyluis nimium denſis, in quibus, quia non perflatur, inſalubris eſt. In Babylonia[y] de templo Appollinis ex arcula aurea, quam miles fortè inciderat, ſpiritus peſtilens erupit, orbem compleuit, & Romæ tantam depaſtus eſt hominum multitudinem, vt ad bellum Marcomannicum oportuerit ſeruos, gladiatores, latrones, alioſque præter vſum armare; & miraris ſi ex abyſſis terræ, ſufflatus qui diu concluſus fuerat aër, vrbes & prouincias peſtilentia conſumat?

[x] lib. 1. c. 8.

[y] Baron. an. 170.

Digitized by Google

Id ita fit eo quod mundi pars eſt aër, qui cœlum terramque connectit, ima ſimul ac ſumma ſic ſeparat, vt tamen iungat, vnde pars eius à ſuo toto ſeparata, toti ſuo corpori impreſſo ſpiritu, etiam cœli commercio priuata, corrumpitur. Hæc autem ſemper humida, ſemper diffundi nata, vbi patet exitus, erumpit, & vt ſanetur toti ſuo ſe commiſcit, ſic illud inficit, & malum ſuum longè lateque propagat. Metu tam horrendæ calamitatis Abyſſini, Tartari, Arabes habent ciuitatem portatilem, mutantque ſitum pro tempore ſalubriorem, ne à peſtilentia deſtruantur: quod illos vtiliſſimum eſſe experentia docuit, ratio perſuaſit Philoſopho, qui ſic vnumquemque tuendæ ſuæ ſanitatis cupidum monet. [z] Da operam vt in perpetuo quodam pro viribus motu verſeris, tantum defatigatione vitata, vt & proprium motum, externis motibus clam nociturts, opponas, & cœleſtem actum pro viribus imiteris: quod ſi potes ſpatia motibus ampliora perage; ſic & cœlo fies conformior & plures eius vires paſſim diffuſas attinges, varietas tædium prohibebit, & venus voluptatis amica veniet in ſpiritum. Mobilis enim potiſſimum eſt in homine ſpiritus; hinc cœpit vita vegetior, quo fuerit mobilior, vnde ſæpius in vtero mouentur mares, [a] adulti ſunt longè mobiliores fœminis, & homini velut coſmopolitæ, huius mundanæ ciuitatis ciui, ius eſt habere domicilium, [b] vbicumque non eſt ei interdictum. Si Titio decem legata ſint, [c] ſi à tali ciuitate non recedat, percipiet legatum & non parebit conditioni, quaſi inutili, & quæ ius libertatis infringit; poteſt quidem hæc ſeruitus libertis imponi, verbi gratia illis legari certum quid, [d] ſi ab vxore defuncti non receſſerint, ſic tamen illis frequentes excurſiones non interdicentur; vt nec ſeruis colonis certis agris adſcriptitiis. Miraris ſi dignitas publica dicatur ſeruitus, cum hominem certis locis & muneribus alliget, vt ſeruum aut reum, quoſdam exilia, quoſdam ſacerdotia eodem loco detinent, inquit Seneca, [e] cum tamen in cœlo ſtellæ nobiliores, ſcilicet planetæ, magis varios & liberiores habeant motus quam fixæ.

[z] Marſ. Ficin. lib. de vita cœlitus compar. c. 6.

[a] Plin. lib. 7. c. 4.

[b] l. 31. ff. ad municip.

[c] l. 71. §. 2. ff. de conditio. & demonſtrat.

[d] l. 13. ff. de ann. legat. l. 11. ff. de agricol. & cenſ.

[e] De tranquillit. vitæ. cap. 10.

Homini libero cedit in pœnam non poſſe quo voluerit progredi. Ita claudius Cæſar, [f] quoſdam nouo exemplo relegauit, vt vltra lapidem tertium vetaret egredi ab vrbe; ſic Salomon [g] impoſuit Semei non egredi Ieruſalem ſub pœna mortis, hodieque reis poſtulatis, deſignatur domus, ciuitas, vel prouincia pro carcere. At contra Principes in ſpectaculum ſummæ libertatis & potentiæ ſolent in vna prouincia plures habere domos, in vna domo diuerſas ſedes quas incolunt prout fert annuæ tempeſtatis occaſio: Vnde ſi amplæ domus vſus relictus ſit, [h] quam vſuarius non occupet integram, tamen eis quæ vacabunt proprietarius non vtetur, quia licebit vſuario aliis & aliis temporibus tota domo vti, prout temporis conditio exigit; ſic

[f] Sueton. in Claudio.

[g] 3. Reg. 2.

[h] l. 22. ff. de vſu & habitatione.

Digitized by Google

captatur occaſio liberioris aëris qui habitatione continua minus ſalubris poſſet fieri.

Similiter aquæ immotæ putreſcunt, meritoque ſtagnantes & pigras damnant medici, [i] vtiliores quæ fluunt exiſtimant, curſu percuſſuque ipſo extenuari & proficere, vnde ciſternas non probat Hypocrates, [k] licet tenuiſſima ſit imbrium aqua, cum illic ſitu deterior fiat. In Mileto [l] eſt fons Achilleus, cuius aqua fluens eſt dulciſſima, quæ conſiſtit ſalſa: ſimile quid contingit hydropicis qui febricitant & ſitiunt, eo quod humor circa viſcera deſes, nec perflatus, putredinem & ſalſedinem colligit. Inde caro piſcium qui in aquis ſordidis limoſis & ſtagnantibus degunt excrementoſa admodum & muſcoſa exiſtit, [m] optima autem eorum eſt qui in puro mari viuunt, præcipuè cum ventorum procellis ipſum mare agitatur, ſicut & in rapidis fluctibus, duplici ratione, quia ſcilicet & puriori viuunt elemento, & ipſi magis exercitati, mixti ſui diſſolutionem magis impediunt. Refert Seneca [n] in Caria nouum lacum exiliiſſe, nouis horrendis refertum piſcibus, periere quicumque illos ederent, erant enim pinguia, differta, ex longo ſcilicet otio corpora, cæterum inexercitata, in tenebris ſaginata, & lucis expertia ex qua ſalubritas ducitur. Iiſdem de cauſis animalia [o] quæ in cibum ſumuntur, non ſunt clauſa habenda, nam excrementoſa ſunt omnia quæ exercitatione carent, minuſque puris vtuntur alimentis, nam putreſcunt facilè calida & humida, ſi ſint concluſa in calidis locis. Igitur aquæ ſicut aëris pars à ſuo toto ſeparata, ſpiritu, vt diximus, toti impreſſo ſpoliata, externis expoſita qualitatibus facilè tranſit in corruptionem vnde generantur immunda & venenata.

Pares ſunt effectus deſidiæ, peſtis hæc hominem homini negat, ſocietatibus cœlo datos fœlices influxus obſtructione quedam reſpuit, tunc animus non viuit communi tum naturæ, tum gratiæ ſpiritu, ſed deiectus tantum vitiorum ferax, in ſupplicium ſuum, publicamque infamiam langueſcit. Vita noſtra veluti ferrum eſt quod ſi exerceas, illud quidem vſus conterit, ſed cum ſplendore, ſin minus, citius, & turpiter exedit rubigo. Sic hominibus longè magis officit, deſes voluptas, quam honeſtus labor. Apud Lucianum [p] Charon, inferorum nauclerus, par tributum pendere cogitur tempore pacis, quam belli, quia plures homines moriuntur otio & delitiis corrupti, quam hoſtili manu confoſſi; vnde cenſetur ſeruum corrumpere [q] qui cum conſilio vel laudibus ad deſidiam prouocat, & hæc fuit ſæpe latens tyrannorum ſæuitia, populum voluptatibus corrumpere vt fieret imbellis, & obnoxius ſeruituti. Vigilandum laborandum vbique lex Chriſtiana præcipit; Nos enim, [r] non ſomnus, ſed actio bona perducit ad ſemper vigilantem requiem.

[i] Plin. lib. 31. c. 3.

[k] lib. de aëre aquis & locis.

[l] Athenæ. lib. 2. c. 2.

[m] Galen. lib. 3. de alimentis.

[n] Natural. quæſtion. lib. 3. cap. 19.

[o] Galen. lib. 8. Meth. medendi.

[p] Dialogo Charontis & Mercurij.

[q] l. 1. & 2. ff. de ſeruo corrupto.

[r] D. Auguſt. in Pſal. 114.

Digitized by Google

Quod vni loco deeſt, motus quærit in aliis.

§. 5.

PLantarum & arborum perpetua quædam infantia eſt, cum ſemper pendeant ab vberibus magnæ matris, quæ & illas nunquam penitus enixa, dolore an amore dubium, medias vtero fert. An ideò quod cœli terræque proles cum ſint, vtrumque volunt agnoſcere parentem, & à chariſſima genitrice non valentes diuelli, tenſis à longè brachiis, patri blandiuntur: quot radices tot ſunt ora, quibus præſens ſugunt alimentum, magno quidem beneficio, ſed quod internis externiſque non vacat periculis; nam ſi ſole deſuper coquente humor deficiat, ſi grando diuerberet, ſi ſæuiat obuia quæque ſternens tempeſtas, ſi beſtia conculcet aut depaſcatur, his omnibus iniuriis expoſitæ perire poſſunt, carentes motu quo nociua fugiant, & bonum quod præſens non eſt, alibi venentur. Hic quidem vltimus viuentium gradus non tam nobili tutelæ commiſſus fuit; ſua ſors eſt, ſic animantibus in alimentum cedere, ſic expectare, ſic pati, ora manuſque rapientium: Non tamen illis diuina prouidentia defuit, Nam non ſemper læſæ pereunt cum radix caulem abſumptum facilè reſtituat, ſemper etiam ſalua remanet ſpecies, propter infinitam ſeminis multiplicationem qua reparatur ſingulorum interitus. Adde quod vbi ſponte ſua proueniunt, fauet illis natale cœlum, ſolumque, nec vllis ſolent incommodis affici; quod ſi peregrinas effecerit homo, tranſtuleritque in locum ſibi magis commodum, illis minus conuenientem & periculis opportunum, immunes præſtare debet, non natura ſed ars, quæ ſuis illas mancipauit vſibus, ſicut Domini [f] vaſſallorum & libertinorum officiales operas ſuis ſuſtentant opibus, & commodatarius [t] fert impenſas cibariorum.

[f] Feud. 4. tit. 107. l. 21. ff. de operis libert.

[t] l. 18. ff. commod.

Vt autem nobilior eſt animalium quam plantarum natura, ſic illis ad ſui tutelam & perfectionem datus eſt motus localis, liber, indeterminatus, in omnem locum & ſitum ferri valens, & per quem potentiâ ſunt vbique. Illo motu plurima conſequuntur. 1. vt agant ad rationem naturæ ſuæ, cum aëra & ignea magis ſit, diuturnæ quietis impatiens, gaudet cuncta luſtrare, motu quantum licet, cœlo ſimili, vt ſuperiori §. demonſtratum eſt. 2. ſenſu prædita quo & dolorem indigentiæ, & fruitionis voluptatem percipiunt, duplici ſtimulo concitantur ad proſequtionem alimenti, quod conſumptas vires cum delectatione reſtituat. 3. motus fauet amori quo ſe quærit

Digitized by Google

[u] Supra lib. 1. l. 15 §. 3.

& complectitur vterque ſexus, & efficit quam diximus [u] ſpeciei propagationem. 4. ſic gregalia veniunt in ſocietatem, quâ ſummè delectantur, & infirmitas ſe multitudine tutiorem exiſtimat. 5. ſic homines commercia celebrant, dant ſuperflua, neceſſaria recipiunt, & hoc mutuo ſe tuentur ſubſidio. 6. ſicut motu proſequuntur vtilia, ſic ſe ſubtrahunt à nociuis; denique motus aſſignatur velut præcipua corporis naturalis affectio, cum ſit communis quædam facultas ad conſeruationem & profectum penitus neceſſaria, vt ſingulatim exponemus ſequentibus legibus & paragraphis.

Hic ſufficiat generaliter prænotare ſpontaneum hunc localem motum in animali dotem eſſe nobiliſſimam, medium ſcilicet quo bonum omne ſibi conueniens, comparatur; quamuis natura ſua ſit alienum, noſtrum tamen fit, cum motu libero quæritur, ſicut quod nullius eſt, fit primò occupantis; ſic bonum nulli debere, & à ſe poſſidere nobilius eſt, quia magis accedit ad Deum qui eſt ſeipſo perfectiſſimus; Vnde volens hominem ad ſui ſimilitudinem formare, non impreſſit illi motus neceſſarios, vt cœlo, elementis, brutis, per inſtinctus, vegetantes, & ſenſitiuas facultates, ſed dedit rationem & liberum arbitrium, vt eſſet fœlicitatis ſuæ velut artifex, ſecunda poſt primam, & cum eius concurſu, cauſa. Sic animalia nobiliora quæ plus habent de ſuperioribus elementis vt aues, etiam præſtant motus celeritate: volatus in illis non eſt labor, ſed voluptas, cum etiam ſatiatæ citra ſpem omnem aliquid conquirendi illo ludant, & delectationem geſtu, voceque laſciuiente teſtentur. Agunt igitur in mundo velut Principes in ditione ſua, qui quocumque diuertãt, fœliciter à ſuis excipiũr ſubditis; non ſerunt neque metunt, inquit Chriſtus, [x] & tamen pater cœleſtis paſcit illos: Numquid totam ſuam vindicant regionem, quæ non tantum ſuis neceſſitatibus, ſed etiam delitiis ferax eſt? Numquid ſuus eſt tam oriens quam occidens, cum mutant ſedes præſcia tempeſtatum anni mutatione, & velut magnates hæc habent varia ad commoditatem & delitias diuerſoria.

[x] Math. 6. 26.

Minimum neruum hepati dedit natura, [y] quia non conuenit moueri, ſed inſtar plantæ vegetans, loco ſuo alligatum nutriri; At ratio qua homo eſt, ſedem habet in cerebro, quod eſt neruorum & motus principium. Hi potiſſimum quibus ineſt igneus vigor, & ſecundum aſtrologos, ſignum aëreum aſcendens cum mercurio, valent mirabili ſolertia ad res omnes perficiendas, fœlicique cupiditate luſtrandi diuerſas mundi partes, velut ſuæ ciuitatis plateas & vicos: Ambiunt noſſe, ſuis non alienis oculis totam mundi faciem, & phyſionomiam; vnde ferant de latentis numinis ſapientia, iudicium: Naturale cum omnibus populis fœdus, volunt præſentia ſua ſancire; gratiſſimum eſt ſingulis aliqũid impartiri, ab illis viciſſim addiſcere,

[y] Galen. 4. de vſu partium.

Digitized by Google

addiſcere, colligere diſperſos veritatis radios, vt ſapientiæ lucem ſplendidiorem, calorem diuinum efficiant. Sic Lycurgus [z] plures peragrauit prouincias, omnium explorans leges, priuſquam ſuas daret Spartanis; ſic Romani ſuas à Græcis [a] mutuati ſunt; ſic Plato venit in magnam Græciam ab Archyta Tarentino docendus: [b] Pythagoras adiit Memphiticos vates; Apollonius Indos ſapientes & Brachmanas: Galenus & Hypocrates duodecim annorum peregrinatione vniuerſam medicinam didicerunt, herbarum proprietates, medendi modos: D. Hieronimus [c] ex Dalmatia patria ſua, venit in Italiam, Galliam, Traciam, Pontum, Bythiniam, Galatiam, Capadociam, Ciliciam, Syriam. Mobilis noſter animus qui momento ex abyſſis in cœlos euolat & ab ortu mundi tot ſæculorum ſeriem, præteritum, futurumque decurrit, etiam vtens ſenſibus gaudet frui non abſtracto tantum, ſed ſenſibili totius orbis ſpectaculo; & ſpeculationes ſuas experimentis comprobare; his alitur, his reficitur alimentis auiditate, delectatione, profectu maiore, quam corpus ſuis.

[z] Plutarch. in lycurgo.

[a] l. 2. §. 4. ff. de origine iur.

[b] D. Hieronim. in Apolog. adu. Rufin.

[c] Baron. an. 372.

VIRES CONSVMPTÆ, REPARANTVR alimentis.

Lex 6.

LAboris exceſſum, quo ſpiritus vireſque diſſoluuntur, ad mediocritatem reſtituit alterna quies, ſicut inertiæ torporem opportuna diſcutit exercitatio, & vt primarum qualitatum, ſic actionis temperamento fœlicius vita decurrit. Sed conformetur, agat quieſcat licet ad iuſtitiam corpus, vires quidem ſuas optimè diſpenſabit; vt autem diſpenſentur haberi debent, at deficiunt niſi perpetuis foueantur alimentis. Igitur nutritio eſſentialibus in nobis defectibus medetur quietis & actionis, nam & exiſtentiæ fundamentum eſt; ſera quippe in fundo parſimonia, nec de agendi modo querendum eſt ſublatis ſubſidiis, ſine quibus vt nec viuere ſic nec agere licet. Præterea de alimentis ad fouendam vitam neceſſariis ſollicitè matureque natura ſibi prouidet.

Digitized by Google

Natura propriis deficientibus, in ſe conuertit externa.

§. 1.

VIta conſiſtit in calido, quod humido primigenio naturaliter adhæret, paſcitur, tandem propagari cupiens, ſeipſum, abſumpta qua vigebat materia, velut ignis noſter, extinguit, & per ipſaſmet vitæ functiones mortem accelerat. Intelligit natura domeſticum deprædatorem, hoſtem beneficium, ſimul ditantem & ſpoliantem, facilem tamen, quia cum neceſſariò ſit paſcendus, parcit propriis, ſi externa ſubſtituantur; plurimum parcit humido radicali, dum ipſi congrua ſubminiſtrentur alimenta. Viuens omne huius oblatæ conditionis præſcium videtur, dum in ipſo vitæ limine, nullam adhuc patiens iniuriam, primos ſuos motus impendit, pro comparando ſibi alimento, & ne lædatur ab interna vi, externum ſibi conquirit auxilium.

Mirum non eſt planram illud è terra radicibus emulgere, quia cum præſens ſit, trahit illud vt aquam ſpongia, malens ſolido ſibi magis congruo repleri, quam aëro, & in vnum facilè ſimilia confluunt. At admiratione dignum eſt, naſcens animal, vt diximus, [d] noſſe matris vbera, & illuc ſponte ſua ferri, vbi natura diſpoſuit, validum amorem qui ſuſcipiat, abundantiam quæ ſatiet. Cum adoluerit animal, volatile, terreſtre, aquaticum vbique ſibi venatur alimenta, licet ad exercitium ſolertiæ, hæc natura diſſitis in locis implicata, velata, nociui ſpecie fucata poſuerit. Homo conuehit ex campis, montibus, ſyluis, ex terra murique cibos, qui gulæ ſuæ blandiantur, & quos non eximius ſapor ſed parandi difficultas pretioſos effecit, ſummum in omnia dominium, ſumma teſtatus indigentia.

[d] Supra lib. 1. l. 18. § 1.

Hæc eſt rerum mortalium ſors, vt nulla ſibi ſufficiens, ſicut exiſtit diuerſarum compoſitione, ſic agat multarum collectis operibus, & mutuatis auxiliis; quælibet eſt vniuerſi pars, cuius proprium eſt non eſſe ſolitariam, ab aliis reciſam, ſed ſibi præordinatis, adhærere, conſentire. Ita quod exprobare videtur infirmitatem dignitas eſt, ſcilicet partem toti ſuo conformari, & referre ſpeciem vniuerſi quod eſt ex diuerſis contrariiſque conflatum. Apes vagantur, [e] & flores carpunt, deinde quidquid attulerint, diſponunt, ac per fauos diuidunt, & ſuccum varium in vnum ſaporem miſtura quadam, & proprietate ſpiritus ſui mutant; Nos quoque quidquid diuerſa lectione quæſiuimus, committimus ſtylo, vt in eundem, eodem digerente coaleſcat; ex omnibus colligimus vnde fiat vnum, ſicut vnus numerus fit ex ſingulis, & in choro vna vox ex omnibus. Intellectualis noſtra natura, cum

[e] Macrob. in præfatio. lib. 1. Satur.

Digitized by Google

viuat neceſſario paſcitur ſed alio quam intelligibilis vitæ cibo nunquam refici poteſt, quemadmodum omne viuens ſimili cibo vitæ ſuæ paſcitur, nam ſpiritus vitæ niſi reſtituatur deficit.

Naturam aduentitiis gaudere patet ex eo quod inſertas arbores profert fronde latiori, longè ſuauiſſimis fructibus; quod ſi deſit manus quæ inſerat, id ipſamet molitur, tegens vna cortice qui ſe contingunt ramos, & in viſco, quod cum ſit exterum, decorat fronte perpetua. Sic in ſolatium [f] culpâ vel morte amiſſorum liberorum, exteri in alienam familiam aſſumuntur per adoptionem, cum à parente in cuius poteſtate ſunt, authoritate Prætoris alteri dantur minores, maiores autem & ſui iuris principali reſcripto per adrogationem.

[f] Gellius. lib. 5. c. 19. inſtit. de adoption.

Romulus [g] lucum aſylum fecit, ſic ad ipſum ex omnibus partibus hominum magna multitudo confluxit, & quaſi ex variis elementis, corpus vnum conflatum eſt. Hic vrbis conditor, prouida valens ſapientia, plures populos [h] eodem die, hoſtes, dein ciues habuit; cum Lacedemoniis & Athenienſibus, nihil aliud exitio fuerit, quam quod victos velut alienigenas arcebant. Ianus [i] regens Italiam, Saturnum aduenam excepit hoſpitio, & in regni partem; ſub illis moneta primum cudi cœpit, in cuius vna parte, facies erat imperantium, in altera nauis, quia Ianus nauigio aduectus fuerat. Tarquinium Priſcum, [k] ad Romanum Imperium occupandum in vrbem aduexit fortuna, & ipſe ſuis virtutibus effecit, ne hæc ciuitas pœnitentiam ageret, quod Regem, de finitimis potius eſſet mutuata, quam de ſuis elegiſſet. Internis ſæpè laborans diſſidiis Reſpublica, externis tantùm iuuari poteſt rectoribus, velut remediis: cum illi non liceat vt priuato, ad ſanitatis reſtitutionem, locum mutare, mutat perſonas, & ad diuerſos influxus cœli recipiendos, ſua peregrinatio eſt, exterorum in ſua iura receptio. Externæ cœlo cadentes pluuiæ, magis proſunt ad terræ fœcunditatem, quam indigenæ fluentes aut ſtagnantes aquæ; nutrimur, curamur, diuerſis hinc indè totius mundi commercio aduectis. In immortali Reipublicæ corpore, mortales miniſtri, non tam partes, quam alimenta aut remedia, ad breue tempus profutura cenſeri debent. Cedat in indigentiæ propriæ ſolatium hæc auxiliorum, ex omni climate venientium, gloria præmiiſque prouocatorum turba; quis remedium explodit ſalutiferum, ea tantum ratione, quod in extero ſolo natum ſit, imo raritas, & ex hoſtibus veniens commodum, eſt in pretio. Itaque corpora, familiæ, Reſpublicæ, ſentientes indigentiam ſuam, illi medentur exterorum adoptione; non eſt hoc pati, ſed agere, ſed alienis ſpoliis glorioſè ditari, quod profuturum eſt in ſe conuertere adhibita conuenienti cautela.

[g] Florus lib. 1. c. 1.

[h] Tacit. 11. annal.

[i] Macrob. Saturnal. lib. 1. c. 7.

[k] Valer. Maxim. lib. 3. c. 4.

Digitized by Google

Quæ aſſumuntur, etiam afficiunt

§. 2.

AEquè prouida ſemper ad ſui conſeruationem natura, vt partes vitales valido texit præſidio, ſic ad illas non immittit niſi diligenti ſenſuum cautione probatum, & innoxiis qualitatibus certò præditum alimentum. Viſus, odoratus, tactus, primi ſunt eius cenſores, tandem admotum ori, ſimul atque guſtas conſilio recipitur, ſi ſolidius eſt, dentibus manditur, extenuatur, mollitur, oris pituita perfuſum, calore maceratum, iam diſponitur per aliquas animantis qualitates vt priſtinam ſpeciem & naturam vix retineat. Agitatione crebra, variiſque linguæ motibus præparatum ventriculus excipit, arctè complectitur, tum proprio, tum vicinarum partium calore, tum recondita ſpiritus ſui proprietate in ſpeciem quandam cremoris conuertit. Hic per inteſtina & venas miſeraicas iecori diſtributus fit ſanguis; vnde diffuſus, expurgatus à bile per cyſtim fellis, à melancholia per ſplen, à pituitæ ſuperfluo per renes, tandem roris inſtar tractum ſtillat in partes ſingulas, quibus inhærentis in illis ſpititus vi aſſimilatur. Nec tamen vniuerſum coctione mutari poteſt, nam quantumcumque benignum & familiare ſit, alteram partem habet idoneam ad corpus alendum, alteram diſcrepantem & ineptam quam exturbat vis expulſiua.

Etiam ea pars quæ velut vtilis ſimiliſque retinetur inuictam quandam ſibi ſeruat qualitatem, quæ cum non poſſit à natura multiplici digeſtione ſuperari, naturam ipſam afficit, & ſenſim in ſui trahit ſimilitudinem. Nam omne agens [l] agendo repatitur, & ipſe ſanguis qualitates alimenti ex quo formatus eſt, retinet, licet eius forma ſit amiſſa, vt ex lactuca fit ſanguis frigidior, ex vino calidior: humoreſque alimentis conſentanei gignuntur. Sic ferunt Achillem medulla Leonis enutritum, magnanimum euaſiſſe; Romulus, [m] à Lupa lactatus latrociniis deditus fuit; Agis Curetum Rex, [n] à ceruа, fuit miræ celeritatis; qui à capra ſunt hilares & exultabundi; vnde cenſent ſapientes [o] matrem teneri fœtus ſuos alere propriis vberibus, ne nobilitatem nati modo hominis, corpuſque & animum benignè ingenitis primordiis inchoatum, degeneri alimento lactis alieni corrumpatur.

Hæc eſt improbi cibi vis, vt corporis bonam indolem malam efficiat, & iam natura ſua peccantem, vertat in deteriorem; Tacitus [p] de Iudæis loquens dicit, eos à porcina carne abhorrere me-

[l] Fernel. lib. de morbor. cauſ.

[m] Iuſtin. lib. 43.

[n] Id. lib. 44.

[o] Vide ſupra. lib. 1. l. 17. §. 3.

[p] lib. 5. hiſtor.

mores cladis, quod ipſos ſcabies quondam turpauerat, cui id animal eſt obnoxium. Lac animantis [q] veratro paſti, nauſeam parit, tytimalo, mouet aluum: quod in Sardinia gignitur mel [r] eſt amarum, nam apes inibi veſcuntur abſcynthio; fiunt rabioſi, qui rabioſi animalis carnes edunt. Cum Romæ [s] annonæ caritas coëgiſſet homines veſci peſſimis alimentis, indè nati ſunt varij maximeque periculoſi morbi & hinc apparet quantum vitioſi ſucci ad gignendos morbos vim habent; quantum noceant animis improbatæ lectiones; quantum exterorum minus probatorum adminiſtratio Reipublicæ grauis ſit.

[q] Mathiol.
[r] Plin. lib. 11. c. 53.
[s] Galen. lib. de cacochimia.

Venenatis paſta, [t] prius innocua, etiam ipſa fiunt venenata. Apros in Pamphilia, & Ciliciæ montuoſis, Salamandra ab his deuorata, qui edêre, moriuntur; Venenatorum autem morſus grauiores ſunt, quæ aliis animantibus venenatis veſcuntur, quod faciunt viperæ, ſcorpionem & bufonem vorantes; veſpæ ſerpentibus auidè veſcuntur, quo alimento mortiferos ictus faciunt.

[t] Ariſt. 7. hiſto. animal. cap. 29.

At contra complexio corporis ex alimenti præſtantia, tranſit in ſortem meliorem: ſit conchilia [v] quæ in Indiæ nardiferis paludibus inueniuntur, ſuauem ſpirant odorem, quia nardi pabulo veſcuntur. In inſula S. Thomæ ſuis cannis ſaccari ſaginatæ, eſum præſtant ſuauiſſimum. Viperæ [x] in Arabia ſedes ſuas habent ſub arboribus balſami, & quia veſcuntur eius ſucco, venenum earum temperatur, & fit ex lethifero mitius. Perſica cum fuiſſet in Perſide lethalis, in Ægyptum tranſlata, ex ſucco terræ meliori, noxium quem habebat, amiſit. Hinc diuerſi ſunt diuerſis in climatibus morbi, etiam mores, quos Hypocrates [y] & Galenus imputant variis aëris, aquarum, alimentorum qualitatibus.

[v] Mathiol.
[x] Pauſan. in Boeticis.
[y] Lib. de aëre locis & aquis.

Vt corporibus ſic animis ineſt ſua vacuitas externis replenda, & velut fames quæ congruis refici vult alimentis. Sic adoleſcentium auidæ mentes ſenſibus & ratione venantur rerum ſpecies quibus implentur; vident, audiunt, tentant omnia vt bonum & verum quod naturaliter appetunt, poſſint aſſequi: quod ſi veritatem quærentibus mundus peſtiferas ſuas obtrudat opiniones; iram, auaritiam, ambitionem, turpem amorem pro honeſto; vana, momentanea, pro veris & æternis, mirum non eſt ſi talibus paſti, corrumpantur, & fœliciſſima licet indoles, venenatis referta depereat. Non eſt tamen deſperata ſalus, quandiu ſupereſt illis vita, ſed deteriorum vſu languentes, talium abſtinentia, probis etiam alimentis medicamentoſis poſſunt in integrum reſtitui; quotidie videmus impuris, ſanguinolentis cupiditatibus immerſos, afflante diuino ſpiritu ad cœleſtia conuerti, & peſſimos habitus ſub religioſis præceptis velut alimentis, ſic exuere, ſic in nouos homines transformari, vt extremæ diſſolutioni morum,

Digitized by Google

ſuccedere ſoleat, eminens inter alios ſanctitas. Id præſtant ſacræ lectiones, meditationes, exercitationes, ſacramenta, quibus enutriuntur, ſed potiſſimum panis vitæ, [z] manna omnimodæ ſuauitatis, omnem habens in ſe dulcedinem & plenitudinem, quia donum id, idem eſt cum datore. Verbum erat apud Deum, inquit D. Auguſtinus, cibus erat ſempiternus, [a] quo ſaginantur ſupremæ mentes, & integrum manet quod eos ſatiat & lætificat. Sed quia homo ad panem illum non poterat aſcendere, dignatus eſt panis ille deſcendere ad hominem, & hoc cum inefabili pietate factum eſt, quia oportebat quod menſa illa lacteſceret Angelorum, & ad paruulos perueniret.

[z] Card. Cuſa excitation. lib. 2. c. 20.

[a] D. Auguſt. ſerm. 128. de tempore & concio. 1. ſuper. pſal. 33.

Idem D. Auguſtinus [b] quærit cur in lege veteri, homo prohibebatur edere ſanguinem, cum in lege noua omnes ad bibendum in ſacrificio ſanguinem inuitentur. Vetitum quidem fuit, animalium ſanguinem edere, quia anima cenſetur eſſe in ſanguine, animam autem beſtialem habere non conuenit, at animam & ſpiritum Chriſti habere ſibi & aliis optat Apoſtolus, & conſequimur hoc diuino alimento, quod cum nobis potentius ſit nos conuertit in ſe; Chriſtiformes, Deiformes efficit, vt vnum ſimus cum Chriſto & Deo. O ſalutis humanæ contraria, inuida, perfida nouatorum opinio, qui ſub humilitatis larua debilibus & ægris negant hoc ſalutiferum alimentum; aſſerunt enim perfectis tantum deberi, at hoc eſt omnibus & ſemper negare; nam ſi ſepties in die cadit iuſtus, & quilibet peccare non deſinit, [c] quis enim delicta intelligit, ſecundum pſalmiſtam, expers omnino erit viuificæ huius ſanctificationis; qui ſe perfectum exiſtimat, tantiſque myſteriis dignum, eo ipſo iam non eſt, ſed ſacrilega præſumptione laborans. Igitur ex S. Concilio Tridentino, præmiſſa ſacramentali confeſſione, recurrat infirmus, recurrat æger ad Euchariſtiam, gratiarum & miſericordiæ fontem, cum ex D. Dionyſio [d] vim habeat maximam perficiendæ ſanctitatis.

[b] Quæſt. 57. ſuper Leuit.

[c] S. Cyrill. Alexandr. lib. 4. in Ioan. c. 17.

[d] De Eccleſ. hierarch. c. 4.

Digitized by Google

VIS ACTIVA CERTIS ET DETERminatis modis procedit.

Lex 7.

FOrma non venit in materiam, niſi quam longa diſpoſitio congruis induerit qualitatibus, & his, velut dotalitiis muneribus, ſuam effecerit; non procedit etiam in actum, niſi prædita congenitis vel externis conuenientibus modis, qui conferunt ad intenti, certique ſui finis conſecutionem. Habent animantia naturæ beneficio habitus & inſtinctus agendorum, [e] quibus ne temerè & fruſtra laborent, diriguntur; habent miniſtras ad id potentias, voluptatis præmio in ſuis muneribus fideles; habent operibus ſuis exequendis organa [f] ſic aptè concinnata, vt ad vim & decorem nihil addi poſſe videatur: habent paratos in auxilium ſuperiorum cauſarum influxus [g] qui vim languentem excitent, aberrantem corrigant, ſuppleant deficientem. Sed iterum rebus naturalibus externi quidam imponuntur limites quibus vis eorum actiua coërcetur, ne latius excurrat, & fruſtretur eo ipſo quo ſe diffundit. Totius vniuerſi pulchritudo, & harmonia pendet ex ordine quem ſibi datum ab initio, res omnes fideliter ſeruant, ne ſi tumultuosè ferantur, vna pugnet & incurrat in aliam, hacque horrenda colliſione, totum cum ſuis partibus collabatur. Debet igitur rerum ſingularum actio intra cuiuſdam eſſentiæ, loci, temporis limites fieri, nam ab infinito & indeterminato abhorret natura, & vt eſſentiæ, ſic actiones quæ ſequuntur earum naturam ſunt limitatæ; nec enim fit quodlibet ex quolibet, & quolibet modo, vnde cenſetur miraculum [h] quod fit non tantum præter eſſentiam rei, ſed præter conſuetum agendi modum. Ad inſtar naturæ, ſcientiæ & artes omnes, opus ſuum aggrediuntur & perficiunt & determinatis procedendi modis. Grammatica certis ſcribit caracteribus, ſermonem certa verborum & nominum coniugatione congruum efficit; Arithmetica ſuas habet additionis, multiplicationis, partitionis regulas; ſtrictè dialectica ſequitur ſyllogiſmi ſui modos, quibus prætermiſſis, aberrat mens à veritate: Olim apud Ægyptios, [i] crimen erat ſi medicus ægros aliter quam ex libri publici forma curaſſet, nec illis licitum erat, experimenta per mortes facere Reſpublicæ & Religiones antiqui ſui moris acerrimæ vindices ſunt, totumque apud ipſas æternis quantum licet, nec mutandis decretis, peragitur. Iuris ciuilis actiones compoſitæ

[e] Supra l. 3. §. 1.

[f] l. 4. ſupra.

[g] Supra. lib. 1. l. 13.

[h] D. Thom. 1. q. 105. a 8.

[i] Diodor. ſicul. rer. antiq. lib. 2. c. 3.

Digitized by Google

ſunt, quibus inter ſe homines diſceptarent, quas actiones, [k] ne populus ad arbitrium, inſtitueret, certas, ſolemneſque eſſe voluerunt; certas numero, ſolemnes propter verborum formalitatem, inquit Cuiacius, [l] vnde paſſim in iure, [m] formalitas ſignificat ipſam actionem Intereſt igitur æternæ legis naturæ præſcriptos agendi modos hic inquirere, cum hinc procedat optima morum noſtrorum diſciplina.

[k] l. 2. § 6 & 7. ff. de orig. iur.

[l] In d. leg.

[m] l. ſi ſeruus & l. 42. ff. de furtis.

Agens ſingulare propriis intendit, alienis ſe non immiſcet.

§. I.

ACtio partus eſt eſſentiæ, cuius propterea conditionem ſequitur, ipſam refert, nec ſupra natales ſuos aſſurgit. Vt igitur res quælibet ſingularis eſt & ſibi tantum, non aliis exiſtit, ita ſibi laborat, operatur quod naturæ ſuæ congruum eſt, non attentis aliorum inde profectibus vel incommodis. Sol ſtatis gradibus & temporibus luſtrat ſigna zodiaci nunquam ceſſante circuitu, nec modum accipit illa motus ſui neceſſitas, licet quædam terræ clymata caloribus torreat, dum alia quæ deſerit, lugent, frigoribus, tenebris, & longa ſterilitate damnata. Luna vices ſuas menſtruas obit, conſtanti variatione, ſurda clamoribus mortalium, qui ſic putant illam à defectu, velut è ſomno terris infauſto, reuocare. Cæteri planetæ ſimiliter ſuas decurrunt periodos, & in mutuos deueniunt aſpectus, tardi, veloces, Retrogradi, ſuis tantum obſequentes motoribus, alienum enim eſt à ſingulis, quid inde terra patiatur. Mira quidem celebratur eorum harmonia quæ contrarias inferioris mundi partes reducit in concentum; confuſis ordinem & pulchritudinem, mortuis vitam, motuſque regulares imprimit, ſed primi motoris creatoris omnium Dei ſapientia, ſic ab initio leges dixit in æternum valituras; quibus dum cœleſtia neceſſariò parent, ad vniuerſi rerumque ſingularum bonum, vt ſummæ bonitatis inſtrumenta conferunt.

Planta vel arbor, ſibi tantum mittit radices, ſugit alimentum, ludit floribus ad ſui propagationem producit ſemen, & vt ei parcat rapientium auiditas, fructum quo concluditur, offert in redemptionem. Quod volat, currit, ſerpit, natat, præliatur animal, id quodlibet aggreditur pro ſingulari ſuo & fœtus ſui bono; fertur innato ſui amore, qui, vt diximus, [n] à Deo datus eſt vnicuique velut tutor & curator ad ſui conſeruationem. Ad illam reducuntur omnes quæ ſunt in animantibus vires & induſtriæ, cum enim non ratione, ſed ſenſibus tantum valeant, vniuerſalia nec capiunt, nec intendunt, ſed

[n] Supra. l. 2. §. 1.

Digitized by Google

.. eorum omnis verſatur circa ſingularia ſibi propria.

Reuocat nos ad cor noſtrum & antiqua & Chriſtiana philoſophia, vt ſpretis rebus externis, his impendamur quæ nobis propriæ ſunt, quæ intellectum veritatis luce, voluntatem directis in verum bonum affectibus, perficiant. Nobiliſſimas illas prouidentia nobis conceſſit potentias, quibus ſi legitimè velimus vti, admittimur ad totius vniuerſi ſpectaculum & imperium. Inter tot inconditos rerum caſus, ſecurus, immotus, fœlix eſſe poteſt ſapiens, ſi recedat intra ſe, & infra videat, cum ociari volet, fortunæ ludibria, mortalium errores.

Eminentiora dona nobis contulit Chriſtus, ſcilicet vt ſimus templum ſpiritus ſancti, vt cor noſtrum ſanctuarium ſit in quo perpetuum laudis ſacrificium offeratur Deo; loquentem, & voluntatis ſuæ circa nos oracula fundentem, audiamus, ſanctis olim Anachoretis ſumma fuit hæc occupatio, à ſe quidquid prophanum eſſet, procul pellere; Illis tota vita breuis videbatur, huic comparandæ ſanctimoniæ, vt Deum dignè cognoſcerent, amarent, colerent, & augusta mens hominis præſtaret hæc munia, quibus aſſignantur in cœlo millia millium Angelorum. Datum eſt nobis, vt filij Dei, nominemur & ſimus; fœlices ſi fruamur inhabitante ſpiritu, & in diuinæ ſapientiæ, poteſtatis, gloriæ ſortem adoptati, ad mortalia degeneri conuerſatione non redeamus.

Neſciunt dignitatem ſuam & naturæ & gratiæ, qui velut nihil habeant in ſe peragendum, quærunt externa negotia quibus implicentur; falſis rerum imaginibus acti, diſcurrunt, vagantur; cæco cupiditatum œſtro, in eadem ruentes, colliduntur: plures conueniunt, ſe nunquam; à plurium liminibus excluſi, neminem ex omnibus, difficilius domi, quam ſe conueniunt. [o] Prædia ſua occupari à nullo patiuntur, alios tamen vitæ ſuæ poſſeſſores faciunt; Nemo pœcuniam, quiſque vitam diuidit, & adſtrictus in patrimonio, profuſus eſt in temporis iactura cuius vnius honeſta auaritia eſt. Curioſi ſcire volunt bellorum ambiguos caſus; aulicorum pendentem fortunam, ſectariorum falſa dogmata, familiarum opes, ſtemmata, coniugia, denique ſingulorum amicitias & odia, hoc ſe quiſque modo ſemper fugit. Illis non placet ſine agitatione vita, eunt, quia neſciunt conſiſtere; ægris verſari cedit in ſolatium, & ſibi nunquam placens animus, quam non habet in ſe quietem, fruſtra quærit in alus. Interim ætas dilabitur, ſuccedunt cani ſolum quod diu vixerint, argumentum, mors rapit imparatos ob ſolitam rerum ſuarum incuriam, & noti nimis omnibus, ignoti ſibi moriuntur; ô vanitas hominum humana diuinaque ſibi collata beneficia ſic profundentium? ô lugenda mors prima, quæ ducit ad ſecundam & æternam.

[o] Seneca de breuitate vitæ. c. 20.

Non abnuimus homini publicis aliquando rebus vacandum eſſe, ad id munus ſponte ſua ferri præclaras mentes, aurei generis vt exiſtimat Plato,[p] & Angelis gradu proximas. Agunt in humana hierarchia, quod ſeparatæ ſupremæque mentes in cœleſti, purgant, illuminant, perficiunt inferiores, & diuinæ charitatis ardoribus, ſic in proximi commodum dilatantur. Quos ſic ad hominum regimen, vocat diuina prouidentia, etiam ditat, vt Eliſæum duplici ſpiritu,[q] qui priuatis ſimul & publicis valeat intendere, nec enim licet, vt ſupra probatum eſt,[r] neglecto propriæ ſalutis ſtudio, totum hominem rebus publicis impendi. Si vtrumque præſtari non poſſit, præferenda eſt ſalutis ſuæ cura, naturaliter, diuinitus, ſpecialiter vnicuique commiſſa, publicæ dignitati, quæ eſt ex hominum inſtituto, & ad quam ſuſcipiendam nemo tenetur niſi in quantum facere poteſt, deducto ſcilicet ne egeat;[s] nam & procurator[t] non poteſt cogi, vt ſuis neglectis rebus alienis prouideat, ne ſuum ei officium ſit damnoſum.[v] Eadem ratione qua patientes extremam paupertatem eximuntur à tutelis[x] ſi ſe impares oneri iniuncto poſſint docere: ſancti maximum onus publicæ dignitatis intelligentes, nec illi vacare ſe poſſe, ſine propriæ ſalutis diſpendio; excuſationibus vel fuga ſibi conſuluerunt,[y] quaſi valeret hoc in caſu quod ab antiquis dictum eſt, Nemo alteri naſcitur, moriturus ſibi.

Humanus animus gratiis potiſſimum illuſtratus, ſacra res eſt, quæ ſic venire non debet in mortalium commercium, vt oppignoretur, vt ſit loco pretij, vt detrahi, & alienari poſſit; Dei poſſeſſio eſt, contra quem non præſcribit mundus; licet illi naturalia, & ciuilia tractare, ſed vt Angelis, quibus propterea nihil de ſua fœlicitate detrahitur; Ad humana propitius veniat, ſed maiore ſui parte, illic ſit vnde deſcendit,[z] quemadmodum radij ſolis contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt, vnde mittuntur, ſic animus magnus & ſacer, in hæc demiſſus vt propius diuina noſſemus, conuerſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ, illic pendet, illuc ſpectat ac nititur; Vbicumque ſit ſuus eſt, rebus non ſe tradit, ſed commodat, nec vnquam ſic commodatus vt ſuas non tractet cogitationes, & ſe ſibi deoque ſaltem per interualla non vindicet.

[p] l. lib. 4. de legib.
[q] 4. Reg. 2.
[r] Supra. l. 5. §. 2.
[s] l. 173. ff. de Reg. iur
[t] l. 8. §. fin. ff. de procur.
[v] l 7. ff. quæ. teſt. aper.
[x] §. 6. Inſt. de excuſat. tutor.
[y] D. Thom. 22. q 185. a. 1. & 2. D. Chryſ. lib. 2. de ſacerd.
[z] Seneca ep. 45.

Quod intenditur, opportunè ſuſcipiendum eſt.

§. 2.

AGentium naturalium vires, certis quibuſdam loci, temporiſque limitibus coërceri demonſtratum eſt, [a] itaut nihil poſſint extra ſphæram ſuæ actiuitatis & quædam in propria tantum cœli ſolique poſitione coaleſcant. Similiter ſtatis interuallis, naſci, adoleſcere, proficere, tandem interire: Id ita ſenſibus eſt expoſitum, & familiare, vt ſit extra controuerſiam, & qui dictum hunc rebus ordinem, ratione non percipit, videat oculis, & probet experimento, in his itaque non immoror amplius, ſed dictis hanc ſuperaddimus naturæ legem circa temporis conditiones, ſcilicet quod intenditur opportunè ſuſcipiendum, vt fœliciter procedat.

[a] Supra. l. 7. §. 2. & 4.

Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa ſub cœlo, inquit ſapiens: [b] prius ſolidatur terra, & ab aquis inundantibus expurgatur, quam fieret herbarum omnium ferax, prius ſua fœcunditate parat fructus in eſcam, quam creentur quæ his ſtatim indigent animalia. Nox diem præcedit, ver æſtatem, vt in ſiccitatis ſuæ antidotum humore turgens terra, calore non tabeſcat, ſed velut fermentata, maſculis ſuperiorum viribus prægnans, fructus ſuos, ſuis pariat temporibus. Etiam ſæcula ordine ſuo decurrere alibi probauimus [c] ex D. Auguſtino: [d] Orbis Monarchiam ab vna gente, in aliam tranſlatam pro temporum varietate, ſic enim fit pulchrum & decens ſi temporibus conueniat: ſimiliter legem naturalem, Moſaicam, Euangelicam opportunè datam à Deo, qui nouit quid cuique tempori accommodatè adhibeatur; quid quando impertiat, addat, auferat, detrahat, augeat immutabilis mutabilium ſicut creator, ita moderator donec vniuerſi ſæculi pulchritudo, cuius particulæ ſunt quæ ſuis quibuſque temporibus apta ſunt, velut magnum carmen cuiuſdam ineffabilis modulationis excurrat.

[b] Eccleſ. 3.

[c] In Apologia fati vniuerſi.

[d] Epiſt. 5. Marcellino & lib. 83. quæſt. 44. & tract. 38. in Ioan.

Artem hanc diuinam imitantur artes omnes humanæ; quis non videt fabros ferrum tundere, dum calore moleſcit; indurare, candens illud aquis mergendo, vt calor ad intra repercuſſus, ibi conſumat quidquid ſupererat humidi; cæteris metallis quam voluerint dant figuram, captato fuſionis momento. Sic fiunt inſtantaneæ præcipitationes in chymicis. Agricultura ſationes, meſſes, vindemias, propagationes & cætera ſuis quæque temporibus exercet, quæ ſi fiant aliter, non ſuccedunt. Inſitiones tunc fœliciter agreditur cum in inſitis eſt mutua cupiditas vtrimque coëundi vt in verno æ-

quinoctio. Tempus eſt in quo occaſio eſt, inquit hypocrates, occaſio autem in quo tempus non multum: medela tempore, aliquando etiam occaſione contingit. Vnde Medicina tota eſt in occaſione temporum exploranda, vt ſanitatem tueatur & morbos profliget; vt victus rationem ſecundum anni tempora conſtituat; [e] inde ferat de morbis, de remediis iudicium: præcipit concocta, maturaque non cruda medicari ac mouere, nec per initia, niſi ſuomet ruant impetu; obſeruandos motus & ſudores criticos; ſub canicula & ante caniculam monet difficiles eſſe purgationes, nam illas æſtu iam imbecillis & diſſoluta natura facilè non fert. Denique remedium vel alimentum intempeſtiuè datum venenum eſt, & innatas qualitates in contrarium vertit, non ſatis obſeruata temporis ratio.

[e] Hypocra. lib. 1. aph. 15. & apho. 11. lib. 3. apho. 14 & 7. lib. 4. aph. 36.

Alcyones captata occaſione tranquilli maris circa brumam nidum ædificant ſeptem diebus, & totidem ſequentibus pariunt. Hinc edocti nautæ non ſoluunt è portu, niſi cum tunc remittit hyems, licet aui lis periculi mercatoribus [f] propter lucrum, olim prohibebatur nauigare à menſe nouembri vſque ad aprilem: Non etiam dant vela ventis, niſi cum ſecundi ſperantur, ex ſtellarum ortu & occaſu cum ſole, & ex planetarum inter ſe ſyzygiis. Qui in Noruegia ventos vendere dicuntur, non ſunt necromantici, ſed aſtrologiæ periti naucleri, qui ſciunt regnantes certo tempore ventos; quos Baconius [g] vocat ſtatos & anniuerſarios eodem tempore, iiſdemque in locis flantes, vt ſunt Ethæſiæ, procedunt ex eo quod his in locis & temporibus fit magna generatio vaporum. Belli varios caſus non ita ſubirent duces, fortunam non ſic volatilem experirentur, ſi præuiderent ex cœlo varias temporum mutationes; interdum caliginem ex ſolis ortu cum nebuloſis ad inſidias, ſerenum ex coniunctione vel fœlici iouis aſpectu cum Luna, ad aggreſſiones & commeatum; pluuias, ex inferiorum & martis aſpectibus in ſignis aqueis & portarum apertione ad quietem & ſecuritatem; gelu à prædominio ſaturni, ad aquarum & foſſarum ſine vado tranſitum.

[f] l. 3. Cod. Theodoſia de naufrag.

[g] In Hiſtoria ventor.

Non in publicis tantum, ſed in priuatis etiam vel minimis negotiis electiones plurimum valere dicunt Aſtrologi, & earum praxim docent pluribus editis voluminibus Obſeruatio generalis eſt vt planeta præſidens intentis, fœlix ſit, dies & hora, totaque cœli diſpoſitio faueat actioni, depreſſis ne noceant infortunis; ſic occaſionem vocat Plato, temporis florem, qui cito ne marceſcat colligendus eſt; alitem, quam niſi venientem in manus, apprehendas, fruſtra quæris, cum euolauerit, relicto pœnitentiæ, non emendationi loco. Opportunum hoc tempus obſeruatione cœleſtium eligendum aſſerunt, [h] vt in mittendis ſeminibus ſic in cæteris; nam, inquiunt,

[h] Marſil. Ficin lib. de vita cœlitus comparanda.

Digitized by Google

quemadmodum corpus ſe habet ad locum, atque tempus, ita motus & actio ſe habent ad tempus, ſicut ergo certa quædam corpora, eorumque formæ, certis locis & temporibus coaleſcunt atque ſeruantur, ſic & propriæ quædam actiones ex propriis quibuſdam temporibus efficaciam nanciſcuntur, nam ad efficaciam actionis, effectumque debet cœleſtis harmonia ad idem conſonare; hæc tantam habere potentiam exiſtimant, vt non ſolum agricolarum laboribus, atque medicorum artificiis per herbas aromataque confectis, ſed etiam imaginibus, quæ apud aſtrologos ex metallis, lapidibuſque fiunt, virtutem ſæpè mirificam largiantur.

Anxium etiam ſuperſtitioſum eſt, liberos & indifferentes actus velle ſemper ad cœli legem collimare, vbique ſibi fingere occaſionem quæ rara eſt, & flos, vt diximus, non in omni temporis parte exiſtens: hæc etiam electio vel exquiſitiſſima, vana fit, ſi non conſentiant quæ habentur in directione, profectione, reuolutione, tranſitu, potiſſimum in radice. Vnde ſæpius eodem vectis nauigio, ex eodem portu ſoluentibus, diuerſa penitus ſors contingit. Ciuilis prudentia ſuas habet electiones minus abſtractas, certiores & fœliciores, cum quis, verbi gratia, principem adit, ad ea quæ proponuntur excipienda ritè diſpoſitum; Nocet enim ſe proferre tunc cum ſecretum & tenebras affectat; ad ſeria vocare, curas laxare cupientem; non ad læta, cum infœlices luget ſucceſſus, nam muſica in luctu importuna narratio; ſic Horatius mittens olim Auguſto Cæſari librum diligenter monebat portitorem, vt adiret eum tempeſtiuè, ac moliſſima fandi tempora obſeruaret; ad id referri poteſt, quod Imperatores dicunt, [i] ciuitatem Rhodiorum iniuriam ſuam, non tam decenter quam ſerò conqueſtam eſſe. In Iure præſcriptio eſt legitima definitio temporis, ideo conſtituta, vt in omnibus negotiis opportunitas cum tranquillitate retineatur, ne quid in Republica vel tardius, vel præmaturius fieret, quam æquum & bonum videretur. Ita læſi repelluntur ab actione, [k] domini à rerum ſuarum vindicatione, poſt ſtatutum à lege tempus: Idque non tam in fauorem reorum, & ſine titulo poſſidentium, quam in negligentiæ pœnam eorum, qui quæ ſua ſunt opportunè non ſunt proſequuti, ſed ius ſuum, velut abdicantes, & pro derelicto habentes, ifecerunt alienum. Sic in incertum diu non remanent rerum dominia, & litibus ſedatis tranquillior efficitur Reipublicæ ſtatus.

Ptolomæ. centiloq. num. 6.

[i] l. Ciuitas. Cod. de officio rector. prouin.

[k] Toto tit. ff. de diuerſ. tempor. præſcript.

In cæteris humanæ vitæ negotiis moras ſimiles occaſio non patitur, præceps euolat, & momento pro fœlicibus infœlicia decernit. Iuuat in bellis hoſtem aggredi feſſum ex itinere, caſtris nondum munitis, acie nondum ordinata; In certamen vocare tunc cum ſol

Digitized by Google

vel luna oculos eius nimia luce perſtringit, cum eos, conuerſus puluis excæcat; cum in illum militat æther, & coniurati veniunt in claſſica venti; denique quidquid amor inſanus, quidquid ambitio, ira, auaritia tentat, eo miſerè fœlicius eſt, quo magis opportunè fuerit ſuſceptum. Ita paſſiones licet natura ſua præcipites, ne fruſtra ſæuiant, ſeruiunt tempori. O vana pro vanis & malis tanta ſollicitudo; hanc vigilantiorem pro rebus æternis exigit à nobis Apoſtolus. Hortamur; inquit, [l] vos fratres, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; Ait enim, tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te; Ecce nunc tempus acceptabile; Ecce nunc dies ſalutis: Tranſeunt non reditura momenta, & nemo recogitat; Etiam ſi diuina bonitas toties repulſam paſſa nunquam à conferendis ingrato gratiis deſiſteret; Inſtabit morbus qui mentem cum corpore deiiciens, excipiendis donis diuinis efficiet inualidam: Inſtabit paſſio, inſtabit tentatio, quæ totos occupabit affectus, & ad terrena transferet; dum vita differtur, tranſcurrit, vltimo die finietur, ſingulis & ſemper perit. Verum dicis, inquit D. Auguſtinus, [m] quia Deus conuerſioni tuæ indulgentiam promiſit, ſed dilationi tuæ craſtinum, in quo fiat conuerſio, non promiſit: quam ſerum eſt, tunc viuere incipere cum deſinendum eſt; quam ſtulta mortalitatis obliuio, differre ſana conſilia in tempus incertum, inualidum, & quo pauci perueniunt. Ideò ne tardes conuerti ad Dominum & ne differas de die in diem, inquit ſapiens; [n] quia quælibet dies eſt ſalutis occaſio non reditura; alia poterit offerri, hæc perit, relicto, contemptæ diuinæ bonitatis, reatu. Ad mortales ſic Dei & ſuimet oblitos clamat Propheta. [o] Date Domino Deo veſtro gloriam antequam tenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos; expectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis, & in caliginem. Puncto temporis maxima rerum momenta vertuntur.

[l] 2. Corinth. 6.

[m] In Pſal. 143.

[n] Eccleſ. 5.

[o] Ierem. 13.

Ordinata fœliciter procedunt.

§. 3.

FLores ſentiunt quidem ſuum præſentem ſolem, & ſpiritibus calore recreatis lætitiam teſtantur aperto ſinu, quem dum diſcedit, contrahunt, diligenter captata radiorum ipſos pingentium & perficientium occaſione. Sed non ideò minus ordinatè procedit natura, vti digeſto per caulem alimento, prodentibus floribus è gemmis, paulatim figuram ſpeciei propriam, ſaturos colores, adultam pulchritudinem ſuo tempore conferat. Varium, incertum, inæ-

Digitized by Google

quale tempus eſt, quo ſe ſic ad ſolem explicant prout fulgidus illuxerit, at vnicuique flori ſua determinatur ætas, qua ſit herba, tuber, calix ſeſe paulatim pandens, propriis infectus coloribus; hoc ordine ſemper ſeruato, etiam in his qui in diem naſcuntur, quorum vt vita, ſic adoleſcentia breuior eſt.

Igitur obſeruare licet, immotum quid in mobili, certum in incerto, in contingentibus eundem ſemper procedendi modum, & inconcuſſum ordinem; Nam quæ à Deo ſunt, [r] ordinata ſunt. Sicut enim ipſum vniuerſum ſtat harmonicè diſpoſitis partibus, ſic & motibus, & vt in quolibet compoſito naturali, partes, ſic actiones eſſentiæ reſpondentes eſſe debent ordinatiſſimæ: Inde procedit pulchritudo, ſplendor, & decor, non in corpore tantum, ſed etiam in actione, nos in admirationem & amorem rapiens, quia ſenſibilis quædam eſt imago primæ rationis omnium ordinatricis, noſtram, cuius eſt principium, ad ſe trahens, perficiens, & in agendis edocens. [r] Roman. 13.

Sapientis quidem munus eſt, vt proximè diximus, [q] obſeruare cœleſtem, naturalem, moralem occaſionem, & illi conſentire, vt quod intendit fœliciter procedat, ſed propterea non recedet à ſolita morum ſuorum æquabilitate: Ibit ſemper vna rationis via, licet non vno gradu, nec vnquam à mediocritate, & ab vltimo ſuo fine deuiabit. Non erit plantis rigidior, quin captet occaſionem ſolis purè lucentis, vt optimas ad eius radium faciat infuſiones; vtetur luna plena ad ſationes eorum quæ volet citò ad fructum perduci; ſilente, vt ligna cædat quæ minus humiditate turgentia, minus in poſterum ſubiacebunt corruptioni: Porriget manus vt excipiat fauentis fortunæ beneficia, & amoris citò deſituri largitiones; cum oportuerit decenter perſonam induet publicam, amico colludet, compatietur, in cæteris explicabit verſatile ſuum ingenium, & ratione non mutata, aliquid pro temporum ratione mutabit. Tunc non tam videtur ſeruire quam imperare tempori, cum homines, cœlos, elementa, in ſuos conuertit vſus, & cum didicit Deo in orbe terrarum contingentiis ludenti complacere, creaturis ſuas partes in vniuerſi harmonia tenentibus, concinere; eo ipſo ſeruat ordinem, quia nihil fortuitum eſt, nihil temere fit reſpectu cauſæ ſuperioris, ſed omnia ratas ſuas habent rationes & congruentias, cum prtæerito, præſenti, futuro, licet eas humana mens, non valeat contexere. [q] Supra §. 2.

Igitur dum vniuerſo conſentit ſapiens, ordinem ſeruat, tum diuinum, tum proprium, quia ſic conſtituit, ſic apud ſe decreuit, prout feret occaſio, conformari. In cæteris religioſè ſeruabit apoſtolicum illud præceptum; [r] omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis; Monet homines agnoſcere dignitatem ſuam, vt quia [r] 1. Cor. 14.

præferunt imaginem Dei, qui omnia fecit [s] in pondere, numero & menſura, per verbum, cuius humana ratio vices gerit in ſui & creaturarum regimine; quia ſunt complementum mundi, qui tam ordinatiſſima partium diſpoſitione conſtat, etiam ipſi ſuas habere debent ordinatiſſimas actiones, ne à natura in omnibus ordinatè procedente, diſſentiant.

Hic actionum naturalium ordo, in tribus potiſſimum videtur conſiſtere, 1. vt à minimis ad maiora procedatur; 2. vt actionis progreſſio continua ſit & æqualis, non impetu nec ſaltibus interrupta. 3. à maximis & præcipuis incipiendum, ſi debeant eſſe ſequentium principia, fontes & origines. Videmus vndique debilia rerum initia, & ſolere naturam à minimis ad maiora progredi. Actio quippe motus eſt, qui procedens ab imperfectis materiæ conditionibus, velut à termino à quo, ſenſim ſe promouet ad indiuidui pro ſua ſpecie perfectionem. Quam exigua res eſt, arbor, animal in ſemine, & quam debilibus, æqualibus tamen incrementis coaleſcit, formatur, & ad perfectum adducitur. Nam vt ſupra [v] demonſtratum eſt, agens naturale non poteſt ſtatim partum ſibi penitus ſimilem in quantitate & qualitate producere; ſi tale quid moliretur natura, vnum agens, abſumeret vna generatione, & cito deleret totam ſpeciei dignitatem, quæ in producto non eſſet ſimilis parenti. At dum genita ſenſim labore ſuo perficiuntur, aliis indiuiduis ſenio deficientibus vel morte ſublatis ordine ſuo ſuccedunt, nihil exundat, nihil deficit in vniuerſo: videre licet omnes ætatis differentias in præſenti; Gratior eſt ſucceſſiua boni poſſeſſio quæ ſpes plurimas accendit; ſuis eas implet temporibus, & dum durantem profectum coronat, inuitat.

[s] Vide ſupra lib. 1. l. 16.

[v] In præfatio. huius libri ſecundi.

Quod neceſſitas imponit naturæ, id ipſum prudentia perſuadet ſapienti, lentè, maturè, obſeruatis rerum, locorum, temporum, perſonarum circumſtantiis pedetentim ſe proferat. Semita iuſti [x] quaſi lux ſplendens procedit & creſcit vſque ad perfectam diem; Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus; [y] ſapiens differt & reſeruat in poſterum: ſic ſemper collectas habet in ſe vires ſuas, quas, augmenti ſeruata ratione, diſpenſat, & ſenſim elatus ſubtrahitur inſenſæ citiſſimis profectibus inuidiæ. Hinc artem ſibi fecit Rhetorica, orationem numeroſis contexens periodis; eſt autem periodus loquutio habens principium & finem per ſe, & magnitudinem conſpectu facilem, nam iniucundum eſt, & non accommodatum cognitioni quod eſt indeterminatum; iucundum autem quod determinatum, quia ſemper aliquid ſe habere putat auditor.

[x] Prouerb. 4. 18.

[y] Prouerb. 29. 11.

Secunda motus naturalis conditio, qua fit ordinatiſſimus, eſt quod ſit æqualis, pari ſemper tenore fluens; æquas enim vires ſuas, æqualibus temporis momentis ad iuſtitiam diſtribuit. Temperata quæ vitio

vitio carent, perpetuò ſunt ſimilia, inquit Galenus,[a] quippe quæ ſeruare expedit; quæ verò vitium habent aliàs ſunt ſimilia, aliàs contraria; vt aqua dum nihil obſtat dulcè fluit, ita pulſus, reſpiratio, in ſanis æqualis eſt; Inæqualiter inæqualis procedit à facultate offenſa, arteria ſcilicet compreſſa vel humore, vel inflammatione, vel ab alio tumore, nam cum ob anguſtiam ſpiritus, diaſtole vix poſſit effici, impetu facto, aliquos motus gignit maiores, celeriores, vehementiores: Inæqualiter verò æquales pulſus, fiunt à facultate infirma.

[a] Metho. med. lib. 8.

Vt Deus eſt ſummum agens [a] & ſumma quies, eo quod in ipſo omnes motus naturales vt in fine quieſcunt, & omnis potentia in ipſo perficitur, vt in actu infinito; ſic in naturalibus quo magis motus eſt æqualis ita plus ad vnitatem accedens, magis cum quiete coïncidit; Licet non appareat [b] in auro quod mouetur quando eſt fuſum, propter æquabilitatem ſuæ ſubſtantiæ, tamen non propterea minus ſed plus mouetur; trochus quanto plus citius & æqualiter transfertur, tanto minus apparet moueri: ſimiliter baculus extremitate carbo in orbem æqualiter actus, brachio circumducente, videtur ſtans circulus igneus. Sunt hæc quædam ſimulachra cœli, quod exiſtens corpus ſphericæ figuræ omnium æqualiſſimæ, etiam ſic æqualiter voluitur motu tam regulari, vt viſu deprehendi non poſſit, ſed memoria quæ præteritum terminum reuocat, & confert præſenti. Sydera [c] tacito ſupernè labentia cœlo, velocitatem ſuam ſub ſpecie ſtantis atque immoti operis abſcondunt; quanta rerum turba ſub hoc ſilentio euoluitur? Ita volunt aulicum, otianti, vacanti ſimilem eſſe, tunc potiſſimum, cum præter omnium æſtimationem grauiſſima molitur. Hic motus tanto magis fallet zelantium oculos, quo fuerit æqualior, & ſibi ſemper pari ratione temperatus: homini proprius eſt, [d] qui ex parte ſuæ temperatiſſimæ complexionis, non habet ſuperexcellentiam alicuius paſſionis animæ, quam habent cætera animalia, ſecundum quod deuiant ab hac æqualitate, vt Leo in audacia, canis in ira, lepus in timore; propterea quandiu ratione, non paſſione ducitur, medius placidè fluit inter defectum & exceſſum, motu qui vt in cœlo, vt in indice horologij, vt in creſcente corpore, vt in alluuionibus, [e] non eſt perceptibilis quia æqualis, nec deprehendi poteſt, quid quolibet momento adiiciatur. Fit itaque tranſitus quidam inſenſibilis à minimis ad maxima mediis illa contemperantibus, ſicut in coloribus Iridis, [f] & in elementis immediatè ſibi iunctis, & ſubtilis commiſſura diuerſorum dum ſubit velut identitas, illudens oculis inuidiæ, vim eius nociuam minus experitur.

[a] Card. Cuſa. de docta ignor. lib. 1. cap. 23.
[b] Id. excitatio. lib. 10. cap. 11.
[c] Senec. 4. de benef. c. 23.
[d] D. Tho. 1. 2. q. 46. a. 5 ad 1.
[e] §. 2. Inſt. de rer. diuiſio.
[f] Vide ſupra lib. 1. l. 3. § 3.

Tandem ordinis hæc eſt tertia conditio, vt primo fiat id quod ſequentibus debet eſſe loco fundamenti, principij, vel originis,

etiam ſi nobiliſſimum & præſtans videatur ſuperare naſcentis rei infirmam conditionem. Non enim excedit vires agentis vniuerſalis, quod ſic operi ſuo in futurum prouidet, & vt rotæ diu poſtea voluendæ vim maximam imprimit. Sic Deus incœpit mundi creationem à cœlo ſine cuius influxu non mouerentur inferiora; ſic Iudæis primò legem dedit illis dominaturam, cœlo & elementis atteſtantibus, illamque multis ſtatim confirmauit prodigiis. Sic natura corporis noſtri formationem orditur à cerebro, corde, hepate, ab his nobilioribus partibus, vnde pendet cæterarum vita. Laudant politici nouum Principem, nouis ſtatim legibus, quæ mouenda ſunt, mouentem, vt deinceps nihil timeant, multa ſperent ſubditi. Volunt Stoici [g] ſapientis animum generalibus primum decretis imbuendum, quibus ad totam vitam inſtruatur, & vnde diſcat, quid in quacumque re faciendum ſit. Incœpit Chriſtus doctrinam ſuam ab hoc decreto, quod mundanorum ſenſu ſummum eſt, & vnde pendet totius perfectæ vitæ ſecuritas. Niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus: ſtatim extirpat improbas cupiditates, quæ hominem cœlo natum mortalibus affigunt; ſoluit compedes, vt liberè poſſit ad diuina transferri. Huc pertinet quod diximus [h] neceſſariis prius prouidendum; externis noſtra, corporeis ſpiritualia, vtriſque diuina præferenda, & hoc vnum eſſe neceſſarium, cui, cæteris poſtpoſitis incumbendum eſt; & quo poſito cætera fœliciter adiiciuntur. Si primò quæramus regnum Dei & iuſtitiam eius, quærenti dabitur; [i] habenti quod ſummum eſt, nihil poterit deeſſe, hic eſt ordinis huius diuini ſemel in animo poſiti fructus, vt qui Deum rebus cæteris anteponit, à Deo ſuper omnia conſtituatur. [k]

[g] Senec. epiſt. 94.

[h] Supra. l. 2. §. 5.

[i] Luc. 11. 9.

[k] Math. 24.

Simile non agit in ſimile.

§. 4.

Vis hæc imperans quæ legem modumque dicit actionibus, ſiue procedat ab eſſentia, vel à loci, temporis cæteriſque circumſtantiis, inuicta quædam eſt neceſſitas motum adamantino clauo ſiſtens, vt rebus ita poſitis aliter fieri ſit impoſſibile. Supereſt alius coërcitionis modus ex amoris imperio liber, vt ſcilicet integræ ſolutæque potentiæ ſe non explicent, ſed contineant cum occurrit quod amatur, & ſimile non agat in ſimile, nam ſimilitudo eſt initiata, licet non abſoluta penitus identitas, eius tamen vultum, colores, vela præfert, vt hoc initi fœderis ſigno tardet impetus, & ad vnionem

alliciat. Sicut ergo nullum ens agit in ſemetipſum actione deſtructiua, ita nec in ſibi ſimile, armantur enim qualitates in eas tantum quas experiuntur eſſe ſibi contrarias, & cum quibus compoſitæ detrimentum ſi non inferant, patiuntur.

Cum agens intendat producere ſibi ſimile, nullus actioni locus, quia nec finis relinquitur, ipſa ſimilitudine iam in obiecto naturaliter poſita, vim omnem vltro præueniente. Similia ſunt, vt proximè dicemus, velut effuſæ lucis partes quæ ſublato quo diiuduntur impedimento, mutuis in ſe confluunt affectibus, ſe complectuntur, vnum fiunt actu, ſicut vnum ſunt relatione, ſub vnius ideæ præſidentis conceptu. At prius eſt res ſibi non eſſe contrarias quam vnitas, ideo contrariæ quæ venire debent in vnionem, vt elementa, ſenſim in finibus ſuas deponunt hoſtiles qualitates, & vicinis induuntur. Sic homines ciuilem auſpicantes ſocietatem primum hoc iuſtitiæ præceptum & munus poſuerunt, nulli nocere, [l] alterum non lædere, ius ſuum cuique tribuere. Ius naturæ eſt, inquit lex, [m] vt nemo cum alterius damno fiat locupletior.

[l] l. 10. ff. de iuſt. & iur.
[m] l. 206. ff. de Reg iur.

Prohibitionis huius æquitas duplici nititur ratione, & conſideratione tum hominis ſingularis, tum quia ciuis eſt & corporis Reipublicæ pars. Vt caloris, inquit Plato, [n] proprium non eſt frigefacere, neque ſiccitatis humidum reddere, ſic iuſti opus non eſt aliquem iniuria afficere, ſed cum bonus ſit bona conferre. De S. Ioſeph dicit ſcriptura, [o] cum eſſet iuſtus ſponſam, quam prægnantem inuenerat, vt læſæ caſtitatis ream noluit traducere. Ita legibus [p] ſancitum vt nemo inuitus agere cogatur, ſed liti ſuæ quilibet renuntiare poſſit. Quo maior integritas, & dignitas perſonæ, eo minor eſſe debet inclinatio ad alteri nocendum; caderet enim è gradu ſuo, nam cum iniuria afficere & affici vtrumque malum ſit, inquit Ariſtoteles, [q] eo quod ſoluitur mediocritas, peius tamen eſt iniuria afficere, quippe cum id vitium ſit, & vituperabile, at iniuria affici vitium non eſt. Sic Demonax Philoſophus apud Lucianum [r] gloriatur, quod nulli vnquam litem mouerit, nulli negotium fecerit, ipſe hoſtis nemini. Viri clariſſimi [s] propter honorem non poſſunt deferre ad fiſcum hæreditates ab indignis poſſeſſas. Epiſcopi [t] non poſſunt cogi ad perhibendum teſtimonium. Chriſtianis [v] non licet Iudæos aut paganos quietè degentes, nihilque tentantes offendere, nec eorum bona rapere ſub pœna dupli; Beneficia principis [x] in nullius iniuriam tribuuntur. Non debet Eccclesia [y] ſuſcipere quæ filio exhæredato ſibi offeruntur.

[n] lib. 1. de Republ.
[o] Math. 1.
[p] Toto tit. Cod. vt nemo inuitus l. 4. C. de pact.
[q] Moral. nicomach. lib. 5. in fine.
[r] Dialogo Demonax.
[s] l. 18. ff. de iure fiſci.
[t] l. 7. Cod. de epiſc. & cler.
[v] l. 6. Cod. de pagan.
[x] l. 4. Cod. de ema. liber.
[y] Can. quicumque 17. q. 4.

Ideo male differit apud Platonem [z] Glaucus hanc iuſtitiæ legem, vt nemo alteri noceat inde natam, quod primum iniurias inferendi & ſe mutuo cædendi datâ naturaliter licentia experti ſint homines plus eſſe in patiendo mali, quam in inferendo boni, ſic non inferen-

[z] Lib. 2. de Republ.

Digitized by Google

das iniurias lege lata ſtatuerint; Reſponderi poteſt homini non eſſe naturalem iniurias inferendi licentiam cum, illi noceat, cum rationi quæ magis viget in probis, aduerſetur; cum diſſoluat ad quam nati ſumus domeſticam ciuilemque ſocietatem, & nos efficeret ferociores ipſis Leonibus qui non ſæuiunt in Leones, ſed ob naturæ ſimilitudinem ſibi ſunt innoxij. Cum inter nos cognationem quandam natura conſtituerit, inquit lex, [a] conſequens eſt hominem homini inſidiari nefas eſſe, quæ ſunt alterius inuadere, ſic enim ſolueretur humani generis communio, ſicut interiret corporis integritas ſi validior in eo pars cæterarum ſubſtantiam & vires ad ſe traheret. Hinc populorum omnium legibus & iure gentium receptum eſt vt alteri per alterum [b] iniqua conditio non fiat, in aquarum [c] ductu, in arborum plantatione, [d] in parietibus ædificandis, in itinere producendo, [e] ſi enim via per fundum alicui conceſſa eſt, fieri debet ea parte quæ minus afferat detrimenti. Hoc in innumeris caſibus ſpectant leges, hanc volunt innoxiam eſſe ciuium ſocietatem, quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, cæteris pœnis coërcent.

Inde fit vt cum tam iure naturali, quam gentium diſtincta fuerint rerum dominia, [f] præcepta decalogi prohibent proximi bona concupiſcere, furari, mœchari, falſum teſtimonium dicere, hominem occidere. Ius ciuile duplicem [g] in fures dat actionem, ſcilicet rei perſecutoriam & pœnalem: fur vim infert dolo, qui cum difficilius poſſit præcaueri, crimen auget; iuſtis titulis parta iniuſtè ſibi vindicat; inter ciues agit vt hoſtis, dum de viris bonis & induſtriis prædas refert, & congeſtis pro ſui tutela criminibus rapinam deffendere ſolet homicidio. Propterea ne tantum ſcelus maneat inultum, leges [h] publicum ius gladij concedunt dominis contra fures nocturnos, & diurnos armatos telo vt ſe deffendant.

[a] l. 3. ff. de iuſt. & iure.
[b] l. non debet. de Reg. iur.
[c] l. 1. ff. de aqua & aquæ.
[d] l. Fluminũ ff. de dam. infe.
[e] l. 13. ff. de ſeruit. vrb. præd.
[f] Vide lib. 2. l. 2. §. 4.
[g] l. 2. Cod. de condict. furti.
[h] l. 1. Cod. quando lic. ſine iudi.

Homo præcipua ſui parte conſtans anima ſpirituali ſimul & immortali, viuit in ciuili mundo potiſſimum ſpirituali vita, ſcilicet fama, qua fit ſupra locum & tempus, vbique & apud poſteros immortalis. Illius virtuti quem fama celebrem effecit vltro ſe concedit fortuna; huic accedunt diuitiæ, dignitates, in conſiliis, in rebus fœliciter peragendis ſplendor inuidiæ nebulas omnes diſcutiens. Vnde ſi nulli nocendum eſt, in ſingulis humanæ vitæ bonis, cauendum præcipuè ne quis lædat alterius famam bonorum maximum, quo ſublato cætera concidunt, velut arbores ſuccisis radicibus, ædificia ſubductis fundamentis.

Difficilis quidem eſt huius illati damni reparatio, ſed alius occurrit caſus in quo fit impoſſibilis, cum ſcilicet aliquis ira vel odio furens humanum fundit ſanguinem; mors enim ideo timenda, quod inducat bonorum omnium temporalium abſolutam ſine reſtitutio-

Digitized by Google

nis vlla ſpe priuationem. Læſæ diuinæ maieſtatis crimen eſt præter prouidentiæ ſuæ decretum, militem ſtatione, miniſtrum officio, ſacrilegium eſt ſacerdotem hunc ſuum miniſterio ſummouere, gratiarum futuris largitionibus ſubtrahere, morte corporis præmatura ſecundæ morti fortaſſis animam addicere. Horrendum homicidij crimen, ſpeciem humanam in alumno, familias in prole, Rempublicam in ciue, matrem Eccleſiam, Deum patrem in filio & in imagine extrema non reparabili lædens iniuria. At nunc proh dolor, madet orbis mutuo ſanguine; ad vnius aut alterius arbitrium tot hominum millia in mutuam ruunt pernitiem. Homicidium cum admittunt ſinguli crimen eſt, virtus vocatur cum publicè geritur, impunitatem ſceleribus acquirit non innocentiæ ratio, ſed ſæuitiæ magnitudo: ludunt Principes humano ſanguine, & diuinum opus cui ſeruiunt cœli & elementa, exponitur igni ferroque ad inſoleſcentis potentiæ ſpectaculum. Non eſt huius inſtituti recenſere læſiones omnes, quæ corpori, famæ, bonis inferre ſolet humana peruerſitas, de his habentur ampliſſimi tractatus apud Iuriſ. Conſultos & morales Theologos; ſufficiat hic indicaſſe naturale ius quo tenemur nulli hominum nocere, omnibus quantum fas eſt opitulari, cum humana natura tot laborans infirmitatibus, tot ærumnis circumſepta ſtare non poſſit abſque mutuis auxiliis.

STANT OMNIA MVTVIS AVXILIIS.

Lex 8.

AGentium naturalium potentiam limitatam eſſe, multis iam probatum eſt argumentis [1] quibus & illud licet adiicere, quod omnia non propriis ſed mutuatis & auxiliaribus viribus conſeruentur & agant. Indigentiam arguit externa ſic in ſubſidium aſſumere; impotentiam ab aliis aſſumi, nam ex miſtione fit alteratio, & quidquid actiua vel paſſiua neceſſitas adiecerit demit aliquid ex indiuiduis propria non communicabili conditione. Sic adoptio probat in adoptante prolis, in adoptato facultatum inopiam, & hoc ciuile remedium, vtriuſque fortunæ laboranti ſubuenit. Hunc rebus ad ſe mutuò reſpectum impreſſit omnium creator Deus, qui voluit illas eſſe non ſolitarias, non reciſas ab aliis, ſed vniuerſi partes, quæ ſuas eſſentias & vires acciperent, prout decuit ad ſui totius optimam, pulchramque conformationem, ad æternitatis imaginem, in generationum fluxu conſeruandam; Igitur illæ compoſiti conditiones ſingulis aſſignant proprias in ſpecierum gradu virium differen-

1 Supra lib. 1. l. 7.

Digitized by Google

tias; eſſentiis & actionibus limites ponunt, quatenus reſpectu cæterarum, attolli, deprimi, miſceri debeant; ſicut notæ muſices imponunt ſingulis vocibus modos, flexus ſemiuiuos aut liberiores, etiam ſilentia tunc cum conferunt ad totius harmoniam.

[m] D.Thom. 1.q.3.a.7.

[n] lib. de mũdi creatione.

[o] Athenæ. lib. 8. cap. vltimo.

Generaliter in compoſitis eſt actus & potentia, [m] eo quod vna partium eſt actus reſpectu alterius, vel ſaltem omnes partes ſunt in potentia reſpectu totius: Confluunt omnes, vt ex illis fiat aliquid perfectius; nam perfectio bonitatis creatæ non inuenitur in vno ſimplici, ſed in multis. Ita ſi mundus, ex Philone [n] conuiuium eſt homini naſcituro prius à Deo præparatum, ſimile dicendum eſt de cœnis illis antiquis [o] quas collatiuas vocabant, eo quod ad illas inſtruendas, quilibet conuiuarum, aliquid de ſuo conferebat. Creaturæ latentem quam habent à creatore ſuo dependentiam teſtantur hoc inter ſe mutuo commercio; non ſunt, non agunt abſque cœlo, elementis, ſimilium & diſſimilium concurſu, quanto minus ſtare poſſunt ſine primo actu, primoque motore Deo: Ipſa perficiens illas interna vel externa compoſitio notat indigentiam naturæ ſibi non ſufficientis, actu potentiaque conſiſtentis; vnde Deus [p] procul à potentia, æternus, infinitus, primum ens, prima cauſa, purus actus, etiam procul eſt à compoſitione; Cætera omnia, elementa, mixta in mundo, homines in ciuili ſocietate, ſunt velut partes vnius corporis ſingulæ diſtinctis dotatæ virtutibus in mutuum auxilium; ædificator accipit opus à ſutore, [q] ſutor ab ædificatore, redactis vtriuſque operibus ad æqualitatem. Non dicet oculus pedi nec manui [r] non indigeo opera tua, cum magis neceſſariæ ſint partes, quæ videntur viliores, nec ſtet gradus ſuperior ſine infimo, vt nec domus ſine fundamento, ne quid velut minus dignum excludatur à communione, & vt ſplendoris defectus operis vtilitate compenſetur.

[p] D.Thom. d. loco.

[q] Ariſt. 2. ethicor cap. 5.

[r] 1.Cor. 12.

Inferiora dant vt accipiant.

§. 1.

AGunt omnia, & formæ cœleſtis beneficio, parentis motus irrequietos quantum fas eſt, æmulantur, licet agendo vires ſuas & profundant & exhauriant. Illis remedium eſt, quod indigentiæ ſuæ conſcia, plus agunt ad prædam colligendam, quam ad beneficium conferendum, & ſaltem vbi contingit virium æqualitas quantum dant, tantum accipiunt. Sic in ſe mutuò tranſmutantur elementa, [s] & mira permutationis æquitate, per tot ſæcula, per tot corruptionum & generationum fluctus, nihil exundat, nihil deficit in ſingulis, ſed tenent regiones ſuas eadem quantitate & qualitate qua prædita fuerint naſcente mundo.

[s] Ariſt. de generat. & corrup. lib. 2. c. 6.

Digitized by Google

Fiunt omnia ex omnibus, ex aqua aër, ex aëre aqua, ignis ex aëre; ex igne aër, ex aqua terra, ex terra aqua; Nihil deficit quod in ſe redit; omnium elementorum alterni recurſus ſunt, quidquid alteri perit, in alterum tranſit, & natura [t] partes ſuas velut in ponderibus conſtitutas examinat, ne portionum inæqualitate turbata, mundus præponderet. Mare non deficit in exitu aquarum ab ipſo, & eleuatione euaporationum, [v] quia redit ad ipſum tantum, quantum ab ipſo recedit, ſi enim per euaporationes mutatur in aërem ex parte meridiei, tunc tantundem conuertitur in ipſum de aëre ex parte aquilonis; mutatur in aërem aliquid de ipſo in æſtate, redit ad ipſum tantundem in hyeme, ſic nubes & cæteræ impreſſiones humidæ in ipſum refunduntur. Ideo mare non creſcit, quia quod influxit non in ſuum vertit, ſed protinus reddit, occulto enim itinere ſubit terras, & quod palam venit ſecretò reuertitur, colaturque per diuerſos anfractus. Si quando terras inundat mare, in medio mari terræ enaſcuntur, velut paria ſecum faciente natura [x] quæque hauſerit hiatu, alio loco reddente.

[t] Seneca natural. quæſt. lib. 3. c. 10.

[v] Albert. Magn. meteor. lib. 2. tr. 3. c. 13.

[x] Plin. lib. 2. cap. 86.

Cum terra arida & ſicca conſtare per ſe non poſſit ſine humore, nec rurſus ſtare aqua, niſi ſuſtineat terra, mutuo implexu iunguntur: ſimiliter in quolibet mixto, humidum continuat ſiccum, & ſiccum terminat humidum; ſe habent in mixto ſicut obſonia [y] & condimenta in cibis, vtrumque enim conſtat per alterum, ſe habent ſicut farina & aqua, per aquam farina conglutinatur, ne ventis ſit ludibrio, & & aqua per farinam, ne diffluat, ſiſtitur; ſic accidentia ſubſtantiis inhærent, ac per ea ſubſtantiæ recipiunt, partium dimenſionem, figuram, vires, actiones & paſſiones vnde perficiuntur. Diem & noctem Theodoretus [z] contemplatur velut ſorores, quæ temporis ſpatia ad hominum vſus inuicem mutuantur, ſimul & beneficè reddunt. Nam illuſceſcente vere, quando multi admodum hominibus circa ſua opera labores exoriuntur, dies horas mutuo ſumit à nocte, & paulatim eas recipit, ne nimio augmento eis noceat, tum vbi ad medium æſtatis peruentum eſt, eas paribus interuallis reſtituit, donec fiant in æquinoctiis pares.

[y] Albert. Magn. meteor. lib 4. tr. 2. c. 2.

[z] Oratio. 1. de prouidentia.

Hinc iure gentium introducta fuit permutatio, [a] qua rem quam à me poſcis volens tibi concedo, ſub ea conditione, vt aliam quam à te peto pariter mihi concedas, vtriuſque tacita apud nos facta æſtimatione. Hic eſt antiquiſſimus omnium contractus ab omnibus populis receptus, antequam percuſſus eſſet forma publica nummus, qui poſſet eſſe pretium indifferens rerum omnium; etiam diſtinctus contractus empti, venditi, locati, conducti, denique totus ob rem dati tractatus, [b] pertinet ad permutationem, & ad quatuor illas ſpecies contractus innominati, do vt des, facio vt facias, do vt facias;

[a] §. item pretium Inſt. de empt & vendit.

[b] l. naturalis ff. de præſcrip. verb.

Digitized by Google

facio vt facias; ex quibus datur actio præſcriptis verbis cum certa non poteſt aſſignari; natura [c] enim comparatum eſt, vt plura ſint negotia quam vocabula.

c l. natura. eod.

Dando & accipiendo totum ciuile negotium, priuatum, publicumque peragitur, & vt in natura, ſic in politicis nihil fit ex nihilo, nullæque præſtantur operæ, ſi non ſubſit aliqua commodi percipiendi ſpes. [d] Propterea Romani liberrimas etiam liberaliſſimas actiones celebrabant ſub emptionis ſpecie, nuptias per coëmptionem, [e] nec illa fictitia tantum ſed vera cenſeri debet, per donationes propter nuptias; per dotem [f] quæ marito datur ad onera matrimonij ſuſtinenda, per tot conuentiones rigidius quam in agrorum venditione ſeruandas, denique per corporum permutationem. Sic fiebant olim emancipationes [g] per æs & libram; ſic teſtamento ſcribebatur hæres, qui propterea dicebatur emptor familiæ, [h] ſic liberabantur à ſacris res, & prophanæ fiebant per coëmptionem ſacrorum, [i] ad quam faciendam erant olim ſenes conſtituti.

d Vide ſupra l. 2. §. 1.
e Alexa. lib 2. c. 5.
f l. 1. ff de iure [illegible]t.
g l. Fin. ff. de emancipa.
h §. 1. Inſt. de teſtam. ordin.
i Cicero. pro muræna.

Iactent licet Stoici beneficium ſine ſpe paria recipiendi tribuendum eſſe, ne tranſeat in formam crediti; [k] ſibimet aduerſantur, cum dicunt æquiſſimam eſſe querelam ingratitudinis; cum monent [l] vt ſicut decoctoribns & prodigis pecuniam non credimus; vt ſemina in ſolum effœtum & ſterile non ſpargimus; ſic beneficia ſine delectu indignis & ingratis non eſſe conferenda, hoc enim eſſet illa non dare, ſed proiicere. Monent etiam danda quæ maneant, & quæ ante oculos poſita recipientis euaneſcentem memoriam refricent, obliuiſci non ſinant, authorem ingerant; ad quid hæc niſi ſubeſſet ſpes recipiendi? Feuda dantur ſub fidelitatis & officiorum præſtandorum iuramento, vt olim libertates, ſub operis conditione; [m] ita fœminæ [n] non ſuccedunt in feudum vt maſculi, quia ſunt inhabiles ad ſeruiendum Domino, qui ſemper retinet directum dominium, & vtile negat vaſallo, quoties ab officio defecerit. Tam naturale eſt dando recipere, vt ſi ſocius [o] qui operas ſuas confert in ſocietatem, paciſcatur ne partem ſuam commodi petat, effectu tolletur ſocietas. Similiter quidquid dicant viri fortes ſe pro Republica deuoueri, dum ſe belli periculis obiiciunt, & dignitatum onera ſuſtinent, ad ea feruntur duplici præmio prouocati, honoris ſcilicet & ſtipendiorum.

k Seneca de beneficiis lib. 4. c. 2.
l Ib. lib. 1. c. 12.
m ff. de operis libertorum.
n lib. 1. feudor. tit. 1. § 3.
o l. 14. in f. ff. comm. diuid.

Plato [p] dicit inter Deum & nos exerceri mercaturam quandam, vt nos vota, ille ſua conferat beneficia; Non quod noſtris indigeat, [q] ſed quia talis eſt hominum ſors, taliſque ad Deum relatio, vt ab eo dona maiora recipiant, cum fuerint ad eum ſinceris affectibus conuerſi, ſicut conuerti debent in ſolem vt frui poſſint eius aſpectu. Quantus erga nos amor Dei qui cum nullis indigeat, noſtra quærit à nobis, noſtri cauſa; præceptis inuitat, trahit vrget nos ad

p In Eutyphrone
q Cenſorin. de die natali. c. 1.

Digitized by Google

ad ſe, vt taliter diſpoſitos fœliciores efficiat, ideoque vult vt pater, ſub illo pietatis titulo, à nobis coli & adorari. Prouocat nos ad dandum ſpe recipiendi, date inquit, [r] & dabitur vobis, qua menſura [r] Luc. 6. 38. meſſi fueritis remetietur vobis, tum ne ad charitatis officia tepeſceret affectus, & ne quiſque ſuis contentus viuat, ſi paria tantum datis recepturus ſit, pro rebus minimis ex charitate præſtitis ingentes in cœlo theſauros, centuplum in hoc & alio ſæculo promittit.

Sic Chriſtus [s] qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, vbique [s] Hebreo. 12 ſuos excitat ad tolerantiam laborum ſpe futuri præmij; ſic Apoſtolus [t] exultat in anguſtiis, certus quod ſibi repoſita eſt corona iuſtitiæ, & [t] 2. Timot. 4 ſic fideles hortatur, ſtabiles eſtote, [v] abundantes in opere Domini, [u] 1. Cor. 15. ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino; & audet muſ- [x] Rom. 12. 12. citare nouatorum turba, quaſi Chriſtiano ſit indignum, operari propter retributionem. O vana, ô prophana ſpiritualia profitentium opinio? plus ſapiunt quam ſancti, quam Apoſtoli, quam ipſemet Chriſtus? ſpem Theologicam virtutem vocant in crimen? ſi Deus ſummum bonum, & vltimus noſter finis eſt, non licebit in illum intendere, illum amare, amando dum frui non licet, deſiderare; ſpe gaudere? [x] ſi heroïcum eſt ad virtutem propter ipſam venire, ſanctum eſt ad Deum, ſanctum ſanctorum, propter ipſum poſſidendum, ferri. Aut nihil amandum, aut nihil ſperandum, ſi non amatur, ſi non ſperatur Deus qui ſummum bonum eſt? Etiamne ſic ſuperbit homo, vt pudeat ipſum operari propter Deum, in quem deſiderant Angeli proſpicere; Vt ſe demittit qui agit propter bonum infra ſe poſitum, ſe ſuſtollit quantùm fieri poteſt, agens vt poſſideat ſummum & infinitum bonum, ad quod ipſomet decernente, diſponente, trahente, factus eſt. Centra non repellunt in ſe motu naturali tendentia, & quomodo Deus repellet tendentem in ipſum animam motu quem ipſemet gratia ſua impreſſit, bonitatis ſuæ radiis, pulchritudinis ſuæ ſplendore promouit. Dum mihi volo Deum fruendum, non meipſum amo, ſed Deum cuius ſic impleo voluntatem, quæ me ad ſe creauit; me prius amanti, vocanti, trahenti, volo me totum tradere, cupio ſtatum in quo me perfectè poſſideat & me totaliter ipſi adhærentem bonitatis ſuæ participem efficiat: Sacrum eſt illud, beatorum in æternitate commercium, vt ſe totos in Deum effundant, totos ſe ſemper beatiores recipiant, increata bonitate, creatam in immenſum creſcentibus donis ſuperante.

Digitized by Google

Dantur ſuperflua pro neceſſariis.

§. 2.

AQua propriæ ſuæ humiditatis exceſſu laborans, hinc inde vaga diffluit, diſperſa conſumitur, ſibique ſic relicta, dupliciter peccat in naturam, quæ vult ſingula conſeruari, nec indeterminatè profundi. Similiter in terra ſiccitatis innatæ ſibi vitio, dum ſingulæ partes in ſe contrahuntur, à ſimilibus diffident, ita non fit omnium vnio, ſed diſſolutio, dum puluis effectæ, ventis exponuntur, iam propriæ ſuæ repugnant ſiccitati, quæ facilè proprio termino, difficilè alieno continetur. Igitur aqua ſuperfluentem in ſe humiditatem communicat terræ, vt terminetur; terra excipit illam ſua ſiccitate, vnde tumeſcens, partes ſuas dilutas extendit vt ſe tangant, ſibimet velut glutino adhæreſcant; concreſcant, aquis hoſpitibus dubium gratiam magis debeat, an conferat. Ita cor inardeſcens innato ſuo calido & ſanguine ſpiritibus ebulliente, ſuffocaretur, ſi non elaboratum aërem acciperet à pulmone, qui viciſſim nimis rarus tabeſcens vaneſceret, niſi hoc benefico calore, ſanguine, ſpiritu, per venam arterialem aſſiduè reficeretur; Ita ſe temperant reſpectu noſtri planetarum influxus, cum Iupiter ligat Saturnum, Venus martem, & inferiores ſuperiorum vim, complexioni noſtræ minus conſonam, in concentum adducunt.

Confluerent ſimiliter orbis terræ partes, & varias dotes quas habent, ſub diuerſa cœli poſitione conferrent, vt fœliciorum abundantia, à ſole magis remotarum indigentiam ſubleuaret, niſi materiæ ſuæ pondere, ſuis locis fixæ & immotæ retinerentur. Quod tamen habent, vitæ neceſſitatibus & delitiis conueniens, quantum illis licet, donant, dum exponunt ſumere volentibus, magnaque naturæ prouidentia factum eſt, vt motus qui deeſt illis ad afferendum, datus ſit animalibus cum mira ſagacitate, ad hæc bona, licet remotiſſima quærenda, ſibique comparanda; eo feruntur inſtinctu, turtures, hirundines, philomelæ, coturnices, & aues cæteræ peregrinæ dum autumno, præuiſa imminentis hyemis ſæua tempeſtate, tranſmigrant in fœliciores terras, ſequuntur ſolem, qua parte liberalior eſt, ita vernum & æſtiuum tempus efficiunt ſibi perpetuum. Cum ſuo ſole redeunt ad nos tum ſanis corporibus externarum regionum medicamentis, tum doctæ ſecuræque quod eadem à notis ſibi ſedibus celeri volatu repetent, ſi premat neceſſitas,

Docuerunt homines natiuo ſolo non contentos, mundum luſtrare,

Digitized by Google

nouitatis etiam vtilitatis deſiderio; noſſe quæ ſibi à Deo donata ſunt; ſparſos hinc inde veritatis radios, & ſummæ bonitatis fructus colligerè, nam illis ad hoc omnes terras aperuit natura. Inde commercium ab omnibus populis ab ipſo mundi exordio frequentatum eſt: quid enim magis naturale, quam commoda quæ præſens negat locus vel tempus aliundè venari, è regione quæ fame laborat in fertiliorem tranſmigrare, Id fecerunt ſinguli vt patet multis ſacræ ſcripturæ locis; [z] Id fecerunt nationes integræ: Græci ſe in Galliam [a] immiſerunt; Græciam Galli, populi ſeptentrionales, Hiſpaniam, Galliam, Italiam, irruptione facta tenuerunt, vix inuenies vllam terram, quam etiam nunc indigenæ colant; permixta omnia & inſititia ſunt.

[z] Gen. 26. 46. Ruth. 1. &c.
[a] Seneca. in conſolat. ad heluid. c. 6.

Huic tranſmigrationi omnibus animantibus communi, & exilio quod imponit neceſſitas medetur commercium, nam locis non mutatis ad vnius regionis ſubleuandam indigentiam cæterarum bona confluunt: Cum vnaquæque ſingulare quid proferat, & abundet eo quod aliis negatum eſt, rebuſque non vtendi tantum neceſſitas, ſed voluptas, etiam ſterilis raritas pretium poſuerit apud homines, omnium auidos, neceſſaria iucundis, iucunda neceſſariis facilè permutantur. Nulla nunc eſt regio ad quam Cereris & Lyæi dona non peruenerint; transferuntur ad hunnos vſque, vina, frumenta, laneæ veſtes; pro pellibus; Aurum, gemmas, aromata, medicamenta, ſerica mittit ad nos oriens, pro ferro, canabe, lino, artefactis apud nos communibus; Ad humanæ vitæ neceſſitates & delitias confluunt in vnum diuerſa, & negotiatorum beneficio, orientalem & occidentalem Indiam habemus Pariſiis, omniaque ſunt in omnibus.

Vndè meritò mercatores cenſentur velut neceſſariæ partes ciuitatis, [b] potiſſimum hi qui longis nauigationibus luſtrant orbem, & vndique ſalutaria colligentes, tranſportant ad ſuos. Habet Plinius, [c] vt miraculum naſci herbam quæ contuſa, ventos procellaſque recipiat & prouocet; paucis diebus admoueat Ægyptum Italiæ, Italiam Galliæ, Septentrionem orienti; vltrò citroque portet orbem terrarum; quis, ſecluſa conſuetudine non miretur artem hanc, quæ ſimul efficit hominem piſcem & volucrem, ſicco veſtigio ſuper fluctus ambulantem, quæ ventos velut equos currum trahentes habenis moderatur, & loco currus arcem, cum ſuis bellicis inſtrumentis munitiſſimam, vrbem portatilem, vrbium fortem, prouidamque nutricem. In primis ideò Romæ percuſſis nummis ex vna parte inſculpta videbatur Iani Legiſlatoris effigies, [d] in altera nauis; quod legibus & mercatura conſtet ciuitatis fœlicitas, & Germani [e] Mercurium negotiationi præſidentem colebant, eius ſigno in modum Liburnæ figurato. Tam neceſſe viſum eſt hoc nauale commercium, vt iudices

[b] Ariſt. pol. l. c. 7. & lib. 4. c. 4.
[c] In proæmio lib. 19.
[d] Plutarch. in problem. Roman.
[e] Tacit. de morib. ger.

Digitized by Google

[f] l. 6. C. de naucler.

[g] l. 3. Cod. Theod. de naufragiis.

[h] l. 4. C. de commer. & mercator.

puniantur [f] qui tempore nauigationis permittunt Naucleros in ſuo territorio degere; poſtea quæſtus inſatiabilis cupiditas, audacius quam deceat homines expoſuit mari, vt oportuerit illos continere legibus, quæ nauigationes per hyemen [g] velut nimis periculoſas prohibent, & certis illas limitibus [h] circumſcribunt, vt vltrà vagari non liceat.

Quamuis ſibi prius quam Reipublicæ nauigatio conſuluerit, & mercatorum vota tota ſint in congerendis pecuniis, fœlix extitit auaritia quæ dedit occcaſionem optimas leges, fideique Chriſtianæ documenta ad barbaros, & incultas prius nationes tranſportandi. Si dari debent ſuperflua pro neceſſariis aduertat prædicator, quantum in vrbibus Chriſtianis abundent conciones, vt iam aſſiduitate viluerint, & ad illas non diſcendæ veritatis zelo, ſed ad curioſitatis & eloquentiæ ſpectaculum fiat concurſus. Propoſitum videtur non prodeſſe, ſed placere, eo fortè titulo quod prodeſſe non poſſunt, niſi placuerint: Inter hæc cum dignitates negotiatur ambitio, cum à theatris & foro parum diſtet veritatis Cathedra, num euacuatur Chriſtus? num ſemen illud verbi diuini ideò non coaleſcit, quia non diſpergitur? nec enim iam in vrbibus eſt irrigatio, ſed inundatio, & ſterilis quædam vligo. Dum illic Verbum Dei ſuperfluit, Ruſtici velut paruuli petunt panem & non eſt qui porrigat eis; quot ſcimus nationes barbaras Chriſtianæ veritatis auidas; ad illas lucri cauſa concurrunt mercatores, & ad lucrandas animas Chriſto non properabunt Doctores? qui hoc Apoſtolico fungi voluerit munere, dabit ſuperflua quia ipſo abeunte non deficiet his in partibus prædicatio, at reportabit neceſſaria, ſalutem ſcilicet animarum, pro qua alligatum ſe ſpiritu [i] dicebat Apoſtolus; ſi euangeliſauero non eſt, inquit, mihi gloria, [k] neceſſitas enim mihi incumbit, Væ enim mihi eſt ſi non Euangeliſauero.

[i] Act. 10.22.

[k] 1. Corin. 9.

Eadem ratione Chriſtiani prouocantur ad charitatis corporalis officia, non coguntur, inquit D. Auguſtinus, [l] diuites pauperum cibis veſci, vtantur conſuetudine infirmitatis ſuæ, ſed doleant ſe aliter non poſſe; ſi conſuetudinem mutant ægrotant, vtantur ſuperfluis, dent inopibus neceſſaria, vtantur pretioſis, dent pauperibus vilia. Plurimum indulgetur vt delitiæ tranſeant ſub titulo neceſſitatis, ſed ſaltem quod ſuperfluit, quod ſublatum nihil detrahit victus commoditati, etiam ſplendori, detur pauperibus. Illis ſubueniendo, verè das ſuperflua, etiam nociua bona temporalia, recipis ſpiritualia ad huius vitæ veram fœlicitatem, & alterius ſpem neceſſaria. An non ſuperfluum eſt quod Chriſtus, quod Apoſtoli, quod eorum exemplo tot ſancti, aliis poſſidenda proiecerunt? An non neceſſarium eſt ad hominis ſalutem quod peccata delet, quod ſemel datum, cum ingenti

[l] De Verbis Domini. ſer. 5.

Digitized by Google

fœnore theſauris cœleſtibus infertur; quod hominem Deo qui charitas eſt, omnium ſuprema ſympathia conciliat; quod efficit ipſum de iudice patronum, de patrono fideiuſſorem in centuplum reſtituendi, in hac & alia vita, quod nomine ſuo collatum fuerit.

Beneficium quod danti non eſt difficile, facilè concedendum eſt.

§. 3.

ANguſta ſunt quæ dicuntur externa fortunæ bona, vt cum trahant in ſe plurimorum affectus, vni tantum cedant, & his ſpolietur, ſibique neget qui donat alteri. Cum autem innato quilibet amore ſui ſe cæteris in dilectæ rei poſſeſſione præferat, mirum non eſt ſi ſit ad accipiendum explicata manu, ad dandum contracta, facilis ad occupationem alieni, difficilis ad proprij largitiones, inde fora perſonant querelis, & iuſtitia reddens vnicuique quod ſuum eſt, exigit quod mala fides inficiatur.

In hac rerum materialium arcta conditione, inuidaque poſſeſſione, quædam tamen ſunt ad naturam ſpiritualem accedentia, quæ vt licet ſine ſui damno cæteris permittere, ſic negare inhumanum & iniquum eſt. Non debet eſſe difficile beneficium quod largitate non patitur detrimentum, inquit Caſſiodorus; [l] Ita lex decernit, [m] quod mihi prodeſt, & tibi non nocet, æquum eſt vt mihi non prohibeas, id enim ſuadet æquitas etſi non ſit ius. Vt in alieno fundo illi non nociturum aggerem facere quo diuertatur mihi plurimum nocens aqua pluuiæ. Ad ſepulchrum [n] vicinus viam præſtare debet iuſto pretio, itaut damnum non patiatur. Tuendus eſt [o] qui in littore ædificat, vel molem in mare jacit, ſi damnum inde nemo ſit paſſurus.

Quis ipſo naturali lumine, legibus etiam ſilentibus, contumelia pœniſque dignum non cenſeat eum qui nollet de fonte ſuo iuxta viam poſito cæteros haurire; in tenebris degentes ex candela ſua lumen accipere; in igne ſuo lignum quod transferetur accendi; non minuitur fons, lux, ignis, etiam dum pluribus communicatur, cum inde nihil depereat Domino: hæc prohibens fit reus inuidiæ tartareæ, & læſæ naturæ, quæ nos vt ſociales ſic communicabiles eſſe voluit, & tantum hoſtibus inofficioſos, ſi de noſtris muneribus arma ſibi contra nos ſint habituri. Omnis res quæ dando non deficit dum habetur, & non datur, nondum habetur quomodo habenda eſt, inquit D. Auguſtinus. [*] Etiam ignotis & barbaris aberrantibus iter oſtendunt incolæ, monent illos de ſyluarum anfractibus, aquarum,

[l] lib. 1. variar. epiſt. 14.

[m] l. 2. §. item varus. ff. de aqua. pluuiæ.

[n] l. 1. ff. de religioſ.

[o] l. 2. §. aduerſus. ff. ne quid in loco publ.

[*] Lib. 1. de doctrina Chriſtia. c. 1.

Digitized by Google

latronum periculis, breuique ſermone dirigunt aliter perituros. Huic gratiæ parem quilibet præſtare tenetur proximis inter huius vitæ mortalis ambages, vt exemplo Tobiæ [p] det omnibus monita ſalutis, nec tantum ad ſe venientes, ſed rerum ignaros, auerſos & inuitos conſilio ſuo, clamore, etiam nutu iuuet, & officio velut Angelico ad præcipitia currentes, auertat. Ea fuit antiquis philoſophis mens, quam à natura ſtudiiſque lucem habebant in omnes diffundere: ſi cum hac exceptione detur ſapientia vt illam incluſam teneam, nec enuntiem, reiiciam inquit Seneca; Appollonius, Demetrius, Muſonius, Epictetus, Diogenes, & alij philoſophi velut animarum medici circumibant prouincias & nobiliſſimas ciuitates vt mores labefactatos corrigerent; æmulo fortè Dæmonum ſpiritu imitari volentium apoſtolos ad totius orbis illuſtrationem diſperſos, lumen & ignem diuinitus acceptum non abſcondentes ſub modio, ſed vt luceat & ardeat longè lateque, licet vitæ ſuæ periculis explicantes. Alij ad publicam inſtitutionem magno certamine conſertiſſimas erexerunt bibliothecas, Ingeniorum ſic immortalem conſtituentes Rempublicam; diuiſis poſſeſſionibus rerum ſpiritualium communio relicta eſt, eo quod ſine dantis diſpendio ad plures perueniunt, & hac largitione non minuuntur ſed augentur, etiam diligentius excoluntur, pudet enim in communibus deficere.

[p] Tobiæ. 1.
Epiſt. 6.
Baron. an. 73.
Plin. lib. 35. cap. 2.

Magnæ diuitiæ ob id mihi potiſſimum videntur appetendæ, quod efficiant facilia charitatis officia, quia quod pauperis vrgenti neceſſitati ſufficiens & multum eſt, proceribus in ingenti rerum copia, parum aut nihil videtur detrahere, ſed velut ſuperfluum effundi. Sic vniuerſales cauſæ continuos emittunt ſuæ bonitatis influxus, eo quod inexhauſtæ, nihil ex his quæ largiuntur amittunt, ſed æqua ſemper fœlices abundantiâ, illius nouam pariunt acceſſionem, cum ad multos peruenit.

Igitur ſublato metu grauis inimicitiæ, quæ de collatis ſibi bonis arma conficeret in dantem acriter conuertenda, nullus negare debet beneficium ſibi facile, proximo neceſſarium; Nullus quod à ſe pendet vitiare, ne vertatur in alterius vtilitatem. Ita non licet habenti fontem [q] vel aquam priuatam, eam aliquomodo ſpurcam reddere, ſi cum eadem ſpurcicia in aquam vel fundum defluat alienum. Legem hanc in ſua capitula traduxit Carolus Magnus, [r] ſiquis inquit fontem quacumque inuidia coinquinauerit vel maculauerit, grauiter mulctetur; & vicinis damnum reſarciat.

Si apes meæ in prædium tuum aduolent & eas excuſſeris, [s] teneris lege Aquilia de damno. Apud Quintilianum [t] reus habetur diues qui floribus ſuis veneno infectis, necauit apes pauperis ad eas conuolantes; Innocens enim eſt huius animalis rapina, vix contactis

[q] l. apud Trebatium ff. de aq. pluu. arcen.
[r] Capitul. l. 5. c. 103.
[s] l. 27. § 11. ad l. aquil.
[t] Declam. 13

Digitized by Google

floribus reuolat, parum eſt quod ex illis legit, & quod aufert, vbi deſit non inuenies, præſens etiam merces ab illis redditur, nam floribus quibus inſedere odorem mellis inſpirant. Parum eſt vix ſingulis familiis ſenſibile quod pauperes Euangelici de piorum elemoſinis reportant; pretioſum quod relinquunt ſcilicet intimum ſenſum mundanæ vanitatis ſic fortiter contemptæ; humilitatis Chriſti adhuc in ſuis, homines ad abdicationem temporalium, vt ad cumulandas in cœlo diuitias voluntaria paupertate prouocantis; tandem relinquitur merces, Apoſtolum, Chriſtum in miniſtro pauiſſe. Has largitiones nulli graues, quippe leues, liberas, non quotidianas, ſed interjectis temporibus exiles, ſub Eccleſiæ ſimul & Reipublicæ fide publica conuentas, numquid inhumanum, etiam impium eſt prohibere? ſunt in delitiis Eccleſiæ militantis deſertores, & fortiter pugnantibus annona ſubtrahitur? licebit vnicuique ciuium bona ſua donare cui voluerit, etiam immerito, joculatori, pantomimo, non licebit ſtipem porrigere Chriſto in perſona Religioſi ex ſuis conſiliis paupertatem profeſſi? Imitantur Diotrephem illum de quo D. Ioannes [v] conqueritur quod ipſe fratres hoſpitio non recipiens, etiam recipientes prohibebat, ſuis & alienis manibus volens fieri Chriſtianæ pietatis parricida. [v] Ep. 3. v. 9.

SIMILIA SE QVÆRVNT ET AMICE complectuntur.

Lex 9.

OPortuit mundum ex diuerſis etiam contrariis conflari, [m] vt ad infinitatem ſui principij latè diffuſa multitudo magis accederet, & dum in vnionem venit harmonicam, omniaque quodammodo ſunt in omnibus, [n] exprimeretur quantum licet vnitas infinita bonum omne complicans; ſic ordinata rerum ſeries cedit in perfectionem vniuerſi, ſuique decoris illuſtrior titulus eſt, quod ad idæam ſummæ pulchritudinis conformetur. Sed interim vt diuerſa contrariaque miſceantur, oportet ab inuicem ſimilia diuidi à ſuorum amico complexu, à cognatis ſibi locis exulare, humidum in ſicco, ſiccum in humido, calidum frigidumque inuitis hoſtilibus ſuis qualitatibus ſimul degere.

[m] Vide lib. 1. l. 2.

[n] Supra. lib. 1. l. 4.

Quidquid dicatur partes vniuerſi natas eſſe ad onera ſubeunda

Digitized by Google

° Supra. lib. 1. l. 11.

quæ pertinent ad ſui totius commodum, ° id tamen vltrò non fieri, & contra, dum veniunt in vnionem vim pati, coniicere licet ex eo quod inde ſe quantum valent expediunt rupto carcere, ſolutiſque vinculis in libertatem ſe vindicare, & ad maſſas ſimilium redire ſemper tentant, idque tandem aliquando conſequuntur facta mixti ſolutione. Continet igitur illas ne diffluant, vis quædam maior; quanta ſit, vix poteſt æſtimari, cum ingentes cœlorum tum ſphæræ, tum planetæ ſuis in contraria motibus exagitant, permiſcent elementorum qualitates in mixtis, nulla data quiete, qua ſimiles ad ſe mutuo confluant: Iterum forma cœleſti quadam virtute prædita humores per ſpiritus verſat motu continuo, nec ſedere permittit vt ſimiles vniantur, quidquid igitur cauſæ tum externæ, tum internæ præſtiterint, violentum eſt, quod ideò non eſt perpetuum, ita certis temporum interuallis mixta quælibet diſſoluuntur, & impreſſa rebus ſingulis ad ſimile ſuum, inclinatio præualet. Calore motuque pariter tepeſcente per abſentiam ſolis, per planetas in ſignis humidis exiſtentes, fiunt in ſæculis diluuia, ſingulis annis hyemes, ſtatis diebus pluuiæ; Ex contrario cœli ſtatu, fulgura, conflagrationes in orbe, febres in corporibus, vnde peracuti morbi, functionum alteratio, tandem omnium vltima mors.

Illi duo ſunt actionum omnium naturalium termini, componuntur res, & diſſoluuntur; vi diuelluntur à ſimilibus, & ad illas poſtmodum inclinatione impreſſoque ſibi motu redeunt; per tot cœlorum & ſæculorum circuitus, eadem texitur & diſſoluitur, iterum iterumque retexenda, ſoluendaque tela; fit continua quædam chymicorum cohobatio, qua humor eductus è materia refunditur in illam, viciſſim ſemper educendus & refundendus. Omnis ille motus tendit in quietem, quæ continget ſimilibus ſibi mutuò redditis, cum planetis in propriis ſuis ſignis, in quibus fuerunt naſcente mundo: ceſſante motu cœli, elementis nihil amplius ex alieno habentibus, ita velut igne purificatis, ceſſabunt generationes & corruptiones. Interim huic vltimo fini præludit natura, hunc aſſidua cupidine delibat, per ſimilium ad ſe reditus, & complexus. Nec immerito, nam hic reditus facilis eſt, delectabilis, innoxius, ad cuiuſque ſubſtantiæ conſeruationem validus.

Facilis

Digitized by Google

Facilis eſt ſimilium in ſe tranſitus.

§. 1.

QVam facilis ſit ſimilium in ſe tranſitus omni momento probat nobis aër, qui cedens locum occupanti corpori, & ſagittæ motu citiſſimo tranſmiſſæ, in ſe redit eodem ipſomet inſtanti quo fit alieni receſſus, ne detur vacuum, obmurmurans cum ſcinditur, tranquillus & ſilentioſus, quia gaudens cum refluit; Ita pendent volatus auium, cum duabus alis compreſſus aër ab infima ſui parte denſior effectus, aptior eſt oneri ſuſtinendo; elabique volens ſurſum, renitens pondere ſuo corpus eleuat, & tum afluxu copioſo ſolidior, tum tranſuerſo motu, rectum infra tendentem præpedit. Subtilior eſt luminum ex diuerſis principiis emanantium in lucem vnam, inſenſibilis quia momentanea complexio Gentiles ſolebant olim accenſis facibus animas defunctorum euocare & ſollicitare, quod crederent eas eſſe naturæ igneæ, & ad ſympathicum ſibi ſplendorem è tenebris aduocari; vnde Concilio Elibertino ſic ſtatutum, Cereos placuit per diem in cæmeterio non incendi, inquietandi enim ſanctorum ſpiritus non ſunt, qui hæc non obſeruauerit arceatur ab Eccleſiæ communione. Auido licet minus celeri ſubtilique commercio ſe ſubeunt aquæ, & guttæ mercurij, quæ ne videantur augeri ſicut cætera corpora per iuxta poſitionem, aduenas vt proprias ſtatim excipiunt ſub eadem orbiculari figura.

Elementa quæ cognationem inter ſe habent in inuicem facilè tranſmutantur, & tranſitus hic velox eſt, quia facilius vnum quam multa commutantur;[p] ſic ex igne aër ſiccitate ſuperata, ex aqua aër deuicta frigiditate; at quæ duabus qualitatibus pugnant in inuicem immèdiatè non mutantur, ſed prius in alia ſibi ſympathica. Nutritio fit, cum is qui nutrit cibus, corpori quod alit aſſimilatur, citius autem aſſimilantur ſicca ſiccis, humida humidis. Duplex autem eſt id ipſum quod cuique conueniens dicitur,[q] aliud quippe tale eſt ſecundum totam ſubſtantiam, & hoc ſola experientia diſcitur, vimque habet non vulgarem. Ad iecur ſanandum vti præcipiunt iecore, ad ſtomachum ſtomacho, ad cerebrum cerebro animalium non longè ab humana natura diſtantium, & ita mumiam aſſerunt[r] plurimum ad vacuandum corpus valere, propter ſpecificam naturam. Inſitio[s] tanto perfectior, quanto fuerint arbores magis ſimiles, earumque auſtrales fibræ auſtralibus, boreales borealibus ſunt iungendæ; eadem eſſe debet corticum natura, idem germinationis tempus, nam lenta

[p] Ariſt. de generat. & interitu. lib. 2. c. 4.

[q] Galen. lib. 6. de ſanit. tuenda & lib. 3. de temperamentis.

[r] Paracelſus.

[s] Plin. l. 17. c. 14.

Digitized by Google

res eſt, quoties humidis repugnat ſicca corticis durities. Plantæ quædam in alias tranſmutantur, ſed in ſimiles ſibi, non in penitus remotas, vt ſymſibrium in mentham. Et quid eſt aliud motus naturalis, quam motus ad ſimile, qui rectus & velox eſt, eo quod nihil obſtat.

Ea ratione ſimilia in ſe mutuo facilè tranſeunt, quia non laborant in inducenda ſimilitudine quæ iam eſt, quæ non ad laborem, ſed ad fruitionem inuitat. Homo ieiunus [t] ſaliua ſcorpionem & aſpidem non hominem interimit, vt nec ſcorpio ſcorpionem, aſpis aſpidem, quodlibet enim non perimitur à ſimili; aqua fouet, non occidit piſcem, quia eſt concretionis aqueæ, & aqueos habet ſpiritus; eorum oculi palpebras non habent, quia non læduntur propter conuenientiam circumfuſi humoris cum oculo, Ita quanquam putrefactio maximè ſit ab humido, tamen quæ humidum habent commune non putreſiunt, ſicut alnus ſub aquis, non enim aqua ſub aqua putreſit, quia nihil inuehitur peregrini; hinc ſumptæ leges [v] quibus nemo cogitur teſtimonium ferre contra conſanguineos. Cum ergo ſimilia à ſe inuicem non patiantur, cum nihil habeant, quod vires ſuas in oppugnatione detineat, citò tranſeunt in ſe, veniunt in propria, nihil titubante, placido, veloci motu.

[t] Galen. lib de inæquali temperamento.

[v] l. 4. ff. de teſtib. l. 2. Cod. eod l. 15. C. de his qui accuſ. no. po.

Ita Plato [x] dicit deſiderium communionis & amicitiæ oriri ex cognatione quæ eſt conuenientia in idæa, ſydere, genio, & quadam animæ corporiſque affectione; nam qui ex vno pendent, in vnum, per vnum, atque ad vnum reuerti nituntur: præſidens illud vnum duobus, illoſque dum ad ſe trahit coniungens, dicunt [y] eſſe cœlum in eorum geneſi pariter diſpoſitum; ſi ſol & luna ſint in eodem ſigno, aut in receptione, horoſcopus vtriuſque aut idem, aut paucis diſtans gradibus, trino vel ſextili ſe reſpiciens: hinc naſci putant ſympaticos amores qui ad primos occurſus prætermiſſa conſultatione, corda fortiter illigant, & animas in ſe mutuo videntur transfundere. Amantes autem ſæpius falluntur, [z] dum rem amatam, pulchriorem quam ſit exiſtimant, eo quod nati ſub eodem aſtro dominante, idem habent corpus æthereum, & ſimile haberent terrenum, ſimilemque complexionem, ſi defectus materiæ non fuiſſent impedimento; reformant autem imaginem per ſenſus acceptam, conuerſi ad intimum ſimulachrum, & ad idæam cœleſti principio conformem. Duplex, inquiunt, [a] habemus corpus, vnum elementare, vt patiens, aliud ſydereum vt dominans, cuius occulta vi præter cæterorum opinionem homines ad diuerſa quæ ſibi cognata ſunt inclinantur; hinc proceſſit artium inuentio, [b] dum cœlo duce quilibet ad ſibi proprias, ingenioſus, fœlixque ſe conuertit, ſimilis ad ſimiles. Martij ferrum tractauere, & quæ per ignem fiunt, Saturnini agros coluerunt;

[x] In Lyſide.

[y] Ptolomæ. quadrip. lib. 4. c. 7.

[z] Marſil. Ficin. in conuiuium. Platon.

[a] Paracelſ. lib. 1. ſagacis Philoſophiæ.

[b] Idem lib. de inuentione artium.

mercuriales mercaturam, ſic de cæteris pro diuerſa planetæ dominantis conſtitutione.

Aſtris tamen ſapiens dominatur, ipſa mentis humanæ ſupra fatum, tum naturali, tum diuinitus collata dignitate, ſi deſint fœlices illæ ſyderum poſitiones ad amoris conciliationem. Nouit aulicus mores ſuos, moribus ſui principis conformare, aſſentiri, blandiri, vt putes ambos vno duci genio; Sic officiis ſuis promeruit affectum & Imperium Tiberij, Caius, de quo dictum eſt, [c] ſeruum nullum meliorem, nec deteriorem dominum fuiſſe. Etiam inter priuatos vrbanitas profitetur ingenium omnibus conſentiens, vt plures amicos ciuili communique beneficentia ſibi comparet; Ignis ignem accendit, fax facem, amor amorem, nam vnumquodque ſibi ſimile generat; hoc eſt amatorium [d] ſine herba; ſine vllius veneficæ carmine, amare vt ameris. Nec id leges prohibent, nam hæres non incidit in crimen captatæ hæreditatis, [e] ſi blando ſermone teſtatoris affectum erga ſe conciliauit Captatorias inſtitutiones non eas Senatus improbauit [f] quæ mutuis affectionibus iudicia promeruerunt. Sic Iudicium vxoris [g] poſtremum in ſe prouocare non eſt criminoſum.

Igitur homo fit fortunæ fœlicitatiſque ſuæ peritus artifex, ſupplet ſympathiæ defectum, cum ſuis officiis, liberæ ſuæ voluntatis conformitate, trahit in ſe humanos, etiam quod mirabilius eſt, diuinos affectus. Charitas enim facit homines Deiformes, [h] ciues cœleſtium, Angelis pares. Iam ſignatum eſt ſuper nos lumen diuini vultus, ſimilitudinem naturalem perficit gratia, amorem noſtrum præuenit diuinus amor, continuis illum prouocat muneribus, fœlix fœlices efficit & quidem facilè, vt patet in Apoſtolis, qui vocantem Chriſtum ſine mora ſequuti ſunt. Non eſt quod deſperet infirmitas humana, ſic extolli, ſic aſſumi; facilis nobis eſt in Deum tranſitus propter naturæ ſimul & gratiæ ſimilitudinem; facilis, quia trahit nos vis infinita, & torrente voluptatis ſuæ ſic mentes implet, vt in illis humana deficiant. O laudibus æternis celebranda miſericordia, quæ homini tam facilem præbet ad diuina tranſitum. O Lugenda mortalium peruerſitas, ſi ſpretis diuinis, omnium affectibus expoſitis, & quæ præſenti conſolatione delibant æterna gaudia, implicantur terrenis cupiditatibus anxiis, dura ſeruitute corpus & animam præmentibus.

[c] Sueton. in Caio. cap. 10

[d] Seneca. epiſt. 9.

[e] l. Fin. ff. ſi quis aliq. teſt prohib.

[f] l. 70. ff. de hæred. inſtit

[g] l. 3. C. ſi quis aliq. teſt. prohib

[h] D. Thom. 1. 2. q. 65. a. 5.

Digitized by Google

Conſanguineos natura conciliat.

§. 2.

INter leges quas Iuriſconſulti dicunt eſſe iuris naturalis [i] recenſent dilectionem & reuerentiam ſanguinis, velut primam, præcipuam, innatæ nobis æquitati, æternæque veritatis ſeminibus inſperſis humanæ menti, ſic congruam, vt ipſo iuris nomine ſignificetur, nec vlla ratione dirimi poſſit. Primam vocant quia parentum, filiorum, fratrum, conſanguineorum ſocietas, fons eſt ſocietatis ciuilis, procedit à natura quæ hic pares paribus iungit, inter quos eſt tanta ſimilitudo, vt dici poſſit identitas: nam vt ait Ariſtoteles, [k] parentes natos vt ſeipſos amant, qui nempe ex ipſis orti, ſunt quaſi ipſi alij proportione; nati verò parentes, vt orti ex illis; [l] fratres verò ſeſe mutuò diligunt, quod ex iiſdem ſint orti, identitas enim quæ eſt ad illos, idem inter ipſos facit, quapropter eundem ſanguinem dicunt & ſtirpem.

[i] In authent. de incœſt. nupt. §. 1. l. penult. & & vlt. ff. de iuſt. & iure. l. 8. ff. de reg. iur.

[k] Lib. 8. moral. c. 12.

[l] Vide ſupra lib. 1. l. 17.

Vt inquirens naturam indiuidui prius aſſignare debet ſpecificam differentiam, vnde ſua conſtat definitio, ita qui noſſe cupit hominem, obſeruat cuius familiæ pars ſit, vnde conditionis ſuæ, liberæ, plebeiæ, nobilis, regiæ pendet æſtimatio. Affectus cæteri ſæpè latent, metu, pudore, zelo; At conſanguineorum amor de immoto ſuo naturali iure ſecurus fidenſque palam ſe profert, nominis, ſtemmatum, inſignium identitate, vt ſic affines ab omnibus quales ſunt cogniti, ſperatis affectibus, publicæque ſponſioni, quam fallere nefas eſt, reſpondeant. Cum pater agit nomine filij, [m] videtur ſuam potius iniuriam, quam alienam proſequi; æquè iuſtus eſt metus, [n] cruciatus corporis, ſeruitutis, fortunarum, pudoris & infamiæ, vinculorum & mortis in liberis, ac ſi hæc in ſe verterentur.

[m] l. 4. ff. de procurat.

[n] l. 8. in f. ff. quod met. ca.

Idem cenſendum inter fratres, qui cum ſint vnum, vni tertio parenti, etiam inter ſe vnum haberi debent in re domeſtica, [o] formantur enim vno chàritatis radio reflexione non diuiſo, ſed magis intenſo. Suauiſſimum eſt recordari in eodem domicilio priuſquam naſcerentur, habitaſſe, in iiſdem cunabulis infantiæ tempora peregiſſe, eoſdem appellaſſe parentes, ſub iiſdem creuiſſe votis, adoleuiſſe moribus, parem ex maiorum virtute gloriam trahere. Incubat vt aſſerunt, conſanguineis idem familiæ genius, cum illo qui ſingulis à numine præficitur. Inde factum eſt vt Pſyllorum corporibus [p] ingenitum eſſet virus exitiale ſerpentibus; vt Hyrpiæ ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes non adurerentur; vt ophyogeni in Cypro

[o] l. 9. & 10. ff. de teſtib.

[p] Plin. lib. 7. c. 2.

Digitized by Google

non læderentur à ſerpentibus; vt obſeruatum ſit in Romana hiſtoria Manlios omnes fuiſſe ſeueros, Publicolas benignos, ac populares, Appios ambitioſos: Scipiones Africæ fuiſſe fatales: Elegit Deus familiam Abrahæ quæ nominis ſui cultum conſeruaret; familiæ Leui dedit ſacerdotium; regnum tribui Iuda, fortitudinem & fœlicitatem Macabæis vt oppreſſam religionem vindicarent, fruſtraque idem tentarunt qui non erant de ſemine eorum per quos ſalus facta eſt in Iſraël. [q] Habent igitur conſanguinei tum à natura, tum à Deo impreſſam ſimilitudinem & quamdam identitatem qua debent intimis affectibus conciliari. Ita duodecim fratres Aruales, Accæ Laurentiæ, nutricis Romuli, filij, primi fuerunt Romæ ſacerdotes inſtituti, vt hoc primo ſanguine pariter & amore coniunctorum augurio, firma ciuium pax & ſocietas conſecraretur.

[q] 1. Macab. 5.

[r] Alexand. lib. 1. c. 26.

Hinc arctiores amicitiæ denominantur à fraterna, fratreſque dicuntur, eiuſdem collegij, dignitatis, profeſſionis homines, [s] quod in bonum publicum collatis affectibus & operibus debeant conſentire. Fratres vocabantur primi Chriſtiani, quorum erat cor vnum & anima vna; meritò ſic dicti & habiti, qui vnum ſpiritum biberunt ſanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ, prodierunt ad lumen veritatis, & ad ſpem æternæ hæreditatis; Pari charitate deuincti Religioſi, qui animo animaque miſcentur, quibus in re familiari nihil indiſcretum, dicuntur fratres, vt vita, tituloque velut ſacram commendent in ciuilibus familiis vnionem. Pudeat Chriſtianos Chriſti Domini filij Dei adoptatos cohæredes, commenſales, communionis ſanctorum participes, inter ſe diffidere, & non habentes inter ſe pacem, alienos ſe fateri.

[s] Can. præter. diſt. 51. Tertulian. Apolog. c. 39.

Cæteros affectus prudentia probat & diſcutit, fraternum amorem imperat natura & cum inter fratres ſit quædam identitas, furor eſt in ipſos vt in ſeipſum deſæuire. Ad hanc immanitatem prouocauit primum inuidia Cainum in Abel, ambitio Romulum in Remum; multos poſtea Reges ſimili feritate dominantes, quorum hic ſeriem texere longum eſſet, tandem auaritiâ ſitibundi fratres veniunt ad delatam hæreditatem armatis mentibus & manibus, vt ferro vel lite nunquam non cruento res decernatur. Hæreditas humana [t] antè diuidit corda quam bona, vt diuidat facultates ſcindit hæredes. Inter eos odiorum cauſam ſæpè grauem efficit, non rei magnitudo, ſed infirmitas mentis lædi facilis, & cui exiguæ, minima pro maximis ſunt; præcipuè cum iniuria ab his procedit vnde ſperabatur beneficium, læſus amor iras ſpirat acriores, & hic vt in cæteris, optimi corruptio fit peſſima. Peccant in naturam, peccant in Rempublicam quæ ſacrum hoc ſanguinis fœdus nullis de cauſis voluit violari; peccant in debitum maioribus ſuis obſequium, qui

Digitized by Google

nomen illis, inſignia, bona, honoris titulos reliquerunt communes, ſub conditione mutuæ dilectionis: Præſentibus nocent quorum naturales affectus, vitæque dulcedinem talibus diſſidiis perturbant; poſteris execranda diſcordiarum ſemina relinquunt, mutilum efficiunt familiæ corpus, hoſtium iniuriis & ludibriis expoſitum. Crimen hoc publicum, fidei Chriſtianæ contumelioſum, quieti publicæ, rei familiari nocentiſſimum præuenire debet propoſitis arbitris Rectorum authoritas.

Similior præfertur minus ſimili.

§. 3.

SI conciliat affectus inſita vitæ principiis ſimilitudo, quo maior erit, ſtrictioribus etiam vinculis colligabit animos, & vnionem efficiet vnitati proximiorem. Flamma citius vnitur flammæ, quam cuiuis vnctuoſo humori, aër aeri, quam vapori aqueis vel terreis qualitatibus permixto. Vinum aceto mulſo ſuauius eſt, [v] quoniam quæ natura permiſcet, longè amplius temperantur, quàm quæ à nobis miſcentur. Sic idem ſanguis ex eodem fonte manans in propinquos, ſe ſentit in illis & corda coniungit eſſentiali ratione, quæ cæteris collata præponderat. Terra ſuperiorum influxu prægnans producit quidem prætioſa metalla ex aquis ſpiritu ſuo concretis, ſed lapides ſibi congeneres gemmas efficit, quas illuſtrat maiori ſplendore, pulchritudine, virtute. Obſeruatum eſt ſimiliter, illam non ita communem eſſe matrem, quin multis in locis indigenas aduenis præferat. In Creta [x] expugnato oppido, quod vocabatur Arcadia, ceſſarunt fontes omnes qui in eo ſitu multi erant, nec emerſerunt niſi poſt aliquot annos, incolis in propria reſtitutis. Fons Siloë [y] ad radices montis Sion, precibus Iſayæ primum erupit, vt obſeſſis ſub Ezechia Rege Iudæis ſeruaretur & quotieſcumque iidem aquarum veniſſent vndam præbebat, hoſtibus verò aduenientibus latebat. Spongia pellit aerem vt aquâ ſibi magis ſimili, centri cognatione proxima, repleatur; Locus abhorret à vacuo, primum tamen trahit ad ſe corpora, minus renitentia & rara vt ſibi ſimiliora. Apum, Gallinarum, cæterorum animalium pulli ſe viciſſim agnoſcunt eodem editos partu, colludunt, exteris ſi ſe velint inmiſcere, fortiter abactis: medicamenta humores trahunt, non communi elementari qualitate, ſed totius ſubſtantiæ ſimilitudine inſitaque familiaritate, vnde primo deducunt quod ſibi ſimile eſt, deinde alia purgant.

[v] Ariſtot. problem. ſect. 20. q. 44.

[x] Plin. l. 31. c. 4.

[y] Baron. an. Chr. 33. n. 36.

Digitized by Google

Indè communis fuit ſapientum[z] ſententia in ſubuentione neceſſariorum præferendos eos qui gradu ſunt proximiores, patrem matrem; filios, fratres, cæteros ſeruato cognationis ordine: parentes præferuntur omnibus, nam vt diximus, ſua quodammodo eſt filiorum ſubſtantia.[a] Diuerſè tamen penſanda eſt beneficiorum ratio, & perſonis commenſuranda. In iis quæ pertinent ad conſeruationem naturæ magis tenemur parentibus, à quibus naturam accepimus quam aliis, & conſequenter conſanguineis; ſed in aliis beneficiis interdum poteſt aliter fieri. Etiam in ſpiritualibus Apoſtolus[b] præfert cæteris populis Iudæos, qui ſunt ſibi cognati ſecundum carnem; primum apud eos prædicatum eſt Euangelium; cupit pro ipſis eſſe anathema. Si quis, inquit,[c] ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem non habet, & eſt infideli deterior.

Vt planetarum coniunctio fortior eſt quolibet eorum fœlici aſpectu,[d] ſic ſanguine coniunctorum affectus, cæteris videtur præferendus. Qui repudiato fratre externum adciſcunt amicum, ſimiles ſunt, inquit Plutarchus,[e] homini qui ſibi naturales pedes amputaret, vt aptaret ligneos. Subſtitutio breuiloqua[f] ſcilicet hæredes meos inuicem ſubſtituo, vocat prius in inſtitutione coniunctos, deinde diſiunctos. Ad relictum familiæ[g] prius vocantur qui proximiores ſunt in gradu, & ſic hæreditates ab inteſtato deferuntur,[h] quia talis præſumitur eſſe legitima defuncti voluntas. Epiſcopus[i] in Eccleſiaſticorum bonorum diſtributione, parentes ſuos pauperes, cæteris pauperibus poteſt præferre. Generaliter in miſericordiæ operibus proximi externis ſunt præferendi;[k] Vnde cum reſtitutio facienda eſt propter homicidium, fieri debet[l] ſuis & neceſſariis hæredibus, qui ſoli cenſentur coniuncti cum occiſo. Hunc ordinem charitatis licet interdum præterire ob rationabiles cauſas,[m] vt ob accepta beneficia, nam qui donauit videtur ea conditione dediſſe, vt in cauſa neceſſitatis illi ſucurreretur, nec enim dediſſet ſi præuidiſſet ingratitudinem accipientis; Initur enim potiſſimum ciuilis ſocietas vt homines mutuis ſe iuuent beneficiis.

Cum ordo charitatis habeatur ratione Dei primi noſtri principij, illi proximiores in temporalibus & ſpiritualibus cæteris ſunt præferendi, In temporalibus, parentes, patriæ, perſonæ publicæ, In ſpiritualibus viri boni & ſancti, primum ad domeſticos fidei, inquit Apoſtolus,[n] tum exundans beneficentia poterit in alios deriuari. Ita motus ſympathicus eſt potentior communi, vt motus ferri ad magnetem, qui procedit à virtute cœleſti, præualet motui grauitatis infra tendentis. Vita mundi omnibus ſuis partibus inſita, inquiunt Platonici,[o] magis viget in perfectioribus; propagatur in

[z] D. Thom. 2.2. q. 31. a. 3. & q. 3. a. 4. q. 26. a. 6.
[a] Supra. lib. 1. l. 17.
[b] Roman. 9.
[c] 1. Timoth. 5.
[d] Hermes centil. n. 8.
[e] Libro de amore fraterno.
[f] l. 41. §. 4. ff de vulg. & pupill.
[g] l. 32. ff. de legat. 2.
[h] Inſt. de hæred. quæ ab inteſt. defer.
[i] Concil. Antioc. I. can. vlt.
[k] Can. eſt probanda diſt. 86.
[l] Bonacina de bello.
[m] Idem de charitate proximi. pundo. 5.
[n] Galat. 6.
[o] Marſil Ficin de vita cœlitus compar. c. 9

Digitized by Google

herbis & arboribus velut in pilis, in lapidibus & metallis velut in oſſibus, at potiſſimum vegetat in cœlo, vt in magni illius animalis capite. Eadem ratione natura maximè iuuat partem nobiliorem, ſemper enim rei melioris eſt autor quo ad fieri poteſt.

Jucundum eſt vniri ſimilibus.

§. 4.

NIhil tam naturale quam vniri ſimilia, quæ cum in ſuo principio ſint vnum, etiam vnum extra fieri tentant, & vltimum in cauſam ſuam reditum, concurrentibus ad ſe mutuo, permixtiſque qualitatibus æmulantur. At quod eſt ſecundum naturam iucundum eſt, [p] & quæ cognata ſunt & ſimilia ſunt jucunda, vt homo homini, Iuuenis juueni, equus equo. Oportuit naturam alioquin torpeſcentem, ad actiones allici voluptate, tanquam ſtipendio vel præmio; [q] At voluptas quinque ſenſuum conſiſtit in ſola obiecti cum illis conuenientia. [r] Oculi loco ſuperiores ignis luciſque naturæ cognati ſunt, illis ideo ea ſunt gratiſſima, quæ luce temperata ſimilia ſunt, & ex coloribus, ſplendidi cum omnes à luce proficiſcantur. Aures puro aëri cognatæ, ſonis etiam ex puro aëre confectis delectantur, & qui ex eadem quæ & ipſæ harmonia conſiſtunt, vnde ſecundum naturæ diuerſitatem quidam vehementioribus, hi remiſſioribus, grauioribus aut liquidioribus gaudent concentibus. Nares craſſiori quadam natura concretæ, medium aërem & aquam continent, vnde ſimilibus delectantur, ſcilicet odoribus qui inter aëris & aquæ naturam commiſti ſunt. Guſtandi organum aquæ ſimillimum, liquidioribus etiam corporibus delectatur, quæ humoris decocti maturique naturam habent. Tactus ad craſſitudinem terræ magis accedit, vnde ſi ſolida ei & craſſiora corpora admoueantur eadem prædita humoris caloriſque natura, qua ipſe quoque ſenſus affectus eſt, ſuauitate perfunditur.

Eadem eſt in cibis ratio qui placent quia conueniunt cum perſona vel in primis vel in occultis qualitatibus, [s] harum vltimæ cæteris ignotæ ardentius appetuntur, afficiunt excellentiori ſuauitate, quæ cum ſit index ſimilitudinis in ſubſtantia, monet hypocrates [t] cibos illos apparenter deteriores, ægris indulgeri à quibus ſic ardenter appetuntur. Olim præcipuus ſacrificiorum ritus fuit vt Diis conuenientia & ſimilia, velut gratiora, [v] & ad eos placandos magis efficacia dicarent; ſic offerebatur [x] ſoli equus, vulcano ignis, veneri turtur, Dianæ cerua; Diis terreſtribus terreſtria; aëreis volatilia, inferis

[p] Ariſt. 1. Rhetor. c. 11

[q] Supra. lib. 1. l. 11. § 2.

[r] Marſil. Ficin. lib. de voluptate.

[s] Vide ſupra §. 1.

[t] Lib. 2. Apho. 38.

[v] Iamblic. de myſter. cap. 33.

[x] Euſeb præpar Euang. lib. 4. c. 4.

feris, nigra. Exiſtimabant Deos affici ſicut homines, quorum amor mouet ad ſimilia vt ait D. Dionyſius; cum enim propter ſimilitudinem affectus amantis ſit quaſi vnitus amato, [y] tendit appetitus in perfectionem vnionis, vt ſcilicet vnio quæ iam inchoata eſt in affectu, compleatur in actu, vnde gaudent amici mutua præſentia, alloquutione, conuerſatione, quæ habet aliquid voluptatis, cum ea quæ ex abſentibus percipitur, ſit leuis & euanida.

[y] D. Thom. lib. 1. contra gentiles.

Naſcitur hæc voluptas inter ſapientes ex eo quod eorum animis innatus & velut naturaliter inſitus eſt fomes aliquis philoſophiæ, qui concertatione ſcintillas emittit, ſplendet & ardet. Vnde mos olim, celebrandi conuiuia capite floribus coronato, [z] & vnguentis delibuto, nec ſine cauſa, quidquid irrideat Lucianus [a] & dicat ſollecyſmum eſſe voluptatis, flores odoratui gratos, non ſub naribus ſed ſuper caput, vnde ſentiri non poſſunt, conſtituere; floribus enim in capite ſignificabant quotidie nouam ſine tædio, ex ſapientum ſermonibus lætitiam; eos idcirco muſica non indigere dicebat Socrates. [b]

[z] Athenæ. lib 13. c. 5.
[a] Dialogo de morib. philoſophor.
[b] Plato in Conuiuio.

Vt delectat præſentia ſic torquet abſentia, vnde legibus antiquis [c] amoris inſani & turpiter debacchantis pœna fuit deportatio. Supplicium illi tam graue, tot congeſtis mortibus vitam vnam diſcrucians, vt ipſis pœnæ ſeruis intolerandum videatur. Iudex enim in diuiſione bonorum [d] non debet ſeruos coniunctos ab inuicem ſeparare, ſed eidem aſſignare quia dura nimis eſſet ſeparatio; Lugemus defunctos etiam in meliorem ſortem tranſlatos, non eorum, ſed noſtri cauſa; vnum enim rapiendo, mors plures torquet, illiſque ſi non vitam, at vitæ fructus abſtulit: dolemus ſuper illos, non vt dolendos, ſed vt ablatos, & qui dimidiatam, conſciſſam, cruentam reliquerunt in nobis animam noſtram, iam ſibi nec viuere nec mori volentem. Sola ſpes Chriſtiana ſolatur relictos, in tam breui vita, & iam multis deciſa partibus longa non poteſt ſupereſſe ſeparatio; Inſtat fatalis dies in qua ſequemur, qui nos præceſſerunt. Tunc ſæculi dolores in communis infiniti boni poſſeſſione multiplicatis in immenſum per complacentiam gaudiis, charitas compenſabit.

[c] L. vnic. Cod. Theodoſ. de mulier. quæ ſe ſeru.
[d] l. 11. C. commu. vtriuſq ind. l. 4. §. 3. ff. de leg. 3. l. 6. C. de patr. poteſt.

Digitized by Google

Similia fiunt vnione fortiora ſeque mutuo protegunt.

§. 5.

LIcet ſimilia veniant in vnionem eſſentiali quodam fœdere, & mutuò ſibimet iungantur innatis affectibus; licet alliciat ad complexus, detineatque ſumma voluptas, hunc tamen amorem natura non patitur eſſe gratuitum, ſed vtilem efficit magnis ex eo naſcentibus commodis: hic eſt vt diximus, modus præcipuus quo res ſuæ ſtudent conſeruationi mutuatis ſimilium viribus:[e] & eorum vnione, vt ſic fortiores vim externam validius propulſarent. Homogeneorum partes in totum ſibi ſimiles, vt ſe muniant contra communem hoſtem, ſibi coniungi appetunt; oleaginea deuitatis aqueis, oleagineis coniunguntur; aquea pariter repudiatis oleagineis, aqueis commiſcentur. Aqua, ſi copia ſuppetat ex altis cadit pondere ſuo, ſerie non interrupta, filoque columnari, ſi deficiat quantitas, rupta continuatione ſurſum reſilit gutta in orbem conformata, hac vnione tutior. Sic è portu videmus in alto tumentes maris aquas, velut in nos ruituras, ſuſpenſas tamen vnitatis ſuæ conſeruandæ deſiderio, ne diffluant; & ſic vtroque hemiſpherio ſuas, quas commodauit zonæ ſitienti, repetente, fit fluxus & refluxus.

Cum ſimilia fiant, conſeruentur, vires accipiant à ſimilibus, tota magia naturalis ad miros effectus præſtandos poſita eſt in ſimilium coniugio. Nam vt aſſerunt, ſomnolenta animalia ſomnos inducunt, vigilantia vigilias, amores prolifica. Ætates temperatæ[f], ſi victui, regioni, loco temperato comparentur, ſimiles à ſimilibus benè afficiuntur: ipſæ ſtellarum effectiones[g] validæ tantum ſunt in congrua temporum, anni, ætatum, angulorum, conſtitutione. Quamuis in arboribus quod accidit, qualitate non emineat, ea tamen acceſſione gaudens, lætiorque natura ſurgit in longè maiores fructus; ita ferunt[h] inſitos vlmo, ex ipſomet ſumptos ſurculos, latioribus ad vmbras eſſe foliis, ramiſque denſioribus. Ipſæ cœli partes vnione denſiores formantur in ſplendorem ſtellarum, & lucis radius ſuamet augetur reflexione. Confluentibus aquis, augentur fluuij, minus patiuntur à cœli calore & terræ ſiccitate, fiuntque ferendis onerariis nauibus apti. Poſtquam ſpiritus aut humidum in ſpiritum verſum euolauerit in aliquo corpore poroſiore, vt in ligno, oſſe, membrana terra & huiuſmodi, tum partes craſſiores maiore nixu contrahuntur & coëunt, vnde ſequitur induratio, aut deſiccatio quæ fit per mo-

e Supra. l. 8.

f Galen. in aphor. 3. lib. 3.

g Ptolomæ. quadrip. lib. 1. c. 9. in fine.

h Baron. de augm. ſcientia. lib. 5. c. 2.

Bacon noui organi. lib. 2. aphor.

Digitized by Google

tum amicitiæ & vnionis, ſicque corpus fit externis minus peruium.

Hic inſtinctus ſe conſeruandi per ſimilium vnionem expreſſior eſt in animalibus, potiſſimum gregariis vt ſunt boüm, equorum, bubalorum armenta, ouium, caprarum, ſuum greges; nam alicuius clamore denuntiato periculo ſtatim in orbem congregantur, & audaciores maſculi pro cæteris, non ſine militari diſciplina, acceſſu receſſuque condicto, decertant. Tonitrua [i] ſolitariis ouibus abortus inferunt, remedium eſt eas congregare, vt cœtu iuuentur; Eadem ceruis, columbis, perdicibus, cæteris gregalibus animalibus inclinatio, orto periculo congregari; an quod putent in ſimilium turba latere? an quod gratus ille ſuorum conſpectus, cedat in timoris ſolatium? an vt fati ſui duritiem, conſoletur æqualitas. Narrant in maritimis Æthiopiæ [k] naſci dracones vicenum cubitorum, eoſque quaternos quinoſque inter ſe, cratium modo implexos, erectis capitibus velificantes, ad meliora pabula Arabiæ vehi fluctibus.

[i] Plin. lib. 8. c. 47.

[k] Id. lib. 8. c. 13.

Hinc homo naturam immitatus didicit artem ſimilia componendi, augendique ſimplicium vires in medicinis ſpecificorum adiectione. Sic antiqui [l] ſacerdotes, miſcebant plura inuicem, quia videbant ſimplicia habere nonnullam planetæ virtutem, non tamen totalem, quamobrem ipſa multorum commixtione attrahebant ſuperiorum influxus, componendoque vnum ex multis conficiebant, aſſimilabant ipſi vni quod eſt ſuper multa, conſtituebantque ſtatuas ex materiis multis permixtas, odores quoque compoſitos colligentes, ſic ſingula per diuiſionem debilitata, per mixtionem reſtituebant in exemplaris idæam. In ſummis enim eſt vnitas cum virtute, in infimis multitudo cum debilitate, vnde quæ aſcendunt ſimul recurrunt in vnum copia poteſtatis.

[l] Porphirius lib. de occaſionib. Proclus lib. de ſacrificio & magia.

Nullus noſtrum ſibi ſufficiens eſt ex ſeipſo, ſed multorum indiget, ſic alius alium, aliumque ſibi, [m] & ad vſum alium adiungentes, cum multis indigeamus, multos in habitationem vnam communicatores adiutoreſque congregauimus; hunc cœtum ciuitatem appellauimus, quam fecit indigentia noſtra; important enim viciſſim ſua, & alia viciſſim accipiunt, conducere viciſſitudinem iſtam exiſtimantes. Diuerſi diuerſis artibus exculti ſimiles tamen habentur propter ſpecificam in natura conuenientiam; propter corpus ciuile cuius ſunt partes, motum & ordinem recipientes à lege tanquam ab anima.

[m] Plato lib. 2. de Republica.

Vt camporum meſſem ampliſſimam nullus vno manipulo continuit, ſed in plures collectam, in cumulos centenos, millenoſque diuiſam, facilius eſt æſtimare, comportare in horreum vbi ſub vno tecto, ſub vnius Domini iure, compoſiti faſciculi vnum ſunt; Ita tot vnius regni

Digitized by Google

populos politia diuiſit in prouincias, in ciuitates villas, familias, in diuerſorum officiornm collegia quæ licet dicant reſpectum ad totum, inter ſe tamen proximam & ſpecialem habent vnionem. Vt ad epar venæ, ad cor arteriæ, ad cerebrum & ſpinam nerui referuntur, motum tamen ſitumque ſeruant pro ratione partis organicæ in cuius veniunt compoſitionem: Magna nemo ſapiens tentauit & abſoluit niſi per partes, quæ ſeruato cum ſibi cohærentibus ordine, ſurgunt in conformem ideæ ſuæ pulchritudinem. Primum igitur eſt ſimilia conuenire, vt vnius ciuitatis ciues, vnius familiæ propinquos, vnius ſcientiæ vel artis profeſſores, vnius officij collegas eſſe vnanimes, vt vnitis validiſque viribus fœliciter opus ſibi propoſitum impleant. Plurimum confert ad animorum conciliationem quod exercitationis ratione, vnum ſe eſſe, ideſt aliquid indiuiſum reputent; ideo eiuſdem familiæ eadem ſunt ſtemmata, olim eiuſdem centuriæ milites eadem teſſera diſtinguebat, nunc eiuſdem Domini pediſequi iiſdem veſtiuntur coloribus, vt ipſomet ſenſu doceantur affectibus eſſe ſimiles.

Eandem artem profitentium erant corpora, [n] corpus menſorum frumenti, corpus fabrorum, piſtorum, nauiculariorum & ſimilium, hæcque corpora ſeu collegia Senatus Conſulto probata, ad exemplum Reipublicæ habere poſſunt res communes, arcam communem, actorem ſiue ſyndicum per quem tanquam in Republica quod communiter agi fierique oportet, agatur, fiat. Eiuſdem etiam artis homines, cauſam ſibi ſimilium ſuam eſſe putant, & ſibi mutuò præbent auxilium; ſic veterani [o] vna voce priuilegia petierunt ab Auguſto; licet excuſentur à tutela, non tamen à tutela filiorum commilitonum; [p] & militi impuberi datur tutor qui fuerit miles. [q] Ita iuuenes paris ætatis facilè conueniunt, ſeque collatis officiis & viribus tuentur. Manlio Torquato triumphanti [r] non occurrerunt iuuenes, quia filium ſuum iuuenem, fortiter, ſed ſine iuſſu præliatum ſecuri feciſſet percuti.

Hæ ſingulares vniones ſæpius in monopolia & in ſeditiones degenerant, quibus vt occurrerent antiquæ Reſpublicæ, publica inſtituebant conuiuia; [s] ciuitates prius in partes diuiſas, [t] vacuo interiacente, poſitis ædificiis fecerunt continuas. Romulus [v] diuerſas gentes ex quibus ciuitatem ſuam conflauerat, mixtas iiſdem artibus etiam ſacris congregationibus addixit vt vnum eſſent. Monet Vegetius [x] auxiliares legiones, non multum prodeſſe, niſi formentur eadem diſciplina; acceptas autem à confœderatis facilius tranſire in mores noſtros, nam tunc etiam ſibi militant ſpe communis victoriæ, Sic armatus ferro magnes validius trahit ferrum, quam ſi ſit ſimplex, propter ſimilitudinem ſubſtantiæ ferri verſus ferrum. Exercitus tamen ex indigenis præfertur, quia maior in illo præſumitur affectus

[n] l. 1. §. 1. quod cuius. vniuerſ. nomine.
[o] l. 1. Cod. de veteranis.
[p] l. 2. Cod. de excuſat. veterano.
[q] l. 8. ff. de excuſ. tutor.
[r] Valer. Maxim. lib. 9. cap. 3.
[s] Plutarch. in Lycurgo.
[t] Bodin. Reip. lib. 4. c. 1.
[v] Plutarch. in Numa.
[x] Lib. 2 de re militari cap. 2.

Digitized by Google

cuius participatione confœderatis habetur fides; Æthiopici nobilioris magnetis [y] argumentum eſt, quod magnetem quoque alium ad ſe trahit, & amoris legitimi quod gaudeat & accendatur magis ſimilium occurſu, affines propterea ſimul in acie ſtare & dimicare volebant Germani [z] vt gemina vis amoris ſanguinis & patriæ augeret fortitudinem. Vnde Lacedemoniis mos erat ante prælium amori ſacrificare propterea quod in inſtructarum acierum amicitia, omnis & ſalus & victoria poſita ſit. Vni Chriſto militant tot Eccleſiaſticorum & Religioſorum ſub diuerſis regulis ordines inuicti, ſi conciliaret illos charitas & ſpiritus Chriſti qui vicit mundum; tunc enim Eccleſia procederet vt caſtrorum acies ordinata [a] terribilis mundi & tenebrarum poteſtatibus. Quid non ſperandum, ſi fuerit omnibus idem animus regnum Dei protendere? at quid non timendum ſi ſuboriantur ſchiſmata quæ liuor, quæ cunctis dominari volens ambitio, quæ prædas etiam ſacrilegas ſitiens auaritia, quæ lucem timens, & extinguere cupiens improbitas, excitat, quæ fouet inimica Deo terrena ſapientia, nimias pietatis vnitæ vires reformidans.

[y] Plin. lib. 36. cap. 16.
[z] Tacit. de morib. germanorum.
[a] Cant. 6.

Similium vnio ſola conſtans eſt.

§. 6.

HArmonicus eſt rerum diuerſarum etiam contrariarum concentus in mundo, nec dubium eſt, quin appetat mixtionem illam qua ſua conſtat, craſis, pulchritudo, perpetuitas. Vt partes ſuo congruant vniuerſo, putant aliqui rebus ſingulis pares affectus rerum contrariarum inditos eſſe; [b] ſiccum enim appetit humidum, vacuum repletionem, frigidum calidum; ſitit imbrem arida tellus, cœlum turgens nubibus ardet in terram cadendi mira libidine; ſenes gaudent aſſidere iuuenibus, timidæ mulieres, amant impenſius bellicoſos, verumque probant illud aſtrologorum ſoli marti amicam eſſe venerem.

[b] Plato in Lyſide. Ariſto. moral. lib. 8.

Diximus [c] res diuerſas & contrarias in mundo eſſe neceſſarias, vt eſſet ordinata multitudo quæ referret primæ cauſæ vnitatem infinitam; vt eſſet locus actioni, [d] quæ in ſecundis cauſis primæ potentiam productiuam imitaretur; vt contrariorum vires æquis libratæ ponderibus, [e] quantum vſurpant, tantum reſtituere cogantur, perpetuaque ſic fiat rerum omnium viciſſitudo. Fauet materia, [d] quæ cum non omnes in cœlo figuras, neque formas ſub cœlo omnes ſimul poſſit habere, cum inter ſe multæ contrariæ ſint, vbique ta-

[c] Supra lib. 1. l. 2.
[d] Supra. lib 1. l. 5.
[e] lib. 1. l. 7.
[d] Marſ. Ficin. Theol. Plato. lib. 11. c. 16.

Digitized by Google

men appetit omnes, tanquam naturæ ſuæ perfectiones, hinc ad ſempiternum motum procliuis efficitur, vt quod non poteſt ſtatu poſſidere ſucceſſiuè ſaltem quodammodo conſequatur: hinc elementorum & ſphærarum circularis & ſempiternus motus; vt ſicut mundus intelligibilis nunquam, fit ſemper eſt; ſenſibilis fiat ſemper, nunquam ſit. Igitur cum vniuerſi perfectio ſit in hac ſucceſſiua permutatione meritò conſtat diuerſis & contrariis; perpetuò nox & dies, veſpere & mane in terra fiunt circum gyrante lumine victore, tenebriſque oppoſita in parte regnantibus & conſequentibus; & in ſignorum zodiaci ſucceſſione, & in elementis rerum principiis fit tranſitus à contrario in contrarium, viciſſitudinis conſeruandæ, gratia.

Alia videtur in ſingulis indiuiduis ratio, nam cum nolint diſſolui & mutari quod fit à contrariis, ſed conſeruari quod fit à ſimilibus, appetunt non contraria ſed ſimilia; cum tamen conſtent ex contrariorum temperie, ſi exceſſu vel defectu lædantur, ſi plus minuſue quam expediat in vnam declinent partem, contrarias qualitates appetunt quibus poſſint in naturæ ſuæ congruam temperiem reſtitui. Sed medicamentum eſt ingratum ſenſibus & dolore dolorem ſanans; vim infert non durabilem, nam cum id quod excedebat ad mediocritatem reduxerit, ſi ſtatim non remoueatur, in contrariam transfert intemperiem, calido laborans ſanatuſque frigido, frigidos experietur morbos ſi frigidorum vſus ſit aſſiduus; ſic extinguntur ſpiritus, langueſcit & corrumpitur pars adhibitis vltrà modum narcoticis. Inde dicunt aſtrologi [e] quod lex quæ cœpit in trigono igneo non durabit in regione trigono aqueo ſubdita, ſed tranſibit ad regionem ſuo trigono ſubiectam, ſic Mahumetana magis viget in Africa vbi eſt trigonus cancri, ſub quo cœpit, quam in Arabia ſubiecta ſagittario. In nauibus fabricandis vel cæteris ligneis operibus [f] nec pino, nec abieti quercus conglutinari valet, alterius enim materia ſpiſſa, alterius rara, affectus autem ſimiles in his eſſe oportet quæ ſociari conflarique debent, non contrarij, ſeu ſi ligno lapidem coniungas.

[e] Campanella.

[f] Theophra. hiſto. Plantar. lib. 5. c. 8.

At cum in diſſitis ſimilibus fracta videatur identitas, per vnionem in integrum reſtituuntur, habentque tunc rationem vnitatis indiuiſæ in ſe, & diuiſæ ab omni alio, ſic perpetuæ: Nam res pereunt interno vel externo morbo laborantes, neutro ex his tangitur virtus vnita; non internis malis, quia partes ſic confœderatæ nullis ſe laceſſunt diſſidiis, non læduntur etiam externa, cui fortiores effectæ validius reſiſtunt Si tabulæ perfectè explanatæ & leuigatæ applicentur ſibi inuicem, deduci nequeunt, niſi altera trahatur ad latus. Corpora quieſcunt in ſuis centris, & illic extra proprias vel externas alterationes poſita perficiuntur. humidum radicale, quia naturæ no-

Digitized by Google

ſtræ conuenientius eſt, plus durat, quam alimentum: Generaliter eorum quæ inter ſe ſimiliora ſunt, firmior eſt ſocietas; accedunt enim magis ad identitatem indiuiſibilem, vnde dixerunt Platonici animam hominis in corpore hoc craſſiore ad breue habitare, in aereo per multa ſæcula, in cœleſti per omnia.

Ariſtoteles [g] fert idem iudicium de humana ſocietate, ſtabilemque tantum affirmat eam quæ fuerit inter bonos ſimiles inita. Triplicem aſſignat cauſam propter quam ſolet contrahi, vtile, iucundum, honeſtum. In his qui amati ſunt propter vtilitatem aut voluptatem, ſi talia deficiant, inquit, rectè iureque ſoluitur amicitia, cauſa deficiente; ſibi imputet qui cum taliter amaretur, ob mores ſe putabat amari. Talibus improbi ducuntur, vtilitate vel voluptate; ita nullos amant ſed ſeipſos, & ex aliis ſperata commoda. Inſtar dæmonum [h] non ſe mutuò diligunt, licet in malis faciendis concordent; diffident à ſemetipſis; agunt illos, exagitant, transferunt varij paſſionum æſtus, leuis eſt malitia ſæpe mutatur non in melius, ſed in aliud. Ita qui ſecum non concordant, multò minus cum aliis inconſtantia pari laborantibus, varia ſemper cupiditate velut tempeſtate iactatis, eadem quæ iunxit illos vnda conterit, initaque facilè ſoluitur ſocietas. Stuppa collecta ſynagoga peccantium, & conſummatio illorum flamma ignis, inquit ſapiens [i] Princeps ſceleris ſui miniſtros velut exprobatores odit, nec ſecuros eſſe patitur.

[g] Lib. 8. moral. cap. 3.

[h] D. Thom. 1. q. 109. a. 2. ad 2.

[i] Eccleſ. 21. Tacit. ann. lib. 14.

At inter viros bonos concurrunt ſemperque vigent tres illæ cauſæ vtilis, iucundi, honeſti quæ mouent humanos affectus, ſic inter illos tantum perfecta ſolidaque manet amicitia. Nam ſe mutuò bonis afficere volunt & ſtudent, eius cui conferunt cauſa, ſinceris affectibus qui gratos efficiunt etiam in ingrata fortuna. Amant ſe virtutis comtemplatione quæ perpetua res eſt, ſola quæ inter humanos fluctus ſtat immobilis. Hoc habent inter cætera boni mores, [k] placent ſibi; talis eſt ſapientis animus, qualis mundi ſtatus ſuper Lunam, ſemper illic ſerenum eſt, nunquam eſt ſine gaudio quod naſcitur ex virtutum conſcientia ex alto & ex propriis veniens, quod non dedit fortuna non eripit; Non poteſt gaudere niſi fortis, niſi iuſtus, mali enim ſic gaudent, vt prædam nacti Leones, pro qua mox ſunt decertaturi. Illud autem gaudium quod viri boni ex propriis & amici virtutibus percipiunt, perpetuum eſt, indeficiens, reflexione multiplici ſibimet quotidianis incrementis accreſcens: quid ni? Deus infinitè bonus, eſt talis amicitiæ principium, medium, finis; vtroſque trahit ad ſe, & illos inuicem approximat, trahendo; connectit illos indeficiens diuina charitas, in communi pulchritudinis & amoris centro, de multis, vnum efficit.

[k] Seneca. ep. 59.

Vix fœlicem habent exitum nuptiæ inter longè diſpares, vel for-

Digitized by Google

cunt vegetabilia & ſenſitiua, materialia habent veſtigium augmenti vegetabilis, & motus animalis dum rareſiunt; aër & aqua diffunduntur; ignis creſcit in immenſum, data materia, ſi deficiat, ineſt tamen eſſentialis ille propagationis appetitus, quem teſtatur flammarum inquietum, & nihil intentatum relinquens, acumen.

Ciuibus ignorantibus acquiritur [n] per perſonas non ſolum coniunctas, vt per filios & ſeruos, ſed etiam per extraneas, vt per procuratores, per alium quemlibet qui defert hæreditatem, qui cauſam deffendit, qui fideiubet, qui donat, qui iuri ſuo cedendo alienum accreſcit, quia ſupponuntur velle res & facultates ſuas ſic augeri. Hæreditas [o] ſuſcipit incrementum, & in iudicium familiæ erciſcundæ veniunt ea quæ amnis fundo poſt litem conteſtatam attulit, & theſaurus. Sic rebus inferioribus inſciis auxiliantur cauſæ ſuperiores, & implent illis inſitum augendi ſe deſiderium. Vt igitur concipimus, ita hic expoſuimus augmentum, velut entitati ſuperueniens; quanquam ſic implexum ſit eſſentiæ, vt ab ea diſcerni non debeat, illiuſque non tam ſit effectus, quam cauſa, cum id primum natura videatur intendere.

[n] Inſt. per quas perſonas nobis acquiritur. Vide ſupra lib. 1. l. 9.

[o] l. 16. & 22. ff. famil. erciſcun. Vide 3. lib. 1. l. 9.

Intentio naturæ prima tendit in augmentum.

§. 1.

SI recurramus ad prima rerum exordia, videre licet materiam primam quæ naturaliter ſic formam appetit, [p] vt ſine ea non poſſit conſeruari niſi à Deo; & hic appetitus non ſuperuenit illi per modum accidentis, ſed eſſentiam ſuam conſtituit, eſtque primum mixtionis fundamentum. Eius affectio prima eſt quantitas, ſeu extenſio, ſecundùm longum, latum, profundum, ſiue quibus eſſet inepta ad cæterorum acccidentium, & formæ receptionem. Ita ſemen ſeu plantarum ſeu animantium exigua contentum quantitate, ingentes ſed occultos complicans in ſe ſpiritus, nunquam deeſt temporis & loci conuenientis occaſioni, vt è potentia educatur in actum. Sæpius etiam vrget impatiens ſe proferendi conatus, & hinc videmus præcoces germinationes irritas, eo quod intempeſtiuè fiant, ad eas excipiendas, fouendaſque locis & temporibus nondum ritè diſpoſitis.

[p] Ruuio. 1. Phyſicor. q. 5. & 7.

Quod primò ſemen plantarum intumeſcat; quod pulpam quà coercetur aperiat; quod radicem mittit, qua conquirat aliunde, quod non habet alimentum ſufficiens optatis & tentatis incrementis, id totum efficit inſitus calor, cuius motus eſt expanſiuus, per quem corpus nititur ad dilatationem ſui, & recipiendi ſe in maiorem ſphæram ſiue dimenſionem. In animalium, vt diximus,

[q] ſemine innatus calor ſurgit in ſpiritum mobilem, qui partium omnium conformator eſt & opifex, facultates omnes naturales quibus nutrimur & augemur, earumque auxiliares in ſe complectens, & hinc homo cum plus habeat caloris & ſpirituum, quibus proprium eſt ſurſum ferri, eſt erectæ præ cæteris ſtaturæ.

[q] Supra. lib. 1. l. 16. §. 1. Fernel. Phyſiolo. lib. 7. c. 9.

Anima vegetans cui competit accretio & generatio, eſt animarum prima & communiſſima, primum animæ principium vt placet Ariſtoteli. In animali cor primo viuens, caloris naturalis fons, parte ſua ampliore ſuperiora corporis ſpectat, non dilatatur quia impletur, ſed impletur quia dilatatur à facultate inſita ſibi, & quem ſemen conceſſit velut quoddam primogenituræ ius & fomitem ſpirituum vnde procedit tota vis ad obeundas vitæ functiones. Ita videmus plantas & animalia è debilibus ſuis initiis ſenſim ſurgere in conuenientem ſuæ ſpeciei dimenſionem, & generantis ſe dignitatem aſſequi; Licet aſſignare ætatibus ſibi ſuccedentibus ſuos profectus, omnium incrementa & ſperare & notare, at inquiunt Platonici, [r] quis determinabit rerum eſſe, cum ſit in continuo temporis fluxu, & iam tale non ſit, cum eſſe pronuntiantur: Eſt igitur in natura prius incrementum, quam exiſtentia, tum originis, tum conſtitutionis ſuæ ratione.

[r] Marſil. Ficin. Theol. Platon. lib. 11. c. 6.

Fœtus egreditur ex vtero materno, quia vult ampliorem locum, cibum, aërem, ita natiuitatem efficit amplitudinis appetitus; Nati dum inclinantur ad ſugendum lac, puelli dum manus tendunt omnium auidas, probant innatum hunc appetitum incrementi. Cum proceſſit ætas ducitur animus ſpe quæ eſt paſſio in appetitu iraſcibili circa bonum futurum arduum, poſſibile tamen vt habeatur; Illum ſequitur longanimitas in expectando, patientia in ferendo, magnanimitas in aggrediendo, denique alacritas & animi lætitia in operando. Spes alit agricolas, milites, aulicos, principes; ita totius vitæ ciuilis primum mobile eſt appetitus incrementi; ſpes eſt Chriſtianæ perfectionis fundamentum, & ſe habet ad charitatem, vt anima vegetans ad intellectualem. Licet legis Euangelicæ præcepta ſint arctiora [s] quam Moſäicæ, cenſentur tamen leuiora, propter propoſitæ fœlicitatis ſpem. Hunc naturæ motum ſequuntur ciuilia; locus qui eligitur ad vrbis ædificationem, debet eſſe ampliſſimus itaut poſſit augeri ciuitas, & ſubvrbiis cingi. Prima cuiuſlibet ſocietatis intentio tendit in augmentum, familia in prolem, proles in ampliorem dignitatem, dignitas in illuſtriorem ſi fieri poteſt & ſummam; fœlicis enim ſuæ ſortis nemo cenſetur ſatis dignus æſtimator.

[s] Gregor. Nazianz. orat. 41.

Ergo ſi conſideretur finis qui prior eſt in intentione, omnium prior eſt accretionis appetitus. Quid enim aliud intendit res omnis naſcens, quam creſcere, aſſequi conuenientem ſibi quantitatem molis

& virtutis, qua ſuæ ſpeciei dotes omnes percipiat, ideæ ſuæ fiat conformior, ſic ad diuinæ bonitatis ſimilitudinem [t] magis accedat. Opus naturæ eſt opus intelligentiæ, quia hunc ſibi proponit finem; ſic rerum incrementum prius eſt, quia prius intenditur, nec ſolum in intentione, ſed quod illi ſingulare eſt, etiam in executione, cum omnia ſint in profectu, & potius augeri quam eſſe dicenda ſint, cum non accipiant eſſe, niſi per augmentum.

[t] D. Thom. lib. 3. contra gentiles

Vita vegetatiua appetit eſſe, vita ſenſitiua bonum eſſe, Rationalis verò optimum eſſe, ideò non quieſcit niſi in ſummo bono, quod qui conſequendum ſibi propoſuerit, infima deſpiciens, naturali mentis & ſupernaturali gratiæ motu in admirabiles ſurget profectus. Imitatur Angelos, qui vt ait D. Dionyſius [v] ſemper quantum fas eſt ad maiora & meliora in diuini ſtabiliſque amoris contentione nituntur. Validioribus lacertis impreſſus telo motus ſpatium longius tranſmittit, & hæc ſtatim heroica perfectionis intentio, transfert animum ſupra res humanas, ſupra ius ditionemque fortunæ, vt ſecunda temperet, aduerſis elabatur, aliis admiranda contemnat. Et ſi quod ſummum eſt vix aſſequimur, altius tamen ibunt [x] qui ad ſumma nituntur, quam qui præſumpta deſperatione quo velint euadendi protinus in imis ſubſtiterint. Deus mundi creationem auſpicatus à cœlo, docuit nos vitam noſtram ſic inſtituere, vt primo ſpiret diuina, vt illis primos dicet affectus, vt inde lucem, inde vires deſumens, cum Apoſtolo [y] ſemper ad anteriora feratur. Quidam pro fidei magnitudine digni fiunt qui inducantur in omnem plenitudinem; Deus qui fecit illos auidos ſui, non arcet, ſed miſericors excipit. Moyſes audacior petiit videre faciem diuinam: ſimiliter Propheta Regius, [z] exquiſiuit te facies mea, faciem tuam domine requiram; ſponſa petiit oris oſculum, Philippus Patris viſionem; Tales magna audent, quoniam magni ſunt, [a] & quæ audent, quæ petunt tandem obtinent iuxta promiſſum. Magnis hiſce ſpiritibus, magnus occurrit ſponſus, & magnificat facere cum eis, emittens lucem & veritatem ſuam, eoſque deducens in montem ſanctum ſuum.

[v] Cap. 4. de cœl. Hierar.

[x] Quintilian. in præf. inſtit oratoriar.

[y] Philip. 3

[z] Pſal. 26.

[a] D. Bernar.

Digitized by Google

Appetitus augmenti, cæteris potentior eſt.

§. 2.

IN partium orbis diſtributione, cœlo, igni, aëri, vt nobilioribus corporibus regio ſuperior & amplior contigit ordine dignitatis ſeruato, talique iure cui velut dominanti nihil in poſterum præſcribit. Vnde cum in viuentibus plurimum ſit cœleſtis caloris & aëris, forma primo libero ſuo motu quo prodit è potentia materiæ, tendit in altum, terrenis & aqueis partibus, vt ſurgentes fulciant ſubſidentibus. Arbores magis citiuſque creſcunt in longitudinem quam in latitudinem; [b] quædam ſurſum prodeunt auctæ & enutritæ magis in ſuperioribus, & ibi ſunt magis ramoſæ vt abies & pinus propter calidam materiam nutrimenti. Plantæ caulem prius emittunt nudum & altum, quam foliis & ramis veſtiatur; corpus noſtrum adoleſcens, congruam ratione ſui temperamenti ſumit altitudinem, nec niſi circa ſenium calore iam fatiſcente abdomen diſtenditur. Quamuis ſpiritus in corpore moueantur ad omnem ſitum & locum, [c] tamen cum ſint naturæ aereæ, & habeant in ſe multum caloris, maximè ſurſum mouentur, ſic abundant in capitibus animalium vbi plures etiam perficiunt operationes, & in plantarum ſummitatibus producunt folia, flores, fructus ſemina in quibus reſidet ſpes tota propagationis. Vapor [d] vehementer calidus & ſiccus pertranſit infimam & mediam aëris regionem vſque ad ſupremam in qua facit diuerſas impreſſiones. Denique ſurſum tendunt omnia, aſcendunt montes, fluctus maris, flatus aëris è cauernis, ignis de petra, ſemen è terra glebæ viſcera frangens; quod eſt generoſius in metallis in altiores ſpiritus ebullit ab alchymia ſublimatum; plantæ, arbores metalla fiunt à ſpiritu è viſceribus terræ ſublimato. Obiectum præſens homini, tranſit in ſenſationem, illa in imaginationem, hæc in exiſtimationem, exiſtimatio in rationem, ratio in intellectum, intellectus in mentem, mens in lumen, qua ſplendet & rapitur.

Hic motus potiſſimum emicat in corporeis cum vis externa nititur in contrarium, & materiam igneam vel aëream diffundi cupientem velut carcere coercet, tunc enim hæc fractis obicibus, ſummo totius naturæ tumultu ſe vindicat in libertatem. Tonitruum aliqui nihil aliud eſſe putant, quam ruptionem nubis humidum incaleſcens & calore dilatatum, non valentis continere. Eadem ratione terra tremit & concutitur, [e] cum ſpiritus in ea concluſus frigo-

[b] Plin. lib. 16 c. 30.

[c] Albert. Magn. tr. 1. de ſpiritu & reſpir. c. 18. 10.

[d] Idem lib de paſſionib aëris.

[e] Seneca natural.

re denſatus cœperit à vicinis ignibus incaleſcere & rarefieri, tunc quærens locum omnes anguſtias dimouet, clauſtra ſua conatur effringere, hinc terra ſpiritu luctante & fugam quærente conuellitur, hiat, aut ſubſidet. Immenſæ moles terræ, ædificiorum & ſimilium [f] ſubuertuntur & in altum iaciuntur à puſilla quantitate pulueris pyrij; cuius cauſa pro certo illa eſt, quod motus dilatationis pulueris qui impellit, multis partibus ſit fortior & celerior, quam motus grauitatis per quem fieri poſſet aliqua reſiſtentia. Calore violento in tot ſpiritus aereos repentè ſoluitur vitriolum aut antimonium, vt retortæ corpus quod placidè prius maſſam retinebat, non poſſit illam rarefactam continere, ſic cum maximo fragore diſrumpitur, ſpiritibus ampliorem locum quærentibus.

quæſt. lib. 6. c. 12.

[f] Bacon noui organi lib. 2. c. 46.

Simile quid videmus in humanis & in bonum & in malum prout efferbuerit hic appetitus incrementi, habet enim mens noſtra ſublime quiddam & erectum, impatiens in arcto contineri. Magnanimos [g] nos natura produxit, & vt quibuſdam animalibus ferum dedit, quibuſdam ſubdolum, quibuſdam prouidum ita nobis glorioſum & excelſum ſpiritum, cœli æmulum, alta ſemper tenere cupientem. Vnde cum nemo ſe immiſceat arti quam neſcit, tamen imperare vix vllus detrectat, quamuis artem imperandi non didicerit, & hic amor dignitatis videtur eſſe ſecundum naturam quæ ſemper tendit ad id quod eſt melius & ſublimius. [h] Aquæ maris ſalſæ, quandiu reſident in imo, non ſunt vtiles alendis germinibus, at ſurſum in vapores elatæ terram rore pluuiiſque fœcundant. Sic quidam magnanimi, ſi ſubiectos habeas, amaris apparent moribus, ad dignitates velut in debitam ſibi ſortem elati, fiunt bono publico per vtiles. Hac ratione S. Pacomius Abbas [i] Monachum ſacerdotium ambientem promouit, & de iniquieto effecit virum ſanctæ conuerſationis. Indulgendum aliquid animis magna ſpirantibus, vel timendum ne ſi contra naturam in arcto & humili contineas, erumpant, quærelis, tumultu, ſeditione, & quos non habuiſti pro te generoſos, contra te patiaris infenſiſſimos duces. Quidam hoc maligno feruore perciti, maluerunt latronibus quam nullis imperare; in Principem, in patriam arma mouere, quam deſidere; vſu, quam rubigine confici; inconſtantis fortunæ potius, quam ſuperbè dominantis arbitrium experiri. Situm eſt apud illos, ſi ius violandum eſt, regnandi gratia violandum: impiiſſimum dogma, ſed familiare concitatis, deſperatis animis, obcæcata per ambitum ratione, ſcelere, parricidio gaudentibus.

[g] Seneca. epiſt. 104.

[h] Vide ſupra. lib. 1. lege vltima.

[i] Vitæ Patrum in Pacomio.

Huius mali publicum exemplum primò datum eſt, cum heroicum magnates cenſuerunt, quocumque titulo protendere fines imperij; cum his tantum qui id præſtitiſſent triumphi Romæ decerne-

Digitized by Google

rentur; cum militaribus ſignis præferrent nunc aquilam expanſis alis, nunc ſolis omnia luſtrantis ſimulachrum, quaſi ditionis cuiuſque fines illimitatos efficeret fortitudo, ſola coërceret impotentia, & cum Lacedemonii non alium putarent dominationis ſuæ terminum, quam quo cuſpides lancearum non perueniunt. Sic Alexander gentium vaſtator, tam hoſtium pernities quam amicorum, ſummum duxit bonum eſſe terrori cunctis mortalibus, & orbe ſpoliato, nouum, quem ſibi ſubiiceret, optabat.

Auaritiæ materia quidem minus ſubtilis eſt, non minora tamen quam ambitio per obſtantium ſtrages quærit incrementa; exæſtuat, [k] ſæuit, pugnat, rapit, congregat, ſeruat, ſui tenax, appetens alieni, non ſuo, non alieno, non ipſo contenta, totum poſſidet, & de inopia ſemper quæritur, per fas atque nefas, artibus & verſutiis occupat aliena; hinc concuſſæ gemunt vrbes, maria plus prædonibus ſæua ſunt, quàm tempeſtate; non iura, non leges, non honor vllus obſtitere, amicus in amicum, frater in fratrem, filius in patrem experitur; hic ſub inexplebili diuitiarum cupiditate ceſſant iura ſanguinis, quæ nullo iure ciuili dirimi poſſunt, nouum calamitatis genus ſemper creſcens, nunquam ſeneſcens. Hos amplitudinis appetitus eſſe contra naturam patet ex eo quod animam dilacerant, quod ciuilem ſocietatem ad quam naſcimur ſoluunt, quod populis omnibus graues, etiam authoribus ſuis ſupplicio ſint. Apud Romanos Auguſtus * fuit nomen Imperij, eo quod olim augerent Rempublicam amplificando, quod nomen primo Senatus Octauiano Cæſari tradidit, vt quia auxerat terras, ipſo nomine & titulo conſecraretur.

[k] Zeno Veronenſis ſerm. de duplici tentatione.

* Iſidor. origin lib. 9. cap. 2.

Ardent ſed innocenter in augmentum aliquæ paſſiones. Æmulatio tot votis expetitam inter amicos æqualitatem & communitatem non patiens, vult inter pares eminere. Ea duci videntur tyrones quibus vitio non imputatur, [k] ſi dato prætio tentent redimere tempus tyrocinij ſui, licet enim fraudem facere videantur legibus, illæ tamen indulgent huic promotionis appetitui, etiam hoc in caſu dati condictionem concedunt, quia non dantis turpitudo verſatur, ſed ſolius accipientis ob id concuſſionis rei. Spes cum omnia calamitas abſtulerit, ſupereſt victis vt retentent arma, naufragis ad nouos quæſtus faciendos; ſeruis vt aliquando reſtituantur in libertatem; ære publico preſſis [l] boniſque publicatis, vt iterum acquirant, quæ fiſcus non rapiet. Ad incrementi legitimos appetitus, quibus cæteri cedunt, referri poteſt intentio propagandæ dilectionis inter ciues, cuius cauſa potiſſimum fit vt nuptiæ tantum inter extraneos licitæ ſint, non inter conſanguineos quorum affectus iam natura conciliauit, & vt horror inceſtus, tutiorem efficeret, ſeruaret in familiari conuictu pudicitiam. Ad id etiam referri poteſt quidquid ratione boni publici

[k] l. 3. Cod. de cond. ob turp. cauſ.

[l] l. 22 §. is cuius ff. mandati.

Digitized by Google

ri, [m] licet in contrarium nitantur ſingulares affectus.

Si hoc habet humana mens ſuæ diuinitatis argumentum, quod infinitatis æmula ſuos affectus vltra ſemper protendat, nec mortalibus aut fortuitis ſatietur, ſitiat diuina & æterna, hic incrementi motus, etiam plaudentibus legibus cæteris erit præſtantior & fortior. Natura pietatem inter conſanguineos, inter parentes & natos commendat, tamen Euangelicæ perfectionis amator calcatis his affectibus ad vexillum crucis euolat, & votum emittit de meliori [n] bono. Apoſtolici faſtigij proprium eſt, perfectæque virtutis [o] vendere omnia, pauperibus diſtribuere, ſic leuem & expeditum ſequi Chriſtum magnis paſſibus ad cœleſtia properantem: ſubtilitatem hanc & leuitatem dat ignis charitatis è cœlo in hominum corda diffuſus, ſemper accreſcens data ſcilicet infinitæ bonitatis materia, ſemper proficiens vt in æternum permaneat. Id ſignificare videtur thus ſacris adhibitum eo quod per ignem ſtatim relicta qua conſtabat concretione in ſubtilem vaporem transformatus, lateque diffuſus altum petit. Ea ratione canonici regulares [p] & Religioſi zelo ſanctioris vitæ ad ſtrictiorem Religionem tranſire poſſunt, petita licet non obtenta licentia ſui prælati. Denique charitas præſtat cæteris virtutibus, eo quod omnia refert in Deum, vt eſt in ſe infinité bonus. Amor Dei eſt in omnibus inuictus; [q] ſumma bonarum actionum, ſalus morum, finis cœleſtium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, anima ſanctarum mentium, cauſa meritorum, vnicum contra morbos omnes animi remedium.

[m] Vide lib. 1. l. 12. §. 3.

[n] D. Thom. 22 q 88 a. 1.

[o] D. Hieron. ep 8.

[p] Cap. licet de regular. D. Tho. 22. q. 23. a. 2.

[q] Alanus Varenius lib. de amore Dei.

Difficilia quæ pulchra.

§. 3.

HVius à Græcis mutuati prouerbij veritatem probat natura, dum neceſſarias ad indiuidui conſeruationem & profectum qualitates efficit communes vt ab his interdum deficere, monſtraque fieri mirum, prodigioſum; inauſpicatum hominibus videatur. At ſupra conſuetum hunc vulgaremque perfectionis gradum efferri, & idæis votiſque noſtris quod reſpondeat opus contingere, ſicut difficillimum, ita rariſſimum eſt, inſtar miraculi futuris deinceps ſæculis ſuſpiciendum. Ab imo terræ ductus vapor, craſſus lentuſque nimis vt in auras poſſit vaneſcere, pro loci recipientis affectibus, terreno cogente ſpiritu, in varias tranſmutantur concretiones, fit illic ſaxum, marmor, hic ſtybium, calchantum, ferrum, æs, plumbum; at iam nouus orbis luſtrandus eſt qui ferat argentum, aurum, adamantem,

Leuium metallorum fructus in ſummo eſt, illa opulentiſſima ſunt, & magnis eruenda laboribus, quorum in alto latet vena. Hinc ad hortos heſperidum, ad aureum vellus interiecto furentibus procellis occeano, & vigili draconum cuſtodiâ præpeditum iter fingunt Poëtæ. Olim tantum in Sabæa thus, in Iudæa balſamum, in orcadibus inſulis ambra; omnibus ſermonem natura dedit, paucis eloquentiam; Vulgaris eſt vxoria pulchritudo, rara quæ diuino quodam ſplendore radians mentes & oculos rapit. Virtutem referunt in prærupti montis vertice ſedentem, vt paucis Diiſque genitis ad eam pateat aditus. Fortaſſe tanquam Phœnix vir bonus [r] ſemel anno quingenteſimo naſcitur, ſic ex interuallo magna generantur, mediocria & in turbam naſcentia ſæpè fortuna producit, eximia verò ipſa raritate commendat; nequidem roſæ ſine ſpinis, ſine dura & vi confrigenda cortice nucleus; bonum quo maius, eo plus improbis laboribus emitur; cum eminet, paucis peruium, cæteris irrito conatu circa ſe lapſis & iacentibus negatum eſt.

[r] Seneca. ep. 41.

Hinc de prouidentia vulgi querelæ, quod cum affectus perfecti boni & eximiæ pulchritudinis ipſa mentibus noſtris impreſſerit, eius tamen fruitionem tot ſeptam difficultatibus neget, vt fruſtratus amor nobis tantum cedat in pœnam. Vellent hi diuinæ ſapientiæ contumelioſi, cuiuſlibet rei prætioſæ tam frequentem eſſe, tam communem vſum quam lucis & aëris, expoſitas eſſe naturæ diuitias, promiſcuam omnium libidinem, quæ iuuant quæ delectant ad manum eſſe, & ſtatim vt deſiderantur haberi. Abſurdiſſimum & in ſemet contradictione pugnans votum. Non aduertit cæca cupiditas, quod diximus, vniuerſum certo rerum ſibi per gradus ſuccedentium ordine conſtitui, & in quolibet genere quanto aliquid eſt prius, eſſe tanto ſimplicius, & in paucioribus conſiſtens. Sic prima corpora ſunt præ cæteris ſimplicia. Eſt in ſole plenitudo lucis, in igne plenitudo caloris, in corde plenitudo vitæ, in capite plenitudo ſenſus, & in vnoquoque genere deuenitur ad vnum quod in ipſo ſummum eſt, cæterorum regula, vnitatis ſupremæ bonum omne complicantis imago. Huic proximiora, vt ſunt perfectiora ſic minus diffuſa ſicut lineæ à circumferentia ad centrum ductæ quo ſunt illi viciniores, acutos magis & in arctum contractos efficiunt angulos; deficit quantitas in partibus quæ magis ad apicem pyramidis accedunt, denique ſummum & vnum conuertuntur; ſummè bonum, pulchrum vnum eſt, accedens ſcilicet ad idæam boni & pulchri quæ eſt vna.

Hoc igitur pulchrum quia non commune nec in rerum cæterarum turba, rarum eſt, etiam difficile, cum ad illud non aliter quam emenſis plurium infra iacentium gradibus perueniatur. Hic autem

autem profectus ad vltimum alicuius ſpeciei verticem motus eſt, qui propter agentis vires limitatas, propter innatum pondus ad ima deprimens, propter ſpatij longitudinem, contrarij reſiſtentiam, non fit ſine labore. Non otiatur natura, ſed cœpto ſemel operi diligens incumbit, donec ad perfectum adducat, nec patitur fieri per plura quod fieri poſſet per pauciora; Vnde ſi plus temporis impendit vt diximus [f] in rerum excellentium conformatione, probat hac actionis nunquam intermittentis mora, occurrentes plurimas in opere nobiliori difficultates quæ citius non potuerunt ſuperari. [f] Supra lib. l. 16. §. 1.

Sic ex contrapoſitis viribus conſtant omnia, ne vires ſibi relictæ, nullius hoſtilis qualitatis impetu prouocatæ tepeſcant & ipſo ſitu conficiantur. Eſt in orbe rerum in inuicem decertantium, gratiſſimo cœlicolis & ſapientibus ſpectaculo labor aſſiduus, ſemperque ſunt in procinctu, nam actiones naturales reficiuntur, vt diximus, voluptatis ſemper illas comitantis ſtipendio, & obtenti melioris boni pars ad ampliores ſpem accendit In ſenſibilibus primum enutriti, inter populos ſenſibilia ſectantes; eorum tum naturali, tum ex familiari conſortio ſibimet accreſcente per ætatem amore detinemur, & miraris ſi diuturnus etiam hæreditarius animi morbus, lento & difficili curandus ſit remedio? ſi conflatæ per tot annos, tot circumſtantium manibus peruerſorum habituum catenæ vi maxima confringendæ ſunt? ſi multa ſint dediſcenda & addiſcenda vt quis in virum probum euadat? Ipſa virtus in mediocritate conſiſtens ab extremorum obſidione vix efficitur libera, medium enim in re qualibet tenere dificillimum eſt, inquit Ariſtoteles; Vix bona mens recti conſcia ſe poteſt expedire à ſeditioſis intra ſe paſſionum motibus, & inter turbas ad pernicioſa ruentes, inter tot hoſtium laqueos & inſidias inoffenſo gradu rectum virtutis iter tenere.

Ad hæc cum ex occulto graſſantur præcauenda, cum inſiliunt ſuperanda, magnis opus eſt animis & pectore firmo, quis neget, ſed hic labor cedit in gloriam victoris, virtus habet experimentum ſui, exercetur, proficit, & quanto grauius inſtat ex certamine periculum, ſequitur illuſtrior triumphus. Torpeſcerent heroicæ mentes, & ignauis turpiter æquarentur, ſi nullus eſſet perfectionis apex, quem cæteris infra ſe longè relictis poſſent conſequi. Hinc homines velut excelſioris cuiuſdam naturæ participes, laudibus, Imperio, potentia decorantur, quod difficilia, hoſtes, fortunam vicerint. Pulchritudine præſtantiores virgines Plato decernebat in præmium his qui ſe fortiter in prælio pro patria geſſiſſent, taleſque nuptias non tam amor, quam duplex victoria de præteritis belli periculis, & de turba procorum illuſtres efficiebat.

Repugnat igitur pulchra fieri communia, quia ſic tolleretur re-

rum ordo, ſi quod forte ſua deiectum eſt, ad parem ſublimioribus gradum iniqua ſuſtolleret æqualitas; hac inducta confuſione, pulchrum non haberet amplius oppoſitum, cuius comparatione fulgeret, non eſſet admirationi, non amaretur, non coleretur, conſuetum non afficeret, & ſua ſemetipſum obrueret copia. Si pulchrum commune non ſit, ſed emineat, ſequitur etiam difficile fieri, quippe debilioris naturæ vires & captum excedens, ſolis fortioribus conceſſum.

Tam naturale eſt pulchrum eſſe difficile, vt ex difficili pulchrum homines æſtiment, ex raritate & obtinendi difficultate pretium rebus imponant; nitimur enim in vetitum.

Quidquid ſeruatur cupimus magis, ipſaque furem
Cura vocat, pauci, quod ſinit alter, amant.

Hic eſt ludi, certaminum, etiam dignitatum finis, obtinere quod omnes ambiunt, paucis aut vni licet. Hinc cibi, lapides ab externis regionibus aduecti, homunciones, in plantis, foſſilibus, animantibus ipſa naturæ vitia, quia rara ſunt habentur pretioſa, & quæ procerum ſcriniis curioſè reponantur. Verum eſt omne pulchrum eſſe difficile, falſa tamen eſt conuerſio, difficile ſimiliter eſſe pulchrum & bonum, nam pyratica, tyrannis, libertati populorum inſidiantis ambitio, thorum alienum inuadens luxuria, exceſſus omnes ſuis non carent difficultatibus & periculis, laborant tamen in ſuum damnum, in publici priuatique boni pernitiem. Difficultas non eſt virtutis eſſentia, ſed color, quem vitia ſæpius induunt, vt fucum oculis faciant dum fortitudinem mentiuntur, & malæ mentis vires omnes obſtinatè peruerſas explicant: non eſt ſtatim validum brachium quod non poteſt vi qualibet externa flecti, rigor eſt qualis in ſtatua & cadauere reperitur. Vt gemmarum & auri ſic venenorum venæ alta terra merſæ magnis fodientium laboribus & periculis eruuntur, nec tamen ob parem cæſo matris vtero naſcendi difficultatem ſimiles habent ſplendidas & vſibus humanis profuturas qualitates. Nociuas continent, quæ inexpertos à longè crudeliter afficiunt, ſibi proximiores necant nec immerito cum ſepultas temerè & in pœnam ſuam prouocauerint. Ita quilibet occulto ſenſu, vitiorum vim mortiferam, ex ipſamet ſub initiis difficultate, & ſyndereſi ſubodoratur, vt inde monitus aufugiat, & in prænuntiatam non incurrat pernitiem. At qui virtutem circumſtat labor ſimilis eſt leui nebulæ velut velo ſolem orientem ſic obſcuranti, vt tamen ſplendeat, & ipſo lucis obſtantia diſſipantis profectu, certiſſimum det proximæ

Digitized by Google

ſerenitatis indicium. Circa virtutem impenſum opus delectat animam, quia naturæ ſuæ rationali congruum & ſympathicum eſt, ſpes alit quotidianus ad meliora profectus, accedit liberis, heroicis, ſibi fidentibus & plaudentibus animis etiam metus ne dum obſidetur tot hoſtium viribus & inſidiis, non proficere ſit deiici.

Viuens quod non creſcit, minuitur.

§. 4.

COelum motu ſuo materiam implet formis, menſurat tempus quo rerum inferiorum exiſtentia concluditur, & ipſius etiam exiſtentiæ per gradus acceſſum ad ſummum ſui, & hinc receſſum, omni die duodecim horarum interuallis exprimit. Ex aurora ſol naſcens ſenſim lucem ſuam explicat blandè ſubeuntibus incrementis, donec in apice cœli, totum ſuum ſplendorem obtineat. Inde ſtatim vt momento deſcendit, minuitur, & æquo ſuis profectibus paſſu, declinat in occidentem. Huic perpetuæ circulationi nulla ſe quies intermiſcet, vnde ſtella quæ ſuum apogæum attigit, cum nec illic conſiſtere, nec ad altiora niti limitatæ peripheriæ raptus concedat, neceſſariò deſcendit, licet ſtationem ſibi fingat aſtrologia, non habens calculum qui tam minutos exprimeret defectus, fatetur tamen illos cum planetæ ſtationario aſſignat duo teſtimonia debilitatis, nam etſi non appareat, verè tamen retrocedit.

Vt ordinatas, ſic limitatas diximus eſſe naturalis agentis vires, cum igitur peruenit ad exiſtentiæ ſuæ ſummum, ex tunc temporis fluxu nunquam intermittente defertur ad ſuum finem, licet lento nec ſenſibili lapſu. Hunc fruſtra phyſici vocant ætatem conſiſtentiæ, nam, vt ait Hypocrates [r] Athletarum plenior corporis habitus, ſi ad ſummum ſit plenitudinis gradum perductus, lubricus eſt, neque enim in eodem permanere aut conſiſtere poteſt, cum verò non conſiſtat, nec iam poſſit in melius proficere ſupereſt vt recedat in deterius. Ita præcipit pleniorem illam corporis habitudinem ſtatim ſolui, quo corpus nouæ nutricationis initium capiat, & inde creſcat ne lapſu ſubito conteratur: Sic illi creſcere neceſſarium eſt, vt ob id à ſummo reuocetur ad initium; remediis infirmetur, vt naturæ detur occaſio proficiendi, & langueſcat ad ſanitatem.

[r] Aphoriſ. 3. libri 3.

Si gradus reuocatur cum ad ſummum ventum eſt, accelerari debet cum ſumus in via & in procinctu vt creſcamus, & ne vis externa noſtros profectus dum ſiſtit imminuat. In bello qui ſe non gerit

fortiter, parum eſt quod non vincat, nec ab hoſte ſpolia reportet, etiam vincetur, & veniet in hoſtis poteſtatem; Res familiaris citò delabitur inter tot fortunæ caſus, & ambientium dolos, ſi non his occurrat prouidentia, conſumptiſque bonis plura ſubſtituat, & in præſidium ſibi reponat acquiſitio: qui volunt ire contra curſum fluminis, ſi laborem remittant, vndis ſe dedunt, illis vim non inferre hoc eſt pati, retrocedunt ſi non progrediantur, quis neſcit, quis non dolet corrupta natura duce, affectus ſic in vitia dilabi vt rea voluntas vbi ſemel peccato conſenſerit, vix iugum poſſit excutere, [s] vnde querula vox eius, Domine vim patior reſponde pro me; ſed quid reſpondebit, niſi bene fac & viues; ne te torrens iniquitatis rapiat, inſta, fortiter explica conceſſas tibi vires; vt vincas malum, quod à parente trahitur, vtere bono quod à Creatore tribuitur.

[s] D. Bern. ſerm. 81. ſuper cantica.

Seruo[t] Dei aut ſemper proficiendum, aut deficiendum eſt; [t] tandiu non relabimur retrò, quandiu ad priora non contendimus; vbi cœperimus ſtare deſcendimus, noſtrum non progredi, reuerti eſt: non multum intereſt, inquit Seneca, [v] vtrum omittas virtutem, an intermittas, non enim vbi interrupta eſt, manet, ſed eorum more quæ intenta deſiliunt, vſque ad initia ſua recurrit, quod à continuatione diſceſſit; Reos ſatis aperta capitis minutione lex caſtigat, quos prohibet ad ampliores dignitatis gradus conſcendere, [x] hac feritur maledictione Ruben; [y] effuſus es ſicut aqua non creſces; hæc dura ſeruitus imponitur vt ædificiis ſic perſonis altius non tollendi, quæ ius naturale vnicuique quæſitum infami nota deiicit.

[t] Id. ad fratres de monte Dei. D. Auguſt. ep. 241.
[v] Epiſt. 71. 72.
[x] Can. de his diſt. 58. & 1. q. 1. can. ſi quis.
[y] Geneſ. 49.

Poſtquam corpus ad ſummum incrementum peruenit, in eo quod ſequitur tempore [z] omnibus iam partibus ſupra iuſtum ſucceſcentibus, non ſolum cuiuſque officium minus probè adminiſtratur, ſed etiam ipſum corpus macilentius, gracilius atque rugoſius redditur, artuſque omnes fiunt inualidi, quæ affectio appellatur ſenectus, ipſi marcori plantarum, prouenienti ob ſiccitatis exceſſum, quadam proportione reſpondens. Dum autem corpus incipit ſibi non amplius creſcere, vltimumque incrementi ſui terminum attigit, defectum hunc abundè natura compenſat per generationem & multiplicem indiuidui propagationem, ſic enim dum incipit in ſe minui, viuit & creſcit in ſibi coniunctis. [a] Ipſa ſenectus vel naturalis, vel Religioſa per abdicationem externorum fit conſiliis vtilior dum illi multum non eſt cum corpore, imitatur Angelos qui patres [b] dici poſſunt eorum quos purgant, illuſtrant, perficiunt, heroïca diuinaque generatione fœcundi.

[z] Galen lib. 1. de ſanit. tuenda.
[a] Vide lib. 1. l. 15. §. 2.
[b] D. Thom. 1. q. 45. a. 5. ad 1.

Digitized by Google

Incrementum ſit ſenſim & per gradus.

§. 5.

ENs naturale, ſicut probatum eſt, [c] innatis tum materiæ tum exiſtentiæ ſuæ paſſionibus, appetit augmentum, cum ſine eo non ſit, non agat, finem ſuum non aſſequatur, nec conſeruari poſſit tam in indiuiduo quam in ſpecie. Hic tamen appetitus omnium caput, ne feratur impetu, non eſt relictus agentium ſecundorum arbitrio, ſed procedit certis modis & legibus à natura cuilibet generi, vt æquiſſimè ſic neceſſariò præſcriptis. Diximus [d] res quantitate molis exiguas naſci, nec enim plures generans, vt tutius ſpeciei prouideatur, ſingulis ampliorem materiam valet ſuppeditare, nec debet in fœtum ſic effundere ſubſtantiam ſuam, vt vno exhauriatur beneficio. Paruas ergo res naſcentes, paruum decet alimentum, nam abundantius non foueret, ſed vt ex ſcintilla primò naſcentem ignem, magna lignorum congeries ſuffocaret; & cum ad menſuram alimenti fiat incrementum, ſub debili ſibique ſenſim accreſcente nutritione, etiam paulatim corpus & vires augeri neceſſe eſt; ſic infirmum naſcens animal, & modulatis profectibus ſurgens in debitam ſuæ ſpeciei dignitatem, tranſit per omnes ætatis gradus, & in id omne quod illi proprium eſt exercitatione diuturna perficitur.

c Supra. §. 1.

d Supra lib. 1. l. 16. §. 1.

Quid in his diuerſa nobis fingimus, vnicum eſt, continuum, ſerie nunquam interrupta naturæ beneficium, ſtillat enim vires, quæ materiam capaciorem efficiant, vt ampliori, maioraque capienti, plura pro recipientis merito largiatur. Magnum diuinæ prouidentiæ mundo præſidentis argumentum, ſed & ſummæ bonitatis quæ diues in omnes totum dare parata, ſi totum potuiſſent continere: è glande radix prodiens occaſione captata ſoli humidioris, ſe terræ inſinuat, inde firmior effecta, locum quem ſemel occupauit, inuicta retinet, tantaque per ætatem firmatur propagine, vt vim ventorum non timeat ſic fundata quercus. Quis illam ducentorum annorum adultam, cum tam alta, tam explicata radicum vbertate, ſolo mandare, cohærentem ſtatim efficere potuiſſet, & nouam aduenam antiqui municipij priuilegiis donare? Olim Saturnus [e] in laneis compedibus viſebatur, eo quod res complicata & conſtricta naſcens, proceſſu temporis facilè grandeſcit, ruptiſque mollibus, quibus detinetur naturæ vinculis in optimos erumpit profectus.

e Macrobius Saturn. lib. 1. c. 8.

Si ſtatim plantis & animalibus totam quam decurſu temporis

Digitized by Google

conſequi poſſunt amplitudinem natura concederet, hoc obtento perfectionis ſuæ termino, deinceps nihil ſibi poſſent conquirere, eorumque tota vis torpeſceret, ſolum minui non augeri nata; at cum paulatim adoleſcunt & perficiuntur innato ſibimetipſis amori plurimum indulgent, non mutuata tantum, ſed acquiſita ſibique magis propria gaudent bonitate, in diuerſis ætatum gradibus conſonant ad harmoniam, conferunt ad pulchritudinem vniuerſi. Quid decentius, quam vt extrema concordent; & ſicut imminutio ſic accretio certis procedat gradibus; & pro numero rerum deficientium aut decedentium, pares ſubſtituantur.

Lex iſta naturalis iure gentium ad humanos mores tranſlata fuit, Nam obſeruatum eſt vt corpus, ſic animum ſucceſſu temporis formari, perfici, vnde non permittuntur ſibi adoleſcentes, nec efficiuntur ſui iuris, donec, inquit Plato, [f] in ipſis conſtituta ſit optima quædam Reſpublica ſub imperio rationis partis nobilioris: Impuberes [g] quamuis neceſſitas penuriæ hominum cogat, ad honores non eſſe admittendos; concuſſionis crimen incurrere [h] qui à tyrone munus accepit euitandi tyrocinij cauſa; Nouitios [i] in religione non recipiendos ante annum probationis; velut artes virtuteſque ipſo temporis curſu accreſcant, & ad perfectum adducantur. Sic tam in ſæculari quam Eccleſiaſtica politia receptum eſt, honores gradatim conferendos, [k] & ad maiorem non perueniri niſi per minorem. Caſum enim appetit qui ad ſummi loci faſtigia poſtpoſitis gradibus per abrupta quærit aſcenſum; In ordinibus itaque conferendis præſcripta ſeruanda ſunt interſtitia. Ex Apoſtoli præcepto [m] ad Epiſcopatum neophyti, ideſt nouiter conuerſi non ſunt admittendi; prius magiſtri quam diſcipuli, duces quam milites, cum ſibi non ſufficiant, qualiter prouidebunt cæteris? Etiam imperiti ſuperbiunt velut habeant innatum genij ſui præſtantia, quod cæteris conferre ſolet eruditio.

[f] Lib. 9. de Republ.

[g] l. 2 ff. de iure immunit.

[h] l. 3. C. de cõd. ob tur. cauſ.

[i] Cap. non ſolum. de reg. Iur. in 6.

[k] l. vt gradatim ff. de muner. l. honor eod.

[l] Can. ſicut diſt. 48. D. Gregor. in regiſtro lib. 4. ep. 50.

[m] 1. Timoth. 3.

Dum ſuperior dignitas cedit in præmium inferioris benè geſtæ, cunctos ſpes continet in officio, exercentur, probantur, æmulatione proficiunt. Habet Reſpublica quo plurimum candidatorum votis ſucceſſiue ſatisfaciat, quo bene meritis diutius ſit benefica, quo ſe per ſaltum promouere volentibus opponat, tota in legem reiecta repulſæ inuidia. Hæc dignitatum ſucceſſio fouet maximam inter diuerſos dignitatum gradus concordiam, ipſo namque progreſſu qui geſſit officia minima, cum illis validum quia primæuum ſeruat affectum conſentit cum paribus communis boni ratione, ad ſuperiora ſe præparat, & in illis exiſtentes miniſtros, ſuos aliquando futuros collegas, his officiis, quos ſibi volet reddi, promeretur.

Digitized by Google

Aucta nolunt minui, eleuata deprimi.

§. 6.

CReatum omne à ſupereminente cauſa procedens, vt origini ſuæ reſpondeat, excellentiam appetit,[n] & naturæ ſuæ ſortem ſupergreſſum æmulatur ſuperiora: aduolat cœlorum ſphæra[o] rapidiſſimè, vt quantum fieri poteſt, vbique ſit tota ſimul, vbicumque tota ſimul eſt anima, inquiunt Platonici, & quia nuſquam reperit ſtantem animam, quieſcit & ipſa nuſquam, & ſicut anima circa Deum aſſiduè circumuoluitur quaſi circa centrum, ſic corporis ſphæra circa animam à qua trahitur. Hunc eumdem circuitum ignis & aër ſequuntur in parte ſua ſuperiori, & occeanus licet imperfectè ſuo fluxu & refluxu. Vnionem perfectam, vnitatis indiuiſæ quandam imaginem natura ſibi fingit in auro penè homogeneo. Quædam animalia mutantur in alia perfectioris ſpeciei, vt erucæ & bombices in papiliones. Franciſco I. Regi Galliæ[p] concha allata eſt in qua videbatur piſcis penè in auem conuerſus. Denique demonſtratum eſt omnibus ineſſe validum appetitum incrementi & augmenti.

[n] Supra § 1.

[o] Marſil. Ficin. theol. Plato lib. 4. c. 2.

[p] Scaliger de ſubtilitate exercit. 59.

Ex his licet inferre, ſi res ex imis naturæ gradibus ad ſuperiora nituntur, & ad ea ſuperatis obicibus perueniunt, eadem vis facilius ſibi conſtabit ne deiiciatur, & aſſeret quod promouit; nam ex Ariſtotele acquiſitio vt operoſior viris eſt propria, fœminis conſeruatio, quippe facilior, & paſſim in iure[q] facilius retentio, quam actio conceditur. Si ad id quod melius & ſuperius eſt tendit natura, certè non fertur in contrarium, nec abdicato quem occupauerat eminentiore gradu, volens ſe dimittit ad inferiorem, & libera ſe mulctabit proſcriptione. Ab orbe condito cœli & elementa aſſignatas ſibi ſuperiores regiones pro gradu ſuæ dignitatis retinent; vapor intenſè calidus & ſiccus qui mediam aëris regionem illæſus peruaſit, ignem ex ætheris vicinitate concipiens, mauult illic ſplendidè conſumi quam deſcendere: terræ moles quas incluſus ſpiritus dum erumperet euexit, obſtinata duritie ſuam vindicant altitudinem, & vt intelligas quantum illis placeat, montes rerum omnium ſunt feraces[r] quaſi ne explanentur vellent eo pretio vim humanam redimere. Non redeunt in vermem apes; in exiguos originis ſuæ fontes, fluuij; aurum quod longo ſæculorum opere natura perficit, non reſoluitur in ſulphur, mercurium, aut ignobiliores materias quæ fuerunt ſuæ formationis rudimenta, ſed ipſis etiam ignibus manet inuictum. Creſcit corpus noſtrum diuturna per ætates alimentorum acceſſione, non

[q] l. 16. ff. de ritu nupt. l. 20. ff. de ſtatu hom. &c.

[r] Vide ſupra lib. 1. l. 4. §. 2.

Digitized by Google

ſic minuitur poſtquam attigit vltimum augmenti ſui terminum ſed oſſa & membra vitam potius, quam acceptam ſemel quantitatem amittunt.

[s] l. 2. C. quemad. ciuilia munera inducant.
[t] l. 2. & 3. ff. de aduoc. diuerſ. iudicior.
[u] l. 1. C. ne quis liber. in.
[x] Sueton. in Galba. c. 12.

Inde nata lex ciuilis [s] qua maioribus honoribus functi, ad minores non reuocantur; ſic aduocationem fiſci deponens, [t] poſtea non cogitur viliorem conditionem ſubire; Liber homo non poteſt cogi [u] ad adminiſtrandum Reipublicæ actum, qui à ſolis ſeruis ordinariè præſtatur. Inde Galba ſæuus, [x] & omnium odio dignus habitus eſt, quod claſſarios quos Nero ex remigibus iuſtos milites fecerat, redire ad priſtinum ſtatum cogeret, & recuſantes non modo immiſſo milite deiiceret, ſed & decimaret.

Dignitas eſt pars integrans immortalis corporis Reipublicæ quæ ſic non moritur; vnde ſeu dignitatem homini, ſeu hominem dignitati Reſpublica dederit, perpetuum munus cenſendum eſt, & ſi crimen abſit, non reuocandum. Vt enim præmium eſt extolli, ſic pœna deprimi, quam irrogare bene meritis iniquum eſt; & eleuaſſe vt lapſu grauiore ruant; coronaſſe vt victimas ad necem. Caput tentatur vertigine cum abyſſos, non cum magnam ſupra ſe altitudinem aſpicit, Ita magnarum rerum ſpecies humanum animum ad ſe vocat, deterret autem & ſupplicium eſt è gradu vel præſumpta deiectio. Putaſne magnis aſſuetum negotiis animum ad minima demittere? velut indignæ materiæ non adhærebit, nec ciuile compoſitum efficiet; minutias illas contemnet, etiam agenda non videbit vt oculus ex magna luce prodiens, minus illuſtrata percipit velut obſcura & tenebris obſita. Poſſunt quidem publicæ dignitates præcariò & pluribus ſucceſſiuè concedi, ſed ita tamen vt recedentibus honor ex munere depoſito ſuperſit. [y] Rhodi Solis coloſſus [z] terræ motu proſtratus, iacens quoque miraculo fuit; & quos lex vel fortuna magnis honoribus rectè functos ſeponit, æquum eſt ſemper ſuſpici & clariſſimos haberi, cum attonito ſplendore viguerint, inquit lex, [a] excipi debent acclamatione ſolita, nec prætereantur vt incogniti. Sic æde ſacra [b] terræ motu diruta, locus ædificij non prophanus, ſed manet ſacer.

[y] l. 1. C. de adu. diu. ind. l. vni. C. de cemit.
[z] Plin. lib. 34. c. 7.
[a] l. vnic. C. de quæſtorib.
[b] l. 6. ff. de rer. diuiſ.

Exploſa fuit velut ridicula ſibimet contradictoria Pythagoreorum opinio, aſſerentium humanas animas poſt aliquot ſæculorum reuolutiones guſtata Eliſæorum fœlicitate, iterum teneri huius mortalis vitæ deſiderio, & in corpora velle reuerti; quis enim in hominis beatitudine quæ potiſſimum in intellectuali luce conſiſtit, admittet tantam intellectus cæcitatem, & affectuum prauitatem, vt non intelligant ſortem ſuam, & melioribus relictis, ferantur ad deteriora. Conſtat apud Catholicos [c] beatum non poſſe pro ſuo arbitrio ceſſare à viſione beatifica, quia nemo poteſt velle ſe non eſſe beatum, ſi

[c] D. Thom. 12. q. 5. a. 4.

Digitized by Google

ſi enim hæc voluntas non eſt in via , multo minus in patria , tunc enim poſſidetur infinitum bonum in quo omnia creata bona eminenter continentur ; beatus etiam non poteſt efficere vt lumen gloriæ ceſſet & non eleuet intellectum , nam hæc motio eſt ſupernaturalis & præuenit libertatem arbitrij : mouet autem neceſſario , quia non pendet à ſpeciebus rerum creatarum ſed ab eſſentia diuina quæ loco ſpeciei concurrit.

Quandiu ſumus in hoc tabernaculo non ſic Deus illuceſcit in cordibus noſtris, non ſic æternis ſuis ſplendoribus mentis noſtræ tenebras & inconſtantiam diſcutit, vt illi neceſſariò & totaliter adhæreat. Præcipit ſoli [d] & non oritur , & ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo. Deus tamen lux eſt [e] quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Bonitas, [f] quæ vult omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire; Gratiæ ipſius opitulatio,[g] per innumeros modos ſiue occultos, ſiue manifeſtos omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ , quod à multis ſuſcipitur , & gratiæ eſt diuinæ , & voluntatis humanæ. Sic exclamat D. Auguſtinus. [h] Te Deus meus nemo amittit, niſi qui dimittit. Quanta mentis peruerſitas Deo propitio, ipſam ambienti, donis innumeris promereri volenti, repulſam dare; conceſſas ab eo coronas per contemptum proiicere vt ſe tradat diræ ſeruituti. pœnis temporalibus & æternis torquendam , vt inuito naturæ ductu aucta velit minui , eleuata deprimi. Mihi adhærere Deo bonum eſt , inquit Propheta. Ipſum complecti charitate quæ non excidit, quæ conſcendens montem domini , ſtat in loco ſancto eius , ſtabilem beatorum ſortem æmulata : hinc dilabi turpe & nefas ſit , vir fortis animo ſemper erectus placiduſque ſe dimittit ad humilia cum ſic prouidentiæ ratio tulerit, at inſtar lucis hæret origini ſuæ etiam dum contingit infima vt ſanguis dum in corpore vita fouetur , vt fontes quandiu vitali terræ ſpiritu venas ſuas implent , alta pariter & depreſſa æqua diffuſione peruadunt , ſic æquo pede vir bonus terit altas & deiectas fortuitorum ſemitas ; pretium ſui non accipit ab opinione , dum vacat ab externis quæ ſuſpiciunt homines , non propterea deiicitur , ſed gaudet experimento ſui , externorum independentia , in libertatem ex ſeruitute , in tutum ex inſidiis, etiam in ſublime conuolat , nam excelſus Deus humilia de propinquo reſpicit, & hominem à terrenis gratulabundus excipit velut dilecti filij ſui viuentem imaginem.

[d] Iob. 9.
[e] Ioan. 1.
[f] 1. Timoth. 2.
[g] Proſper. lib. 2. de vocat. Gent. c. 26.
[h] lib. 4 confeſſ.

[i] Vide lib. 1.

Augmentis poſitus eſt terminus. [i]

§. 7.

VT cœli & elementa finitas & ſuis terminis circumſcriptas habent ſphæras; ſic omnia viuentia ſunt in determinata quantitate, inter duos terminos maximi & minimi quos citra miraculum non excedunt. Nam in natura ſicut in arte certa debet eſſe organorum diſpoſitio inter ſe, potentiiſque mouentibus commenſurata. In India [k] ſunt arbores tantæ proceritatis vt ſagittis ſuperari nequeant; ſunt arundines quarum ſingula internodia alueo nauigabili ternos homines ferant; Miratur Plinius [l] trabem è larice altitudinis 120. pedum, quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo faſtigium ad cacumen æſtimantibus. Has excelſiores arbores, [m], vt naturæ ſummum opus, mos erat numini ſacrare, ſicut Elephantem [n] omnium maximum coronis decoratum, in India Alexander Soli dicauit. Hæc facit vbertas ſoli, temperies cœli, aquarum abundantia, & hic dici poteſt vltimus vegetantium terminus vltra quem non procedunt.

[k] Plin. lib. 7. c. 2.
[l] Idem l. 16. c. 40.
[m] Idem lib. 12. c. 1.
[n] Philoſtr. in hermis.

In mari [o] ſunt animalia maiora terreſtribus, quia ſunt tantum in elemento ſibi proprio humido, ad dilatationem facili; eximuntur etiam à vi ſolis qui plurimum alimenti conſumit; ſed tamen Delphinis, orcis, phocis, balænis, beſtiis cæteris, vnicuique pro ratione ſpeciei, ſua finita conſtat magnitudo. Referunt ſæpius effoſſa gigantum oſſa [p] ex quorum proportione apparebat aliquibus corpus fuiſſe ſeptem, nouem, etiam triginta & quadraginta ſex cubitorum. Tantæ molis cauſa petenda videtur à gignentium exuberanti conſtitutione, & ſimul à ſtatu cœli, luna creſcente plenitudini proxima, cæteris planetis in ſuis apogæis & in ſignis longæ aſcenſionis exiſtentibus; hora conceptionis & natiuitatis aſcendente parte prima alicuius ex his ſignis. Fatum vniuerſi notat decurrentibus magnis annis quorum quilibet eſt 360. annorum ſolarium, apicem cœli cum ſole maximo planetarum, perueniſſe ad horoſcopum qui eſt in cancro, cum ante diluuium gigantes dicuntur fuiſſe ſuper terram. Stupenda & prodigioſa hæc eſt humani corporis altitudo, limitata tamen, eſt enim velut littus, [q] ad quem maximus naturæ fluctus peruenit. Exploſa Poëtarum, in magnis ſemper ludentium fabula, de Oreſte, Encelado, Antheo, Poliphemo, cæteriſque gigantibus cœlo bellum inferentibus, conſtat ex veris hiſtoriarum monumentis, ſtaturam hominis altiſſimam ad ſeptem aut octo pedes excreuiſſe; ſolitam videmus intra quinque aut ſex, ad quam pro ratione temperamenti ſe natura producit;

[o] Ariſtot. problem. Plin. lib. 6. c. 2.
[p] Plin. lib. 7 c. 16. Philoſtr. in heroicis.
[q] §. 2. Inſt. de rer. diuiſ.

lento gradu, ne diutius vacet in accretionis breui termino.

Augmentum fieri dicit Galenus, [r] quouſque oſſa confirmentur, confirmantur autem, inquit, in exigua magnitudine ob materiæ defectum & ſiccitatem, cum pars cui facienda eſt additio, in tantum induratur proceſſu temporis, vt extendi non poſſit, & tunc ſtat augmentum in longum, & tandem ex eadem cauſa ſtabit etiam in latum & in profundum. Sed etiam induratis oſſibus in parte ſuperiori, videmus in inferiori adhærentes tendones qui ſenſim in os firmantur, quod autem ſic continuè non accreſcant, non eſt prima cauſa ſiccitas cui alimentis ſuccurritur, ſed ipſius ſiccitatis eſt inquirenda ratio. Stat augmentum, inquit Albertus, [s] 1. quia humidum ſeminale ex aliqua ſui parte miſcetur humido addito, & cum non ſit in infinitum extenſibile tandem deficit. 2. quia calidum naturale quod eſt finitum, non poteſt protendi vltrà menſuram ſuæ eſſentiæ. 3. externum humidum ſemper retinet aliquid de natura extranei, ſanguis enim de lactuca generatus frigidus eſt, & caro erit frigida, ideò continuè debilitatur calidum, & deficit accretio; defectum hunc à defectu potentiæ naturalis pendere patet in eo quod fœminæ incrementumdeſinit anno 21. aut 22. maribus tantum anno 27. licet fœminæ citius adoleſcant ob materiæ tenuitatem.

[r] Libro de optima corporis conſtitutione Albert. magn. lib. de Vegetab. tr. 1 c. 1.

[s] Idem de generat. & corrupt. tr. 3 c. 15.

Creſcit aliqua ratione mundus per multiplicationem indiuiduorum, ſic enim magis accedere videtur ad infinitatem principij; [t] quia tamen ſemina ſunt certo numero determinata, certo temporis ſpatio tranſeunt & omnia, ſit recurſus ad principium, ſecundum Platonicos [v] annis ſex & triginta millibus ſolaribus. Cum omnia ſint in omnibus, [x] ſic vt pars totum referat, huic extremæ rerum renouationi præludit ſol annuo reditu ad primum punctum arietis; dum etiam creſcit & decreſcit à duobus tropicis, quos exprimebant Ægyptij per duos canes velut cuſtodes qui prohiberent eum vltra progredi. Nec lunam certos excedere luminis orbes, ſed ſeruare modum quo creſcit atque recedit, inquit Manlius. [y] Cum animalia cætera citius creſcere quam nutriri deſinant, ſolus crocodylus, quandiu viuit creſcit, [z] & ideo licet infenſiſſimus homini, fuit apud Ægyptios in honore, [a] non ſolum quia talium beſtiarum aquas occupantium terrore, ab Arabia atque Lybia latrones in Ægyptum nare nequeant, ſed maximè quia referunt mundum, tandiu rerum generationibus creſcentem quam durantem, accretionis & exiſtentiæ pari fato, tandem tamen deſiturum.

[t] Vide lib. 1. l. 2. §. 1.

[v] Plutarch. lib. de placitis Philoſophor. Marſ. Ficin. Theolog. Plato. lib. 4. c. 2.

[x] Vide lib. 1. l. 4.

[y] lib. 1. c. 5.

[z] Plin. lib. 8. cap. 25. in fine.

[a] Euſeb. Cæſarienſ. præpa. Euangel. lib. 2. c. 1

Hominem diximus [b] eſſe paruum mundum, ſed æui breuioris, cum tamen idem illi ac magno mundo propoſitus ſit finis, ſcilicet imitari, & quod amplius eſt conſequi mundum Archetypum, magnum opus illi, paruo tempore conficiendum; properet igitur, dies & annos celeritate & aſſidua mentis intentione præueniat, creſcat

[b] Vide l. 1. l. 4. §. 3.

Digitized by Google

ſine mora virtutibus & meritis, reſpondeat gratiæ, ſacris affectibus anticipet æternitatem momento cuncta complectentem; quandiu viator eſt, currat in odorem diuinæ ſuauitatis, vt hoc breuis vitæ, curriculo, Deo dignus efficiatur. Liceat ſacratiſſimis hiſce motibus terminum non ponere, quia tendunt in infinitum cuius gratiæ beneficio ad vlteriora ſemper protenduntur; at abominanda mundanorum in congerendis pecuniis, dignitatibus, voluptatibus, indeficiens, & nuſquam ſatiata cupiditas. Breuiſſimum iter vitæ, infirmas iam ad illud vires, inquieto, ſuperfluo, etiam oneroſo torquent viatico. Hæc malè parta, vitam minuunt, augent reatus, etiam à poſteris in caput noxium redituros; tandem propriis ſe conficit viribus, qui, vt ait Propheta, * dilatauit ſicut infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors non adimpletur.

* Habac. 2.

VIVENTIA NORVNT SVAS ET HOSTIS ſui vires.

Lex 11.

Diuina prouidentia, quam naturam vocamus, viuentia præmuniuit duabus internis potentiis; quibus ſeu pace ſeu bello neceſſaria conquirunt ad ſui conſeruationem. Horum affectuum primus dicitur concupiſcibilis qui præſtat animanti vt ſecreto ſympathiæ ſenſu percipiat quæ ſibi conueniunt & ad ea ſibi comparanda, miris voluptatis illecebris inclinetur, impendatur. Ita ſeligit locum ſui conſeruatiuum, alimenta congrua, ſimilium ſocietatem, organorum quibus præditum eſt habet vſum facilem; ſeruat agendi modum legitimum, ſequitur motus ſibi familiares; & motu locorum diſtantiam ſuperans, mittitur in boni ſibi conuenientis poſſeſſionem. Hæc & ſimilia pertinent ad naturam quam diximus liberam, cum ad ea ſponte ſua, nullo cogente, ſolo ſe conſeruandi propagandique deſiderio feratur.

At cum mundus dicatur à Platone ludus Deorum, quia ſpectaculum exhibet agentium omnium velut paribus armis decertantium, vt nulla res ſit vel tam excelſa, vel tam humilis quæ non patiatur hoſtes ſibi plurimum infenſos, neceſſe fuit ad tutelam potentiæ concupiſcibilis, iraſcibilem aduocare, quæ concupitis obſtantia ſuperaret. Inde ſumptum illud Imperatoris Iuſtiniani, [c] Imperatoriam maieſtatem non ſolum armis decoratam, ſed etiam legibus oportet

c In proœmio inſtitutio.

Digitized by Google

eſſe armatam, vt vtrumque tempus & bellorum & pacis rectè poſſit gubernari, vtque legibus vim & authoritatem arma, armis ne temerè deſæuiant, ductum modumque leges conferrent. Hanc togatam militiam, virium & ſapientiæ fœlicem mixturam, in qua cuiuſlibet rectè conſtitutæ Reip. poſita ſalus expreſſerunt Poëtæ per armatam Palladem, curioſè notarunt Aſtrologi [d] in mercurio & marte ſoli iunctis naſcente mundo; Id conſequuta eſt Roma, dum non minus ſcientiis quam armis florens, imperii ſui limites longè lateque protendit. Huius familiarem idæam habemus in natura, quæ potentiæ concupiſcibili iunxit iraſcibilem, & ne decertatio, furor eſſet præceps in pericula, voluit vnumquodque noſſe quid poſſit & valeat.

[d] In fato vniuerſi.

Sentiunt animalia quid poſſint & valeant.

§. I.

PArum eſſet naturam inſtruxiſſe quodlibet animal exquiſitis potentiis & organis [e] ad eliciendas actiones ſuæ ſpeciei proprias, niſi ſubiunxiſſet arcanum quendam impetum, quo percipit collatas ſibi vires, vt eas impendat in opere. Norunt omnia quid potiſſimum valeant, ſibi fida, naturæ grata, quam prouidentem, intelligentem, parentem optimam hoc intimo munerum ſuorum ſenſu teſtantur. Conſtat motiones illas animantibus ineſſe, non per acquiſitos ſed per inſitos & implantatos eſſentiis habitus, cum vides pullos anatum & anſerum ſtatim vt ex ouo prodierint, aquis ſe committere quas horrent cætera volatilia nandi facultate non prædita; paruus equus nondum ſolidis vngulis calcitrat; taurus paruus nondum habens cornua fronte ferit, vnde patet, inquit Galenus, [f] animam vtentem particulis earum vtilitatem noſſe, vt quas ipſa conſtruxerit; At cum vires adoleuerint, eas intelligere ſatis oſtentat taurus rauco minacique mugitu, crebra frontis iactione præludens certamini, quod fortis furenſque ſubit ſolus contra ferarum impetum pro totius ſui gregis tutela. Intelligit falco volatus ſui pernicitatem, cum momento tenens altum, indeque ruens iteratis ictibus ſternit ardeam, aueſque cæteras corporis magnitudine, viribuſque longe ſuperiores: ſic muſtellæ & viueræ inſiliunt in cuniculos qui celeritate viribuſque præſtantiores hærentem dorſo beſtiolam, infixoque verſus aurem morſu pertinacem, velut prædam auferunt, ſed cui, citò dolore victi, ſuccumbunt. Galli in quacumque domo ſunt, regnum ambiunt aſſidua dimicatio.

[e] Vide ſupra. l. 4.

[f] Lib. de fœtus formatione.

Digitized by Google

ne, velut ideo tela agnata ſuis cruribus intelligentes. Nouit torpedo vim ſuam [g] ipſa non torpens, merſaque in limo ſe occultat, piſces qui ſupernatantes obſtupuerint, corripiens.

[g] Plin. lib. 9. c. 4.

Quis venator etiam fruſtratus gaudens non ſpectet iactabundam leporis celeritatem, ſecurus fidenſque non quærit nemorum latebras ſed medias tenet planities, velut ad curſum equos, caneſque prouocans; ſi par non inuenerit paucis ſaltibus magnum iter emenſus, ſedet & à longè venientes expectat, tarditatem illis exprobrans, gaudenſque ſuæ celeritatis iterato ſæpius ſpectaculo. Si magna canum vis vrgeat, ſubit proximum collem quem velut planitiem decurrit, quia poſteriorum pedum expanſa longitudo, ſic æquat loci decliuitatem, vt corpus recta procedens, ad ima pondere ſuo non declinet. Indiam petenti Alexendro magno, [h] Rex Albaniæ dono dedit inuſitatæ magnitudinis canem, cuius ſpecie delectatus, iuſſit vrſos, mox apros emitti, ipſo contemptu immobili iacente, ea ſegnitie tanti corporis, offenſus Imperator generoſi ſpiritus, eum interimi iuſſit; Nunciauit hoc fama regi, itaque alterum mittens, addit mandata ne in paruis experiri vellet, ſed in leone, Elephantoue, duos ſibi fuiſſe, hoc interempto poſtea nullum fore, nec diſtulit Alexander, leonemque fractum protinus vidit; poſtea Elephantum iuſſit induci; tunc horrentibus per totum corpus villis, ingenti primum latratu intonuit, mox ingruit aſſiliens, & aſſidua rotatione afflictam beſtiam cadentem confecit. Sentiebant canes illi vires ſuas, quibus iraque ſua indignum reputabant hoſtem ignobilem, Athletarum ſimili vanitate, qui volunt fortioribus componi, quia ſic fortiter ſuſceptum certamen, certam ſuam habet gloriam, licet victoriæ fortuna non conſenſerit.

[h] Id. lib. 8. c. 40.

Qui ad rem quampiam aptus eſt, habebit, inquit Ptolomæus [i], huiuſmodi ſignificationis ſtellam admodum potentem in ſua genitura; præcipiunt etiam diligenter obſeruare quo ferat genius, quem notant [k] in gradu, inter horoſcopum & partem ſortunæ medio; ſed quid opus eſt obſeruationibus aſtrologicis, cum virium ſuarum conſcia mens impetu naturali feratur in id quod fœliciter implere poteſt, & hinc adoleſcentum indolem explorari Plato præcipit. Auguſtus iuuenis potentioris ſui genij occulto ſenſu, [l] Marcum Antonium paris ætatis ludo ſecurus prouocabat tunc ſemper victor, eo quod talis futurus eſſet in poſterum. Athanaſius puer [m] cum coætaneis ludens ſolebat agere perſonam Epiſcopi, quam poſtmodum mira fortitudine contra vires coniuratas hæreticorum & Imperantium ſuſtinuit.

[i] Centiloq. n. 3.

[k] Marſ. Ficin. lib. de vita cœlit. comparanda cap. 23.

[l] Cœl. Rhodig. lib. 2. cap. 10.

[m] Baron. an. 311.

Probat Tertulianus, [n] animam quæ ſenſibus omnibus ſenſum præſtat, ipſam ſui ſenſum ab initio ſortitam eſſe; Nam ideo ratio-

[n] Libro de carne Chriſti. c. 12.

Digitized by Google

nalis eſt, quod ſe ratione præditam, & ad diuina natam intelligit, facta ſcilicet ad imaginem Dei, qui nunquam vacat ab infinitæ ſuæ perfectionis contemplatione. Inde magnis animis; quos humana paſſionum labes non infecit, ineſt in arduis ſumma ſecuritas, inuicta fortitudo, æſtus quidam, quo, màris inſtar, prius accreſcunt ſibi, quam in externa diffundantur. Exiſtimare ſe dignum magnis, magnanimitas eſt, [o] qua ſibi fidens animus ſpe futuri præſentium vim hoſtilem ſuperat, Cum enim rei non poſſibilis, non ſit appetitus, ad magna non contendet, niſi qui ad ea vires ſibi putat ſuppetere.

[o] Ariſt. 1. Rhetorio. cap. 12.

Antiquum illud ſapientiæ dogma, noſſe teipſum, non minorem exigit notitiam perfectionis, quam defectus, bonus ſe bonum agnoſcens, fortis fortem, agit opus Iuſtitiæ, & vt aliis, ita ſibi reddit quod ſuum eſt: nec enim menti propriæ detrahit, aliis officioſa charitas. Cauendum præcipit Vegetius, [p] ne dubitans aut formidans exercitus producatur ad pugnam, aget enim prout ſibi confidit, & victoriam ſibi fortiter ſpondens conſequetur, ſeu imaginationis vi, quæ vt ait Paracelſus, [q] multum poteſt in ipſis & in aliis, ſeu futuri præſcia mens occulto ſenſu, belli fata præueniat. Denique generoſos curſus niſi confidentia magna non appetit, nec ſine diuinitatis ſuæ ſenſu, mens ad diuina ſuſtollitur.

[p] Lib. 3. de re militari cap. 9. & 11.

[q] Lib. de philoſophia occulta.

Niſi te Deo æquaueris, Deum nunquam intelliges, inquit Triſmegiſtus, [r] nam ſimile ſemper à ſimili ſuo cognoſcitur; extende teipſum in magnitudine ſine termino; emerge ex corpore, totum ſupergredere tempus, æternitas eſto, ſic Deum agnoſces, impoſſibile nihil in te ſupponens, teipſum immortalem puta, comprehendere cuncta potentem, ſcientiam omnem, atque omnem pariter artem, omni ſublimitate ſublimior eſto, omni fundo profundior, adeſto ſimul cœlo, terræ, mari, vt eſſentia ſic cognitione & affectu cuncta ſupergreſſus Deum attinges. Sed non ſine Deo, quod ad huius philoſophi confidentiam addendum eſt, vt enim per ſolis lucem licet cuncta diſcernere, ita ſpirante Deo cuncta conſequi; omnia poſſum, inquit Apoſtolus, [s] in eo qui me confortat. Vtque Deus Prophetis olim variam rerum humanarum ſortem expertis, meritoque ſibi deffidentibus ſigna dabat quibus ſpe confirmati, leges diuinas contra vim omnem humanam fortiter vindicabant, ſic quibuſdam reuelat ipſos eſſe confirmatos in gratia [t] vt ſecuritatis gaudium etiam in hac vita in eis incipiat, confidentius, fortiuſque magnifica opera perficiant, ſuperatis vitæ præſentis incommodis.

[r] Triſmegiſt.

[s] Philip. 4. Vide ſupra lib. 1. 8. § 2.

[t] D. Thom. 3. q. 16. a. & 12 q. 112. a 5. ad 4.

Ita conſentit humilitas Chriſtiana cum animi fortitudine, vt qui gloriatur in domino glorietur, [u] ideſt in veritate, veritas quippe

[u] D. Bernard. lib. de dilig. Deo.

Digitized by Google

dominus eſt, igitur vtrumque ſcire decet, quid ſis & quod à teipſo non ſis, ne aut omnino non glorieris, aut inaniter glorieris; Cauenda ignorantia qua de nobis, minus ſentimus; Sed plus illa qua plus nobis, quam oporteat tribuimus; per hanc Dæmonibus, per aliam pecoribus ſociamur; Nimia quippe ſui confidentia inficiatur dona Dei, non petit, non obtinet neceſſaria, & cum egenum ægrumque ſe non agnoſcat; etiam oblata ſubſidia dedignatur. Si Religionis actus omnes poſiti ſunt vel in petitione, vel in gratiarum actione, impius eſt qui ſibi confidens, nec Deum datorem ſupplex agnoſcit, nec gratus reueretur. Vnde primum & præcipuum pietatis ſignum hominibus à Deo datum, fuit circumciſio, [x] quæ ſignificabat exciſionem opinionis impiæ, menti perſuadentis quod poſſet ex ſeipſa generare. Etiam in moralibus qui præſumit minus veretur, minus præcauet, plus periclitatur, [y] timor fundamentum ſalutis eſt, præſumptio impedimentum timoris: Cauenda ſuperbia quæ etiam in proſperis ſupplantat, neſcit enim ſtare, & ſi ceciderit neſcit reſurgere.

[x] Philo lib. de migrat. Abrah.

[y] Tertulian. lib. de cultu fœmin. c. 2.

Vt ſentit, ſic oſtentat natura vires ſuas.

§. 2.

OPortuit animalia noſſe vires ſuas, ne velut his deſtituta languēſcerent, non impletis ad ſui conſeruationem iniunctis muneribus, aut ne cæca præſumptione niterentur in id quod non poſſent conſequi, & amplioris boni cupiditas in ſuammet rueret perniciem. At cum vitam agant inter hoſtiles potentias, etiam neceſſe fuit inditas ſibi vires oſtentari, & palam prodire, vt hoſtis impetum prius incuſſo metu, quam inito certamine repellerent, nec ſibi tantum, ſed infirmioribus, quibus vim poſſunt inferre, conſuleretur.

Naturæ beneficium eſt, quod magnas mutationes ad ordinem vniuerſi neceſſarias deſcribat in cœlorum conſtitutione, & præmiſſis quibuſdam ſenſibilibus ſignis denuntiet, vt dilecti fugiant à facie arcus. [z] Non ſæuit ex inſidiis, ſed prædicit fulgura tonitru, terræ motus mugitibus, & ſuſpenſo ſpiritu; maris tempeſtates rauco tumultuante ex abiſſis fragore; peſtes, & cætera generis humani flagella, monſtris [a] quæ fingit ad mali venientis viuam expreſſionem. Sic arma poſuit in animalium anteriori parte vt ipſo occurſu feritas intelligeretur, & eius impetum declinarent infirmiora. Ob id exerti ſunt dentes apro, hippopotamo, Elephanto; ob id cornibus eſt armata

[z] Pſal. 59.

[a] Paracelſ. lib. 1. Sagacis Philoſophiæ.

Digitized by Google

armata ceruix, tauris, bubalis Rhiceronti, ceruis, capricornis, ſic enim vim profitetur, & minas intentat, ſicut oris toruitas, horrenduſque rictus in Leonibus, Pantheris, Moloſſis Anglicanis. Nullum animal [b] cui vngues adunci gregale eſt, ſed ad prædam ſe natum, & carniuorum præſignat.

Maximè cum ad hoſtis prædæque conſpectum efferueſcit animalium ira, [c] & ad nocendum inſurrexerint, corpora ſolitum quietumque habitum egrediuntur, & feritatem ſuam exaſperant; ſpumant apris ora, dentes acuuntur attritu, taurorum cornua iactantur in vacuum, & arena pulſu pedum ſpargitur; Leones fremunt, rugitibus intonant, & vngues prius vaginis conditos exerunt; canes horrentibus villis, voce graui rudente, oſtenſis dentibus, morſum prætentantes, minantur; inflantur iratis colla ſerpentibus; intumeſcunt veneno rubetæ; ſcorpiones reflexo ad anteriora caudæ acumine ſtillant necem, denique nullum animal tam pernitioſum natura vt in illo non appareat ira ſæuiente, noua feritatis acceſſio. Interdum vtrinque metus incuſſus auertit hoſtes à conflictu, honeſteque velut paribus armis gradum reuocant, eo tamen prius diſcedente qui ſe minus intelligit habere virium.

Quid aliud præſtat regnantium ambitio, quam potentiam & vim profiteri ſumptis ferarum ex rapto viuentium inſignibus, quaſi glorioſum ſit eſſe terrori populis, & inuidentium audaciam metu continere. Sic Imperij Romani ſignum fuit aquila, [d] Venetis Leo alatus; Hiſpanis Leo furens, ſimiliter Holandiæ, Scotiæ, Daniæ, Scythis; Angli tres habent Leopardos ſæuientes; olim Scythæ fulmen, arcum & pharetram Perſæ geſtarunt. Regibus & Conſulibus Romanis faſces, ſecures & virgarum faſciculi præferebantur: Iuſtitiam licet pacis parentem optimam, armatam tamen expreſſere; nam oportet in ciuitatibus eſſe arma, quibus etiam nolentes ad præſcriptam legibus mediocritatem metu compellantur. [e] Cedunt in maieſtatem Principis tot militum quibus ſtipantur cohortes, enſis & galea ſtemmatibus impoſita, diſtinguit a plebeio nobilem; tot honoris tituli quibus politia ſibi deuincit hominum mentes, & ſeruitutem exigit, potentiam ſignificant ſub qua videtur & ſecurior & illuſtrior vita tranſigi.

Hæc igitur rebus in pace compoſitis ad cuiuſque tutelam affectatur oſtentatio potentiæ, ſed in illam maximè vt animalia cætera feruntur homines quos ira poſſidet. Armorum, vindictæ, ſanguinis ſuppliciorum, ingens tunc illis cupiditas; flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, æſtuante ab imis præcordiis ſanguine, gemitus, mugituſque & parum explanatis vocibus ſermo præruptus, fœda viſu & horrenda facies; vt neſcias vtrum magis deteſtabile

[b] Ariſt. Hiſt. animal. lib. 1 c. 1.

[c] Seneca de iralib. 1. c 1.

[d] Chaſſanæ in catalogo gloriæ mundi parte. 1. conſid. 17.

[e] Vide lib 1. l. 11. § 3.

vitium ſit an deforme. Quidam humana feraque tranſgredientes ponunt in cœlum os ſuum, diras, horrendaque proferunt & imprecantur, Deo, ſanctis, Chriſto potiſſimum contumelioſi. Dum iudicio conſiliiſque præcluſa mens ſic agitur, natura feritatem vertit in præſidium, ſic enim territat hoſtem, & fugat furoris nihil, ne diuina quidem metuentis, metu, quanquam Teomachia ſit abominandum defenſionis genus & publicum in ſe conuertens odium; quid enim indignius quam iraſci Deo, qui malum non efficit ſed prohibet, qui omni boni largitor eſt, & à quo ſperandum erat in aduerſis auxilium? Quis furor vt vnum terreas, omnes in Deo communi parente lædere, hoſtes omnes infenſos, ob ſcelus hoc, experiri?

Citra deteſtandos illos impietatis & blaſphemiæ conatus affectarunt olim feritatem milites horrenda cæſarie, velut caput algol ſerpentibus intextum præ ſe ferentes, leonum induti ſpoliis, aſpidum & cæterarum ferarum horridis figuris impeſitis calſidi, armis etiam fulgentibus, quæ fulguris inſtar, luce maligna præſtringerent oculos, & mille modis vt terrorem ſuis hoſtibus incuterent, vires ſortem humanam excedentes, mentiebantur. Id ipſum ambit apud nobiles, plebeios, artium & ſcientiarum profeſſores commune vitium iactantia, ſic enim vnuſquiſque potentiæ & excellentiæ nomen aucupatur recenſitis rebus à ſe fœliciter geſtis, arte tamen, ne deprehenſa vanitas riſum aut inuidiam incurrat.

Quod in hoſte validum aut infirmum eſt decertantia percipiunt.

§. 3.

CVm diuerſis entium gradibus qualitates actiuas ad libram æquiſſimè prouidentia diſtribuerit, quando dicimus vnum induſtria, viribus, pulchritudine præditum eſſe; id ſemper comparatiuè debet intelligi, vt ſcilicet infimis aliquibus præſtans, nobilioribus ſubiiciatur; præualet canis lepori, ſed canem diſcerpit leo, venatur perdicem accipiter, ſed vtrumque, cum ſua præda victorem rapit aquila. Plurimum igitur intereſt animalia certamen ineuntia, noſſe vires eius cum quo congrediuntur ne temerè ſe periculis exponant, & falſa præſumptione poſſe ſe putent in omnem hoſtem quod in infirmum obtinuerunt. Antipathiæ ſecreto ſenſu agnoſcit infenſum ſibi lupum ouis, miluum gallina, accipitrem perdrix, hominem timent fera omnia; eo viſo tygris transfert protinus catulos. Elephas ve-

Plin. lib. 8. cap. 4.

ſigno hominis animaduerſo priuſquam homine, intremiſcit inſidiarum metu, circumſpectat, iras proflat, non calcat, ſed erutum proximo tradit, ille ſequenti, nuntio ſimili vſque ad extremum, & tunc totum agmen regreditur. Sic paſſeres & hirundines viſo per aërem accipitre conclamant, & cæteris receptui dant ſignum. Viſa in ſyluis vulpe, picæ & graculi, inſtant latebras petenti, & importuno clamore ex inſidiis graſſantem produnt. Docent ſpeculatorem buccina clangere cum viderit gladium venientem,* vt ſe populus cuſtodiat.

* Ezech. 33. Iſay 21.

Habent hanc etiam omnia ſolertiam vt ad occurſum hoſtilis beſtiæ, ſtatim in arena capiant conſilium, an cedendum, an certandum, & qua belli diſciplina, aliter enim moloſſus taurum aggreditur, aliter aprum, aliter lupum, vrſum, leonem, aliter elephantem, quem, vt vidimus,[f] aſſidua rotatione fatigatum, procumbentemque confecit.

[f] Supra. §. 1.

Non eadem partium omnium corporis temperies, externas occurſantibus aduerſis expoſitas natura præmuniuit cute duriori, pilis, etiam lorica, in rhinoceronte, crocodilo, teſtitudine, & cocleatis omnibus, telis in hyſtrice, & herinaceo; at cutis ſubtenſa membris in diuerſa ſe flectentibus, velut ſub axillis, vt motui conſentiret, eſſe debuit tenerior, maximè cum ferè ſemper tecta videatur extra nociui periculum Talis etiam ea debuit eſſe quæ ventrem & inteſtina ſubcingit, vt eſſet ad dilatationem facilis, cum ex cibis aut fœtu ventres intumeſcunt. Animalia quæ cum potentioribus in certamen venire cogit neceſſitas, obſeruant partes illas infirmas, & in illas valituros ſuos ictus inſidioſè dirigunt. Regnat in Nilo Crocodylus[g] vnguibus armatus, contra omnes ictus inuicta cute, morſu terribilis pectinatim ſtipante ſe dentium ſerie, illi tamen in ventre mollis eſt, tenuiſque cutis: intelligunt hanc hoſtis ſui partem imbecillam Delphini in flumen immeantes, & aſtu viribus longè ſuperiorem, interimunt; Nam vt territi mergunt ſe, ſubeuntque aluum ſecant ſpina, quæ illis ad hunc vſum ineſt dorſo cultellata. Sic Rhinoceros[h] vnico ſuo in nare cornu Elephantis ventrem ferit ſciens partem hanc eſſe molliorem. Inde dediſcit Eleazar[i] ſe ſupponere Elephanto Regio, cumque confodere, licet oppreſſus fuerit tantæ molis caſu; ſuoque ſepultus triumpho. Eandem beſtiam viribus præſtantem dracones[k] aggrediuntur, ne illos atterat, greſſus alligant cauda, in ipſa nare caput condunt, pariterque ſpiritum præcludunt, & molliſſimas lancinant partes: vel obuij deprehenſi in aduerſis erigunt ſe, oculoſque maxime petunt; bibentibus etiam inſidiantur, & nodis illigata manu, in aurem morſum defigunt, quoniam is tantum locus deffendi non poſſit niſi manu, ſic ſanguinem ebibunt, ſiccatos ſternunt, licèt ſæpè commoriantur oppreſſi.

[g] Plin. lib 8 c. 25.

[h] Id. Ibid. c. 20.

[i] 1. Macab. 6. 46.

[k] Plin. lib 8. c. 12.

Lupi vitant taurorum cornua & inſilientes à poſteriori parte prædam obtinent, dum morſus infigunt genitalibus; Muſtellæ ſicut diximus, cuniculum ferit verſus aurem, vbi ſedet vena vitæ, viriumque theſaurus. Cum aliquando foras emiſſa fuiſſet altior aqua piſcinæ, mirati ſumus plurimos vna nocte exanimatos piſces, leui verſus aurem vbi ſquamiæ deficiunt cruentato vulnere, inflicto, vt dicebatur, à Scincho, paruo animali nigreſcente ſtellionis inſtar, in aquis degenti. Leoni leontophronum paruum animal præſens eſt venenum, [l] hunc viſum frangit leo, & citra morſum exanimat; ille contra vrinam ſpargit exitialem; ſic feles necant ſpeciem quandam terreſtris muris illis peſtilentem, & quam ob modulatos ſibilos vocant muſicum. Certum eſt iuxta Nilum, canes currentes aquam lambere, [m] ne Crocodilorum auiditati occaſionem præbeant: Veterani canes leporarij præueniunt confugientem ad montana leporem. Norunt denique cuncta animalia, non ſua tantum commoda verum & hoſtium aduerſa, norunt ſua tela, norunt occaſiones, parteſque diſſidentium infirmas.

[l] Plin. lib.8. c. 38.

[m] Ibid c. 40

Quid amplius præſtare poteſt militaris prudentia, quam ipſo naturæ ductu in animalibus tam inſigni, ſuas & hoſtis vires diligenter expendere; munitiones & exercitus ea parte qua deficiunt, aggredi, & ſi non detur occaſio nec ſpes victoriæ [n] ad pacis conditiones conuerti. Iulius Cæſar exercitum per inſidioſa loca nunquam duxit, [o] niſi perſpeculatus locorum ſitus, neque in Britanniam tranſuexit, niſi antè per ſe portus & nauigationem, & acceſſum ad inſulam exploraſſet. Idem extremo tempore ad dimicandum cunctator factus eſt; quo ſæpius viciſſet hoc minus experiendos caſus opinans, niſi præbuiſſet occaſionem hoſtis, quia nihil ſe tantum acquiſiturum victoria dicebat, quantum auferre calamitas poſſet.

[n] Luc. 14.

[o] Sueton. in Iulio Cæſare.

Varij ſunt hominis affectus [p] ſecundum ætates & fortunas, præcipuum autem artis Rhetoricæ munus eſt, eos aggredi ea parte qua ratio debilis paſſioni ſubiacet; conciliare nobilem gloriæ ſtimulis, militem ſpe victoriæ & prædæ, plebeium familiæ commodis, iuuenem voluptate, ſenem præteritæ fortitudinis memoria. In tuam facilè duces ſententiam auarum pecuniis; vanum laudibus; ambitioſum dignitate, luxurioſum voluptatis illecebris, quia non tam tuis, quam naturæ fatique ſui viribus debilitatus cedet. Sic Demon primum hominem naturaliter futura cognoſcendi cupidum, facilè fecit inobedientem, tum cæteros toto Idololatriæ tempore, falſis ſimulachrorum reſponſis deluſit. Etiam illatis calamitatibus, temporalium bonorum effecit auidiores, vt eos ex ea parte debilitatos ſibi magis deuinceret. Sic accipitres fame vexamus, vt ſuperato quo prius retinebantur hominis terrore, auidius ruant in eſcas, &

[p] Arist. 2. Rheto c.12. Quintil. lib. … c. 1.

manum eas offerentem, velut beneficam agnoſcant. Sic aliqui precantur amicis [q] incommoda in quibus magis animum accepti beneficij memorem oſtendant; ad beneficium iniuria veniunt, quærunt per ſcelera locum officio, morbum & incendium excitant, vt ſedaſſe videantur, fortunam, animumque recipientis debiliorem efficiunt, quo validius ſibi concilient. [q] Senec. lib. 6. de benef. c. 25.

Quis, inquit Chriſtus [r] rex iturus committere bellum, aduerſus alium regem, non ſedens prius computat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe, alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis ſunt; ſic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Ex hac inducta ſimilitudine principis qui perpenſis hoſtium viribus, cum ſe nouerit inferiorem non exponit ſe periculis, infert pro comparanda mentis tranquillitate & ſalute renuntiandum mundo, nam potentior eſt in hac ſua ſenſibilium regione; quis enim ferat impetum vitiorum tam magno comitatu, tot populorum magnatum, ſæculorum iunctis viribus innocentiam opprimentium. Etiam fortiſſimi milites munitionem expugnari facilem, hoſti dedunt, ne in eius veniant poteſtatem, & dubitabit Chriſtianus ambitionis, auaritiæ, voluptatis abdicare titulos, plurimum integritati ſuſpectos; pati paupertatem, vt animum furoribus liberet; & relictis rebus quæ poſſident non poſſidentur, ad veras diuitias, veramque libertatem conuolare; ſic mundi & tenebrarum principis vires declinamus; ſuperabimus autem ſi ex ea parte qua debilis eſt, eum aggrediamur: Docebat Abbas Antonius diſcipulos ſuos, inquietum dæmonem mentis tranquillitate & ſolitudine; Impium, orationis aſſiduitate; inſenſiſſimum Deo & hominibus charitate, ſuperbum humilitate ſuperari; hæc ſunt arma Chriſtianæ militiæ, [s] ad deſtructionem munitionum & omnis altitudinis, extollentis ſe, aduerſus ſcientiam Dei.

[r] Luc. 14.

[s] 2. Cor. 10.

FORTIORA PRÆVALENT INFIRMIS

Lex 12.

SPiritus ille mundanum corpus implens, regens, agitans,[t] virtuſque cœleſtis inferiorum forma, latet nos, cæci ducimur; quod intus mouet arcanum eſt, ſapientiam enim Dei[v] præcedentem omnia, quis inueſtigauit. Vnum eſt quod omnium oculis patet, quod omnes intelligunt & ſuſpiciunt, velut quid præcipuum & diuinum, quia dominans, corporea ſcilicet fortitudo, viriumque præſtantia, cui quod infirmius eſt, parere cogitur. Ignis inter elementa præſtans actiuitate, compoſitum omne diſſoluit, nec ſe niſi per aliorum corporum ſtrages immanis propagat; Marini piſces vt præſtant viribus, ſic feritate; illis commune fatum, vt minores ſint in eſcam majoribus, & hæc tanta voracitas, cibique cita confectio, probat ipſos in ſe plurimum ignis,[x] etiam in hoſtili plaga victoris, continere. Ex eadem aqua primitus aues eductæ,[y] vt plurimum viuunt ex rapto; nidis aliorum inſidiatur Coccix, pullis graculus, adultis paſſeribus accipiter, hunc, Miluum & coruum falco diſcerpit, falconem aquila; cuniculos venatur vulpes, vulpem lupus, lupum leo, omnibus ſub hominis ductu, bellum indicunt canes; hinc tot impenſis ludunt Principes in auibus cœli,[z] & gaudent huius, alteriuſque venationis ſpectaculo, non innoxiè, ſi ſit ſæuientis potentiæ tyrocinium.

[t] Vide lib. 1. l. 3. §. 2.
[v] Eccleſ 6.
[x] Vide ſupra lib. 1. l. 4. §. 2.
[y] Gen. 1. 22.
[z] Baruch. 3. 17.

Illius adumbrata quædam videtur idæa in naturæ gradibus, nam ex elementatiuo viuunt plantæ, ex plantis animalia, ex minimis animalibus majora, ex imperfectis perfecta, ex omnibus homo, cui omne quod mouetur à Deo datum eſt[a] in cibum & obſequium. His dominari non contentus, etiam imperium vſurpat in ſimiles, & in æqualitate naturæ vires mutuatur à fortuna, vt poteſtatis velut legitimo titulo vim intentet. Sic currentibus magnis annis cum in vniuerſi figura[b] ventum eſſet ad ſextam domum ægritudinis, Nembroth primus mundum vexauit tyrannide, morbo deinceps inſanabili, & quo totus orbis velut diluuio conſumitur. Roma ſub influxu martis mundo naſcente,[c] apicem cœli tenentis nata, & facta rerum domina, annum incæpit, velut fœlicibus auguriis à menſe martio, marti dicato; Ex Scythis Sarmatæ adorant

[a] Gen. 9.
[b] Vide ſtatū vniuerſi.
[c] Thæ[illegible]em.
[d] Clemens Alexand. in exhort. ad gentes.

acinacem; In Lacedemone [e] Creta, & apud gentes quæ poſſunt præualere, finis eſt vt dominentur, vnde ad bellum ferè tota iuuentutis diſciplina eſt, honoreſque & præmia ſunt, quæ ad virtutem bellicam accendunt. Vbique tyrannus ſæuit in populum, Nobilis in plebeium, diues in pauperem, validus in infirmum. Rari ſunt externi caſus fortunæ, ab homine homini quotidianum periculum, [f] Nullum malum frequentius, nullum pertinacius, nullum ſplendidius, cum illuſtris poteſtatis titulo ſæuiant, & illis pro iuſto ſit quod volunt & poſſunt. At quia ſub legis naturalis nomine graſſatur hæc publica calamitas, operæ prætium eſt tanti mali cauſas & remedia diſtinctius expendere.

e Ariſt. 2. politicor. cap. 2.

f Seneca, ep. 104.

Æquum eſt debiliora pro naturæ ſuæ modo ſubiici potentioribus.

§. 1.

VT humanæ menti licet cogitationes ſuas in poſſibilia ſimul & impoſſibilia mittere, quidam quorum totus in pacem eſt genius, vim & cædes non ferens, quærunt, num conuenientius fuiſſet, creata non in ſe mutuò decertare, ſed conceſſis proprietatibus, orbe toto gratulabundo, procul ab inuidiæ fortunæque telis, frui. Anguſtæ timidæque mentes, dum hærent ſingularibus, non ſatis intelligunt mundi totius harmoniam ex contrapoſitis & ſemiuiuis, variè ſemper deſinentibus, vt dictum eſt, [g] poſitam. Non exprimeret primæ cauſæ vim producentem natura, ſed ſegnis torpenſque iaceret, niſi daretur actio, at ſimile non agit in ſimile, & fruſtrà vires explicarentur, niſi propoſitum eſſet, quod obtinerent præmium, oportuit igitur eſſe contraria, quæ decertarent in inuicem, & inter decertantia oportuit vni victoriam cedere, at cui meliori titulo concedetur, quam fortiori, ſic enim dominantis elementi, cœli, genij vicem videtur agere; ſi fictilis olla cum ferrea collidatur, æquum eſt fictilem confringi, & terram metallo duriori cedere, ſic beſtiam imbellem fortiori. Eſt ſeruitus quædam naturalis, [h] vt fundi ſub alio poſiti vnde deriuantur aquæ, & de illo damno non tenetur dominus.

g Vide ſupra lib. 1. l. 2. §. 7

h l. 20 § 1. ff. de ſeruit. ruſt. prædi. l. 1. §. 22. ff. de aqua. & aq. pl.

Si durum tibi videtur magnos in mari piſces veſci minoribus, cogita diuinam prouidentiam, quâ fit vt tot rapinis reſpondeat ſeminum immenſa fœcunditas; licet enim tot belluæ, tot aues rapaces, tot homines piſcationibus aſſiduis prædam agant in mari, non exhauriunt, nec ita ſuperfluam tollunt piſcium copiam, quin olim tynnorum multitudo, [i] claſſem Alexandri, velut hoſtis agmen, in

i Plin. lib. 9. c. 3.

contrarium expulerit, vnde ſi ceſſaret præda, omniaque piſcium ſemina certò coaleſcerent, illis nutriendis etiam continendis, licet vaſtum abyſſis mare non ſufficeret: Non eſt indignum mori mortalia, quæ nec ſentiunt, nec dolent fatum ſuum; Nonne melius eſt hæc interitu repentino, quam lenta corruptione tolli; cum aliis ſunt in alimentum, vitam non tam amittunt, quam donant; exiſtentiæ locum cedunt antiquis & validioribus, quibus ad illam plus iuris quæſitum eſt. Mundus hac communi lege regitur, vt vnius corruptio ſit alterius generatio, nihil illi perit, ſed perennitatis ſuæ maximum argumentum eſt quod ex ſuis continuò ſurgat cineribus.

Vis hæc ſingularibus illata, vniuerſi nimia plenitudine laborantis remedium eſt, & nociui opportuna vacuatio. Ouibus, cuniculis, leporibus, armentis ineſt mira fœcunditas, quæ agros hominumque labores vaſtaret, niſi his feræ ſimul & homines veſcerentur; ſic enim cuniculi populatis meſſibus famem ſæpè balearibus inſulis attulerunt, [k] ab iiſdem ſuffoſum in hiſpania oppidum refert Varro, & quotidiè gementes audimus ruſticos, quod cerui, lepores, & cæteræ circa ſyluas regias feræ agros in meſſem venire non ſinant, eo quod illic priuatis venatio ſit interdicta. Hæc igitur animalia cedunt nobis in cibum, ne multitudine noceant; at quæ tantum nobis ſunt nociua nec in cibum vtilia hoſtes ſuos habent à quibus exterminantur. Ita ferunt Seleucidas aues [l] in montem Caſſinum ſole exiſtente ſub cancro aduolare vt populentur inſectorum multitudinem quæ tunc maximè abundant, & nocent frugibus, quibus depaſtis diſparent; ſic apud Ægyptios Ciconiæ & Ibides ſacræ habebantur, quia depaſcuntur ibi, multum nociuam ſerpentum multitudinem; ſic apiaſter auicula, gallicè *Meſange* naſcitur ad conficienda per hyemen erucarum oua; licet enim ſub multiplici laneo inuolucro, explicari difficillimo, tecta lateant; hæc obſtinata pertinacique malignitate clauſtra dilacerat, & exitialem arboribus prolem, abſumit: ſic regulus auis araneas, araneæ muſcas capiunt; illis propterea nullus iraſcitur, vt nec cattis quod venentur mures, & domos noſtras hac importuna lue liberent. Non eſt igitur iniquum potentiora, minus validis præualere; & ſi homines id ſibi crederent illicitum, abſtinere deberent ab omni cibo, non animalium tantum, cum Pythagoreis & Manichæis, ſed etiam plantarum & fructuum, quibus tollimus vitam, vt noſtræ ſubueniatur.

Longè ab illo delicato miſericordiæ ſenſu aberrant, qui vim omnem dominantem, [m] velut martiam, velut diuinum quid & inuictum habebant in honore, dracones, crocodylos, etiam peſſimos hominum. Sed quis ſenſu rationeque non horreat iniquiſſimam & feralem

[k] Plin. lib. c. 29. & 55.

[l] Id. lib. 10. c. 27.

[m] Baron. an. 145. nu. 12. & 16.

lem hanc opinionem, quæ vim pro iure conſtituit, quæ mundum rapinis & cædibus exhauriens, humanam ſocietatem citò deleret? quis prædam bonorum ſuorum, quis ſeruitutem æquò ferat animo eo quod illam, ſine cauſa, patiatur à potentiori? quis æquum putet athletas & baiulos moribus corruptos, quia viribus præſtant, dominari viris bonis & ſapientibus. Male vim hominis æſtimant ex corporeis quæ pleniora contingunt animantibus: bonum hominis in animo conſtituendum eſt, obſoleſcit ſi ab optima noſtri parte ad peſſima tranſit, & transferatur ad ſenſus: Non propter vires corporis ſed animi nobis contingit in naturam imperium, & qui hac parte præualent, meritò cæteris dominantur: hinc populi totum ius ſuum tranſtulerunt in reges velut ſapientia ad ſui & aliorum regimen magis aptos; ſponſione publica ſe ſubmiſerunt legibus, quæ ſunt defecatæ rationis ſancita, priuatim autem quilibet diſcendi cupidus agendi normam accipit ab artium, ſcientiarum, virtutum magiſtris.

Optanda foret tam excellens animi potentia, vt cæteros in ſe conuerteret, ignorantes in peritos, cæcas paſſionum aberrationes in virtutum habitus, hinc Ariſtoteles [n] aſſerit eos qui perturbationibus ſubiiciuntur, naturaliter eſſe ſeruos eorum qui præualent ſapientia; inde Romani [o] conſulere ſe dicebant populis, etiam inuitis, velut ægris, quos armis vincebant, vt bonis moribus excolerent, ſalutari ſæuitia, Herculis & heroum exemplo, qui peragrabant orbem, non concupiſcendo ſed vindicando, & vt populos in veram aſſererent libertatem. Sed quid iuuat ambitioni præfigere probitatis titulum; non fallit mortalium oculos hæc aſſumpta virtutis & humanitatis larua; non vult docere pòpulos qui bello & igne vaſtat, qui facit extorres à patria, qui fugæ vel neci durius ereptos, perpetua vexat ſeruitute. Viderint Romani qui Deum ſuum terminum, tecto concludi nolentem colebant, quia nullum ipſi patiebantur terminum imponi promouendis imperij ſui finibus. At Chriſtiano Principi non licet [p] infideles ſibi non ſubditos prætextu Religionis bello vexare, cum nullam in illos habeat iuriſdictionem, maximè ſi fidem nunquam receperint; non licet eos naturali ſua libertate fruentes ſpoliare, facere mala vt eueniant bona; innoxios vexare, delere, ſpe propagandæ fidei, quam aut coacti non recipient obſtinatè nitentes in contrarium, aut receptam vltro citroque violabunt.

Aliud poteſt Princeps in ſibi ſubditos, vtitur enim ab ipſiſmet ſibi tradita poteſtate, armatas habebit leges, [q] quæ malos ad obedientiam adducant & conſtringant. Notant aſtrologi [r] in capitibus geminorum duas eſſe ſtellas lucidas quorum præcedens mercurium refert, & nominatur Apollo, altera ſequens eſt martia, & vocatur Hercules, primam natura ſua immortalem, alteram immortalitate donatam fin-

[n] 1. Politic. c. 3.

[o] D. Auguſt. lib. 19. de ciuit Dei. c. 21.

[p] Bonacina de fide. puncto vltimo.

[q] l. 2. ff. de iuriſd.

[r] Ptolom. quad. lib. 1. c. 8.

Digitized by Google

gunt Poëtæ, quia lex æternæ veritatis, aduocauit in auxilium ſuum humanam poteſtatem, quam hac vnione conſecrauit, & hinc Athenis Areopagi Iudices in monte Marti ſacro ius dicebant.

Itaque populi ſponſione publica legibus ſcriptis etiam animatis, ſcilicet principibus ſummam dederunt poteſtatem, vt priuatæ poteſtati velut minori publica præualeret, & iuſtitia tum legis æternæ, tum humanæ poteſtatis gemina vi cunctis dominaretur. Finis enim iudiciorum eſt [s] vt quiſque præſidium iuris ſui habeat publicum, & vt lites non priuato ſed publico iudicio terminentur. Ideò debitores non oportet armata vi terreri, ſed iuris remediis [t] ad ſolutionem vrgeri Hoc iure vtimur, vt quidquid omnino per vim fit, [u] id in vis publicæ, aut vis priuatæ crimen incidat. Non enim eſt ſingulis concedendum, [x] quod per magiſtratum publicè debet fieri, ne detur occaſio maioris tumultus; vnde priuati carceres prohibiti ſunt [y] ſub pœna capitis. In Concilio Arelatenſi Galliæ an. 445. & iudicio Leonis Papæ, Hilarius Epiſcopus metropolitani dignitate priuatus fuit, quod vi armata, quæ ei placita erant in electionibus & depoſitionibus exequebatur. Indè patet quanta ſit iniquitas in his qui duello decertant, vſurpant enim jus gladij, ſoli Regi à Deo conceſſum; In ſua cauſa ſe conſtituunt iudices, æſtu vindictæ corrumpente iudicium; iam læſo, ad iniuriæ cumulum, pro ſatisfactione necem intentant.

[s] l. 1. ff. de iud. l. vnic. C. quando liceat vnicui. ſe vind.
[t] l. 9. C. de abl & art.
[u] l. 151. ff. de reg. iur
[x] l. 176. ead.
[y] Tot. tit. C. de priu. carcerib.

Igitur priuatæ poteſtati præferri debet publica, vim enim ſuam habens à ratione quæ eſt legis anima, ab æterna veritate, à verbo per quod omnia facta ſunt, meritò cæteris dominatur. Iura publica ſunt in habitudine triplici, primò partis ad partem, ſecundò totius ad partes, 3 partium ad totum: ita virtutes omnes complectuntur & commendant; certiſſima ſunt humanæ vitæ præſidia, [z] infirmorum auxilia, potentum fræna. Quem delectat libertas ab amore mutabilium rerum liber eſſe appetat, [a] & quem regnare delectat, vni omnium regnatori Deo, ſubditus hæreat, plus eum diligendo quam ſeipſum, hæc eſt perfecta iuſtitia qua plus potiora, minus minora diligimus & minori priuatæ poteſtati, publicam diuinamque, tanquam maiorem præferimus. Hinc iure naturali ab ipſis mundi primordiis oblata ſunt creatori Deo, fructuum & animalium ſacrificia, quibus homines omnipotentiæ diuinæ ſe ſubiectos profitebantur. His in lege noua ſucceſſit ſacrificium iuſtitiæ, laudis, fidei, quo rationem, animæ, vt ait Philo, prolem maſculam, ſicut Abraham vnigenitum, ligatis pedibus manibuſque primæ veritati viuifica morte deſituram immolamus.

[z] Caſſiodor. lib. 3. variat. epiſt. 17.
[a] D. Auguſt. de vera religio. c. 48.

Digitized by Google

Vim potentiorum ſæuientem natura moderatur.

§. 2.

MVſicorum libri lineis notuliſque ſuis diſtincti limites ponunt vocibus ne quid potentior audeat ſupra dictam concentui legem; hinc enim altum tenens, mox occurrente mutationis ſigno, fractione, deiectione, etiam ſilentio, prout poſtulauerit harmonia, caſtigatur. Modum hunc potentioribus impoſitum ars didicit à natura, quæ, vt diximus, [b] agentibus omnibus limites, fineſque præſcripſit, ſed potiſſimum vim profitentibus & rapacibus, ne non tantum demetant luxuriantem copiam, ſed excedente ſæuitia, ſpeciebus quibus data ſunt pro remedio, ſterilitatem inferant. Triplici ratione continentur. 1. vt non in omnia ſed in quædam, libratis ex æquo viribus, decertent, ſæpius incerto marte. 2. vt non ſemper, ſed certis tantum temporibus; 3. non vbique, ſed præfinitis quibuſdam locis.

[b] Vide ſupra lib. 1. l. 7.

Feritas quæ venatur animalia ſpecie diuerſa, non indiſtinctè debilioribus omnibus vim infert, ſed quibuſdam, non etiam rapit quidquid perſequitur, dolis enim & celeritate ſæpius ſe vindicant à canibus & lupis, cerui, damæ, lepores, à falconibus columbæ, à marinis beſtiis, piſciculi. At quæ ſunt eiuſdem ſpeciei non ſæuiunt in inuicem, niſi pro cibo & venere, propterea non vſque ad internecionem, id enim prohibet virium paritas, & vigens etiam in rixa, innatus ſimilium amor; certaminis igitur præmium eſt, frui concupitis, expulſo qui prædam exilem partiri volebat, æmulo; Nam ſi abundet, lupi, canes, leones, aquilæ, corui ſimul inoffensè ſatiantur. Imò venationes mira vixque credibili diſciplina diſponunt, vt quidam ex inſidiis occupent loca, in quæ cæteri curſu concito prædam agunt, quam communi labore partam, inter ſe partiri mos eſt. 2. certis tantum temporibus in ſe deſæuiunt animalia, ſcilicet pro cibo, cum vrget fames; pro venere, vno vel altero menſe cuiuſlibet anni, vbi neceſſitas, æſtuſque deſierit, miteſcunt, & ſimilibus amicè ſociantur. Denique ſicut ad quietem ſua vindicant cubilia, ſic ad prædam, certos locorum fines intra quos ſocium non patiuntur; ſic vnum par aquilarum, [c] magno ad populandum tractu vt ſatietur indiget, determinant ergo ſpatia; nec in proximo prædantur, ſeu clementer ſuis parcant hoſpitibus, ſeu quæſitu facilia generosè contemnant, vel prouidæ reponant futuræ neceſſitati.

[c] Plin. lib. 10. c. 3.

Digitized by Google

Cum oportuerit hominum ſocietatem velut corpus, apta partium ordinatione conſtitui, & ordo dicat ſuperiora, media, infima, quidam exiſtunt potentiores in bonis animi, corporis, fortunæ, quibus à cæteris pro ratione gradus debetur obſequium; ſalua naturali libertate ciuiliter ſubiici debet rudis ingenioſo, ignorans ſapienti, infirmus valido, pauper diuiti. Quid enim, inquit ſapiens, [d] communicabit cacabus ad ollam, quando enim ſe colliſerint, confringetur; vltrò cedendum prouidentiæ quæ res humanas & cuiuſque ſortem ita diſtinxit. At ciuilis huius potentiæ modum, non oportuit relinqui priuatorum arbitrio. Sic enim nullos nec ratione perſonarum, nec locorum, nec temporum limites pateretur; vellet ambitio populis omnibus imperitare, auaritia diuitum omnium theſauros congerere, ſacra prophanis permiſcere; Naturæ deſideria finita ſunt, ex falſa opinione naſcentia quo deſinant, non habent: Nullus ſufficit humor ad ſatiandum eum, [e] cuius deſiderium non ex inopia, ſed ex æſtu ardentium viſcerum oritur, non enim ſitis illa, ſed morbus eſt. Eadem natura eſt in omni deſiderio quod non ex inopia, ſed ex vitio naſcitur, quidquid illi congeſſeris, non finis erit cupiditatis ſed gradus; neceſſariis rebus & exilia ſufficiunt, ſuperuacuis nec regna.

[d] Eccl. 11.

[e] Seneca in conſolat. ad helui.

Æſtus igitur illos quos ratio, quos natura, quos ſingulorum cupiditas non ſatis continebat, lex ciuilis publica maiorique poteſtate conſtituta, vt expoſuimus, [f] velut fræno compreſſit. Et eo quod ipſimet miniſtri iuſtitiæ conceſſa ſibi poteſtate poſſent abuti, vim hanc dominantem certis rerum, perſonarum, loci, temporiſque limitibus [g] leges tum diuinæ tum humanæ circumſcripſerunt. Apud Romanos Senatorum & nobilium potentiam Tribunus plebis, apud Lacedemonios Regum authoritatem Ephori temperabant; vt pictor non patitur in animali caput, [h] vel membrum aliud, iuſtam excedens quantitatem, nec chori magiſter vocem, licet ex ſe ſuauiſſimam, ſi cæteris harmonicè non conſonet; Ita lex non permittit vel Regem vel miniſtrum ſic potentem, vt pars ſit ſupra totum. Modum leges Regni vel Reipublicæ fundamentales, vota populorum, intimi ſenſus pietatis & Religionis exigunt, ne periclitetur regimen, ſi potentiam illimitatam, non temperet vt in Deo, æqualis illi bonitas & ſapientia.

[f] §. præced.

[g] Vide lib. 1. l. 7. §. 3. & 4.

[h] Ariſt. lib. 3. politico. c. 9. & 11. & lib. 5. c. 8.

Recenſuimus leges illas publicas immodicè creſcentis potentiæ fræna; de pietatis ſenſu ſcribit D. Bernardus ad Eugenium Papam, [i] Attende te ſimul eſſe ſummum & viliſſimum; imitetur cogitatio tua naturam, imitetur & quod dignius eſt, authorem naturæ, ſumma imaque conſociantem: Nonne natura in perſona hominis limo, vitæ ſpiraculum inſpirauit, & colligauit; Nonne author naturæ in

[i] Lib. 2. c. 9.

Digitized by Google

ſui perſona verbum, limumque contemperauit, ita tibi ſume formam, tam de noſtræ concretione originis, quam de ſacramento redemptionis, vt altus ſedens, non alta ſapiens ſis, ſed humilia de te ſentiens, humilibuſque conſentiens, non minus cogita te hominem, quam hominibus imperantem. Rara magnaque fœlicitas hoc intimo naturæ ſuæ ſenſu à fœlicitate non vinci.

Bella quidem introducta ſunt [k] vt quod non poteſt ratio, vis obtineat, modum tamen illis præfinire debet tum ratio, tum Religio, vt non niſi cogente neceſſitate contra proteruos ſuſcipiantur, ſicut ad ferrum & ignes non recurrit medicus niſi fruſtra tentatis leuioribus remediis: Nam bella finitimis inferre, [l] & hinc in cætera procedere, ac populos ſibi non moleſtos, ſola regni cupiditate conterere & ſubdere, quid aliud quam grande [m] latrocinium nominandum eſt. Etiam dum in armis ius eſt, hoſti data fides ſeruanda, [n] debetur enim vt homini cum quo naturalis eſt ſocietas, nec obſtat quod ſit hoſtis, quia promiſſio ius nouum confert. Parta victoria conſeruandi ſunt ij qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt, iiſque conſulendum. Ita Romani nationes deuictas bello in fidem receperunt, æquè pulchrum exiſtimantes, reges & vincere & ſeruare. Ne generoſæ quidem feræ permordent & vrgent abiectos: Elephantes leoneſque tranſeunt quæ impulerunt; Viri fortis eſt, [o] eos qui de victoria contendunt hoſtes putare, qui victi ſunt, eos homines iudicare, vt poſſit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere; ſic Metellus vrbe capta, corporibus liberis vim inferri vetuit, ſacra, quæ victoria prophana fecerat, religione impeditus non attigit: parcendum fœminis, ſenibus, pueris, hoſpitibus, innoxiæ multitudini, agricolis & his omnibus qui nihil ad bellum conferunt. Furor eſt ea deſtruere quæ vires hoſtis non minuunt, victoris non augent; non ſua ſed aliena credit qui ſic immaniter vaſtat. Iniuſtum ſemper habitum eſt [p] victos arma deponentes occidere, & in certaminibus publicis tenetur lege Aquilia [q] qui cedentem occidit. Inſignis eſt laus eius qui contentus fuit ex Rege victo, [r] nihil præter gloriam ſumere, hoc eſt enim ex victoria ſua triumphare, teſtarique nihil ſe quod dignum eſſet victore, apud victos inueniſſe.

[k] Cic. 1. officior.

[l] D. Auguſt. lib. 4. de ciuit. Dei c. 6.

[m] D. Cyprian. ad Donatum.

[n] D. Ambr. lib. 11. offic. cap. 29. & D. Auguſt. ep. 1. ad Boniſac.

[o] Cicero ad herenn. gellius lib. 15. c. 31.

[p] Liuius dec. 3. lib. 8.

[q] l. 7. §. 4. ff. ad l. aquil.

[r] Seneca. lib. 1. de clemētia in fine.

Vt eiuſdem ſpeciei animalia pro cibo, venere, vel æmulatione, non vſque ad internecionem decertant, ſic ea bella quibus imperij gloria propoſita eſt, minus acerbè gerenda ſunt, potiſſimum ciuilia, in quibus vſque ad victoriam non vſque ad ſeruitutem aut necem pugnandum præcipit Plato, [s] vnde lauream nec Senatus cuiquam dedit, [t] nec quiſquam ſibi dari deſiderauit, ciuitatis parte lachrymante; templis etiam ob externas victorias inferenda trophæa, domeſtica mala, triſtitia operienda cenſuerunt.

[s] In Menexeno.

[t] Valer. Maxim. lib. 2. c. 2. Tacit. 1. hiſtor.

Digitized by Google

SÆPE CONTRARIA DVM IMPVGNANT, perficiunt.

Lex 13.

[v] Lib. 2. de cœlo cap. 3.

MEritò probat Ariſtoteles [v] ad vniuerſi perfectionem, res pari viciſſim contrarietate fuiſſe præditas, dari cœlum mobile, terram immotam; in elementis & mixtis, primas qualitates, æquis ponderibus oppoſitas ſeruare mundum ſucceſſiuis corruptionibus & generationibus perennem: Nata quælibet ſibi non relicta ne torpeſcerent, eo quo verſantur externarum cauſarum motu perfici. Phœnicum Theologia dicebat, [x] tonitrua & fulgura in aëre facta Naturam commouiſſe, itaut è terra & mari animalium mares & fœminæ proſiluerint. Obſeruant [y] eaſdem cœli minas, indicam arborem efficere Caphuræ fœcundam; Conchas etiam plurium & maiorum margaritarum matres. Regalia quædam eſſe fulmina, [z] quæ ciuitatibus fœlicitatem importent, & cœli non iram, ſed locorum quæ libauerint, teſtentur deſiderium. Terram inſolitis motibus concuſſam, ſæpius fudiſſe montes & metalla; plurimos fœlici naufragio liberatos ex hoſtium ſeruitute; ſic ludit in orbe terrarum prouidentia, vt hoſtiles contrariorum vires, non ſolum certis loci temporiſque limitibus coërceat, ne procedant in exceſſum, ſed eaſdem vertit in iam conceſſæ virtutis ſplendorem & profectus.

[x] Euſeb. præparat. Euang. lib. 1. c. 7.

[y] Mathiol.

[z] Athenæ. lib. 3. c. 8. Sueton. in Auguſto. gellius lib. 4. c. 5.

Contraria iuxta ſe poſita magis apparent.

§. 1.

EXplorant quidem ſenſus noſtri rerum naturas, & earum auidæ menti, quæ perceperint, diſcutienda referunt; ſed cum eſſentias ignoret ipſa, cum illam conſueti vultus non afficiant, & ex aſſuetis non fiat paſſio, fit parum æqua rerum æſtimatrix. Huic infirmitati geminæ ſubuenit prouidentia duplici præſidio, nam identitatis tædium leuat gratiſſimæ varietatis nouitatiſque intermixto ſpectaculo; Inſuper rebus addit ſplendorem, earum in nobis auget

Digitized by Google

ſenſum, pungit & vellicat faſtidientem appetitum, immediata contrariorum iuxta ſe poſitione, dies & nox inuicem vertunt, nunc ſplendidum, mox nubilo ſordidum cœlum; [a] æſtati in qua dominatur bilis ſuccedit autumnus, cui propria eſt melancholia; poſt hyemis diuturnas humiditates, ſtatim oriuntur venti martij, qui longè magis exſiccant quam æſtiui; [b] Ver ſi ſit humidum, pluuioſum & auſtrale, æſtus de repente accedunt, pluuiæ ſiunt vehementiores poſt ſerenum, quam alio tempore, quia tunc eſt expulſa ab aëre maior frigiditas: Ariſtoteles [c] longam texit hiſtoriam locorum ſibi vicinorum quæ tam contrariis prædita ſunt qualitatibus, vt viæ ſolius interſtitio, ibi producantur animalia, quæ ex alia parte non viuunt, optimam & florentiſſimam in ſummo corporis conſtitutionem excipit morbus, vitam mors, priuationem forma.

[a] Hippoc. lib. de aere locis & aquis.

[b] Bacon. in hiſtoria ventorum.

[c] Hiſtor. animal. lib. 8. c. 5.

An id procedit à cœleſtibus, vbi ſignis terreis immediatè ſuccedunt aërea, aqueis ignea, maſculinis fœminina, diurnis nocturna, & hinc putant [d] magnas in orbe fieri mutationes legum & imperiorum, cum ſuperiores planetæ coniunguntur in tranſitu à ſigno aqueo in igneum. An natura conatur imitari Deum in vnitate ſua ſimpliciſſima contraria complicantem, [e] & ex hac contiguitate, licet vnitatis imagine minus perfecta, res creatæ ſuum mutuentur ſplendorem; nam in compoſito debilitantur qualitates, quæ in contrariis iuxta ſe poſitis integræ manent, & illuſtriores emicant.

[d] Origan. parte 3. cap. 6.

[e] Card. Cuſa lib. 1. de docta ignor. c. 3.

Modum hunc artes didicerunt à natura vt ipſam perficerent; Roſas agri cultura facit odoratiores, latentemque vim earum prouocat, ſi propè ſerat allia; ſic colores in pictura debent diſponi, [f] vt inter claros obſcuri, inter obſcuros clari ſedem habeant; ſimiliter in oratione, [g] non ſunt ſemper affectanda elata & excelſa, ſed quædam ſubmitti debent, quædam atolli, vt eminentiam humilitas, vmbra lucem commendet. Dulciores [h] poſt famem epulæ ſunt, quæ aſſiduitate faſtidio ſunt, condimentum cibi ieiunium eſt, vſu etiam pretioſa degenerant, poſt peregrinationis iniurias quies optabilior, ſol poſt noctem gratior; ipſa lux poſt tenebras ſplendidior, ſanitas poſt ægritudinis tentamenta iucundior. Ebrioſi quædam ſalſiuſcula comedunt, [i] quo fiat moleſtus ardor, quem dum extinguit potatio, fit delectatio, & inſtitutum eſt, vt etiam pactæ ſponſæ non tradantur ſtatim, ne vilem habeat maritus datam; quam non ſuſpirauerit ſponſus dilatam; vbique maius gaudium, moleſtia maiori præceditur; magis placent quæ vitæ periculis comparata ſunt. Artem hanc callent mulieres quæ nigris capitis ornamentis effingunt ſibi vultus niueos; quæ gaudent obſequio deformium ancillarum, inter quas magis emineant; quæ cultum ducunt ex neglectu; quæ procorum amores ſimulatis in contrarium affectibus, velut flabellis flammas, accendunt.

[f] Cardan. lib. 4. de ſubtilit.

[g] Plin lib. 3. ep. 13.

[h] D. Ambr. de Elia & ieiunio c. 6.

[i] D. Auguſt. lib. 8. confeſſ. c. 3.

Digitized by Google

Hanc ex contrariorum comparatione vim peſſimè tranſtulit in mores, & ex deiecta Republica ſibi gradum ad ampliorem famam fecit Auguſtus, [k] quamuis enim nouiſſet in Tiberio morum acerbitatem; ſucceſſorem tamen elegit Imperij, ambitione tractus vt tali ſucceſſore deſiderabilior ipſe quandoque fieret. Sic deiicit quos æquare non poteſt inuidia, vt proſtratis vel pumilio grandior ſit. Sic epulis olim inducebant ſanguinolenta ſpectacula, [l] vt conuinæ ex aliorum miſeria ſuam melius intelligerent fœlicitatem. Sic confluunt ad ſpectandam reorum mortem populi, & ad theatra quæ referunt maximos altioris fortunæ caſus, vt hinc ſuæ licet mediocri blandiantur, repreſſo qui ad ſublimiora ferebat, æſtu.

[k] Sueton. in Tiberio.

[l] Id. in Caligula. Senec. 4. controuerſ. 25.

Ea ratione debet in profectus noſtros fœliciter impendi naturæ diſciplina, quæ ſic vires, pulchritudinem, delectationes, ſplendorem ex contrariis iuxta ſe poſitis elicit. Quid ni liceat è portu ſpectare laborantes & naufragos in alto mari, non quod placeat aliorum miſeria, ſed ſtatus ab hoc immunis caſu. Ita Sancti [m] non gaudebunt per ſe de pœnis damnatorum, ſed per accidens, contemplando in eis iuſtitiam diuinam, & quomodo ab eis liberati ſunt. Tot & tantæ ſtrages mortalium, obſtinatis decertantium cupiditatibus, confirmant viros bonos in virtutis à turba ſeductæ, propoſito; horrent probi & præſentis & ſequuturæ vitæ miſeriis emptum terrenæ voluptatis momentum: Expertis diuina faſtidio ſunt quæ ſenſus demulcent, nec illis mundus amandus videtur, [n] tam aperta labe contritus vt etiam ſpeciem ſeductionis amiſerit. D. Auguſtinus [o] loquens de conuerſione ſua poſt nouem annos in hæreſi Manichæorum elapſos: Nunc, inquit vbera Eccleſiæ poſt longiſſimam ſitim penè exhauſtus tota auiditate repetiui, eaque altius flens & gemens concuſſi & expreſſi, vt id manaret, quod mihi ſic affecto, ad recreationem ſatis eſſe poſſet, & ad ſpem ſalutis reducendam: diuina iam delibans, exclamat, [p] ſerò te amaui pulchritudo tam antiqua & tam noua, ſerò te amaui: coruſcaſti, & fugaſti cæcitatem meam; fragraſti & duxi ſpiritum, & anhelo tibi; guſtaui, & eſurio, & ſitio, tetigiſti me, & arſi in pacem tuam.

[m] D. Thom. ſupplem. q. 94. a. 3.

[n] D. Auguſt epiſt. 45.

[o] Id. lib. de vtilitate credendi ad honoratũ. c. 1.

[p] Id. l. 8. confeſſ. c. 27.

A contrariis

Digitized by Google

A contrariis vexata plus virium concipiunt & explicant.

§. 2.

PArum eſt contraria dum veniunt in conſpectum, videri qualitatibus præſtantiora, etiam fiunt, & hoſtis licet potentioris expugnatio, vires inimicas ſæpè non tam frangit; quam auget. Mira naturæ prouidentia, quæ vim ſæuientem, non ſolum variis, vt diximus, modis temperat, ſed vertit in laborantis commodum & priuſquam eliciat ex corruptione generationes, diu ſuſpenſa victoria, vel interdum penitus negata, vires oppreſſas ipſamet oppugnatione facit validiores; Cum enim contrariorum pugnantium infirmius, à potentiori ſic vndique premitur & obſidetur, vt non ſit nec egreſſioni nec fugæ locus; vires ſuas in ſe colligit, vnione reddit fortiores, excluſis etiam externis quibus permiſcebatur partibus & qualitatibus inualidis: hinc minus diffuſum, ſuis vndique velut armis tectum, minus patet læſioni, fortiuſque vim illatam retundit.

Aqua [p] propoſitis obicibus erumpit impetu maiore, quia maior eius copia, dum retinetur, congregatur, & arctius compreſſa, ſicut ferrum in contraria diſtentum vibratur vehementius. Ea ratione per æſtatem aquæ pluuiales ſunt frigidiores, quippe naturalem ſibi frigiditatem vindicant à circumfuſo aëre calidiore. Per hyemem ventres calidiores [q] & ad conficiendos cibos magis apti, quia circonſtans frigus obſtat ne calor internus diſſipetur. Calx [r] incaleſcit in aqua, eo quod in eius meatibus conſumpta genuina humiditate ineſt calor fornace quæſitus, qui fugiens ingreſſum aquæ intus concluditur, ſtipat ſeipſum, acuitur condenſatione, tum motu, tum ipſa coitione in ignem euadit. Ferrum aqua extinctum induratur, quia calor pulſus à contrario, ſe recipit ad interiora, ibique congeſtus fortius abſumit quidquid inerat flexibilis humiditatis.. Alti montes ſunt feraciores metallorum, quia cum eorum cacumina glacie rigeant, calorem repercutiunt, & intus fortem continent: qui per hyemen frigida ſe abluerint, [s] aliquandiu frigent, reliquo toto tempore tuti à frigore ſunt, caro enim ſpiſſatur, & incluſus calor ſe colligit. Nix fœcundat agros quia per antiperiſtaſim fouet calorem terræ Inſulæ frequentius terræ motibus agitantur, vt Cyprus, Sicilia, Molucæ, quia propter obſiſtentiam circumjecti liquoris, multum exhalationis & ſulphuris in illis colligitur; In chimicis cæteriſque artibus natura longè magis ſe prodit vexata, quam cum libera relinquitur.

[p] Cardan de rer. variet. lib. 1. cap. 6.

[q] Hippoc. lib. 1. Aphor. 15.

[r] Cardan. de ſubtil. lib. 1.

[s] Ariſt. problem ſect. 1. quæſt. 29.

Digitized by Google

[t] Lib. 1. de legib.

Similia quædam fiunt in moribus, nam, inquit Plato, [t] in ciuitate malè inſtituta, rari ſunt boni, ſed præſtantiores, quia virtus illorum à contrariis prouocata, altas in imo pectore radices agit, vnde validior nec opinionibus vulgi deiicitur, nec obruitur cœtu, ſed qualis ſingulis talis vniuerſis obſiſtit. Genium cuiuſque non deprehendes, niſi cum fortiter irritaueris, indè fingit fabula Protheum in varias ſe formas mutantem, tunc cum manicis arctè comprehenderetur. Certaminis nomine [v] Chriſtus ſuis martyria propoſuit, vt non ſolum gauderent liberati, ſed exultarent coronati; ſic fides Chriſtiana creuit perſecutionibus, & diuinam mundus agnouit, cum tot aduerſis tentatam, non illæſam modo, ſed proficientem, lætam, victricem miratus eſt.

[v] Tertulian. contra gnoſticos.

Augentur etiam obſeſſæ rei vires ea potiſſimum parte qua frequentius impugnantur, ſolet enim in illam velut laborantem benefica natura mittere copiam abundantiorem, tum alimenti tum ſpirituum; cum autem obſidens vel premens partes exteriores contrarietas, dilatationem impediat, fiunt denſæ, ſolidiores, ictibus in poſterum illæſæ. Ita generatur in partibus corporis labore ſæpius tentatis, callus, qui eſt obdurata cutis; ſtipata magis eſt in facie propter conſuetudinem nuditatis, vnde non riget, ſicut cæteræ corporis partes. Pars arboris verſus ſeptentrionem, frigore ſcilicet aſperiori verberata, corticem habet, cæteris longè duriorem, itaque tranſplantari debet, eodem ſeruato ſitu, ne ſi mutetur, tenuior & inualidus in cæteris cortex, aſperiorem hanc cœli plagam non ferat.

In ſenſibilibus & intellectualibus ſimiliter fiunt habitus, qualitates ſcilicet productæ ex actibus frequentibus inclinantes potentiam ad facilius etiam delectabilius operandum: ſic domantur animalia, & ſemel edomita nobis ſemper ſubiiciuntur, dum ſenſus moleſtiam tollit conſuetudo. Sic regiminis periti monent non ita laceſſendos hoſtes vt crebris exercitati velitationibus, euadant artis bellicæ periti, & ſuis edocti periculis, neceſſitate fortes, diſciplina cauti, ſuis tandem inſultent victoribus. Itaque magno ſimul & citiſſimo bello, rem perfici præcipiunt ſapientes.

In inanimatis lenta quidem continuaque contrarietas, materiam ſibi ſubiicit, & gutta cauat lapidem, non vi, ſed ſæpè cadendo; At animata violentum diu non ferunt, vel enim impetu facto ſuperant illud, vel illi ſic conformia fiunt vt vis tranſeat in naturam, & inde nihil amplius patiantur. Exercitationis duplicia ſunt commoda, inquit Galenus, [v] hæc ad excrementorum vacuationem, illa ad ſolidarum partium bonam habitudinem conferentia. Vehementior enim motus, inſtrumentorum duritiem, genuini caloris augmentum, &

[v] Lib. 2. de tuenda ſanitate.

Digitized by Google

ſpiritus validiores inducit; at ex inſtrumentorum duritia ſequitur ad labores robur, ex calore diſtributio validior, immutatio expeditior, nutritio abſolutior, humorum fuſio, ob quam exigui meatus laxiores fiunt: ſed ex valentioris ſpiritus impetu, purgari meatus neceſſe eſt & excrementa expelli.

Pari ratione Deus viros bonos aduerſis exagitat, triſtiori diſciplina continet, vt verum colligant robur; probat illos, eo quod amat, indurat, recognoſcit, exercet, & in illis oſtendit quid poſſit humana ratio cum diuina gratia. Multum eſt Chriſtianum ſic abduci à rerum mortalium affectu, vt ad illum nulla vis noxia perueniat; per humanos caſus incedere animo non humano ſed diuino, callum ducere per aduerſitates, inter electos numerari quos Deus probat vt aurum igne; Vita noſtra Chriſtus eſt, [x] Chriſtum attende, pati venit, ſed & glorificari; contemni, ſed etiam exaltari; mori, ſed etiam reſurgere; Beati inquit, qui perſecutionem patiuntur, quoniam ipſi conſolabuntur, etiam in hac vita, vt quid enim dura videatur aduerſitas quæ cupiditatum eſt medicina, exercitatio patientiæ, ſors ſanctorum, certamen mentibus dans robur, aſſiduè Chriſtum efficiens in ſuis mundi victorem; & cui repoſitæ ſunt illuſtres in cœlo coronæ.

[x] D. Auguſt. ſerm. 6. de verb. dom. c. 11.

OPPRESSA SE VINDICANT IN libertatem.

Lex 14.

AVctis ex oppugnatione contrarij & partium vnione viribus, primus earum effectus in agentibus eſt, vt oppreſſa vindicent in libertatem. Infirma quidem non tulerunt primos & improuiſos hoſtium impetus, ceſſerunt illatæ vi, ſed collectis poſtmodum ſpiritibus, turpem fugam actione validiori compenſarunt, nam ex concentratione ſpirituum oritur calor, qui eſt motus expanſiuus, per quem corpus nititur ad dilatationem ſui, & recipiendi ſe in maiorem ſphæram ſeu dimenſionem quàm prius occupauerat. Sic halitus pinguis dilatatur in flammam, liquor feruens intumeſcit; aër ſtipatus frigore, cum ſolis radiis vel ignis vicinioris calore rarefieri cœperit, latius diffunditur, & inde fiunt circa meridiem venti calorem temperantes: Etiam in viſceribus terræ natus, ſeruitutis impatiens, agit non vt verna, ſed vt ingenuus, dum fractis obicibus liber in proprias ſibi ſedes euolat. Mollia ſublato quo premebantur pondere, redeunt

Digitized by Google

in origini ſuæ parem altitudinem. Radius ſolaris per angularem figuram tranſiens, quo plus extenditur, magis accedit ad circularem ſibi vt principio ſuo propriam: Nec mirum, nam

---

Non minor eſt amor libertatis, quam exiſtentiæ.

§. 1.

Rerum omnium quantitati modus extenſionis dictus eſt, extra quem non conſiſtunt, nec enim ſe penetrant corpora, & qui præter legitimæ dimenſionis limites cogit, illa vel deſtruit vel labor contra renitentia manet irritus. Licet ſolidiſſima ſuos habeant poros, implet quidem vacuum aër, nec tamen per illos diffunditur, comminutionem ſui ad tantam ſubtilitatem non patiens; ſicut aqua non exit per rimam minuſculam. Omnis virtus [y] corporis organici, omnis vita, omnis flamma, & ignitio deſtruitur per compreſſiones, & per eaſdem omnis machina corrumpitur & confunditur. Etiam ſic deſtruuntur virtutes quæ conſiſtunt in poſituris & diſſimilitudine partium paulo craſſiore, vt in coloribus, neque enim color floris integri & contuſi, neque ſuccini integri & pulueriſati; glyceriſſæ ſuccus flaueſcit liber, nigreſcit compreſſus & congeſtus; Etiam in ſaporibus, nam non eſt idem ſapor pyri immaturi, & eiuſdem compreſſi & ſubacti hic enim manifeſtè dulcedinem maiorem concipit. Ignita ingenia ſi durè contineas, ſi neges quam optant in rebus diffuſionem, extinguis.

[y] Bacon. noui organi lib. 2. Aphoriſ. 50.

Vere non exiſtit quod non eſt liberum, quia ſpoliatur innatis ſuis qualitatibus, non agit, ſibi non laborat & hæc eſt vt actionis ſic exiſtentiæ comes priuatio. Ita ſerui perſonam [z] non habent, nec caput, [a] nec ſtatum, [b] nullo loco, nec numero cenſentur, & ſeruitutem morti lex [c] comparat. Etiam Eccleſia [d] ſeruos & mulieres, propter ſtatum ſubiectionis, quaſi verè non ſint, non permittit ordinari. Iudæis non licebat conficere chriſma quo vngebantur reges, niſi eo tempore quo erant liberi, velut gente per ſeruitutem deſtructa. Illis ideò Tertulianus [e] exprobat, quod ſi nunc ab illis expectatus veniret Meſſias, non poſſent illum vngere, quia vbique terrarum ſunt ſerui. Cum igitur ſeruitus inducat quandam exiſtentiæ priuationem, metus eius ſicut mortis, iuſtus eſt, [f] etiam carceris, [g] & quod in eo promittitur, velut nimio libertatis amore voluntatem cogat, nullius eſt momenti.

[z] l. 3. ff. ne quis eum.
[a] l. 3. ff. de capit. diminut.
[b] l. 32. ff. de reg. iur.
[c] l. 209. eod.
[d] D. Thom. ſupl. q. 39 a.
[e] Libro aduerſus Iudæos cap. 13.
[f] l. 3. 4. penul. ff. quod vi met. ca.
[g] l. 22. eod.

Libertatem nemo bonus, [h] niſi cum anima ſimul amittit, potiorque videri debet pericoloſa libertas, quieto ſeruitio; Cato ſapien-

[h] Saluſtius.

Digitized by Google

tiſſimus, victo Pompeio, cuius partes ſequutus fuerat, optauit potius mortem, quam in manus victoris deuenire, Libertatem quam patriæ non potuit dare, ſibi dedit, & cum terras mariaque hoſtis legiones cingerent, inuenit ipſe qua exiret; ſeruitutem morte deteriorem ſupponunt leges, quæ reos capite plecti permittunt,[i] quo cæteri corrigantur, & exempla ſint omnium, tormenta paucorum, at liberum hominem[k] perpetuis non damnant vinculis. Pater olim vitæ & necis in filios habebat poteſtatem, non tamen eos perpetuæ ſeruituti tradere,[l] quin poſſent nolente domino in libertatem vindicari. Fera animalia ſi clauſa teneas ſuæ virtutis obliuiſcuntur; imò vitam indignata proiiciunt. Sæpè vidimus philomelas, primo vere aduenas, dolis captas, cibum omnem aſpernari, inedia, tædio, etiam clauſtris ſuis illiſo capite, morientes. Ea imitatus eſt Lacon adoleſcens,[m] qui bello captus, & contumelioſum præſtare iuſſus officium, obſtinato libertatis amore, clamans non ſeruiam, illiſum parieti caput rupit.

[i] Toto tit ff. de pœnis Cypr. ſerm. 5. de lapſis.
[k] l. 35. ff. de pœnis. l. 6. C. eod.
[l] l. 1. C. de patrib. qui fil. diſtrax. l fin. C. de patr. poteſt.
[m] Seneca. ep. 77.

Si vel minima ſpes affulgeat libertatis illam animalia quocumque modo, ſibi vel aliis cruento vindicant; quanto furore decertant apri, lupi, cerui ne comprehendantur, vt captiuitatem minitantibus ſæpe mortem inferant. Mirati ſumus vulpem pedica captam, vt euaderet, crus implexum ſibi dentibus abſcidiſſe, ſic Ariſtomenes Miſſenius,[n] qui dicitur fuiſſe hirſuto corde, ab hoſtibus comprehenſus, ſopitis cuſtodibus ſomno, ad ignem aduolutus, lora cum corpore exuſſit, acutiſſimi doloris ſenſum ingens libertatis amor obſcurabat, meliuſque naturæ viſum eſt, eſſe corpore mutilo quam ſeruo, nam vix cenſetur eſſe, quod non eſt liberum. Ita res per ſeruitutem pereunt & Religioni & domino, Religioni quidem, quia iure ciuili,[o] cum loca capta ſunt ab hoſtibus, deſinunt eſſe religioſa & ſacra; & ſicut homines liberi in ſeruitutem perueniunt; pereunt etiam dominis ſuis, nam ſeruitus eſt quædam alienatio,[p] propterea qui alienare prohibitus eſt, non poteſt ſeruitutem imponere.

[n] Plin. lib. 11. cap. 37.
[o] l. cum loca. ff. de relig. & ſump.
[p] l. 34. C. de ſacroſ. Eccleſ.

Vt vitam hic agimus, inter motum & quietem, diem & noctem, præſens & præteritum, exiſtentiam & priuationem, ſic inter ſeruitutem & libertatem mediam & quamuis priuata publicaque vota ſuſpirent ad libertatem, maxima vitæ pars ex alieno pendet arbitrio: Nonne parentum, magiſtrorum, regentium, legum tum diuinarum, tum humanarum imperia ſeruitutem exigunt. Quamuis lex[q] definiat libertati non officere quod iure prohibetur, ſentiunt omnes publicum onus ſibi grauiſſimum; ingemiſcunt miſeri ſub principum ſæuitia quibus exhibenda præcipitur veneratio, & velut terrenis numinibus fortunæ vitæque prætio litatur. Quamuis Reſpublicæ ſuam

[q] l. 1. ff. de ſtat. hom.

iactent libertatem, & hoc nomen publicis vbique locis inſcriptum, fœlicitatem denunciet, emitur publica libertas, priuatorum duriſſima ſeruitute, itaut nullus vt voluerit viuat, ſed in menſam, veſtem, ædificium, liberos, artem, conuerſationem, in omnem vitæ ciuilis motum rigidus inquirat cenſor.

Temperarunt hanc naturali libertati ſæuam nimis poteſtatem, Romani, habitis ſæpè publicis comitiis, vt populus intelligeret ſe non tam obſequi quam decernere; ſuam non alterius ſequi ſententiam, per ſe quia per electos à ſe, gubernari; & ne ius hoc diuturna dominatio minueret, annua imperia, binoſque Imperatores [r] ſibi fecerunt, qui Conſules appellati ſunt à conſulendo, non reges aut domini à regendo atque dominando. Seruos ſeu bello captos, ſeu domi natos fideles habere conabantur, propoſito libertatis præmio. In ſaturnalibus regnum luſu ſortiebantur, [s] ſeruique tunc ſe tanquam domini gerebant in memoriam aurei ſæculi in quo omnes erant liberi. Nec temperamentum hoc obſtitit, quin ſæpius ſerui [t] pro vindicanda ſua libertate Reſpublicas in extremum diſcrimen adduxerint, vnde vulgatum illud, quot ſerui, tot hoſtes.

[r] D. Auguſt. lib. 5 de ciuit. cap. 12.

[s] Tacit. annal. 13.

[t] Bodin. Reip. lib. 1. cap. 5.

In moralibus triplex poteſt diſtingui vita, ſenſualis rationalis, eminens ſeu diuina; ſenſualis vt adhæret materiæ, ſequitur paſſibiles, & vernaculas eius qualitates; Labor enim & ſeruitus, præcedit, comitatur, ſequitur ſenſuum voluptatem; præcedit, quia vix ſentitur delectatio niſi ceſſet qui prius vexabat dolor, illique comparata magis apparet; comitatur, nam quot curis & impenſis parantur, quæ oculis, auribus, palato placent, nec vanitati ſufficiũt. Hi quos impurus amor poſſidet, ſeruitutis titulo deſignantur, catenas, ignes, tormenta, continuas in vitam mortes pati ſe miſeri conqueruntur, & quia nequidem poſſunt libertatem velle, furor, & extrema ſeruitus eſt. Tandem illa ſequitur voluptatem, quæ tranſeuntes in naturam aſſuetudine, cum habentur non delectant; cum deficiunt torquent, & hominem addicunt corpori farciendo, perpetuum ægri miniſtrum. Omnium duriſſima ſeruitus eſt cupiditas quæ mentem tenet velut cæco concluſam carcere & vinculis colligatam, ne videat intelligibilia, & ad ea quæ ſunt ſibi bona feratnr. Peccans non eſt in agendo liber, [v] quia non qua Dei capax eſt, agit, ſed qua ad inferiorem gradum declinat; non dominatur creaturis; non ſenſibus, rationi parere natis; non gaudet indifferentia ab inferioribus, ſed ſponte ſe ſeruam conſtituit, nec poſtea facilè poteſt vinculum ſoluere, quia à quo quis deuictus eſt, huius & ſeruus eſt. Non poteſt ſeruus contra dominum præualere, niſi à potentiore adiutus, nullus autem potens niſi in vno, à quo ſi diſceſſeris, nihil tibi præter imbecillitatem ſupereſt, Denique peccatum eſt vera ſer-

[v] D. Thom. 2. 2. q. 18. a. 4.

uitus, quia per illud impeditur homo, ab eo quod eſt ſibi proprium. Vt libertas cum vita, ſeruitus hæc cum morte conuertitur, nec enim tantum tollit potentiam, ſed exiſtentiam, [x] nam qui communem omnium quæ ſunt finem relinquunt, pariter deſinunt eſſe, & à natura ſua deficiunt vt cadauer à natura ſui corporis hinc ſubiectio mulieris ad virum inducta eſt in pœnam peccati.

[x] Boetius de conſol. Philoſ. lib. 4. pro. 2. D. Thom. 2. 2. q. 164. a. 2.

Secunda vitæ ſpecies dici poteſt rationalis, ſapientibus propria, qui ſpretis rebus externis, corporeis ſcilicet & fortuitis, toti ſunt in excolendo animo velut ſibi proprio, vt veritatem percipiat intellectus, verum tantum bonum appetat voluntas. Sic extra ſenſuum irritamenta, [y] opiniones vulgi, fortunæ dominium poſitus liber eſt, etiam fœlix, in ſinu ſuo gaudens, ſecurus ſui poſſeſſor, omnium iudex, cum libuerit ad naturæ mundique ſe conuertens ſpectacula, ſortem ſuam, ex tumultuantium comparatione digniorem colit & veneratur.

[y] Philo lib. virum bonũ liberũ eſſe.

Tertia tandem eminentior vita contingit his; quos gratia ſupra mundum, ſupra ſemetipſos in Deum vſque ſubleuat, & implet eo ſpiritu qui liberrimus nunc etiam ſicut naſcente mundo fertur ſuper aquas, inferiora fouere, regere, [z] cum opus eſt paratus, amittere & non habere paratior. Illo ſpirante voluntas hominis cum voluntate Dei ſanctiſſimè confuſa, nihil aliud vult, quam quod vult Deus; [a] Id autem vult vſque in contemptum ſui & aliarum rerum, non tantum ex iudicio rationis, ſed etiam ex affectu mentis, vt iam voluntas pluſquam voluntas ſit, vt amor ſit, vt ſit charitas, & vnitas ſpiritus; velle quod vult Deus, hoc eſt iam ſimilem Deo eſſe; Non poſſe velle, niſi quod Deus vult, hoc eſt iam eſſe quod Deus eſt, cui velle & eſſe idipſum eſt cuius voluntati neceſſariò liberæ nihil refragatur, omnia conſentiunt. Huic ſanctiſſimæ conformitati, nihil fortuitum, accidit. Impletur congenitum rationali creaturæ deſiderium primo ſuo principio vltimoque fini conformem eſſe, & in hac impletione hic conſummatæ libertatis quædam prælibatio. Adhæreat igitur Deo, viuat ex æternæ ſuæ legis decretis qui veram vult conſequi vitam & libertatem.

[z] D. Auguſt. l. 1. de libero arbit. c. 15

[a] D. Bernar. de vita ſolitaria ad fratres de mõte Dei. ſub fin.

Tentata libertas nititur in vetitum.

§. 2.

HÆc propoſitio pertinet ad ea quæ iam dicta ſunt, ſcilicet à contrariis vexata plus virium explicare, ſic enim nituntur in

Digitized by Google

vetitum, & ambitioſa quadam concertatione, ſimul & irritas hoſtis impugnantis vires & ſuas conflictu non debilitatas ſed velut ſpoliis reportatis vegetiores, oſtentant. Primam huius naturalis irritamenti cauſam & idæam habemus in planetis qui feruntur ab occidente in orientem, latione motui primi mobilis penitus contraria, & vnde [a] rerum corporearum vires exagitatæ mundum efficiunt interitu benefico, corruptionis ſcilicet & generationis ſucceſſione perennem. Inde dicunt Saturnum & Martem infœlices planetas extra ſuas eſſentiales & accidentales dignitates poſitos, à ſibi contrariis qualitatibus non temperari, ſed irritari, & longè maligniores influxus in inferiora mittere.

[a] Albert. Magn. de gen. & corrupt. lib. 2. tit. 3. c 4.

Ignis ſphæræ ſuæ ſuperioris deſiderio, materiam qua fouetur tepeſcens ſæpe negligit, obduci ſe cineribus patitur, flammaque ſua tenues euaneſcit in auras; At ſi vento follibus vehementer expreſſo ab eadem materia coneris expellere, illi pertinacius adhæret, fortius in illam reflectitur, ardet, augetur, abſumit, eadem illa qua leuis & volatilis excuti videbatur commotione. Fluentes aquæ placido curſu, ſi rupes, aut aliquid offendant quod obſtet, iratæ, ſpumantes, tumultuantes ſurgunt in fluctus, & moras impetu maiore facto compenſant: hinc ars exiles, ferè ſtagnantes riuos repagulis coërcendo, ipſo carcere celeriores efficit, vt ſufficiant vertendis magnis machinis & molendinis. Mirum refert Theophraſtus [b] de ligno mori Ægyptiacæ, quod cæſum continuò viride manet, aquis autem mergitur & conditur, madefactumque in profundo ſiccatur, ſicque fluitat & innatat, terra ſiccitate, vnde potiſſimum conſtat, in externam hanc aqueam humiditatem, præualente. Experimur ligna quercina ex quibus fiunt pali ferendis pontibus & ædificiis, vadis infixa, poſtquam pluribus ſæculis fuerunt ſub aquis ſic indurari, vt ferè lapideſcant. In agro Dolenſi Armoricæ Prouinciæ, olim à tempore, cuius non extat memoria, ingens ſylua, hiatu terræ abſorpta fuit, aquis diu deſuper ſtagnantibus, illis tandem exſiccatis, indè nunc trahuntur ligna, omni humiditate conſumpta, nigerrima, ſicca, facilè frangibilia, etiam odorata, & ex illis mihi datus eſt confectus ſcipio.

[b] Hiſto.. plantar. lib. 4. c. 2.

Si ſupra palmæ arboris lignum [c] magna pondera imponas, & tam grauiter vrgeas onereſque vt magnitudo oneris ſuſtineri non queat, non deorſum palma cedit, aut infra flectitur, ſed aduerſus pondus reſurgit, ſurſum nititur & recuruatur; Illam ideò in certaminibus placuit eſſe ſignum victoriæ, quoniam ingenium eiuſmodi ligni eſt, vt vrgentibus, opprimentibuſque non cedat. Aues volant contra fluxum ventorum, piſces natant contra curſum fluminis, diſpoſitis à natura pennis & ſquammis, ne quid in hoc affectato contra rapientes niſu, patiantur. Moloſſos viſa fera loris venatores

[c] Plutarch. in Sympho. lib. 7. Gellius lib. 3. c. 6.

aliquandiu

aliquandiu continent, vt in eum impetu maiore ruant, ira, ipſo in contrarium facto conatu, magis efferueſcente. Sic probis laceſſitos ab hoſtibus milites, in vindictam ardentes, protracta conſultò certaminis die, tandem mora ferociores effectos, in pugnam dux emittit.

Habet in ſe mens humana, neſcio quid ſublime, & imperitans quod difficultatibus non cedit ſed acuitur. Vocat in aulam populos rarò viſa principis maieſtas; pulchritudinem, velum & alterius amor commendat, Interdictum ſatis eſt ampla concupiſcendi ratio; Ipſa poteſtas ſemina nequitiæ languidiora facit: aperta multi tranſeunt, abdita & obtruſa rimantur, furem ſignata ſollicitant, effractarius aperta præterit, populus in ſecreta tentat irrepere, quæ latent, meliora putat; hinc marinis [d] diuitiis prætia, capientium periculo fiunt; hi niues, illi glaciem potant, ſeruatur algor æſtibus, dulciora ſunt poma præter ætatem immatura, vel cum fugiunt, ita nihil quod ſecundum naturam eſt homini placet.

[d] Plin. lib. 9. c. 35. & lib. 11. c. 37.

Quintilianus [e] controuerſiam refert de filio qui terens ſecretò venenum deprehenſus eſt à patre, & interrogatus cui pararet, reſpondit ſibi, iuſſus bibere, effudit, accuſatur parricidij, Reſpondet, vis occidere, veta, inuade poculum ne hauriam, bibam; ablata ſunt ſacramenta pereundi te iubente; Innocenti facilius eſt mori, ſi rogetur vt viuat. Sic hæreſes altas in ſectariorum mentibus radices egerunt, ipſis Pontificum, Regum, Illuſtrium virorum oppugnationibus nobilitatæ dum ſemet tot conatibus, tot magnatum ira & hac animorum publica commotione dignas mirantur & ſuſpiciunt.

[e] Declam. 17.

Vertamus peruerſam hanc naturæ vim in bonum noſtrum, ecce mundus totus in maligno poſitus eſt; à maiore vſque ad minorem [f] omnes auaritiæ ſtudent, & à populo vſque ad Prophetam cuncti faciunt dolum, rapit omnes torrens iniquitatis; certant plebei rapinis, nobiles vanitate; Principes ambitu, omnes turpi & cæca ſenſuum voluptate: quæ contingere poteſt illuſtrior Chriſtianæ fortitudinis occaſio, quam ſi cunctis in pernitiem ſuam ruentibus, tu vir bone, ſtes firmus in gradu tuo, fidemque tibi, Deo, Religioni datam ſerues. Attende non quid multi agant, ſed quid agendum ipſa naturæ lex oſtendat, nec enim aut minor tua erit gloria ſi fœlix eris cum paucis, vt nec leuior eſſet pœna, ſi miſer eſſes cum multis. Imitare ſydera quæ contrariam mundo viam tenent: ſis lux mundi, quæ contingens inferiora, ſuæ ſemper hæret origini; quæ ſuper obſtantia reflexione magis ſplendet & ardet. Fortis illius Matathiæ [g] zelus, accenditur ex plurimorum Iudæorum ad idola defectione; Etſi, inquit, omnes gentes obediant Regi Antiocho, ego & filij mei obediemus legi patrum noſtrorum. Toto mundo Dæmonibus ad-

[f] Ierem. 6.

[g] 1. Macab. 2.

Hhh

Digitized by Google

dicto, & in veri Dei cultores ſæuiente, ſtetit inuicta martyrum fides, & ſolitaria Religio publicam, inermis bello potentem, pauper diuitem, ſimplex eruditam ſuperauit & in ſe conuertit Accepit Noë [h] duo ſumma à Deo munera, vt non interiret diluuio cum cæteris, & vt eſſet quaſi reſtaurator generis humani, illiuſque finis & principium. Parum eſt à communi corruptela immunem te fieri, ad maiora nitendum eſt, vt etiam cæteros fortitudo tua confirmet, & orbem fidelem fœcunda virtutum prole reſtituat. Intellige, tandem inuictam & diuinam proſus potentiam tuæ mentis, cui vim inferre non valent, nec armatæ tyrannorum manus, nec blandientis fortunæ munera, aut ſæuientis iræ; nec frementium populorum & in contraria vocantium tumultus; non infœlicium ſtellarum impreſſiones malignæ; Mundo, fatis, Dæmonibus ſuperior es; tuum igitur in bono propoſitum augeat, & cedat in pertinacis tuæ virtutis gloriam, tot in te coniuratorum hoſtium imbecillis multitudo. Cogi non potes retrocedere, potes ad vlteriora progredi.

[h] Philo. lib. de Abrah.

Solent excedere quæ ſe reſtituunt in libertatem.

§. 5.

Vim diu paſſa vires ſuas in ſe colligunt, vt diximus & vnione fortiores effectas, continere non valent quin erumpant, impetuque ferantur, etiam extra poſitos naturæ ſuæ limites. Sic arcus chordam manu trahimus in pectus, vt ſubitò ſibi relicta, ſaliat vltra rectam tenſionis ſuæ lineam, ſagittamque longius propellat. Sic præcluſæ fluminis aquæ, primum exitu negato accreſcunt ſibi, tum tumentes molis ſuæ quantitate arietant in ea quæ retinent ipſas repagula, excedunt, frangunt, datis vndequaque rimulis erumpunt, nec ſolum implent antiquum alueum, ſed ſpumantes, per agros latè ſpatiantur, velut optatæ poſt captiuitatem diffuſioni, locus omnis non ſufficiat. Acum magnete tactam, pendentem æquilibrio, & polo ſuo gaudentem, ſi motus excuſſerit, ſtatim in amicos aſpectus ipſa ſe reſtituere conatur, immoderata tamen latione, quæ pertranſit hinc inde quod amat, it reditque velut vaga donec ſenſim ſe temperans cupiditas in chariſſimo ſitu conquieſcat. Parti dolenti ſic impenſius adeſt natura, vt ſanguinis & ſpirituum affluxu nimio cauſet inflammationem; in vulnerum repletione excedentes progenerat carnes quas cathæreticis abſumere cogitur medica manus, poſt maximam ex morbis virium reſolutionem, oriri ſolet excedens inſtaurationis

Digitized by Google

appetentia, & canina fames, impletis etiam viſceribus non ſatiata. Canes & equi quos diu domi continuimus, ad primos egreſſus libertatis deſiderio laſciuiunt, ſpontaneo curſu, ſaltuque geſtientes profundunt vires ſuas, vt vix ad gradum itineri conuenientem poſſint reduci. At cum equus loris caſu confractis, è ſtabulo vel è regentium manibus effrænis erumpit, ſtatim concito curſu campos emetitur, altis hinnitibus recuperatam libertatem celebrat, crebra calcium iactatione minatur obſtare ſibi volentibus, & ineundo propterea certamini ferox ſe præparat.

Viget eadem indoles in hominibus, vel in bonum, vel in malum prout affecta mens libertatem ſuam in virtutibus vel in vitiis poſuerit. Videmus adoleſcentes è præceptorum & parentum duriori diſciplina nouiter emancipatos auidius impleri florentis ætatis voluptatibus, in exceſſus quoſlibet, etiam genio ſuo minus gratos diſſolui, vt ſibi cæteriſque perſuadeant ſe tunc abſoluta libertate donatos. Timent ne veſte, ſermone, conuerſatione, moribus, ſapiant prioris vitæ, ſub alterius imperiis exactæ, modum. Cupiditas illis eſt pro lege, voluptas pro ſummo bono, & ne diuinis quidem ſe ſubiicit nouæ libertatis guſtu ebria mens, orgiis bacchi, veneriſque turpiter initiata.

Piſces orta tempeſtate ſeceſſus profundos, quaſi ſyluas, vel florulenta loca ingreſſi, commoditati ſuæ conſulunt, verum vbi radiorum ſolis ſplendor aquis redditus fuerit, & totum mare arridet, in ſummis ludunt fluctibus, ſic qui prementibus aduerſis, vel ægræ cuiuſdam paſſionis æſtu, Religioſæ ſolitudini votis emiſſis ſe mancipant, interdum ſedata paſſione, conciliata fortuna, pœnitet illos pœnituiſſe, & virtus illa quam fecit neceſſitas, abortum patitur, inſtar margaritarum, quas cœlo fulgurante concha concipit; Tunc vt monſtra fiunt in perfectioribus, vt optimi peſſima corruptio, vt ignita omnia cum refrigerantur, frigidiora ſolito fiunt, vt ex altis præcipitium eſt, ſic ex vitæ perfectioris inſtituto lapſi, tranſeunt in omnium peſſimam corruptelam. Cum cœperint odiſſe pietatem, & indictum voluptatibus odium, quos reliquere repetunt luxus, immodica cupiditate, quæ vim ſibi diu factam compenſet, fiuntque hominis iſtius poſteriora, peiora prioribus.

Hi ſub libertatis ſpecie ſubeunt mundi, & vitiorum fœdiſſimam ſeruitutem; at ad veram proclamant libertatem, qui diu mundanis cupiditatibus irretiti, & his vinculis, in quæ non niſi morti ius eſt, cum euadere licet, in Deum magnis licet ſeris conatibus, conuertuntur; elapſum in malis tempus tentant reparare diligenti virtutum omnium cuſtodia, breuem quæ ſupereſt vitam omni momento bonæ menti digniſque pœnitentiæ fructibus impenſo, longam efficere,

ſaltem in extremis perfici vt exeant meliores ; Vbi ſuperabundauit peccatum, ſuperabundat gratia, quæ vt ſolis radius, plus interdum in remotiora, quam in proximiora, in ſenibus, quam in iuuenibus operatur. Solent hi præteritæ vanitatis memoria, diu dilatæ pœnitentiæ deſiderio, inſtantis omni die mortis metu, auſteriorem quam natura ferat diſciplinam amplecti, & vires totas velut in itineris extremo, ſpe proximæ quietis profundere. Virgam contortam in contrarium plus quam decet inflectimus, vt etiam ab impreſſa vi deficiens, in ſuam redeat rectitudinem; ſemper [i] ad ſanitatem procliuius eſt, quod poteſt detractione curari; illi ſucurri non poteſt, qui ſimul & inſanit & deficit. Igitur tolerabiliores ſunt in tardè nouiterque conuerſis exceſſus; ne tamen multum vltra quam decet procedant, temperant illos vitæ ſpiritualis magiſtri. Indulgere ſolent infirmis iam corporibus, votis tamen integris, quibus licet ſine modo Chriſtum & crucem diligere. Fœlix ſane reſurrectionis augurium, cum vita tali zelo rutilans occidit.

[i] Senec. lib. 4. contro. 25.

VIM VI REPELLERE LICET.

Lex 15.

CVm ex contrariis conſtent omnia, & rebus ſingulis ipſum exiſtere ſit præliari, fruſtra prodirent extra ſuas cauſas, niſi potentiis, viribus, organis eſſent inſtructæ quibus ſe contra vim hoſtilem fortiter tuerentur, nam ſi natura vim impendit ad indiuidui profectum, multò magis ad conſeruationem; * hanc enim prius intendit, illique ſuperueniunt per actiones omnes conquiſita ſpolia. Primùm eſt eſſe quam perfici, primum igitur eſt vim repellere ad ſui conſeruationem, quam inferre ad augmentum. Vnicuique rei quo ſe tueatur innatum ius eſt, & in ſe ruentes iniurias toto conatu repellendi vt ſi penitus illas ſuperare non valeat reſiſtentia ſua, retardet tamen, & illis modum dicat, quem inuadentis impetus ſibi non impoſuiſſet. Stat res hæc cauſatum vniuerſalium & ſingularium beneficio, cur forte ſua contentam, cæteris innoxiam aliena cupiditas aggreditur, quid ni læſa venientem paribus armis excipiat. Iniquum etiam ingratum eſſet agonis mundani ſpectaculum, ſi ex rebus inter ſe compoſitis, quædam inermes & imbelles ſine conflictu hoſti ſe dederent. Ex his quæ vim ſibi factam retundant, quædam id præſtant ſola naturali ſua ſoliditate non

* Vide Supra tota l. 2.

agendo, non adauctas ex hoſtis præſentia vires, animoſius explicando, ſed firmo fixoque ſtatu, qui dum non mouetur, motum paſſionemque reiicit in agentem, ne vana penitus actio careat effectu. Sic dura congeſtis ſtipatiſque ſuis partibus ſecura manent, aditu præcluſo qualitatibus externis, vnde naſci ſolet interitus. Hæc ſi pugno verberes, non lædis, ſed læderis, & integro parietæ contuſa manus, dolore langueſcens, debitas ſuæ temeritati pœnas luit: Nauis in flumine trahitur ad arborem ripa adnatam, quam vnco petitam trahere tentauerat. Irritus ingenti ſcopulo fluctus aſſultat, & in ſpumas diſſolutus effluit, nullis ſæuitiæ ſuæ relictis vulneribus; ſuper tecta quæ percutit, grando frangitur. Cum quidam Olympius magia Plotino vellet nocere, ita reperit fortem Plotini Dæmonem, vt in imprecantem ipſummet maleficia retorqueret. Loca quædam extra commercium hominum præruptis cincta rupibus natura conſecrauit, quæ ſi quis tentet peruadere, his innocenter immotis, præcipitio colliditur. [k Marſil Ficin. in vita Plotini.]

Ad id mihi videtur pertinere quod dicit pſalmiſta, [l] deieciſti eos dum alleuarentur; Impia ſimul & improuida Dæmonum & hominum elatio contra Deum, damnationis caſum ſibi molita eſt, Nolite, inquit [m] ſapiens zelare mortem in errore viæ veſtræ, neque æquitatis perditionem in operibus manuum veſtrarum, quoniam Deus mortem non fecit. Cum iniuriarum vltio Chriſtianis prohibita ſit, hæc vna tibi licet, Deo ſic adhærere, ſic tanto interuallo ab humanis abduci vt ad te fortuita lædentia non perueniant. Fatigetur, inquit Tertulianus, [n] improbitas patientia tua, plus improbum lædis ſuſtinendo, nempe qui te lædit vt doleas, quia fructus lædentis, in dolore læſi eſt, ergo cum fructum eius euerteris non dolendo, ipſe doleat neceſſe eſt amiſſione fructus ſui; tu verò aduerſarij fruſtratione delectatus, & dolore defenſus abibis. Inimico dans cibum & potum, carbones ardentes [o] congeris ſuper caput eius; Ita citò ceſſabit ab odiis ſibi tantum nociuis, hoc eſt non hoſtem, ſed hoſtis vitia, nobili ſanctoque vindictæ genere ſuperare. Priuato cuique non licet domum ſuam arcium modo munire propugnaculis quæ ſe principi ſuſpectum efficiant, at vnicuique licet animum his inſtruere virtutibus, his armaturis fidei, quæ præſtent ipſum inter hoſtiles impetus, inuulnerabilem: [l Pſal. 71.] [m Sap. 1. 13.] [n Lib. de patientia.] [o Roma. 12.]

Quædam non penitus illæſa manent, ſic tamen ſe habent & armis teguntur prouidentia naturæ, vt minus iniuriis pateant; Ita corallum planta vegetans & flexibilis in alto mari, eo ſe ſentiens ſpoliatam præſidio & externis occurrentibus expoſitam, ne facilè conteratur, lapideſcit. Sic arbores ſua duritie & altitudine ſe ſuoſque fructus vindicant ab animalium appetitu, vireſque præſcindentis

Digitized by Google

ipſas fatigant. Nuces teguntur amara ſimul & lignea cortice, conchiliata tecto lapideo. Spinis horrent in ſui tutelam roſæ, iuniperi, caſtaneæ, herinacei, & ſimilia vim inferre volentibus, vim inferre cenſentur cum reſiſtendo ſenſus inſultantium lædunt, auertunt, caſtigant, vel morantur. Hæc eſt minima ſe, velut ſola difficultate vindicantium claſſis.

Alia cum læduntur erumpunt in actionem, damna pariter inferentem, vt diximus [p] de his quæ vires ſuas augent ad occurſum contrarij, & in hoc inſenſibilia non videntur carere ſenſu. Ignis quia hic ob naturam ſuam tenuem & inter aliena poſitam facile deſſipatur propinqua deuorat, at in ſphæra ſua nihil conſumit, quia non conſumitur; Interim non iacet iners materia quam abſumit, ſed ſpirat fuliginem, qua ſuffocatur ipſe, niſi morienti reſpirationem permeans aër afferat. Aqua lebete concluſa, ſuppoſitum patiens ignem, efferueſcit, ex ſe non mobilis exagitatur; humida contineri facilis, captiuam ſimul & læſam ſe non patiens, è clauſtris ſuis prorumpit, ignem extinguens, iterum materiam ad eum alendum ineptam efficit. Terra [q] per cuniculos excauata, vt eruatur aurum ſubſidit, & opprimit operarios, vt iam minus temerarium videatur è profundo maris petere margaritas, inquit Plinius, tantò nocentiores fecimus terras; viuimus ſuper excauatam, & miramur ſi quando, licet optima parens indignatione contremiſcit & dehiſcit. In monte Canigo [r] comitatus Rouſſilon, Cataloniæ, eſt lacus in quem ſi proiiciatur lapis, ſtatim erumpunt vapores, vnde fiunt venti, grandines, & fulgura. Idem obſeruatur apud Heluetios in lacu qui dicitur Pilati propè Lucernam; & apud eoſdem in monte Appenſel, antrum eſt, quod iactu lapidis irritatum, horrendas in aëre mouet tempeſtates. Euphorbium [s] arbor Lybica, quæ iuxta Mauritaniam inuenitur, turget acerrimo ſucco, cuius eximium feruorem expaueſcentes incolæ, feriunt arborem à longè, ne odoratu nociuo feriantur. Elleborum nigrum, effodientibus capitis dolorem infert, & halitu caput aggrauat. Cucumeris ſyluestris è fructu maturo in tangentis manum grana ſimul & aquam ejaculatur, ictu ſonituque qui non expectatus, territat.

[p] Supra l. 13.
[q] Plin. lib. 33. in procemio. & cap. 4.
[r] Dauity.
[s] Mathiol.

Expreſſior eſt hic vindictæ ſenſus in animalibus, quæ licet domeſtica, ſi quis irritauerit fera fiunt, & iras ſpirantia miro furore lædentem perſequuntur; vnde ceſſat actio de damno, [t] ſi quis læſus eſt à beſtia, quam incitauit. Id patet in apibus, canibus, tauris, arietibus, [v] qui propterea dicuntur reciprocicornes: etiam vidimus equos & mulos blandos omnibus, in aliquem tantum furentes à quo nimiis fuerant excepti verberibus. Leo [x] vulneratus obſeruatione mira percuſſorem nouit, & in quantalibet multitudine appetit. Sic apud homines ius gentium eſt, [y] vt vim atque iniuriam propulſemus, &

[t] l. 1. 2. 3. ff. ſi quod paup. feci dic.
[v] Petrus Crinit. de de honeſta diſcip. lib. 2. c. 13.
[x] Plin. lib. 8. cap. 16.
[y] L. 3. ff. de inſt. & iur. l. 12. ff. quod met. ca.

quod quiſque ob tutelam ſui corporis fecit, iure feciſſe exiſtimatur: Aggreſſus [a] in dubio vitæ diſcrimine poteſt occidere aggreſſorem. Etiam in hoc caſu neceſſitatis, propria manu arma mouere poſſunt clerici. [a] Non fruſtra data fuit homini mens tot bellicorum inſtrumentorum, tot munitionum artifex; non fruſtra datæ ſunt illi manus fideles miniſtræ, ad omnes motus doctè fortiterque verſatiles, ſed vt ſe contra vim irruentem, vi ſimul & arte tueretur. Acceſſit honoris ſtimulus læſum acriter agens in vindictam ne lædenti videatur inferior. Hinc ipſo naturæ ductu apud omnes gentes glorioſum fuit aduerſa propulſare, & qui fortiter id præſtiterunt hoſtium & monſtrorum debellatores pluribus præmiis, coronis, encomiis, etiam diuinis honoribus donati ſunt. Quantum laudis promeretur hæc fortitudo, tantum afficitur ignominia puſillanimitas, quæ fugit, latet, & imminentis periculi ſolo metu proſtrata, quid poſſit nunquam experitur, mallens ſubiici, quàm confligere. Impunè ſæuirent prædones & tyranni; malis hominibus innocentia cederet in prædam, ius omne temeraret ſecura feritas, ſi nullus occurreret vindex iniuriarum, ſed illis patientes animos torpor exponeret.

[a] L. 2. C. ad l. Corneil. de ſicar.
[a] Can. ſi nulla 23. q. 8

Neceſſariam igitur eſſe repulſam iniuriarum probat ratio, ſed ad læſiones propulſandas non eſt opus longa rationis conſultatione. Vim enim iraſcibilem in hominis corde velut nobiliori parte natura conſtituit, vt ad primum iniuriæ ſenſum ſtatim eſſet in procinctu, inflammatis ſpiritibus, hiſque ſanguine per omnes corporis partes abundantius effuſo, ſentirent adauctas ſibi vires, ſic diſcuſſo metu, præpedita ratione ruerent audacius in pericula. Non indigent hæc ampliori probatione, cum ad vindictam plus iuſto procliuior ſit natura ipſumque ferrum virum attrahat, vnde ſupereſſe nobis videtur obſeruandum quibus legibus hæc vindicta debeat temperari.

Illatæ vi, æqua poteſt eſſe defenſio.

§. 1.

TErrà quam diximus vlciſci vim ſibi factam ab his qui viſcera ſua perfodiunt, tantum dehiſcit, quantum ab ea ſolidi detractum eſt, & ſuperficiem ſuam habitantibus per accidens tantum nocet, dum ab ea decerpere cogitur quæ ſuis internis replendis vulneribus ſufficiant. Inſidentem ſibi radium vel pilam æqua proportione reflectit, ſi pulſetur obliquè, reflexio fit æqualiter in contrariam partem, ſi verò in linea recta & perpendiculariter, radius motuſque redit in ſe. Elephanti, [b] non niſi laceſſiti, & iniuriarum

[b] Plin. lib. 8. c. 7.

Digitized by Google

ſeruata ratione nocent. Vt Leo [c] percuſſorem ſuum mira diſcernit ſolertia, inuicta perſequitur feritate, ſic eum qui telum quidem miſerit, ſed tamen non vulnerauerit, correptum, raptatumque ſternit, nec vulnerat. In morbis tantum acutis extrema conflictatione reſiſtit natura; & criſim mouet ipſamet die in qua grauior eſt morbi paroxiſmus; extremis etiam morbis adhibentur extrema remedia.

c Ibid. c. 16.

Hinc in iudiciis recepta fuit compenſatio, [d] exceptio ſcilicet qua vnuſquiſque creditorem ſuum, eundemque debitorem ſummouet, debitum enim cum debito, dolus cum dolo, delictum cum delicto compenſatur; & id quidem iuſtiſſimè, nam intereſt noſtra potius non ſoluere, quam ſolutum repetere. Sic æqualitas ſeruatur, [e] lites dirimuntur, fit per pauca, quod non debet fieri per plura. At compenſationem leges non admittunt [f] ſi deficiat æqualitas, vt debiti in diem, rei non liquidæ, rei frumentariæ, & expeditioni copiarum deſtinatæ; ſi diuerſa ſit rerum ſpecies; In publicis etiam iudiciis vbi requiritur publica vindicta ad coërcitionem delictorum.

Ex hoc etiam æquitatis naturalis fonte manauit à tot ſæculis & populis recepta talionis pœna, vt ſcilicet in quo quis deliquit puniatur; ſeruus fugitiuus [h] amputatione pedis, ſeditioſus manuum pellices naſi, deformato qui ad crimen pertraxerat vultu; blaſphemi linguæ perforatione. Si quadrupes [i] alteri damnum intulerit, illud debet Dominus reſarcire, aut animal noxæ dedere, accuſator [k] ſubit pœnam eius criminis, quod impoſuerat alteri. Valet adhuc Prætoris edictum, [l] vt quod quiſque iuris in alterum ſtatuerit, ipſe eodem iure vtatur. In ipſis mundi primordiis à Deo dicta fuit lex, [m] qui fuderit humanum ſangninem, fundetur eius ſanguis. Et à Moyſe præceptum, [n] qui mulierem prægnantem occiderit, reddat animam pro anima, dentem pro dente, oculum pro oculo, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione.

d l. 2. ff. de compenſat. l. 3. eod. l. ſi duo. ff. de dolo. malo.
e l. 37. § in refutatoriis C. de appellationib. l. 10. C de iudiciis l. 1. quod met. cau.
f l. 1. 2. 3. C. de compenſ.
g l. 1. ff. de adult. Baron. an. 477.
h l. 3. C. de fugitiu.
i l. 1. ff. ſi quod. paup.
k l. pen. ff. de publ iud.
l ff. quod quiſq iur.
m Gen. 9. 6.
n Exod. 21.

In hac talionis pœna totum penè poſitum fuit Radamanthi ius, quod tamen non probat Ariſtoteles, [o] nec in diſtributione bonorum, nec in emendatione perſonarum; nam perſonæ ſpectari debent, vt ſi quis magiſtratum gerens aliquem pulſauerit, non eſt referiendus, & qui magiſtratum pulſauerit, non modo verberandus, ſed caſtigandus eſt. Eadem Charondæ lex, eruatur oculus pro oculo fuit abrogata; [p] conquirente monoculo reo, quod ſi vnus illi qui ſupererat oculus erueretur, grauius damnum pateretur quam intuliſſet, in hac igitur pœna talionis, eſt habenda ratio circonſtantiarum, loci, perſonæ, temporis, vt infligatur ſecundum proportionem, non arithmeticam, ſed geometricam, & pro menſura peccati, ſit plagarum modus; [q] nam ſi ab inæqualibus æqualia demas, quæ remanebunt,

o Moral. lib. 5. c. 8.
p Diodor. ſicul. rer. antiq l. 12. Gellius lib. 10. c. 1.
q Deuter. 25. can. ex litteris de conſtitution.

bunt, erunt inæqualia, nec ideo Iuſtitiæ in æqualitate poſitæ congrua. Certè totum humanum genus foret mutilum, turpiter langueſcerent & infirmarentur Reſpublicæ, ſi vigeret hæc rigida pœnarum reciprocatio.

Pœna talionis vtebatur ſanctiſſimè Dorotheus Thebanus anachoreta [r] qui auſteræ ſuæ diſciplinæ reddens rationem, dicebat, corpus meum me tentat occidere, & illud ego, vtcumque licet perimo, vt ſaltem dominari volens menti ſubijciatur. Nunquam ſatis cum vitiis decertamus, quæ perſequi debemus ſine modo ſine fine, nam illis quoque nec finis, nec modus eſt Dantur militibus induciæ [s] ad vires reparandas, nox præliis finem imponit, ſed hic aliter; nam neceſſario, alterum conſequitur vt cadat quis & pereat armis ſpoliatus, aut continenter vrgeat, & ſtet armatus. Hinc ipſa continentiæ obſeruantia [t] quatuor anni temporibus eſt aſſignata, vt in idpſum totius anni redeunte decurſu, agnoſceremus nos indeſinenter purificationibus indigere.

[r] Vitæ Patrũ lib. 8.

[s] D. Chryſoſth. lib. 6. de ſacerdotio. in fine.

[t] S. Leo ſermo. 9. de ieiunio.

Malis vrgentibus occurrendum citiſſimo remedio.

§. 2.

AD æqualitatem in iniuriarum repulſa neceſſariam, reduci poteſt vt ex improuiſe ſæuienti, læſus occurrat pari celeritate, potiſſimum ſi tale ſit mali genus, quod per moras capiens incrementa, vix poſtmodum ſanari poſſit; ſic emiſſos in veſtem vel in cutem carbones ſtatim officioſa manus excutit. In valdè acutis [v] eadem die medicari oportet, nam in talibus tardare malum eſt, ne morbus inualeſcat, collabantur vires, & errantes per corpus humores in principem aliquam partem decumbant. Aquam trahenti nauigio ſtatim ſucurritur ne dehiſcat; rupti dolij rimas, diligens oculus obſeruat, manus obturat ne totus liquor effundatur. Luxata membra omni qua fieri poteſt celeritate, ſuis ſunt locis reſtituenda, ne deformitatem quam ſibi relicta natura non poteſt emendare, conſolidet. Vitioſa quælibet niſi corrigas, citò tranſeunt in habitus & præſcriptione quadam ſibi ius efficiunt. Romani [x] nullos obſeruabant dies cum inſtabat neceſſitas priuatæ vel publicæ deffenſionis locus, cum eligendi facultas non ſupereſt; quis accepto vulnere differat emplaſtrum abhibere donec ex obſeruationibus aſtrologicis opportunum tempus occurrerit. Ita ſublatæ ſunt Cretionum ſcrupuloſæ ſolemnitates [y] quibus certis tantum diebus, & iudicio con-

[v] Galen. in aphoriſ. 10. lib. 4.

[x] Macrob. Saturnal. lib 1. c. 16.

[y] l. 17. C. de iure delib.

Digitized by Google

tendere & hæreditates adire permittebatur, ne mora res in peius cederent. Plurimum nocuit Macabæis obſeruatio ſabbathi ſui ſcrupuloſa, quaſi tunc non liceret inſultantem hoſtem repellere, donec ſuis edocti periculis ea die laceſſiti fortiter decertantes Deo de ſuis inimicis gratiſſimas victimas obtulere. Ita licet propulſare latronum pericula [a] in venerabilibus feſtorum ſolemnium diebus, cum facillimè in hoc ſummi numinis ſperetur venia per quod multorum ſalus & incolumitas procuratur. Inſtantis mortis periculum monuit Eccleſiam, vt ſine dilatione pueris baptiſmus conferretur; ideoque condemnati ſunt Maſſaliani hæretici [b] qui negabant eo ſacramento, cæteriſque quemquam initiari debere, donec in illum viſibilis gratia Spiritus Sancti deſcenderet.

[a] L. fin. C. Theod. de quæſtionib. l. 9. C. de feriis.

[b] Baron. an. 361.

Quamuis homines iniqui ſint rerum æſtimatores, & vitam, famam, externa bona, quantum ad ſe pertinent nimio, minimo cum ad alterum, habeant pretio; licet propterea leges nulli permittant ſibi ius in propria cauſa dicere, & inſtituti ſint Magiſtratus, [c] vt lites non priuato, ſed publico velut æquiori iudicio terminentur, in caſu tamen neceſſitatis lex gladium tradit priuato, [d] vt marito contra thalami ſui violatores; patrifamilias contra fures nocturnos, vnicuique contra transfugas, raptores ſacrarum virginum, liberorum hominum plagiarios, contra nocturnos aggreſſores itinerum, vt mortem quam minabantur excipiant, melius eſt enim occurrere in tempore, quam poſt exitum vindicare. Communis eſt Doctorum [f] ſententia quemlibet occidere poſſe iniuſtum aggreſſorem ad deffenſionem vitæ ſuæ & membrorum, dum tamen id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, ideſt ſi ea adhibeatur moderatio & cautio, qua deficiente, non poſſet iniuria repelli, itaut deffenſor credat ſe ab alio occidendum niſi occidat: id autem fieri debet in ipſo actu, dum vis infertur, nam non licet occidere hominem de quo vehemens eſt ſuſpicio quod nos velit occidere.

[c] Vide ſupra l. 11. §. 1.

[d] L. 1. C. quando liceat ſe ſine iudice vindicare. l. 5. C de iure fiſci. l. 4. & 5. ff. ad l. aquil. e l. 1. C. ſi quis de emin.

[f] Bonacina. de reſtitutio. qu. vlt.

Quidam aſſerunt honorem vitæ præferendum, cum vitæ ciuilis ſit velut entelechia. Hinc ſicut pro vitæ ſic pro honoris grauiter læſi deffenſione, dicunt decertare licitum & aggreſſori necem inferre. Hæc exercitandis ingeniis aliquando theſis propoſita, tranſiit nunc in horrendam lugendamque praxim inter nobiles, qui dum audiunt hominum opinioni accedere Doctorum ſententiam miſerè, ruunt in mutuas cædes, pro vindicanda vel leuiſſimi contemptus vmbra, velut id etiam tuta conſcientia fieri poſſit. Abutuntur blandi Doctores honoris nomine. Honor enim dicitur ab honeſto, [g] honeſtum, virtus eſt per ſe laudabilis, cuius ſplendor & dignitas, maximum cenſetur bonum inter externa; honorem hunc magnanimus

[g] Ariſt. Rhetor. lib. 1. cap. 9. & de morib. lib. 4. c. 7.

Digitized by Google

appetit, cum eo ſe dignum exiſtimet, habens enim virtutem æquiſſimum eſt eum propterea commendari, lucere, ea quaſi pretioſa luce, fulgere iis quibus ornatur gemmis. Appetitur ab omnibus virtus honorata, ſic vnius eam habentis laus, plurium accendens animos, in publicam cedit vtilitatem.

Grauiter igitur peccat qui bene meritis debitum honorem detrahit; & famam eius lædit contumelia [h] huius tamen iniuriæ vindex eſſe debet non qui læditur, ſed magiſtratus, & quamuis ex D. Auguſtino [i] minus non ſit periculum in verbis mentiendo, quam manibus ſanguinem fundendo, nullis tamen ius eſt ſtricto ferro vindicandi illatam vt vitæ ſic famæ ſuæ iniuriam, nam non idem imminet periculum. Si occidar à graſſatore, non eſt remedio locus, & quidquid ex poſt facto decernat Iudex, corpori non reſtituitur erepta, licet iniquiſſime, vita. Cum hæc igitur extrema & irreparabilis vrget neceſſitas, ius gladij, vt diximus, priuato conceditur. At quæcumque prolata etiam grauiſſima calumnia non in momento læſi famam inficit, nec irati commotique verbis, ſtatim accedimus, multi mentiuntur vt decipiant, [k] multi quia decepti ſunt; alius criminatione gratiam captat, & fingit iniuriam, vt videatur doluiſſe factam; eſt aliquis malignus qui velit cohærentes amicitias deducere; eſt ſuſpicax qui ſpectare ludos cupiat, & ex longinquo tutoque ſpeculatur quos colliſit. In his igitur pendet audientis iudicium, nec ſimul reus & dicitur & creditur. Quod ſi dicta ſuſpicionem aliquam moueant elui poterit referentis pœnitentia, iudicis vel amicorum arbitrio, veritatis tandem è nube prodeuntis ſplendore, ſic vt infamia in conuiciantis caput acerrimè refundatur. Si liceret omnem calumniam priuata manu vindicare in tam volubili paſſionum & linguæ licentia, deficeret humanum genus ſuis confectum cædibus: Irrita foret legum & iudiciorum authoritas, arma læſo furenti committerentur, excedenſque vindicta, præſtaret ipſi malo peius remedium. Lex Hebræa [k] propinquo occiſi permittit vt extra aſyli loca homicidam interficiat, recteque notant interpretes hebræi talionem pro mortuo exigi poſſe; pro ſe, vt puta in vulnere, non niſi per iudicem, quia ſcilicet difficilior eſt moderatio vbi proprius dolor accedit.

[h] Toto tit. ff. de iniuriis & famoſis libellis.
[i] Can. nemo. 11 q 3.
[k] Senec. lib. 2. Ira. c. 19.
[k] Groſſius de iure belli lib. 2. c. 20. § 8.

Licet quidem illatam vitæ vim, vi repellere, ſed in continenti, non ex interuallo; [l] patri licet filiam in adulterio deprehenſam occidere cum adultero, ſed in ipſo opere; at cum ſæpius amicis interuenientibus, non concedatur læſis ſtatim poſt acceptam contumeliam ad arma concurrere, ſeruant odia, quaſi iuſte poſſint, iniuſtè læſam ſuam famam ferro vindicare, hoſtem prouocant ad certamen, & vt famæ ſuæ conſulant, armorum infœlici ſorte, famam & vitam amit-

[l] l. 3. § 9. ff. de vi & vi arm. l. 2. 23. & 22. ff. ad l. iul. de adult.

tunt

Dolendum maximè, quod leuibus de cauſis friuolis & inanibus in hunc furorem agantur homines, adeo vt quidam minus officioſa ſalutatione, riſu, geſtu, nutu, ipſa læſionis ſuſpicione læſi, ſic ſæuiant quaſi nihil interſit qualis ſit iniuria, ſi lædentis animum prodat, & læſi famam vel minimum obſcuret. Infirmitas eſt ſic ad leuem tactum condoleſcere; leuitas ſic minimo vanitatis flatu transferri; furor eſt ob ridicula tot ſe ſuoſque periculis implicare; hæc magnanimi contemnunt. Et quæ tandem ratio conquerendi etiam vlciſcendi ſi tam delicati ſenſus homo, pulſatus ſit à turba cui ſe volens commiſit. Certè rerum æſtimatio, non ex vulgi opinione, non ex ſingulorum affectibus, ſed ex prudentum iudicio, ad pondus & menſuram ſanctuarii cenſeri debet. Eius igitur fama læſa non eſt, ex eo quod talem illam reputent ægræ quorumdam mentes, & tamen hac poſita deciſione, quod nobiles debent famam ſuam vindicare ſanguinis ſui pretio, miſeri deſcendunt in arenam, proiiciuntque ſuas animas, maiori quam ea qua ſe læſos putant, iniquitate. Cum non ſubſit vera cauſa tanti diſſidij; cum ad priuatum ius talis vindicta non pertineat; etſi pertineret non deberet nec ſtatim ex occaſione tentari, quia non vrget qualis eſt in vitæ periculo neceſſitas; non etiam in dies & menſes dilato certamine, quia datis talibus induciis patent varia ad iniuriæ reparationem, iuris, amicorum, prudentiæ remedia; cum ob leues illas offenſas, nulli priuato, vt ſupra diximus, lex ſpecialiter gladium tribuat imò prohibeat vnumquemque in ſua cauſa iudicem eſſe, & priuatis licere, quod per magiſtratum debet fieri, nulla ſupereſt ratio Theologis legem diuinam profeſſis laxandi fræna furenti paſſioni, quam leges ciuiles continent. Hæc Euangelicæ manſuetudinis manifeſta præuaricatio agit nobiles in ſingulare certamen, nam dogmatis id indulgentis facilitate deluſi, ſemetipſos dæmonibus immolant. Si criminis ab alio commiſſi reus eſt,[m] qui ad illud conſilio & ſuaſione concitauit, quantis tenentur criminibus, in Deum, Rempublicam, familias & priuatos qui ſanguinolentas illas in publicum egerunt opiniones. Primi naturæ læſæ motus, habent aliquid cæcitatis, cui lex interdum ignoſcit; habent aliquid raptus & violenti quo minuitur voluntarium, ita delictum; at has omnes excuſationes reſpuit opinio quæ docet pro fama vindicanda licitum eſſe calumniatorem occidere, non ſufficiunt illi homicidia impetu, niſi fuerint & concilio facta, libera, meditata, & in voluntate diu ſanguinem ſitiente, diu ſe paſcente cædibus, innumera.

Nullus eſſet inter homines iniuriarum finis, ſi maiores quam ſint illas læſus æſtimet, vindicetque, & viciſſim reciprocas ad ſenſum ſuum augeat indignabundus, pertinax, pati neſciens, qui prius illas intulit. Romani perfidis Pœnis[n] fidem ſanctè ſeruauerunt, ſenatus

l. 176. ff. de reg. iur.

[m] l. 1. ff. de ſeruo corrupt. l. 15. §. 8. ff. de iniur l. vnic. C. de rapt. virg.

[n] Liuius lib. 6. c. [illegible]

[illegible] non eas quibus [illegible], ſed [illegible] ſuam aſpexit; cur non deceat [illegible] condonare, ſi magnificum eſt, etiam [illegible]. [o] Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum [illegible], ſed bonum pro malo reddens. Nam inquit Chriſtus Dominus, [p] ſi diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis apud patrem, nonne publicani hoc faciunt; ſi conquereris de proximo qui te læſit, abſurdum eſt te in eadem labi quæ damnas, & alium nocere, dilige quem pateris malum, [q] vt vel vnus ſit malus, [illegible] geminetur malitia; præmium eſt fortitudinis & charitatis præceptum & iuncta dilectione proximi, quidquid agat, non excidere. Quanquam diligere amicum [r] ſit rem meliorem diligere, tamen ſecundum rationem diligendi, quæ Deus eſt, magis meritorium eſt inimicos quam amicos diligere, primo quia dilectionis amici poteſt eſſe alia ratio quam Deus, ſed dilectionis inimici ſolus Deus eſt ratio. Secundo quia præſuppoſito quod vterque præter Deum diligatur, fortior oſtenditur eſſe Dei dilectio, quæ animum hominis extendit ad remotiora, ſcilicet vſque ad dilectionem inimicorum ſicut virtus ignis, tanto oſtenditur eſſe fortior, quanto ad remotiora diffundit ſuum calorem, & minus combuſtibilia comburit.

Groſſius de iure belli lib. 3. c. 19

[o] Vide ſupra lib. 1. l. 9 § 2.

[p] Math 15

[q] D. Auguſt. in Pſal. [illegible]

[r] D Thom 22 q. 27 a. 4.

Expelluntur intus nociua.

§. 3.

SI vim externam vi fortiore propulſat natura vt ſe ſeruet integram in quantitatis & qualitatis ſuæ iuribus, liberam in actione, ſecundum cuiuſque ſpeciei leges, ſi vindicando quod ſuum eſt, non cedit, ſed irritata proficit aduerſis, longe magis ſollicitior fortiorque debet inſurgere contra malum quo torquetur interius; magis enim vexat & extremas edit ſtrages admiſſus hoſtis in mœnia. Nociuum internum ſoluit partium vnionem, aſſiduo dolore diſſipat ſpiritus, vires frangit, & actione quæ reſiſtat præpedita, ſæuit impunè. Nec ideo deſperata ſalus, nam cum rebus omnibus innaſcantur mala propter contrariorum quibus conſtant ſolitam intemperiem, etiam ineſt illis virtus, qua quod eſt incongruum nociuumque vel emendant vel expellunt, remedio malis commenſurato, & vt cum venenis naſci ſolet antidotum.

Diuiſio ſuperiorum aquarum [s] ab inferioribus in geneſi expreſſa, [illegible] ſeparando ſubtile à ſpiſſo, & tenuem quaſi ſpiritum à

[s] D. Greg. in [illegible] lib. [illegible] 41.

fuliginoſo corpore; id factum eſt ope lucis quæ ſpiritus eſt igneus ſegregans heterogenea, calor ſiquidem eſt ignis inſtrumentum, cuius ope duo oppoſita vno eodemque labore operatur, humidam quippe naturam dum à terreſtri ſeparat, illam rarefaciendo, hanc condenſat, ſic per heterogeneorum ſeparationem fit homogeneorum congregatio. In huius mundi naſcentis deſcriptione vix aliud notabis quam indigeſtæ confuſæque prius molis partes à contrariorum oppoſitione liberas, ſibi ſimilibus, lociſque propriis redditas; aſſeruntque Patres eo momento, quo lux diuiſa fuit à tenebris, diuiſos bonos Angelos à Dæmonibus.

[t] Seneca lib. 3. natural. quæſtion. c.

Maris hæc eſt natura [t] vt omne immundum ſtercoroſumque littoribus impingat; quædam partes maris certis temporibus id faciunt, vt circa Maſſanam, fimo quiddam ſimile profert, vnde illic ſtabulare ſolis equos fabula eſt. Omnis aquarum ſtantium clauſarumque natura ſe purgat, nam in his quibus curſus eſt, non poſſunt vitia conſiſtere, quæ ſecunda vis defert & euaporat; Mare verò cadauera ſtrameataque & naufragorum reliquiis ſimilia ex intimo trahit, nec tantum tempeſtate fluctuque, ſed tranquillum quoque placidumque purgatur.

[u] Albert. Magn. de ſenſu & ſenſat. c. 1.

[x] Theophr. de cauſis plantar. lib. 3. c. 11. & lib. 6. c. 8.

Quando dulce [v] cum aliter ſapientibus commixtum eſt, reiicitur groſſum & amarum, retinetur dulce: Ita fit in plantis, quæ receptum è terra ſuccum expurgant, [x] excernendo quod ſibi minus conuenit, in trunci ramorumque corticem, & in putamina fructuum, qui propterea dulciores efficiuntur. Vt in ſtirpibus, ſic in animantium corporibus ineſt duplex facultas, vna quæ conueniens alimentum ſugit & attrahit, altera quæ inutile, ſuperuacaneum, nociuum expellit ne ſuccorum ſalubrium commodis officiat. Cerebrum cum oſſe ſolido vndique ſeptum ſit, [y] plurimis magniſque conatibus expurgatur, per nares, palatum, vtramque aurem, per caluæ commiſſuras, etiam per oculos, oculus verò per euidentes meatus, eiicit quidquid in eo excrementi gignitur. Ita cor fuliginoſos ſuos vapores, & quidquid in aëre recepto minus purum eſt, emittit per reſpirationem. Variæ fiunt cibi digeſtiones, vt exactius purum ab impuro ſeparetur, & in vltima quælibet pars reperit ſemper aliquid minus conueniens quod egerat variis ſibi conceſſis modis. Mirum eſt quod effluant quædam craſſiora ſpiritibus per eos meatus per quos ſpiritus non effluunt, eo quod natura pertinax eſt rei conuenientis, expultrix inimicæ. Vt excutiat moleſtum [z] parti nobiliori ſeme tipſam concitat ad motus vehementiſſimos, ad tuſſim vbi cauſa eſt in pulmone, gutture, aut thorace, cum in naribus ad ſternutationem, cum in ventriculo aut diaphragmate, ad ſingultus.

[y] Galen. lib. 1. de ſani. tuenda.

[z] Galen. lib. 2. de ſympto. cauſ.

Si debilitata nimis illo rite non fungatur officio, auxiliatur medi-

cina, quæ tota ferè eſt in nociui ſuperfluique vacuatione, vt in morſu venenatorum, ſuctu, cucurbitulis, attrahentibus medicamentis, cauteriis virtus foras euocat: In cæterorum vulnerum curatione, primò tollit ab his corpus alienum, vt grummum ſanguinis, carnem laceram, fragmentum oſſis, & ſimile quid, nec enim prius fieri poteſt diſſitarum partium vnio; tunc natura doloribus acerrimis læſum prouocat ad expertas manus, tandem ſi deſit ars, ipſaque ſola non valens è vulnere ſtatim nociuum diſcutere, nec in vaporem reſoluere, circumiacentem partem in pus, ſolidum in humidum conuertit, vt eroſa deſuper cute, facilior ſit corporis exteri vacuatio.

Nullum medicamentum carnem creat, [a] ſed ſolum vel emendat malam membri temperaturam, vel vulnus eluit; protegitque ab humorum interno fluxu, & ab externo frigore; ſic nulla lex probitatem mentibus imprimit, naturæ ſimul & gratiæ donum eſt virtus, totaque moralis ars eſt in purificatione poſita, ſi Trimegiſto [b] & Platoni [c] credimus; demendum vt in ſculptura quod latentem imaginem boni, confundit & obſcurat. Eluantur, inquiunt, terrenæ ſordes quibus inficitur mens hominis, & vt nitens ſpeculum ſtatim excipiet & reddet diuini ſui ſolis ſplendores; auferantur hæc in cœleſtem partem iniecta ſenſibilium affectuum pondera; præſcindantur quæ detinent illam vincula, ſurget innata ſua leuitate, & externis omnibus efficietur ſuperior; quot paſſiones, tot ſunt compedes quibus præpeditur ſui motus libertas. Renuntiandum externis omnibus & ſibimet præcipitur ei qui Chriſtum Dominum cœlos petentem ſequi vult, totaque Euangelij doctrina poſita eſt in innatæ cupiditatis abdicatione. Quantum à vitiis receſſeris, tantum virtutibus propinquabis, inquit Emiſſenus; [d] nam abdicatio criminum, adoptio meritorum eſt, nec niſi mundo ſobrius ad cœleſte conuiuium præparatur. Maxima ſalutis ſpes ſi remoueat à ſe opinionum, ſenſuum, cupiditatum idola; ſi fundat huius animalis vitæ ſanguinem coram altari, ſi per pœnitentiæ ſacramentum euomat virus, quod latet in pectore, & à ſe longè pellat quidquid alere poteſt internum mali fomitem.

[a] Galen.

[b] Pyman. c. 4. 7. 10 11.

[c] In Phædone.

[d] Homilia 3. de Epiphania.

Talis eſt Eccleſiæ publica diſciplina de reformatione morum plura ſancire, vt fidelibus & infidelibus tollatur occaſio ſcandali; ieiuniis, orationibus, continentia, ſilentio, ſacro ſeceſſu, vacuas efficere mentes à terrenis, vt diuinis impleantur; ad diuina myſteria non accedere niſi cor mundatum ſit ab odio, ſimultatibus, & à cæteris quæ charitati contrariantur: optima mater vibrat interdum ſpirituale ſuum fulmen contra proteruos: & à communione fidelium reſcindit, membrum putridum extirpat pro totius corporis incolumitate. Talis eſt apud omnes populos recepta politiæ lex, vt lepra, peſte, ſimilique morbo laborantes, à ciuium cœtu ſeparare, ſic malis moribus

Digitized by Google

infectos, tranquillitatis publicæ perturbatores, exilio, carcere, deportatione, tandem vltimo ſupplicio, à bonis reſcindere, vt paucis reis pereuntibus, & eiectis ſecurior conſtet Reipublicæ ſanitas.

Præuiſa mala modis opportunis vitantur.

§. 4.

PArum eſt naturam malis præſentibus fortiter obſiſtere, ſuis edoceri periculis, firmari, perfici; mittit etiam cogitationes ſuas in futurum, & contra caſus poſſibiles ſagaciſſima præmunitur. Nam cui datur actio ad ſolutum repetendum, fortius datur remedium, vt re integrâ ſeruetur indemnis. Præuidit hoſtiles impetus etiam in ipſa rerum formatione, dum illas ad ſuî conſeruationem armis & fortitudine, internis externiſque qualitatibus inſtruxit, velut in certamen & in ſpectaculum, eo ipſo quo ſunt, exhiberentur. Præuidit vitales partes corporis externorum occurſu lædi poſſe, dum illas ſolidis munitionibus contexit, cerebrum cranio, cor, pulmonem, iecur vallo coſtarum, neruos carnibus, quæ læſæ facilius reparantur; inuigilant oculi pro totius corporis ſalute, velut in ſpecula poſiti; ſparſus eſt per omnes partes tactus qui ſtatim nociuum deprehendens, docet fugere priuſquam tempus illi concedatur ad læſionem.

Apes non vt præſentis tantum cibi memores in diem viuunt, duraturos hyeme reponunt victus, & repletis vere cellis tutus illis annus eſt. Sæuientem hanc, ſibique nociuam anni tempeſtatem non expectant aues plurimæ ſed in alias migrant regiones, ſolemque ſuum ſequuntur. Ex armenti, gregis, piſcium pinguedine ſub hyemis initium, frigus magnum & durabile coniiciunt, contra cuius iniurias ſagax animalium natura congeſtis vltra ſolitum alimentis ſe præmuniuit. Præuident imbelles pullos ſuos multis expoſitos eſſe periculis aues, dum nidos ſuos tot artibus abſcondunt, & feræ ſua cubilia. Præſentiunt proximam tempeſtatem maris aues illius incolæ, & priuſquam ſæuiat, altum relinqnentes ad placida ſecuraque littora magno concurſu ſe recipiunt. Infinitum eſt hic ſingularia recenſere, cum vel vnius ſpeciei ſolertia, vt canum, luporum, vulpium, apurn, formicarum, ſit argumentum diuturnæ ſimul & iucundæ, quia ſemper proficientis contemplationis.

His igitur præſuppoſitis quæ iam alias attigimus conuertimur ad hominem, cuius mens ad imaginem Dei facta, vt præſentis & præteriti, ſic futuri cognitionem ambit; nam ſi reperitur prænotio quædam

dam in animalibus, maior eſſe debet in homine naturas eorum eminenter complectente; Ita nulla gens tam barbara, [e] quæ non teneatur deſiderio futura cognoſcendi, & hanc notitiam vt ſibi poſſibilem multumque profuturam variis modis conſequi non tentauerit. Naturalis enim ſciendi cupiditas anguſtiſſimis coërcetur limitibus, cæcutit & hæret ſi ſe non extendat in futurum; maximè quia præſens rerum gerendarum ſtatus pendet à futuro, illius itaque coniectatrix eſt prudentia quæ cæteris virtutibus facem præfert.

[e] Cicero lib. de diuinatione.

Nititur potiſſimum experimentis, quibus ſolis; vt empyricis in medicina periculosè fides habetur, itaque futurum in cauſis altioribus mens humana quæſiuit, ſcilicet ex ſyderum obſeruatione, quam vtiliſſimam aſſerit Ptolomæus [f] vt præuiſa mala vel adhibitis conuenientibus remediis vitentur, vel vt ad illa facilius toleranda placidè ſe componat animus. Negat enim ſtellas hominibus neceſſitatem inferre, ſed aſſerit ſapientem operatione cœleſti tantum conferre, [g] quantum terris ad fœcunditatem agricola, & vt propter fatum non deſeritur agricultura, nautica, medicina, ſic non ſpernendam aſtrologiam quæ per coniecturas de futuro, monet de agendis in præſenti. Qui hanc callent artem, aſſerunt innumeris probatum exemplis infœliciter initas ſocietates inter eos quorum horoſcopi ex diametro vel quadrato ſe reſpiciunt, vel cum vnius aſcendentem gradum ferit in alterius genitura poſitus Saturnus. Obſeruant etiam, luminarium, partis fortunæ Iouis, Martis, Mercurij poſitiones contrarias, ſi confœderatio politica, bellica, litteraria non ſit ſancienda.

[f] In prœmio quadripartiti.

[g] Idem centiloq. num. 8

Hæc vulgus non inquirit, ſed quilibet infenſos ſibi reputat variis de cauſis quæ ſenſus afficiunt; vt quod aliquis ſit ex familia ſuæ ſemper infeſta; ſunt enim hæreditaria quædam odia, ſeu opinione, ſeu, vt quibuſdam placet, familiis præſint oppoſiti genij, ſitque vt perſonis & regnis, ita familiis ſuum fatum. Alij habentur inimici quia læſerunt, pertinaci ad iniurias animo, alii quia læſi ſunt, & ſupponuntur in vindictam proni, defectu tantum occaſionis vel potentiæ, vt viperæ per hyemem torpeſcente veneno, miteſcentes. Licet potiſſimum homini publico modis omnibus per ſe, per amicos, per exploratores, commiſſis etiam leuioribus negotiis eos probare qui ſibi ſunt infenſo genio, ne temerè fidem illis habeat & ad ſcopulos velut ad pharum properans, allidatur. Ita vaſſalli [h] iurant dominis ſuis nuntiare ſi quid nouerint illorum bonis vel famæ contrarium.

[h] Conſtitution. ſicular. lib. 3. tit. 16.

Quod ſi talibus aliiſque coniecturis deprehendas hoſtilem alicuius animum in te; vel ſi quis palam odium tui profiteatur, ſi minas capitales intentet quæ iuſtum inducunt metum; [i] habes illi gratiam quod occultè non ſæuiat, ſed monet vt tibi caueas; potes igitur non inermis, non incomitatus incedere, amicos, potentes in auxilium

[i] l. 7. Cod. de his quæ vi metus cauſ.

Digitized by Google

aduocare, turbam cogere, quæ terreat terrere volentem, & metum in authorem refundat. Auguſtus [k] poſtquam nimium ſenatorum numerum cohibuit, exiſtimatur lorica ſub veſte munitus, ferroque cinctus præſediſſe, decem valentiſſimis ſenatorii ordinis amicis ſellam ſuam circumſtantibus, nec admiſſum quidem tunc quemquam Senatorum niſi prætentato ſinu. Maſiniſſa Rex Numidarum [l] parum fidei in pectoribus hominum reperiens, ſalutem ſuam cuſtodia canum vallauit. Dionyſius Rex Siciliæ tonſoribus iugulum non fidens, tondere filias ſuas edocuit; cubicularem lectum, perinde quaſi caſtra lata foſſa cinxit, in quem ſe ligneo ponte recipiebat; Domitianus inſidias ſuorum pertimeſcens, porticum in qua deambulare conſueuerat lapide lucidiſſimo diſtinxit, vt quidquid ageretur à tergo poſſet videre. Miſera tyranni conditio quidquid meretur ſemper expectat, timet timentes, metus in authorem redit, nullus tamen eorum in ſuſpectos omnes deſæuiit, alioquin ciuium omnium & familiarium ſanguis fundi debuiſſet. Fluuium [l] cuius times exundationes, prohibitum eſt alio diuertere, licet tamen ripam tuam præmunire, ſic hoſtem cuius vim & animum formidas non licet tollere de medio, ſed præuiſos in te conatus, prudentia viribuſque comparatis irritos efficere.

[k] Sueton. in Auguſto.

[l] Valer. Maxim. lib. 9. c. 14.

[l] l. 1. Cod. de alluuionib.

Igitur extremam crudelitatem tyrannorum, Saturninum, timidumque furorem, naturalis etiam legis modum omnem excedit, hæc quorundam ex Erebi faucibus opinio mendicata, vnicuique licere hoſtem ſuum, quem ſuſpicatur vitæ ſuæ inſidiantem, occidere, impedire crimen & mortem ſuam, accelerata vindicta. Aduertant, inquit etiam prophanus autor, [m] non eſſe in omnibus rebus cauendis eandem cauſam, neque humanæ vitæ negotia, & actiones & officia, vel occupandi, vel differendi, vel etiam vlciſcendi, vel cauendi ſimilia eſſe pugnæ gladiatoriæ; Nam gladiatori compoſito ad pugnandum, pugnæ hæc propoſita ſors eſt, aut occidere ſi occupauerit, aut occumbere ſi ceſſauerit; hominum autem vita non tam iniquis, neque tam indomitis neceſſitatibus circumſcripta eſt, vt idcirco prior iniuriam facere debeas, quam niſi feceris pati poſſis, quod tantum aberat à populi Romani manſuetudine, occupare, vt ſæpè iam in ſe factas iniurias vlciſci neglexerit.

[m] Gellius lib. 7. cap. 3.

Crudelis huius opinionis impietatem, pluribus argumentis licet arguere, Primò, quod in vindicta iure naturæ ſeruanda ſit æqualitas, [n] at hic necem certam & meditatam infers pro dubio vitæ vel famæ tuæ periculo: quod minatur hoſtis, potes vitare modis innumeris, amicorum; potentioris, Magiſtratus patrocinio, tandem prudenti ſeceſſu, at erepta ſemel vita non reſtituitur, non eſt igitur inculpata vitæ tuæ tutela, cum vano timore percitus, ſanguinem fundis.

[n] Sup. §. 1.

Digitized by Google

etiam ſi tunc comminatur, eſſet eius ea voluntas, multa ſolent incidere quæ hanc ab effectu deterreant, non tam facilè ſcelera manus exequitur, quam iræ breuis furor ſuggeſſerit; continet malos inſitus honeſti ſenſus, horror criminis, rectrix conſcientia, tandem legum, Deique timor, quoties tonat, non fulgurat, & inter fulgura quædam infuſcant non adurunt; non abſorbet terras mare, licet bis in die fluxu ſuo minetur illis interitum, hoſtis ſæpè metu fingit audaciam, teritus minatur vt terreat, interdum, vt procul ab impotentiæ nota, pax armata manu honeſtius poſſit conciliari imitantur illos in Germania fontes, quos vocant inſanos, eo quod aqua videatur ebullire, cum ſit frigida; ſed tamen extra ſedes ſuas nunquam exilit. Inter hæc mundanæ ſcenæ ludibria cunctis nota, licebit ne ſuſpicaci, meticuloſo, crudeli, furioſo, humanum ſanguinem fundere, velut ſubſit iuſta vitæ ſuæ protegendæ cauſa? Cum vanus ſit ille metus, temerè ſic vindicantem reum efficit, Deo, Regi, proximo; vt dum mortem fugit, incurrat in turpiſſimam mortem tortoris manu, tantum crimen expiaturam. Antonius Caracalla fratrem Getam occidit, timens ex partito inter duos Imperio plurimas belli ciuilis clades, in quibus ex vtraque parte plurima hominum millia caderent; melius itaque viſum eſt ſibi populiſque publicum imminens malum vnius morte præuenire. Tamen Papinianus Iuriſconſultus, cum rogaretur vt oratione ſcriptiſque factum hoc legitimum aſſereret, reſpondit ſibi difficilius eſſe fratricidium excuſare, quam Imperatori commiſiſſe; maluitque à tyranno occidi, quam præuaricari, quam huius ambitionis ſæuiſſimæ patrocinio, nouum perpetrare fratricidium.

DOLIS SE TVENTVR QVÆ NON poſſunt viribus.

Lex 16.

RES corporeæ concipiuntur, formantur, reguntur, vt diximus ° à ſpirituali natura, & quæ ſenſus afficiunt, degeneri quadam ſucceſſione ducunt originem à cauſis nobilioribus ſupra ſenſum poſitis. Fugiunt oculos, manus & aures noſtras ſyderum influxus, ſubſtantiales formæ, rebus ſingulis inſitæ facultates, earum miniſtri ſpiritus, organorum vegetantis & ſenſibilis animæ motores & opifices. Etiam quidquid præclarum molitur natura, id in locis reconditis procul ab externa vi latens perficit.

° Supra lib. 1. l. 3. §. 2.

Digitized by Google

Seruantur omnia iiſdem quibus conſtituta fuere modis, & vt ad ſui formationem ſic ad tutelam, & vt ſecurius procedant actiones, fallunt intentos oculos, & ſuperiorum, cauſarum naturam inuiſibilem, vtcumque licet exprimunt. Cum non apparent non impugnantur, vitant impetus qui tantum in res ſenſu perceptas valent dirigi, adſunt cum abeſſe, ſurgunt cum deiici, lædunt cum prodeſſe putantur, & hæc impoſtura duplex, quæ ſenſibus fucum facit, ſcilicet vt res qualis eſt non percipiatur, & alia quam ſit exiſtimetur, dolus vocari ſolet, fortè quia geminum ex fruſtratione ſimul & læſione cauſat dolorem. In hoc mundano ſpectaculo contrariorum compoſitis, æquis ferè viribus decertantium tam efficax eſt hic occultus agendi modus vt validioribus vtilis, infirmis neceſſarius habeatur.

Dolis etiam valida proficiunt.

§. I.

NObilioribus entibus præſtantium rerum agendarum onus incumbit; multa mouentibus obſtant multa, quę ſibi ſubiicere, & præſcriptum ſibi finem conſequi non valent, ſi vires ſolertiâ doliſque fuerint deſtitutæ. Natura motus & quietis principium, dominatur quidem ſingulis, vim tamen non profitetur, & actionum ſuarum neceſſitatem, ne quid obſtet abſcondit voluptatis illecebris. Fallit vt diximus [p] in indiuiduorum propagatione quibus ſeruantur ſpecies, ſic enim allicit, vt ad huius tributi ſolutionem animalia ruant impetu, inito certamine vitam profundant, & malint mori, quam non generare: Cum productiones ſuas efficit modis incognitis, & in interiori officina, illudit homini, ne mens eius nimis curioſa, nouitatis auida, etiam maligna poſſit ſolitas leges interuertere. Leones hominum metu petunt deſerta; latitant in ſpeluncis vnde tranſeuntibus inſidiantur, per noctem prædas agunt, agrediuntur circuientes, ita ſumma vis, cum ſumma feritate, ne dolis quidem caret. Ferunt odore Pantherarum [q] mirè ſollicitari quadrupedes cunctas, ſed capitis toruitate terreri, quamobrem occultato eo, reliqua dulcedine inuitatas, corripiunt. Aquila pro fœtus ſui conſeruatione nidificat in prærupits rupibus, ſic & vultures [r] quorum nidos nullus vnquam attigit, vnde ſunt qui putant eos ex aduerſo orbe aduolare. Felis mures viribus longè ſuperat, quantis tamen dolis irrepit, nec enim ad ſui tutelam cautas niſi cautus ob-

[p] Lib. 2. ſ. §. 1.

[q] Plin. lib. 8. c. 17.

[r] Id. lib. 10. c. 6.

Digitized by Google

tineret, & hinc puto cattum vocari, quaſi cautum: propter hanc Mercurij dotem ſacer fuit Ægypijs; & Romæ Deus Catius [s] colebatur qui cautos & acutos in negotiis gerendis efficeret. Vulpes marinus oblatam eſcam non ſorbet, nec deuorat, ſed mordet, ſic per minutas partes hamum eſca ſpoliat.

[s] D. Auguſt. lib. 4. de ciuit. c. 21. Plin. l. 9. c. 43.

Sol [t] nullam ſtellarum propinquiorem habet inceſſu quam mercurium qui ab eo non recedit amplius vno ſigno, habetque ſuas domos, geminos & virginem, proximas luminarium domibus, velut potentiæ indiuidua comes debeat eſſe verſatilis prudentia. Martis & mercurii naturam habent canis minor, & caput herculis, quia tam in animantibus quam in hominibus, vires ſine dolis irritæ ſunt, moleque ruunt ſua. Ideò dicunt Achillem edoctum à Centauro ſemi homine, ſemiboue, & Minotauri ſignum in legionibus habuerunt antiqui Romani, [v] vt quemadmodum ille in intimo & ſecretiſſimo labyrintho abditus erat, ita Ducis conſilium ſemper ſecretum eſſet, nec vlli pateret aditus, niſi qui deduceret in errores inextricabiles. His conſentit Aſtrologia dum ſigna bicorporea dicit dominium habere ſuper Reges; quia ſunt duplices animo, & plus dolis quam armis imperitant, & cum marti domum & exaltationem aſſignant in ſcorpione paruo vafro animali, ex inſidiis irrepente, & lethale virus leui plaga infundente.

[t] Ptolomæ quadrip. lib. 1. c. 16.

[v] Veget. ſtratagem lib. 3. c. 6.

Cardanus de ſubtilitate [x] dicit, hominem vt medium vniuerſi, natum eſſe ad fallendum; nam inquit, belluæ, parum poſſunt eſſe fallaces ob ſtultitiam, ſuperiora propter ſanctitatem; ſed circa diuina parum ſubtilis non aduertit in Deo ſanctam & miſericordem fallaciam. Sæpe nos rerum externarum eſca vel oblata vel negata reuocat ad ſe, & ægris ſibimet infenſis, blandiendo medetur; Eius potentiam & benignitatem omnibus notam eſſe, omnibus apparuiſſe, at ſapientiam in myſterio abſconditam prædicat Apoſtolus. [y] In igne Deus, ſed non eſt ignis; [z] in homine filius, ſed non hæc ſolum quod videbatur erat, erat & quod latebat: ſpiritus apparuit in columbæ ſpecie, & tamen columba non erat ſpiritus. Liberas hominum voluntates, quas omnipotentia ſua non vult cogere, ſapientia demulcet & ſuas efficit. Sic omnibus omnia factus Apoſtolus omnes lucrabatur; cum eſſem, inquit, aſtutus; [a] dolo vos cœpi.

[x] Lib. 11. pag. 262.

[y] Roma. 1. 1. Cor. 1.

[z] D. Aug. lib. 2. de ſymbolo. c. 9.

[a] 2. Cor. 12.

Sic paterno regentibus affectu votum eſt, amore potius quam metu, arte quam vi ſubditos in officio continere; honoris ſtimulo, præmiorum commodis, amorem proprium inſitum vnicuique detorquent ad Reipublicæ miniſteria; quod optimum occultè cenſuerint, habitis comitiis, publiciſque conſiliis, curant decerni, vt id velut ſuum populus irritum eſſe non patiatur; collegarum fidem

Digitized by Google

æmulatione mutua ſibi deuinciunt. Ars eſt obſtinatos in aliquid in conueniens animos, ſpe placare, dilatione frangere, inductis nouitatibus vtiliter ad alia diuertere, ſeditioſos honoris titulo, remouere. Vt ſapientia Dei mirabilius effulget, cum natura aliud agit, prouidentia aliud elicit, ſic eximior eſt ciuilis prudentia, ſi quis aliorum opera poſſit abuti ad ſuos fines, & his vti miniſtris quibus occultum ſit conſilium. In his & ſimilibus Plato [b] dicit Principem vtiliter ſubditis ſuis fucum facere, Ariſtoteles [c] Rectoribus ideo dicit neceſſariam eſſe Rhetoricam, vt cum libuerit rebus paruis pondus dent, magnis auferant, artem hanc Plato [d] comparat picturæ, quæ citra dolum obſeruatis perſpectiuæ regulis fallit oculos, rebus quantitatem, colorem, præſentiam, diſtantiam, minuit, auget, immutat. Hinc fortè præſtigiatores olim [e] præmiis publicis donati ſunt, quia docebant artem, ad regimen facilè transferendam, qua qui præſunt, fidem populorum, deluſis oculis mentibuſque poſſunt, promereri; poſtea gratiam, quam habet æger chirurgo qui vomicam blandiente, celeri, metumque præueniente manu aperuit. Fas eſt in hoc turbido rerum humanarum pelago interdum obliquare ſinus, & ſi rectà portum tenere nequeas, id ipſum mutata velificatione conſequi.

[c] In Rhetor. ad Alexand.
[d] In Sophiſta.
[e] Athenæ. lib. 1. c. 14.

Sic ad pacem, ſummum Reipublicæ bonum, confert dolus bonus, & imponens populo fraus ſalutaris, ac longe magis eſt neceſſaria in rebus cum hoſte gerendis, doluſque plus videtur mereri gloriæ, quam ſi aperto marte pugnatum eſſet. Nam laudanda victoria [f] quæ hoſtes in conſilii noſtri rapit admirationem, & opinione frangit animos; quæ ratione, in qua poſita vis hominis, vincit homines; quæ parcit humano ſanguini, & ſaluo ærario, ſaluis copiis, ciuitati relinquit integram, ſinceramque de fœlicitate ſua, lætitiam. Sic Philippus Macedo plus ſolebat gloriari de incruenta dolis & conſilio reportata victoria, nam tota ſua erat, non militum. In aperto marte multum iuris fortuna ſibi vindicat, proſtratis ſæpe cedit gloria, vt qui animis victores, corpore tantum inferiores extitere; at ſtratagemate ſuperatus, turpis, inglorius, nullo miſerante, omnium patet irriſioni; ſi dum fugam ſimulares, perſequens in inſidias inciderit; ſi plurimum tubarum, Echo iuuante ſtrepitu, vacuis & frontem tantum præferentibus agminibus; lixarum velut militum ingenti numero territus terga verterit. Dolis iſtis, qnos vſurparunt heroës antiqui, quotidiè plurimum adiicit fortiſſimorum Ducum noſtrorum induſtria qui non negligunt pelli leoninæ, ſi non ſufficiat, vulpinam aſſuere, In armorum exercitatione probatur quilibet corporis motus, quo poſſumus ictum vitare vel inferre, propterea Socrates apud Platonem [g] irridet eum qui dicebat fortitudinem eſſe vim, in

[f] D Chryſoſt. lib 1. de ſacerdo. in fine.
[g] In Lache.

Digitized by Google

eodem gradu ſemper manendi ; regi debet à ſapientia quæ eſt omnibus mobilibus mobilior ; [h] Vapor eſt enim virturis Dei , peruadens , præueniens , ſternens fortia quælibet. Bonus eſt igitur dolus [i] quo quis aduerſus hoſtem vtitur , vt ſua vel aliena tueatur ; Nec refert [k] vi an fallacia quis poteſtatem hoſtium euaſerit , vt poſtliminio fruatur. Sed

[h] Sap. 7.24.
[i] l. 1. ff. de dol. mal.
[k] l. 26. ff de capti.

Vt vim ita dolos certis limitibus natura concluſit.

§. 2.

PLurimi naturæ doli quibus vtuntur vniuerſales cauſæ, cedunt in communem vtilitatem , ſic in illis non timetur exceſſus, nam illo magis temperatur imperantis potentiæ vis , ampliuſque ſubiectis conſulitur. Exonerat ſe per occultos meatus in terras mare ; & ſub ſolido ducit fluenta , non ſic tamen vt ſolidum diſſoluat , ſed vt generandis metallis , fructibus , animantibus fudendiſque fontibus terra fiat opportunior. Diſcedit à nobis ſol per hyemem , velut hoc hemyſpherium abdicans , deleta penitus florum, camporum, ſyluarum pulchritudine , velut omnia deberent in antiquum chaos refundi , ſed amoris hæc eſt abſentia , vt interim productionibus exhauſtæ plantarum & animantium vires , per quietem , tacitoſque prouentus reficiantur , & ipſe poſt tot horrores pulchrior omnium votis & ſenſibus ſuperueniat. Dum ſæuit hyems, aërem & maria validæ quatiunt tempeſtates, interim vtrumque purgant elementum , nautas, agricolas, itinerantes reuocant ad quietem, breui reddito votis & laboribus ſereno, terriſque ſufficienter aqua potis, calore.

Tandem hi naturæ doli quibus nos ficta ſeueritate ducit ad meliora , ſic in conſuetudinem abierunt, vt fallere deſierint, nam certum eſt tempus in quo vim ſuam remittunt, & inter minas ad beneficia placidè componimur. Nauta ſæuiente tempeſtate nauis armamenta diſponit, vt æquori ſtatim pacato ſe committat. Per hyemem agricola terræ ſemen committit, ſecurus de ſolis reditu cuius calore proficiet ad meſſem. Ita nullus eſt in talibus terror vel dolus qui ſpem reſtitutionis, & agendi conuenientibus modis, auferat.

Animalibus, quæ vt ampliores agant prædas, dolos miſcent feritati, natura ſimiliter modum impoſuit, ne debilioribus nulla ſupereſſet ad ſalutem via, nullum contra vim ſimul & aſtus refugium quantumuis inſidietur gregi lupus, non ſe transformat in minus animal, in felem, aut muſtellam, vt dum non timetur ſecurius inſultet; nihil imminuere poteſt de corporis ſui quantitate, non mutat pellem

non deponit oris hiantis & oculorum ſintillantium minas, quin ad primum eius conſpectum oues territæ, paſtorem canes cuſtodes in auxilium aduocent; Non ſic volatum ſuum fingit accipiter; non ſic ex vmbroſis inſidiatur, & inſtar ſtipitis ſedet immotus, quin aues à longè vel venientem vel expectantem non aduertant, & clamore cæteris periculum denuntient.

Animalia ſignis ſibi naturaliter notis & certiſſimis, ſuos agnoſcunt hoſtes, diuerſi ſcilicet & antipatici generis; At cum homini maximum ſit ex homine periculum, cum quiſque ſub fallaci vultu abditos gerere poſſit ſenſus; cum in interiora nemo proſpiciat; vix à ſimilis ſui dolis immunem ſe valet præſtare. In hoc deficere videtur naturæ prouidentia, Nec ſine ratione. Nam cognationem quandam inter omnes homines conſtituit; [l] vnum alteri inſidiari nefas habet; [m] lex eius eſt honeſte viuere, alterum non lædere; ius ſuum cuique tribuere, & vt nemo [n] cum alterius damno fiat locupletior; cum igitur hominem homini fecerit amicum, non hoſtem, non impreſſit vultibus hoſtilitatis fugiendæ notas, nec etiam dari debebant perennes, propterea quod affectus ſint ambulatorij, & in quouis momento mutari poſſint.

[l] L. vt vim. ff. de Iuſt. & iure.
[m] l. 10. eod.
[n] l. 206. ff. de reg. iur.

Vt tales affectus animi ſe proferrent, certiſque manifeſti fierent indiciis prouidentia conceſſit nobis ſermonem, cuius ideò veritas inter nos ſic videtur eſſe debere conſtans & inuiolabilis; ſicut inter animalia certæ manent externæ rerum ſpecies vnde hoſtilia ſibi vel amica deprehendunt. Quia tamen non hæc inter homines regnat Iuſtitia quæ ſermonem aptet rerum veritati, ſicut natura phyſionomiam formis, interniſque qualitatibus; cum etiam in hominum maligna ſocietate non ſemper expediat vera manifeſtari, ne ſuis exponantur hoſtibus, cum & Religio & politia multa contineant in myſteriis, talibus iure gentium prouiſum eſt.

Vbique receptus eſt ludus in quo poſitis legibus rigidè ſeruandis, in reliquo certatur induſtriâ; licet dolo compoſitis verbis geſtibus, actibus abſcondere quod intenditur, ad id æmulum eſca quadam allicere, vt deluſus cadat à propoſito præmio: ſic extra contractus bonæfidei, in cæteris ſtricti iuris, prout verba, quamuis deceptoria ſonant, controuerſiæ dirimuntur. In emptionibus licet infra dimidium iuſti prætij ſe circumuenire: [o] Ea quæ commendandi cauſa in venditionibus dicuntur, [p] ſi palam appareant venditorem non obligant, vt ſi dixerit ſeruum ſpecioſum; domum benè ædificatam. Excercentur decepti, inquit D. Ambroſius, [q] vt pretium luant facilitatis, & ſumant induſtriam cautionis, vnde dicitur [r] eſtote prudentes ſicut ſerpentes.

[o] l. 16. §. penult. ff. de minorib.
[p] l. 43. ff. de contrah. emptio.
[q] Lib. de fuga ſæculi. c. 7.
[r] Math. 10.

Tyrocinium eſt hoc politiæ, quæ potiſſimum conſtat dolis vt

diximus & hinc principes olim certabant ænigmatibus. Fraudem triplicem faciunt [s] leuem, mediam, & magnam: in leui continetur diffidentia & diſſimulatio, nam quæ negotiis, niſi penitus abditis, ſecuritas? Media fraus eſt conciliatio & deceptio, ſeu corruptio, cum ſuaſione præmiiſque, eos qui alterius erant iuris in partes noſtras trahimus, & vt arces ſic perſonas hoſtium, vt cumque conceditur, occupamus: has fraudes dicunt eſſe licitas, quod tamen exactiori lance & ad pondus ſanctuarii mihi videtur perpendendum. Sed magnas fraudes fatentur eſſe penitus illicitas, ſcilicet perfidiam & iniuſtitiam, hæc innocentes, ſi cupitis obſtent, tollit de medio, calumniâ, deportatione, proſcriptione, periculis exponit, hoſtium gladiis perimit, vt Dauid Vriam; captata temporis occaſione inuadit aliena, ſcelera quælibet ſucceſſu honeſta fieri credit, id æquum haberi quod vtile, authori ſuo nociuam eſſe veram iuſtitiam.

[s] Lipſius in politicis de regis prudentia.

Perfidiam vſu ſibi familiarem efficiunt, explorata, vel etiam prouocata leui cauſa ob quam licitè videantur non ſtetiſſe promiſſis; datam, etiam iuratam fidem, non ſeruaſſe. Id expreſſè prohibet diuina lex. [t] Neque mentiemini, neque fallaciter agetis, quiſquam cum proximo ſuo. Peribit humana ſocietas ſi ſic obligatam fidem frangere liceat; ſi deceptus alteri ſe non amplius audeat committere, ſi nomine tenus amicos, vt hoſtes in inſidiis poſitos formidet; ſic peribit amicitia maximus humanæ vitæ fructus, potiſſimum in aduerſis refugium. Etiam hoſtibus fidem ſeruandam aſſerunt ſapientes omnes: Pompeius pyraticum bellum pactionibus fœliciter confecit. Regulus [t] captus à Carthaginenſibus, Romam emiſſus fidem datam de reditu, impleuit, etiam certo vitæ ſuæ periculo. Ioſue [v] fidem ſeruauit Gabaonitis, etiam ipſum decipientibus. Obſeruant [x] Chriſtianorum exercitus in Palæſtina iuſta Dei vindicta fuiſſe deletos, eo quod promiſſam fidem Sarracenis non ſeruaſſent; publica enim conuentio eſt, [y] quoties inter ſe duces belli quædam paciſcuntur. Qui publicam hanc fidem fallit, obſcurat totius ſuæ gentis gloriam, ſpe leuiſſimi præſentis commodi, innumeris ſe damnis in poſterum exponit, nam illi fides non habebitur, datam læſi non ſeruabunt, velut id illis liceat iuſta talionis pœna. Deluſi furore quodam acti vltra ſolitas belli leges, igne, ferro, vaſtatione ſæuiunt, & animantur quaſi fauente numine, iuſque ſuum modis omnibus vindicaturo.

[t] Leuit. 19. 11.

[t] D. Auguſt. lib. 1. de Ciuit. c. 15.

[v] Ioſue. 9.

[x] Baron. an. 1156.

[y] l. 5. ff. de pactis.

Igitur perfidia haberi debet vt inſtrumentum nocendi debile, quod ſemel tantum percutit, deinceps ad ictus vitandos, vel inferendos inualidum; quos etiam non repellens, in ſe trahit. Similis eſt igniuomis bellicis machinis quæ dum in hoſtes exploduntur, aſtantem principem & amicos horrenda confractione conficiunt. Nam

Digitized by Google

publicum exemplum perfidiæ, docet regiminis miniſtros, etiam populos eadem vti contra ſe mutuò, & in principem pro priuatis commodis. Hinc in contractibus, in adminiſtratione iudiciorum, ærarii, belli, legationis perpetuæ fraudes, quibus intimum ipſiuſmet regis conſilium non vacabit. Romani [z] veneno vinci hoſtem noluerunt, proditione noluerunt; Venenum, [a] leges habere, emere, noſſe denique vetant, ineuitabilem peſtem occulta fraude graſſantem; & quæ tuta manebit innocentia ſi ſit in poteſtate ſecretum ſcelus? Vnde plus eſt hominem extinguere veneno quam gladio, [b] quia facinora magis improbantur quæ ſunt occultiora; [c] & ideò nunc reis capite damnatis vita non aufertur vt olim dato veneno, ne ſit exemplum populis occultè ſe vindicandi hoc vſurpato maleficio, ad quod ſponte ſua timidæ paſſiones plurimum iam inclinantur. Idem debet eſſe iudicium de fraude, cuius ſi princeps in negotiis, vel cum populo vel cum hoſte conſuetudinem fecerit, tranſibit in publicam morum fideique corruptelam, vnde totum Reipublicæ corpus, cum membris tandem cor & caput, contabeſcet.

z Seneca contro. lib. 4. cont. 7.
a Quintil. decl. 13. l. 35. §. 2. ff. de contrah. empt.
b l. 1. C. de de malef. & & mathemat.
c l. vlt. ff. de ritu nupt.

Dolus ſolet eſſe rebus infirmis præſidium.

§. 3.

INter animalia, vt expoſuimus, quædam ad ſui conſeruationem duplici munita ſunt præſidio, ſcilicet viribus & ſolertia, velut in ipſis facto ſpiritualis & corporeæ naturæ quodam temperamento: Alia viribus deſtituta, tantum arte, neceſſitatibus vitæ ſuæ prouident & vim à potentioribus inferendam, innatis ſibi dolis effugiunt. Vt hæc ſolertia vnicus ſupereſt illis vitæ ſuæ tuendæ modus, amplior eſſe debet quam in cæteris, quæ ſimul habent conceſſas à natura vires & arma; ſicut tactus acutior in conchiliis quæ cæteris carent ſenſibus, nam vnus fungi debet plurium officio.

Ceruus [d] magna canum vi premente fugit ſecunda ſemper aura, vt veſtigia cum ipſo ventus auferat; cæterorum cœtui ſe miſcet in ſyluarum abditis, vt odore canum confuſo facilius ſe ſubducat, & alios integris viribus ſubſtituens, laſſos iam venatores fruſtretur. Lepores variis ex longinquo ſaltibus inſiliunt in ſuum cubile, vt canes veſtigiis inhærentes in vacuum hoc non ferantur, ſed alio vbi repeiunt veſtigii ſenſum diuertant. Si caſu cogitur è ſuis erumpere latebris, emetitur vias tritas, ſiccas, vbi non ſint herbæ quæ tranſeuntis odorem retineant; It reditque per eadem, vt fiat veſtigiorum

d Plin. lib. 8. cap. 32.

Digitized by Google

[illegible] conſilio, vt [illegible] ſerantur in contrarie, velut [illegible] quoque in extremis interdum ingenia talia præter omnium opinionem [illegible] in cauum arboris, ſaxi, ruinæ domus, vnde ſpectat [illegible] vagantes deluſoſque cum ſuis ductoribus canes [illegible] aſtutiam [illegible]. Vulpes dum per arenas aut niuem [illegible] incedere, ſic greſſus ſuos moderantur, pedem pedi æque [illegible] ſubſtituunt, vt non videantur quadrupedis veſtigia, ſed ſimplicis rectæ lineæ ductæ, in quibus etiam cum ſucceſſiue quatuor pedes [illegible], contendatur pedis figura. Mus ſyluestris intelligit animalia plurima, vulpes, feles, canes, coruos, accipitres, aues diurnas nocturnaſque inſidiari ſibi, itaque cautus incedit per ſubterraneos cuniculos quos ipſi foderunt talpæ, & vix extra repe[illegible], niſi cum glandes caſtaneaſque colligit in proximam hyemem. Sepiæ vbi piſcantem ſenſere, effuſo atramento, quod illis eſt pro ſanguine, infuſcata aqua abſconduntur, idemque faciunt voraci piſce aduentante Squatina, Rhombus, Raia, & cæteri piſces qui in occulto [illegible] licet tardiſſimi, tamen tantæ ſunt ſolertiæ, vt mugilem velociſſimum omnium, habentes in ventre reperiantur. Polypus fugere neſcius, induit colorem ſaxi cui adhæret, falliſque ſic homines qui piſcantur, & piſciculos quos comprehendit. Chamæleon ſimiliter transformatur in ſpeciem eius corporis cui inſidet, vt ab eo non poſſit diſcerni. Inſecta plurima ſi tangas, ſtatim in orbem conuoluta, mortem ſimulant, & velut inanima, ſolo molis ſuæ pondere ruunt in præceps, ſic vim [illegible] vitant fuga, vitam & fugam abſcondunt tali motu. Tandem in infirmis animantibus vt in muribus, muſcis, paruis auibus, motus irregularis & in [illegible] partem momento varius, [illegible] conuerſio [illegible] arguit ad vitanda pericula diffidentiam, ſolertiamque, qua ſub noſtris manibus poſita, [illegible] elabuntur.

Vitium corporis defectum, donis & induſtria ſuppleri ſatis probatum eſt in homine. Naſcitur nudus, inermis, ſed ratione præditus, quæ perfectis [illegible] ſuis organis vndique vires & arma ſibi conquirit, [illegible]. Regiones frigidæ generoſos producunt milites, quippe ſanguine abundantes; at calidæ producunt homines aptos conſilio, nam ſplendor ſiccus animus ſapientiſſimus, & hinc orta ſunt artes, ſcientiæ, leges, quibus [illegible] pars orbis illuſtrior, cæteris dominatur. Aſſerunt quidam nunc mundo ſeneſcente, cum hominum corpora reddantur ſicciora, & [illegible] quam olim, decreſcentibus viribus corporis, accreſcere [illegible], vt videmus in [illegible] magis ingenioſa, ſic homines [illegible] viribus minus fortes, [illegible] magis induſtrii. [illegible] temperamenti, [illegible] corporis animique

deſtitutæ, excellunt tamen dolis, blanditiis quibus fortiſſimos heroas, victores gentium, habent vt ſeruos, & eorum opera miras olim in orbe ſtrages ediderunt ſic ſe tuetur, ſic etiam præualet

Mulier, dedit natura cui pronum malo
Animum ad nocendum, pectus inſtruit dolis
Sed vim negauit, vt ne inexpugnabilis
Eſſet, ſed ægras frangeret vires timor.

Seneca tragœd. in Octauia.

Cum cœperunt homines ex fortuitorum bonorum abundantia potentiores, ex priuatione debiles haberi, qui talibus carent, tentant defectum hunc induſtria ſupplere, & hinc ſumma rerum indigentia, quam neceſſitatem vocamus, artes omnes peperit, propterea Græci [i] vnicum templum neceſſitati & induſtriæ dicauerunt. Auari, ambitioſi, qui non habita ſed habenda computant, omnium pauperrimi, cum plus, ſcilicet immenſum, ſuis deſit cupiditatibus, vt id quod ambiunt conſequantur, nullis parcunt artibus & dolis. Sed hanc ex opinione naſcentem indigentiam longe ſuperat ea vera quæ ſua ſolertia, vitæ vel libertati grauiter oppreſſæ ſubſidium exquirit. Vnde ſerui miſera ſua cogente conditione, & intimo ad libertatem affectu dolis & fallaciis ſupponuntur addicti, eos veteratores lex [k] vocat; ideo ſi ſolum in illis animi vitium ſit, [l] redhiberi non poteſt niſi dictum ſit hoc abeſſe; nam à ſeruo conſtantia philoſophi non eſt exigenda.

[i] Pauſanias in Corinthiacis.

[k] l. fin. ff. de ædil. edi.

[l] 12 §. 4. ff. eod. l. 18. eod.

Aſſidui debemus eſſe vitæ noſtræ cenſores; [m] ſalutem noſtram cum metu operari; in humana conuerſatione velut in hoſtili ſolo, nobis ſemper cauendum eſt, & inter potentiores inimicos vnicum nobis ſupereſt ex cautelâ præſidium. Æſtimetur vir bonus ſicut lilium inter ſpinas, ſi premitur à ſpinis perforatur; ô candens, tener, & declicate flos, inquit D. Bernardus, vide quomodo caute ambules inter ſpinas. Quanta mentis in corporeo carcere cæcitas, ſeruitus, indigentia, cœleſtium bonorum pauperies? Charitas vnum eſt neceſſarium, quod cum naturæ deſit, illum mens omni ſollicitudine quærat à Deo, datum, caute portet theſaurum in vaſe fictili, & in viæ lubrico.

[m] D. Bern. ſerm. 48. ſuper cantica.

Vt in armorum ratione antiquior eſt cauendi, quam ictum inferendi cura, ſic ad vtendum dolis plus videtur iuris eſſe infirmo ad ad ſe tuendum, quam potentiori ad acquirendum. Chriſtus tamen qui via, veritas & vita eſt, viam tuendæ vitæ docuit per veritatem, vt non liceat nimio rerum terrenarum amore præuaricari. Veritatem ſalutemque nobis ipſe contulit, pretioſum ſuum fundens ſanguinem, Ipſum fortiter confeſſi ſunt martyres, licet iacturam bonorum, & plures in diuturnis tormentis mortes tyrannus intentaret; Corde enim creditur ad iuſtitiam, [n] ore autem confeſſio fit ad ſalutem;

[n] Rom. 10.

vnde damnatus eſt Elzas pſeudopropheta [o] dicens non eſſe peccatum in perſecutione fidem abiurare dummodo corde retineatur. Omnis patientia huiuſmodi Idololatria eſt, inquit Tertulianus, [p] negat quiſquis diſſimulat Non confitetur coram patre ſuum Chriſtus, [q] qui ſe coram hominibus negauerit. Igitur mentiri non licet in cauſa fidei, vt quis bonis ſuis & vitæ conſulat.

Iuramentum eſt actus Religionis [r] inuocans Deum vt primam veritatem in teſtimonium rei, cæteris non ſatis cognitæ, ideoque præceptum non peierandi & non aſſumendi nomen Dei in vanum, habetur in prima decalogi tabula quæ ad Dei cultum pertinet. Ipſimet pagani [s] nullum vinculum ad aſtringendam fidem iureiurando arctius eſſe voluerunt: illa ara, inquit Symmachus [t] concordiam tenet omnium, neque aliud authoritatem facit ſententiis noſtris quam quod omnia quaſi iuratus ordo decernit. Iurant magiſtratus, iurant omnes iuſtitiæ, belli, ærarij miniſtri, iurant ipſi Principes & Pontifices in ſua inauguratione, conceſſa ſibi poteſtate fideliter vſuros in publicam populi vtilitatem. Litigantes [v] præſtant iuramentum calumniæ, vt ſcilicet actores iurent, ſe non calumniæ cauſa litem intendere, Rei verò non calumniæ cauſa ad inficias ire: dubia litis explorat iudex delato partibus iuramento. Igitur ſi tanta ſit religio iuramenti, ſanciendis fœderibus, ſtabiliendo regimini, dirimendis controuerſiis cœlitus conceſſa, Ægyptij [x] perjuros meritò capite damnabant, vt qui duplici tenerentur ſcelere, cum & pietatem in Deum violent, & fidem inter homines tollant, maximum vinculum ſocietatis humanæ.

His ductus rationibus non exiſtimo tolerandam eorum opinionem, qui dicunt, aliquem coram iudice conuentum, ſi delatum ſit ei iuramentum, an verbi gratia debeat grauem pecuniæ ſummam, quam verè debet, eum poſſe falſum iurare, ſi talis pecuniæ ſolutio graue damnum & incommodum familiæ ſuæ ſit allatura. Doctores illi, Deum primam veritatem, produci volunt falſitatis teſtem; illum impij non timent, & non timendum cæteris perſuadent, quaſi non ſentiat, non iudicet, non vindicet prouidentiæ ſuæ contumelioſos, ita dum docent negare debitum, negant iuſtum, & prouidentem Deum proclamata, aſſecurata periuris impunitate. Omnium maximam iniuriam vocat Ariſtoteles [x] quæ fit periurio publico, vbi enim non peccabunt, qui vel apud iudicem peccant. Sed hac in re fortior ſanctiorque D. Auguſtini [y] ſententia: Quid inquit, quod vitæ huius tales amatores vt eam non dubitent præponere veritati, ne homo moriatur, imo vt homo quandoque moriturus aliquanto ſerius mariatur, non tantum mentiri, ſed etiam peierare nos volunt, vt videlicet ne aliquanto citius tranſeat

[o] D. Auguſt. lib. 1. de fide & ſymb. c. 1. • Baron. an. 105.
[p] Lib. de Idololat. cap. 11.
[q] Luc 12.
[r] D. Thom. 22. q. 89. a. 1.
[s] Cicero lib. 3 offic.
[t] Lib. 3. epiſt 54.
[v] l. 44. §. 4. ff. famil. erc. miſcen. l. 2. C. de iureiur. propt. calum.
[x] Diodor. ſicul. rer. antiq lib. 2. c. 3.
[x] Rhetorico lib. 1. c 14.
[y] Lib. contra mendacium ad Conſentiū. c. 18.

vana ſalus hominis nomen Dei noſtri accipiamus in vanum? & ſunt in eis docti qui etiam regulas figant, fineſque conſtituant, quando debeat, quando non debeat peierari. ô vbi eſtis fontes lachrymarum? & quid faciemus, quo ibimus? vbi nos occultabimus ab ira veritatis, ſi non ſolum negligimus cauere mendacium, ſed audemus inſuper docere periuria, ſaltem aſſertores defenſoreſque mendacii in Dei cultu concedant non eſſe mentiendum, ſaltem ſeſe à periuriis, blaſphemiiſque contineant: ſaltem vbi Dei nomen, vbi Deus teſtis, vbi Dei ſacramentum interponitur, nemo mentiatur, nemo laudet, nemo doceat & præcipiat, nemo iuſtum dicat eſſe mentiendum. Hæc D. Auguſtinus. Graue damnum, inquiunt, debitori hæc inferret ſolutio. Et quæ tandem ſolutio anguſtæ familiæ grauis non eſt; nec minus tamen eſt iuſta, cum ad illam iudicis authoritate, miſeri cogantur debitores, nunc carcere, olim ſeruitute,[y] liberorum diſtractione, etiam mortui corpore inter creditores crudeliter diuiſo; ſi durum eſt debitori reſtituere quod ſuum non eſt, ſed alterius, nam bona[z] non cenſentur, niſi deducto ære alieno, durius eſt creditori ſi eo quod ſuum eſt, ſpolietur; ſi beneficium ei ſuum fiat damnoſum;[a] punitur dantis beneficentia, coronatur debitoris aliena dilapidantis luxus, negligentia, fraus & mala fides; nam non diſtingunt ex qua cauſa debitor egeat, dum egeat, & hanc indigentiam definiunt non extremam, in qua deficiunt ad viuendum alimenta, ſed ſi honeſtè pro conditionis & dignitatis ſuæ gradu vita non poſſit tranſigi: cum autem ambitioni nihil videatur ſufficiens, nunquam deerit honeſti titulus, perpetrandi perfida quæuis ſcelera & periuria. Ecce reus conſtituitur in cauſa ſua iudex, & quis affectu nimio fortunæ bonis addictus non æſtimet in grauis æris ſolutione, viuum ſibi membrum amputari. Fauorabilis habetur minoris cauſa,[b] & tamen etiam læſus non reſtituitur aduerſus contractum iuramento firmatum. Mentiti ſunt Ananias & Saphira, vt vrgente perſecutione futuræ ſuæ neceſſitati prouiderent, & tamen iuſta Dei vindicta ſtatim perierunt. Nulla eſt ergo cauſa legitima impiis illis dolis & periuriis vtendi ad vitandum aliquod familiæ incommodum, nulla ſic in proximum, in Rempublicam, in Deum peccandi neceſſitas, quibus vna eſt non peccandi neceſſitas.

[y] L. 12. C. de oblig. & actionib.

[z] l. 39. ff. de verbo ſign.

[a] l. in commodato §. fin ff. commod.

CVM VIRES PROPRIÆ NON SVFFIciunt aduocatur exteræ.

Lex 17.

MVndum magnum eſſe animal eo potiſſimum argumento probant Platonici [a] quod tantam corporis molem, implet & agitat vnus ſpiritus, vnum efficiens, in vnum finem ordinatè concilians tot partes natura ſua diuerſas & contrarias. Licet vnaquæque ſingulari virtute ad ſui conſeruationem plurimum conferente prædita ſit; licet propriis innatiſque ſtare videatur viribus, communis etiam corporis ratio poſtulat, vt omnes vel in eſſentia vel in actione ſibi ſubſidio ſint, hancque prouidentia fecit neceſſitatem, vt eſſet beneficæ ſocietatis occaſio. Inferiora formantur & agunt ſingulorum vires animante cœlorum influxu; [b] cœli lumen & qualitates ad nos perueniunt aëre proxeneta, qui gratuitus diſpenſator, vel momentaneo præmio donatus, diu duraturos effectus importat; vnde nata lex ciuilis, [c] vt publicæ lætitiæ nuntiator nihil ab inuitis, vel immodicum poſſit accipere. In mundano ſicut in humano corpore vim igneam temperant humidæ qualitates; veloces cœli motus, lenta & immota; coagunt minima maximis, itaut ex Apoſtoli ſententia, [d] caput dicere non valeat manũ vel pedi, opera tua non indigeo. Germanæ vires, ſicut in exiſtendo, ſic in operando ſe comitantur; tales ſunt olfactus & guſtus, vnde per olfactum inuitamur ad guſtum: germanæ concupiſcendi & iraſcendi virtutes, ideo facilè ex libidine incitamur ad iram; duo oculi ſimul ad idem conuertuntur; ſenſu operante ſimul operatur phantaſia, ſic quando phantaſia ſpecies ſuas profert in actum, mens quoque ſuas educit in lucem, quæ prius in ſolo mentis vertice lucebant ſplendent ad extra. Nobis laborioſa data eſt mens, imus per obſtantia, pugnandum igitur, ſed bonorum aduocatis viribus & conſiliis. Expoſuimus [e] publicas cauſarum vniuerſalium largitiones quibus rerum inferiorum indigentiæ ſubuenitur, & quos à cœlo terra ſupplex petit per tot ora quot in æſtu ſiccis hiat rimulis; Nunc ſpecifica quædam ſingulis malis expetita, & conceſſa remedia hic expendimus.

[a] Vide lib. 1. l. 1. §. 4.

[b] lib. 1. l. 8. §. 1.

[c] Cod. lib. 12 tit. 64.

[d] 1. Cor. 12.

[e] lib. 1. l. 8.

& vbi nos nititur ſubleuare, vbi nullæ diuitiæ, nullæ poſſunt dignitates opitulari. Dei miniſter, microcoſmi motor & tutelaris Angelus, agit cum prouidentia ad operis omnium nobiliſſimi conſeruationem, ad ſanitatem quæ eſt inter externa bona maximum, ad annorum productionem, vnde pendet meritorum cumulus; gratiam ſanitatum quæ data fuit Apoſtolis miraculo, arte conſequitur, nec ſine ſpeciali Dei munere. Ita monet ſapiens: [h] honora medicum propter neceſſitatem, dominus enim eius author eſt, nam omnis medicina manat ab altiſſimo; altiſſimus de terra produxit medicamenta, nec abhorret illa vir ſapiens. Hic fuit etiam ſenſus antiquorum, [i] qui Deos fecerunt inuentores medicinæ, eamque cœlo dicarunt; Æſculapium [k] dixerunt filium Appollinis, vel ipſum Appollinem. Sic Iapis medicus apud virgilium. Non hæc humanis opibus, nec ope magiſtra, Proueniunt neque te, Ænea, mea dextera ſeruat; maior agit Deus.

[h] Eccleſ. 18.
[i] Plin. in procemio lib. 29.
[k] Macrob. Saturnal. lib. 1. c. 20.
[l] 11. Æneid.

Animalia quorum victus ſimplex eſt, vt plurimum, ſimplici laborant ægritudine, cui ſimplex herba, ipſis inſtinctu nota, præſens remedium eſt, canibus & cattis gramen; ceruis dracunculus; origanum teſtudini; At homo totius mundi naturas compendio complectens, tanta ciborum vtens varietate, tot diuerſis actus paſſionibus; facili cibo per tot luxus & voluptates corrupto etiam ſolet laborare malis complicatis quibus occurrendum fuit medicamentis arte diuinitus conceſſa compoſitis, & vt ſe temperarent qualitates naturæ vim excedentes, illamque vexando reſtituerent.

Horum copiam immenſam experimentis comprobatam à tot ſæculis in artem peritiſſimi deduxerunt; ſunt frigida, [m] calida, humida, ſicca in diuerſo gradu, vt aptari poſſint variæ laborantium complexioni; ſunt quæ ſubſtantiæ ſimilitudine vel contrarietate, bilem flauam, melancholiam, pituitam educunt; ſunt ſpecifica nobilioribus partibus amica, cordi, cerebro, pulmoni, hepati, lieni; ſunt exterius applicanda medicamenta; refrigerantia, repellentia, emplaſtica, anodyna, Narcotica, emolientia, attenuantia, abſorbentia, attrahentia, maturantia, detergentia & ſimilia quorum claſſes habent in numerato medici; fato cœleſtiumque maligna vi ſuperiora.

[m] Vide Fernelium de ſummis medicamentorum generibus.

Vt arcem corporis obtinet forma potiſſima morborum expugnatrix, ſic quæ ſubſidium afferunt medicamenta, non longè poſita ſunt, ſed ſolent ex iiſdem quæ nocent materiis educi, venenumque cum ſuo antidoto produxit citò benefica, clementer minax, doloris impatiens rerum natura; Nam in venenatis res inſunt maximè ſalutares, [n] arcanum enim vitæ ita munitum eſt vt veneno lædi non poſſit: hinc ex carnibus viperæ fit theriaca, terreſtris [o] ſcorpio tritus,

[n] Paracelſus
[o] Mathiol.

Digitized by Google

crudus & impoſitus ſuæ plagæ remedium eſt: Mus araneus diſſectus, & impoſitus ſui morſus venena diluit: aër naſcitur in viſceribus terræ propter periculum vacui: apud Æthiopes ſole peruſtos, ne ſiti torqueantur aquarum inopia, aut aquis ſe præ nimia ſiti ingurgitent, lothus herba comperta eſt, cuius radicem qui in cibum ſumpſerit non ſitit; vbi Leo naſcitur, [p] ſimul & Leonticida paruum animal, cuius carnes eſcis cæteris mixtas ſi Leo deuorauerit, ſtatim moritur. Se mutuò temperant vires cœleſtes, [q] & in quouis trigono, cum vnum ſit ſignum pertinens ad maleficum planetam, duo ſunt, quæ benefici naturam ſapiunt. Saturnum ligat Iupiter, martem venus, congeſtis etiam cæterorum fœlicium viribus ad protectionem vniuerſi.

[p] Solin. cap. 29. Plin lib. 8. c. 98.

[q] Origan. parte. 3. c. 1.

Eandem obſeruant in Eccleſia prouidentiam, vt dæmone hæreſes producente ſtatim plures emineant peritiſſimi doctores, ad fidei contra falſa dogmata, non ſolum tutelam, ſed ſplendorem & ornamentum, vnde dicit Apoſtolus [r] oportet hæreſes eſſe. Ex Alexandria contra Arium prodiit Athanaſius, contra Iouinianum Hieronimus, contra Manichæos Auguſtinus, contra Neſtorium Cyrillus; contra Albigenſes S. Dominicus & S. Franciſcus floruerunt, adhuc in ſpirituali ſua ſobole implent victoris de mundo Chriſti ruinas, & adimplent quæ ſuæ deſunt paſſioni. Vt ſilicem cǎlibe percutiens elicit ſemina flammæ in eius venis abſcondita, ita qui fidem Catholicam falſis opinionibus laceſſit, illuſtrat data piis peritiſque occaſione ſcribendi. Hinc enim nata ſcholaſtica Theologia quæ ſic exercitatos Doctores effecit in confutandis erroribus, vt & præteritis & futuris hæreticis omnem veri ſpeciem abſtulerit, illoſque ipſiſmet ſuis armis conficiat.

[r] 1. Cor. 11.

Similia dato ſigno mutuum implorant auxilium.

§. 2.

QVædam animalia præſentis periculi metu vocem & motum omnem continent, transformantur quantum licet, & hæc eſt illis vnica deffenſio, oculis & auribus inuadentis fucum facere. Alia dum à validiore durum aliquid vel timent vel patiuntur, acutis perſonant clamoribus, & vim imminentem toto gemebundæ ſuæ vocis conatu vicinis denuntiant. Conſentit ſibi rerum natura, & hoc inſtinctu in diuerſis contrario, idem contendit, ſcilicet conſeruationem indiuidui prout fert vniuſcuiuſque conditio. Inſecta

Chameleon, Echini, & ſimilia, cum ſint inualida, timida, infirmitatis ſuæ ſimul & ſuorum conſcia, vnde nihil expectant auxilii, ſilent, proiecta manent coram hoſte, velut mortua vel inanima vt pertranſeat innoxius, & his imaginibus quæ prædæ ſpem auferunt, deluſi vitent impetum: etiam in extremis lupi, feles, vulpes, muſtellæ mortem ſimulant, & eodem inſtinctu acie deleta proſtrati milites, quandiu ſæuit ardens martis furor, gladiuſque ſtantes omnes demetit: ſic potentiorum iræ [t] non patienter tantum, ſed etiam hilari vultu ferendæ ſunt, arridendum eſt ſuorum funeribus, vt non iterentur, lædunt enim iterum eos qui ſe læſos, velut ſimul & in fenſos dixerint.

[t] Senec. lib. 2. de ira c.33 & lib. 3. c.15

Rebus autem non deſperatis commune eſt animantibus quibus ex ſocietate vis accedit, vt orto periculo, clamore turbas concitent, & in ſuum aduocent auxilium; ſic aues diurnæ, ingenti diuerſarum vocum tumultu, concitantur in nocturnas; ita canes ſi lupum odore, vel vlulatu perceperint, inſolito, altumque perſonante latratu, ex circumſtantibus villis ſibi reſpondent, fidem dant auxilij, & ſi vox dominorum iuſſerit, agmine facto hoſtem aggrediuntur: ſic porci ad vnius intercepti clamorem horrentibus villis plures accurrunt, & communi grunnitu iras ſuas accendendo probant ſe patientis dolorem intelligere, & paratos vlciſci.

Homines ad mutuum auxilium ſibi præſtandum natos ſatis oſtendit domeſtica, ciuiliſque ſocietas, maximè ſermo cogitationes abditoſque ſenſus & affectus afferens in commercium; quia malis potiſſimum internis preſſi hoc interno iuuari debuerant remedio, ſcilicet verbis * quæ dum fidem & amicitiam teſtantur, vitæ mortalis amaritudines mira dulcedine diluunt. Sed nos eſſe natos ad excipiendum præſtandumque mutum ſubſidium maximè patet ex gemitibus quos naturaliter dolor exprimit, & qui ab omnibus gentibus intellecti, omnium ad miſericordiam mouent animos. Querula eſt vox doloris, [u] & læſus animus vociferatione paſcitur, non opprimuntur imperio lachrymæ! [v] ſed irritantur, nulla flendi maior eſt cauſa, quam flere non poſſe, eſt quædam in ipſis malis mœroris voluptas, & omnis aduerſa fortuna habet in querelis leuamentum, mœror lachrymas amat aſſuetas; [x] flendi miſeris dira cupido. Vnde ſumma fuit in Cæſare crudelitas [y] miſerorum in tormentis os inſerta ſpongia occludere, ne vocis emittendæ facultatem haberent; nam cui morituro non eſt relictum quo gemeret? cui confoſſo & laniato non licuit aliter quam per vulnera animam emittere?

* Plato in Protagora.

[u] Caſſiodor. lib. 4. varia. ep. 25.

[v] Senec. controuer. lib. 4. cont. 1.

[x] Senec. trag. in Thi. a. 5.

[y] Senec. de ira lib. 3. & 19.

Vt vegetatio, ſic illa doloris vox videtur libertati noſtræ non relicta, velut ad vitæ conſeruationem non minus neceſſarium ſit, quod imploratur externum auxilium, quam internum opus naturæ. Clamor

Digitized by Google

primum eſt hominis læſi ad ſui deffenſionem telum, vnde fur diurnus, aut nocturnus [z] ſi ſe deffendat, non poteſt occidi, niſi qui percutit, id præuio clamore fuerit teſtatus. Oppreſſi populi ſupplices ad principem litteræ, miſerorum gemitus & concurſus, vim ſeditionis publicam præcedunt. Clamor eſt affectus validi cæteros in auxilium aduocantis ſignum; ſic dum ſæuit hoſtis, dum ad arma concurritur, dum vaſtatur vrbs diluuio vel incendio, pueri, ſenes, mulieres implent omnia miſeranda conclamatione, & quæ non valent ſuis viribus, ſaltem alienis dato ſigno commotis perficere conantur. Ita ſerui [a] ſi viderint dominum obſeſſum hoſtili validiſſima manu, quam reprimere non poſſunt, capite plectuntur, niſi clamore periculum vicinis denuntiauerint, & ſaltem voce tribuerint auxilium, quia non debent periculo dominorum ſuorum ſibi conſulere. Tam validus habetur ad cæteros commouendos clamor, vt eo qui fuerit vſus ſine cauſa legitima, ad concitandam turbam & ſeditionem, incidat in pœnam legis Iuliæ de vi publica. [b]

[z] l. 4. ff. ad l. aquil.

[a] l. 1. §. 28. ff. de S.C. Sillania.

[b] l. 3. ff. ad l. Iul. de vi publ.

Plus mouent viſa quam audita, & homines plus ſolent oculis quam auribus credere: grauis dolor non habet nec verba nec gemitus, ſed profert grauiora ſigna, quæ cæterorum compaſſionem moueant; habet & ſanguis vocem ſuam qua Deum & homines deprecatur. Declamatorum ars cum tota figurarum & argumentorum vi, non ſic commouit populum Romanum pro vindicanda cæde Cæſaris, ac eius toga, perfoſſa mucronibus, madens adhuc Imperatoris proditoriè necati ſanguine in publicum expoſita: Leuites [c] cuius oppreſſa & mortua fuerat vxor in Gabaa, corpus eius in duodecim partes diuiſit, & miſit ad ſingulas tribus partem vnam, vt illatam ſibi grauem iniuriam agnoſcerent, tacita, ſed efficaci magis quam verbis accuſatione. Partium vitalium morbos, non tam acuto dolore, quam actionum læſione, & externis natura prodit ſymptomatis; febrem hecticam conſumptione, icterum colore flauo, vitiliginem albo, melancholiam & elephantiaſim, nigro.

[c] Iudic. 15.

Non eſt in illis fallax natura, ſed in ſimili mens hominum, quæ mendacibus interdum ſignis innocenti crimen imputat, & velut in reum, cæterorum iras, in ſe velut grauiter læſum miſerationes excitat; ita qui ferebat imaginem Imperatoris [d] ad inuidiam alterius, velut ne ab illo occideretur, damnabatur ad vincula publica; & qui deferebat veſtem lugubrem, [e] vt publicè oſtenderet fortunam ſuam alterius inuidia necatam; qui ſeruo perſuaſit [f] ad ſtatuas Imperatoris fugere vt infamet dominum ſuum; vel qui ad illas fugit [g] vt ſuis inimicis creet inuidiam. Graue crimen falſa doloris oſtentatione, fidem his detrahere quæ cæteros ad miſericordiam mouere poſſunt, vt vnius impoſtura dubium in cæteris neceſſitatibus efficiat, & moretur quod alienis malis prouidentia conceſſerat auxilium.

[d] l. 38. ff. de iniur.

[e] l. 39. l. 15. §. 27. eod.

[f] l. 5. ff. de extr. crimi.

[g] l. 1. C. de his qui ad ſtatu. confug.

Datis à patiente doloris ſignis auxiliantur ſimilia.

§. 3.

IAm expoſuimus [h] qua ratione ſimilia veniunt in vnionem, & vnum quid efficiunt, vt congeſtæ vires accreſcant ſibi mutuo, fiantque malis internis minus obnoxiæ, externis oppugnantibus inuictæ. Nunc autem obſeruandum eſt, quomodo ſimilia etiam locis diſſita concurrunt dato ſigno, vt vni, & in illo ſuæ ſpeciei vim patienti ferant auxilium. Ipſiſmet elementis hic videtur ineſſe ſenſus, nam dum aqua lebete contenta igne ſuppoſito, quod patitur oſtendit fremitu, & tumultuoſa colliſione partium, quæ ſuperficiem obtinent minus calidæ vt ab igne remotiores, ſubeunt locum earum quæ ſunt in fundo, & his aliæ aliæque viciſſim ſuccedunt vt in perpetuo motu fracta, nec inſidens vis agentis infirmior ſit, & magis toleranda partibus alternatim recreatis. Ad reſpirationis facilitatem, ad loca quæuis perflanda; ad ignis fuligines expellendas plurimum confert aëris purioris officioſa diffuſio, hic enim in captiui, externiſque iam infecti qualitatibus momentanea celeritate ſuccedit, paremque recipit à ſequentibus ſe partibus gratiam. In omni corporis motu, oculus oculo, pes pedi, manus manui laboranti, defectuque ſuo ſubſidium poſtulanti citiſſime ſubuenit; In partes obſtructione, vel continui ſolutione laborantes, confluit ſanguis & ſpiritus abundantior, vtque vena turgeat aptior phlebotomiæ, premit illam Chirurgus. Hæc autem ſubſidia dantur non languidè, non ad largitiones vi retentiua difficili; ſed impetu, re nimirum æquiſſimo deciſa naturæ iudicio, quod conſultationem & moras in executione non patitur.

[h] Supra l. 9.

Id euidentius patet in animantibus eiuſdem ſpeciei quæ viſu vel auditu conſortis ſui perceptis periculis, pro ſua libertate decertant. Furit taurus in vindictam viſo gregis ſui tumultu vel ſanguine. Elephantes [i] Africa foueis capit, in quas deerrante aliquo, protinus cæteri congerunt ramos, moles deuoluunt, aggeres conſtruunt, omnique vi conantur extrahere. Eadem minimis, vt maximis animalibus induſtria, talpas dolo capiunt, perforato ad palmæ longitudinem, & cuniculi ſui latitudinem ligno; aditum præſtat ſuſpenſa cedenſque ex ea parte hippoglottis ferrea, quæ pondere ſuo recidens regreſſum negat; ingemiſcit captiua, ad quam cæteræ, velut in foueam inciderit, tantam in cauum lignum congerunt ſtipantque terræ copiam, vt & magis præcludant aditum, & miſeram ſuffocent. Hæc ſæpius

[i] Plin. lib. 8. c. 8.

mirati ſumus, ſicut circa muſtellas captas & catena alligatas cæterarum officium; nam ſi collum ſuccingens numella ſit ex corio, liberæ per noctem captiuam circumſtant, liberare contendunt crebris morſibus hac eroſa qua retinetur numella. Si polypi fœmina [k] tridente feriatur, mares auxiliantur hanc detrahentes.

[k] Athenæ. lib. 7. c. 36.

Cum hic miſericordiæ ſenſus cæteris animantibus communis ſit, eminet in homine, & ſic excellens illi proprius eſt, vt indè dicatur humanitas. Ne deſit cauſæ tres concurrunt, vt illum nobis commendent, & altis imprimant pectoribus, ſcilicet natura, ratio, Religio. Natura quidem eo quod ſi brutis hunc indidit inſtinctum, ad indiuidui ſimul & ſpeciei conſeruationem, maximè ſic prouidit homini animalium præſtantiſſimo, cum ipſa ſoleat partes ſuas nobiliores validioribus munire præſidiis. Humana mens plurima ſibi fecit ex opinione mala quibus ſuperandis ipſa non ſufficeret, niſi miſerationis affectus euocaret & impenderet proximos in patientis ſolatium, & ſicut cum venenis naſcuntur antidota, [l] ſic humana ſocietas, vnde procedunt tot paſſiones & opiniones quibus exagitantur animi, etiam ferret pro remedio ſimilium miſerationem: ſanè ſicut oceanus [m] nauigari non poteſt ſine portibus, ſic vita præſens tranſigi ſine miſericordia. Huius ara [n] Athenis in foro poſita fuit, velut numinis, quo nihil melius in tot caſibus habet vita mortalium.

[l] Supra §. 1.

[m] D. Chryſoſt. hom. 33 ad popul. Antioch.

[n] Pauſan. in atticis.

Effectus illius ſunt vt ſine conſultatione raptu quodam condoleat mens afflicto; Ita pro patientibus iniuriam, indignamur; iugulatos cernentes nos mœror occupat; cum flentibus impendimus lachrymas; ad conſpectum vulneris patimur animi deliquium. Vera miſericordia [o] non iudicat ſed afficit; non nititur diſcuſſione occaſione contenta, non enim expectatur ratio, vbi trahit affectus. Vnde quos inter ſupplicia pereuntes auido ſpectamus aſſenſu, etiam ingemiſcimus: Bonum eſt [p] cum puniuntur nocentes, qui hoc niſi nocens negabit, & tamen innocens de ſupplicio alterius lætari non poteſt, ſenſu rationem præueniente, & rationem ſenſum comprobante quod homo nocens factus ſit vt tam crudeliter impendatur.

[o] D. Bernar. epiſt. 12.

[p] Tertul. de ſpectac. c. 19

Sicut omnis actionis neceſſariæ laborem natura voluptate temperauit, ſic ad miſericordiam quæ eſt alieni doloris participatio ad conſeruationem ſpeciei neceſſaria, trahit hominem tacitis quibuſdam voluptatis illecebris. Ita fit maximus populi concurſus ad tragœdias, etiam dato prætio, & ad capite damnatorum videnda ſupplicia. Licet interſit Reipublicæ ſuam exerceri publicè diſciplinam, vt pœna paucorum, ſic multorum doctrina, & ſaltem ad documentum vtatur eorum morte, qui viui prodeſſe noluerunt; ad hoc tamen ſpectaculum non eſt cogendus populus, liber, volens, iniuſſus, etiam armata vi repulſus confluit, tot funeribus nunquam non miſerante

Digitized by Google

nunquam ſatiatâ cupidine. Vult, inquit D. Auguſtius,[q] homo dolere, cum ſpectat luctuoſa, quæ cum ipſe pati nollet, tamen pati vult ex eis dolorem ſpectator, & dolor ipſe eſt voluptas eius : ſed qualis miſericordia in rebus fictis & ſcenicis; non enim ad ſubueniendum prouocatur auditor, ſed tantum ad dolendum inuitatur, qui faſtidit ſi non dolet, dolens autem manet intentus, & gaudens lachrimatur; ergo lachrymæ amantur & dolores; certè omnis homo gaudere vult; an cum miſerum eſſe nemini libeat, libet tamen eſſe miſericordem; quod quia non ſine dolore eſt, hac vna cauſa amantur dolores. Honeſtum ſui cauſa colimus,[r] nemo non amat beneficia ſua, quorum videt fructum in percipiente, & ipſi recipiunt per gratitudinem; At amici condolentes[s] mitigant afflicti triſtitiam, & ipſi videntur doloris onus comportare, quia probant dolenti quod ipſum amant, vnde naſcitur in eo delectatio ſedans triſtitiam, & in ipſis, eo quod opera ſua videant ſanatum & gratulabundum.

[q] lib. 3. confeſſio. cap. 2

[r] Senec. lib. 4. de Beneſ. cap. 17.

[s] D Thom. 12. q. 38 a. 3.

Stoïcorum opinio fuit[t] ſapientem non tangi miſericordia, quæ eſt ægritudo animi ob alienæ miſeriæ ſpeciem; nam inquiunt, talis ægritudo non cadit in ſapientem, ſerena mens eius eſt, nec quicquam in propriis etiam calamitatibus incidere poteſt, quod illum ſic obducat. Igitur ſuccurret alienis lachrymis, non accedet; faciet libens & alacer, quod alii dolentes facere ſolent; & Dei more calamitoſos propitius, inconcuſſus tamen reſpiciet. Imbecilles enim ſunt oculi qui ad alterius lippitudinem ipſi ſuffunduntur. Peruerſè ſapientes dum in naturæ legibus negant præmiſſas, negant & conſequentiam. Ipſa doloris ſenſum effudit per omnes corporis partes vt cauerent à nociuis, ita mentibus humanis indidit miſericordiæ motum, vt alienis velut propriis afficerentur, & ſe diffunderet ad plures, in indiuiduo contractùs amor; tolle doloris & ingrati guſtus ſenſum, nemo vitabit nocitura; tolle miſericordiæ motus, vix aliquis miſeriæ proximi feret auxilium. Imo timeri debet ne tali delectetur alienæ calamitatis ſpectaculo, vnde per oppoſitum fœlicitas ſua magis effulget; non ſubleuabit eum quem inuidia, ſuperbia, vanitas, ſi ſtaret, vellet deiici.

[t] Senec. lib. 2. de Clem. c. 6.

Ita D. Auguſtinus,[v] pereant, inquit, argumenta Philoſophorum, qui dicunt in ſapientem non cadere perturbationes animi, dum nullo prorſus eriguntur & excitantur affectu, humanitatem potius totam amittunt, quàm veram aſſequuntur tranquillitatem, non enim quia durum aliquid ideò rectum, aut quia ſtupidum eſt, ideò ſanum. Turbetur planè Chriſtianus animus non miſeria ſed miſericordia; timeat ne pereant homines Chriſto, timeat, triſtetur, amet & lætetur propter Chriſtum qui talibus propaſſionibus affici voluit noſtri cauſa, & qui ſe patientem dicit in paupere, nudo, carcerato,

[v] Lib. 14. de ciuit. c. 9 & tract. 60. in Ioan.

Digitized by Google

fleuit ſuper Lazarum, ſuper Ieruſalem, & magis dolebat [x] de miſeriis noſtris, quam de paſſione ſua. Igitur ſi ſapiens ambit innocenter Deo conformari, ſit miſericors, vt ſit Chriſtiformis: Nouit eſſe ſe diuinæ miſericordiæ maximum opus, ſiue reſpiciat creationem, redemptionem, poſt tot peccata reſtitutiones in integrum: repenſas ingrato gratiarum largitiones; Cur ergo miſericordiæ parenti ſuo conformis, non exhibet miſericordiam? cur reſpuit motus illos tum naturæ tum gratiæ, quibus ad officium ſuum excitatur animus, vt quod alteri concedit, ſibi potiſſimum, cœlo refundente, proficiat.

[x] D. Thom. 3. q. 46. ar. 6. ad 4.

Sit igitur cuilibet fideli hoc cum Apoſtolo [y] propoſitum gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, quis, inquiebat, [z] infirmatur & ego non infirmor; Nec timeri debet exceſſus doloris, cum ex amore naturali procedens delectet, & ſi ſuperueniat charitas, cœleſtis voluptatis torrente perfundatur: ſi non licet homini hominis animam creare, liceat dolore tabeſcentem, omnibus charitatis officiis recreare: Vnum corpus omnes effecti, vno Chriſti ſpiritu viuentes condolere debemus, & afflictis opem ferre, ſicut pedi pes, manui manus auxiliatur. Concurrunt omnes ad extinguendum incendium, ad irruptiones aquarum aut hoſtium auertendas, charitatis officium publicum munus eſt, quippe diuinis humaniſque legibus præſcriptum, ne rerum externarum diſparatâ pauperie mens à Dei cultu deficiat, pereatque culpa proximi, quem ideo Deus diuitem effecerat vt eum haberet in iuuandis pauperibus ſuæ prouidentiæ miniſtrum, ſuæ largitionis diſpenſatorem; Non eſt penitus gratuitum hoc officium, nam impenſa pauperi charitas, peccatorum remiſſione penſatur.

[y] Roma. 12.
[z] 2. Cor. 11.

Pauperibus in diuitum bonis naturale quoddam ius habere, quod dominij partitionibus in totum tolli non potuit, probat lex antiqua Iudæorum, quæ ſexageſimam agri partem relinqui præcipiebat egenis; etiam ſpicilegium, racemationem, acinos decidentes, manipulos in agro per obliuionem remanentes; decimas illis per annum repoſitas, tandem eleemoſynas vrgente neceſſitate. Non obfirmabis cor tuum neque contrahes manum tuam à fratre tuo paupere, ſed aperies illi manum tuam, ſubleuabis & ſuſtentabis eum, præcipit Deus. [a] Hic ampliſſimus eſſet locus differendi de beneficiis, de eleemoſyna tum ſpirituali, tum corporali proximis exhibenda, ſed hæc ſpeciales ſuos deſiderant tractatus, nec ingentem hanc ſegetem licet pugillo concludere; non ſcribimus moralia, ſed exponimus naturæ legem, in quam, conſtat obiter, eos peccare, feris ipſis crudeliores qui proximo laboranti non ferunt auxilium, qui miſera iam ſorte ſua languentem, torquent dilatione, repulſa, contumeliis, nec dant ſed ſuperbè precum & libertatis prætio vendunt, quod præſtare

[a] Deut. 15. 7. Leuit. 25. 35.

putant

Digitized by Google

officium; cum tamen natura docuerit id fieri debere ſine mora, impetu potius quam iudicio. Peccant etiam in hanc legem qui nullum putant officium deberi gratuitum & omnia ſuis metiuntur commodis, cum tamen pars corporis parti, animal animali ſimili ferat auxilium, aliquid inde patiens laboris & periculi, quis enim alium in onere ferendo iuuans, onus non ſentit. Mutuum date nihil inde ſperantes, inquit Chriſtus Dominus;[a] In hanc ergo naturalem & Euangelicam legem peccat fœnerator, qui cum debeat alienam ſubleuare miſeriam, ex illa per vſuras lucrum percipit, blandiendo graſſatur, & miſeras naufragij reliquias crudelis ſibi colligit. Non eſt igitur omnibus applicanda Doctorum diſtinctio lucri ceſſantis, & damni emergentis, nam longè diuerſa mihi videtur cauſa, eius qui mutuum dat petenti, non vt ſe malis imminentibus eripiat, ſed vt negotietur, magnoſque ex commodato faciat profectus; & eius qui egens, carceratus, ab immani preſſus creditore mutuum petit, nam illi tunc gratis exhiberi debet miſericordia, vel ſaltem ſine vſuris mutuum. Abſit vt tantum de ſuperfluo dentur elemoſynæ, eo ſenſu, vt ſuperfluum non intelligatur, quod ad vitam pro dignitatis ſuæ ſplendore ducendam congruit; ſic enim diuitibus huius ſæculi, & ambitioſis immenſa cupientibus, nihil erit ſuperfluum, quibus nihil eſt ſufficiens; ita præfertur vanitas charitati, mundanorum opinio, diuinæ ſapientiæ decretis: ita peribit naturali diuinaque lege proximis exhibenda miſericordia, hoc impio peſſimorum doctorum peccantibus blandientium, ſenſu; ad illos ſic Deus per Prophetam.[b] Væ qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas, & cum caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas quæ non moriuntur, & viuificarent animas quæ non viuunt, mentientes populo meo, credenti mendaciis, &c.

[a] Luc. 6. 35.

[b] Ezech 13. 18.

Digitized by Google

Vt infirma ſe tueantur adhærent fortioribus.

§. 4.

NAſcuntur omnia proprij ſui defectus conſcia, vnde cum propter infirmitatem externis ſe ſentiunt incommodis exponi, pro remedio quærunt potentiam cui adhæreant, & hac deditione vires alienas ſuas efficiunt. Fumus indito ſibi calore petens altum, ne facilè vento diſſipetur, ſcandit quantum poteſt, per recta ſolidaque ſibi opportuna duplici præſidio, ſcilicet ad aſcenſum & condenſationem. Argentum viuum ancipitem ſuam ſibique nociuam conditionem metuens; pondus quo neſcit conſiſtere, ſiccum diffluens, humidum non adhærens, mira naturæ transformatione fit vapor inuiſibilis vt in aurum aduolet, cui iam ſecurum adhæreſcens ſolidatur & albeſcit. Sequitur genium ſui planetæ qui ſolem auri parentem aſſiduè comitatur, ab eo nunquam diſtans plus 23. gradibus, velut hæc adhærentia nobiliori ſyderi retrogradationem cum cæteris non patienti, ſit inconſtantis ſuæ naturæ correctiuum.

Infirmiores plantæ, quales ſunt volubilis ſpecies omnes, ſi ſibi relinquantur non proficiunt, ſed dum vario motu quærunt adminicula, quibus ſcandant, contorquentur, gibbæ, deformes, confuſæque iacent, pedibus animalium conculcatæ; at vbi primum occurrit arbor vel pertica; hanc lætiores arctiſſimè complectuntur in gyrum ſuos circumducentes profectus, ne ſuo pondere, quod recta cadit, poſſint in imum deprimi. Hæderæ [c] ſolers natura melius prouidit, nam illi radicoſa dedit brachia, per totum ſuccreſcentibus radicibus dentata, quibus hæret muris, arbores ſugit ac ſtrangulat. Vitis ſeipſam non fert, ſed miſerè procumbens ſucco ſuo ebriorum ſortem præſagit. Huic ideo mira ratione conſultum eſt, nam pampinis ſuis adnaſcuntur ligamenta quæ prout ſurgit, vicinis vlmis implicantur, & multiplicata longam cum ſuis fructibus propaginem fulciunt, elatam à terreſtrium deprædatione vindicant, & maturandam offerunt ſoli. Eadem arte vnciſque manibus præmunita cucumeris pinum ſcandit, læta viridique fronde, prægrandi fructu iam inſoleſcens trium menſium planta, mox deſitura temerè, vt fert apologus, [d] inſultat arbori quæ plurium annorum ſæuas tempeſtates ſuperauit, ſic explicans celeres quorundam aulicorum profectus & caſus, quorum tamen momentanea fortuna contra regni proceres ſolet inſoleſcere.

[c] Plin. lib 16. c. 34.

[d] Petrus Crinitus de hone. diſcipl. lib. 2. c. 14.

Habent in villarum cuſtodia minutos canes, metu vigiles, tranſeuntibus infeſtos, quia ſcilicet ſecuri ſunt de moloſſorum quibus adhærent, & quorum iras accendunt, viribus. Blandiuntur nobis catelli dum excepti noſtris vlnis, velut inuicto præſidio, ſuperbè cuilibet ad ipſos accedenti, ſæuos morſus, & dira furentes minantur. Sic ex milui ſupra rotantis vmbra pullus gallinæ ſuum intelligens periculum, currit ad matrem, ſub eius alis ſecurus; ſic viſo territamento puer, voce, vultu, geſtibus, ſi non poteſt inceſſu conuertitur ad matrem, & exceptus amico ſinu velut tutiſſimo præſidio, quieſcit à lachrymis & metu.

Similis inſtinctus natura conſtituit inter homines amicitiam in excellentia poſitam; ſicut enim ferrum, licet in ordine elementari vt metallum ſit ſuperius magnete, quia tamen eſt inferius in ordine cœleſti & vrſæ influxu, fertur ad illum, ſuperius enim trahit ad ſe inferius vt illud perficiat, & inferius fertur ad ſuperius vt perficiatur: ſic in ſerie ſolis inferior homo licet fortunæ donis præcellens, admiratur ſuperiorem; in ordine Iouis veneratur; in ordine Martis, timet; in ordine veneris amat raptu quodam ſeipſum deferens; in ordine mercuriali ſemper ab ipſo diſcit & perſuadetur, in ordine Lunari ad mutationes inclinatur; & hanc Ficinus [d] affert cauſam cur aliqui corporis animique dotibus, vt apparet, cæteris minus præſtantes, plurimum tamen poſſint apud Principem qui à genio ſibi ſuperiori ſubſidium expoſcit. Obſcurior hæc eſt inferiori ad ſuperiorem ſympathia, at euidens eſt filij ad patrem, [e] iunioris ad ſeniorem, vxoris ad virum, ſubditorum ad principem, quibus communis lex eſt poſita; vt infirmi iuuentur à potentiore, ſicut oues à paſtoribus. Hinc adoptio [f] qua quis in alienam familiam tranſcribitur, cauſa cognita, ſi ſcilicet expediat adoptato; vt vnius paupertas diuitis facultatibus ſubleuetur. Hinc Socrates [g] proponit coniugium pœniæ ideſt paupertatis cum Poro diuitiarum Deo, vt explicet rerum ſublunarium amorem indigum eſſe, & velut è chao natum, tendentem ad aliquid melius vnde foueatur. Eo ſenſu D. Dionyſius [h] amorem definit inſitam commiſcentemque virtutem, qua infirmiora ad potiora & ſublimiora conuertuntur. Sic leges comprobant matrimonia pauperum mulierum cum viris diuitibus, vt tali ſubſidio iacens releuetur inopia, & hac inæquali miſtione, fiat quoddam ciuitatis temperamentum.

[e] Ariſtot. lib. 8. mora. c. 13.

[f] §. inſt. de adoptionib.

[g] Plato in conuiuio.

[h] lib. de diuin. nom c. 4.

[i] Plato. 6. de legib. l. 7. C. de inceſt. & inut. nupt.

Inualuit nunc apud nobiles conſuetudo, alicui ſe dicare principi, cuius affectum & potentiam ſuis promeritam officiis, habeant pro præſidio. Perículoſa tamen fide cum ſe putant obligatos ſequi partes patroni ſui, etiam Regi patriæque rebellis quod eſſe ſeditioſum & iniquiſſimum alibi probauimus. [k] Olim familiare fuit potentiorum

[k] Lib. de agente Dei in humanis.

Cod. lib 2. tit. 14. 15. 16. 18.

nomine titulos prædiis affigere; [l] vel eorum nomina in litem prætendere; lites in potentiores, vel in Rempublicam transferre, quod tandem prohibitum fuit, ne potentioris patronicium vim inferret iudiciis; Pauperi tamen licuit cauſam ſuam committere æquè potenti, [m] ac eſt is cum quo negotium habet. Publica magiſtratus authoritas ſatis validum haberi debet iniuriæ pulſatis præſidium, ad Iudices enim vt ad aras concurritur.

[d] In legib. Vuiſigoth. lib. 2. tit. 3. l. 9.

Priuatum hoc ius confugiendi ad potentiores, tranſiit in publicum, nam ciuitas metropolis [n] talis eſſe debet, vt reliquæ vrbes ad eam tempore neceſſitatis tanquam in aſylum confugere poſſint & ab ea deffendi. Eminens victrixque potentia, ſolet eſſe potiſſima ſanciendorum fœderum inter Reges & Reſpublicas, ſic [o] propter cauſa proſperitatem Abrahæ Abimelech init fœdus cum eo; & poſtea cum Iſaac; Macabæi [p] ſimiliter agunt cum Romanis, videntes quod eſſent potentes viribus, cæterarum gentium exemplo quæ hanc ambierant ſocietatem ſpe quidem auxilii, quanquam hac eſca tractæ, tandem tributa, pendere, & impoſitum ſibi iugum ſubire coactæ ſint. Regia poteſtas [q] pro tutela præſtantium virorum contra populum reperta eſt, inquit Ariſtoteles, [q] Tyrannus verò originem habet à populo, qui ſe vult tueri contra nobilitatem. Ita confluunt elementa ad maſſas ſuas in quibus magis conſeruantur: homines in ciuitates vbi iunctis viribus & induſtriis vita ducitur ſecurior fœliciorque.

[n] l. 1. C de metropoli Bery.

[o] Gen. 21. & 26.

[p] 1. Macab.

[q] Ariſt. 5. Politic. c. 10

Chriſtiana Religio frequens eſt in probanda hominum infirmitate vt hinc moueantur ad conquirenda ſibi remedia, non ab hominibus quorum ſolet inficere conuerſatio, non à fortuna volucri, non à mundo fallaci, & venenum pro medicamento propinante, ſed à Deo, qui creauit, redemit, iterum iterumque lapſos indefeſſa miſericordia reſtituit: qui habitat in adiutorio altiſſimi [r] in protectione Dei cœli commorabitur; In eius enim manu ſunt vniuerſi fines terræ, & quis vnquam in eo ſperans eſt confuſus. Hic vita conteritur inter vana, caduca, noxia, ideò nobis tantum poteſt contingere ſecuritas in ſummo, integritas in vno, conſummata quies & fœlicitas in primo æternoque bono Deo, cui ſinceris affectibus adhærere, hoc eſt ſaluari, & in immenſæ gloriæ ſuæ fruitionem admitti.

[r] Pſal. 90.

Digitized by Google

Vrgente communi periculo diuerſa, etiam contraria ſociantur.

§. 3.

COnſtat quidem mundus ex contrariis, quæ mutuò vires ſuas experiuntur, ea tamen lege vt non ad internecionem ſed ad ſpectaculum decertent, nihilque fiat quo turbetur ordo & harmonia vniuerſi. In mixtis qualitates elementorum contrariæ ſic agunt vt ſe non perimant, ſed ad actiones indiuiduo profuturas ſe magis excitent, regulantur enim & conſeruantur per formam ſubſtantialem quæ eſt impreſſio quædam corporis cœleſtis inalterabilis. In corpore pars diſſimilaris & organica, nihil aliud eſt, quam nexus decens partium diſſimilarium in vnam formam actioni obeundæ vtilem & aptam. Præualet in omnibus ratio boni communis [s] cui cedunt pugnantes affectus vel in boni conuenientis proſequtione, vel in impendentis mali fuga.

In tubis quibus arte naturam tentamus periculo vacui, ſimul aſcendit ex ſuppoſito mercurio, quod ſpirituoſum eſt, & vbi deficit, etiam terreſtre: Leuia deprimuntur, volant grauia, vnum agunt; etiam quæ qualitatibus ſuis pugnant ne mundus plagam hanc & continui ſolutionem cunctis infenſam patiatur. Simile quid videmus in canibus qui cum acriter inter ſe morſibus decertent, ſi lupum viderint, rixa ſua ſtatim compoſita, comunem hoſtem iunctis aggrediuntur viribus; Nam ira qua ſe laceſſebant accidentalis erat, & ad breue tempus conciliari facilis; at lupum oderunt eſſentiali quadam antipathia, eius hoſtilitatis imago hæret intimis ſenſibus, maior obſcurat minorem, velut totius ſpeciei cauſa tali certamine dirimenda ſit. Sic ſimul aues diurnæ licet hoſtiles, conuolant in nocturnas.

Lex illa naturalis tranſiit in ciuilem, nam cum Romulus [t] ex diuerſis populis quaſi elementis conflaſſet corpus vnum ciuitatis, in foro fuit effoſa ſpecus, [v] in quam omnes, terræ vnde orti fuerant, particulam conferebant, vt ſic in ciuitatis vnius ac patriæ populum animi coaleſcerent & omnes communis boni ratio conciliaret. Cum acerbè regnantibus mos ſit, eligere collegas infenſos ſibi mutuo familiari diſcordia, ne conſpirent, & aliquid præter mentem regentis moliantur; artem hanc arte deluſerunt plurimi [x] boni publici ſtudio, dum depoſitis priuatis ſimultatibus fidem ſibi mutuo dederunt in his quæ ſpectant ad commodum Reipublicæ, vnanimes fieri, ne vt medici de laborantium vita, ſit adminiſtri de communi ſalute crudeliter

s Supra. lib. 1. L 12.

t Florus. cap. 1.

v Cœl. Rhodigin. lib. 1. c. 6.

x Valer. Maxim. lib. 4. c. 2.

Digitized by Google

luderent, concertatione ſupra modum ambitioſa.

Quid mirum id in maximis fieri negotiis, quod in venatione publica, quod in vrbis obſidione, in tributis præſtandis, in bello, in muſico concentu quotidie fit, vt domeſtica quærela diſſidentes, ea velut obliterata, ſimul conferant opes operaſque ſuas pro boni publici commodis. Etiam Catholici vnitis aliquando viribus cum hæreticis, idololatriæ reſtiterunt,[y] & ſic ſub Diocletiano, Petrus Monachus Catholicus, & Epiſcopus quidam Marcionita hæreticus, pro Chriſti nomine, eodem rogo combuſti ſunt, ſed non eodem ſecundum ſcientiam zelo, nec eadem æternæ retributionis ſpe. Inter eiuſdem partis milites quotidiana diſſidia non obſtant, quin fortiter contra communem hoſtem pro ſuo principe decertent, & quæ diuidebat eos in rebus priuatis æmulatio gloriæ, iunxit & accendit in præſtandis maximis belli facinoribus. Dæmones ſe non diligunt, iuuant tamen cum agitur de ſtruendis hominibus inſidiis, & hæc cum cæteris naturæ bonis poſt lapſum remanet in illis naturæ lex, licet illam immanis nocendi cupiditas in malum detorqueat. Idem dedere conſilium ſpiritu ſuo motis hæreticis, vt licet dogmatibus contrarij ſint, fœdus tamen ineant in oppugnanda Catholica Romana Eccleſia, cuius veritatis ſplendor impoſturas & turpitudines omnium æquè manifeſtat.

[y] Baron. an. 308. num. 1.

Themiſtocles[z] orto bello contra Perſas facilè ſedauit diſſidia, tunc inter Græciæ ciuitates vigentia, ipſis ſolo naturæ ductu in pacem inclinantibus vt vnione fortiores efficerentur contra communem hoſtem. Quis non miretur, quis ſatis lugeat Chriſtianorum Principum cæcitatem, infidelitatem, furorem, qui dum vident Turcam Chriſtiano nomini infenſiſſimum, Chriſtianos omnes quos occupare poteſt dura ſeruitute prementem, cogentem ad parricidia, dum catenis & verberibus eos adigit in triremibus contra ſuos nauigare; Cum vident ſæuiſſimum hunc tyrannum ſacratas Chriſti domini ſanguine terras, occupantem; excidium orbi toto Chriſtiano minitantem & iurantem, ſe tamen bellis inteſtinis conficiunt, & tanta fidelium ſtrage, corruptis per bella moribus & religioſis inſtitutis, conſumptis ciuilibus ærariis, hoſti ſuo ſtultè ſimul & impiè militant.

[z] Plutarch. in Themiſtoc.

Ecce confluunt in vnum hæretici vt vnitis viribus Apoſtolicæ ſedi quem à tot ſæculis minantur, tandem afferant interitum. Vident, intelligunt tartaream hanc coniurationem Doctores, & cum ob vnitatem fidei quam profitentur, hierarchiæ cui nomen dederunt, corporis cuius ſunt membra, Chriſti Domini cuius ſe dicunt domeſticos, eſſe deberent vnanimes, in ſe tamen opinionum turbulenta contrarietate decertant. Controuerſiam longa diſ-

Digitized by Google

cuſſione ſapientiſſimorum Antiſtitum iudicio ponderatam, oraculo ſuo tandem ſoluere dignati ſunt ſummi Pontifices, & adhuc qui cauſa ceciderunt, animo pertinaci, verbis, ſcriptis, retentant diſputationes, agunt conuenticula, & damnatas opiniones, velut furtiuas aquas dulciores, curioſis propinant: hinc ſordeſcit Doctorum nomen, ſic diſſidentium, ſic ſe pertinacibus argutiis conficientium; vacillat fides velut olim certa, nunc problema ſit; ab ea multi deficiunt, & in æqua concertatione non habentes cui certò credant, nulli credunt, effecti de dubiis infideles; quis pertinaces illos Doctores exiſtimet catholicos qui ſic proditoriè detrahunt ordinis ſui dignitati, Romanæ ſedis veritati, maieſtati, iuribus, qui ſic dilacerant, Chriſti tunicam, Eccleſiæ fideique vnitatem, & priuatis ſuis opinionibus non renunciant, ſaltem ob imminens ſcandali, hæreſeos, infidelitatis commune periculum.

FVGA ET LATEBRÆ SVNT VLTIMVM infirmitatis præſidium.

Lex 18.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PLantarum & animantium vitam quæ materiæ torpores motu ſenſuque mirè diſcutit, pretioſum opus eſſe Dei conditoris probat ipſa rerum natura quæ tot mediis vti ſolet internis externiſque ad eius conſeruationem. Primum formâ ſubſtantiali, quæ cum ſit cœli fœtus, contraria ſic conciliat in indiuiduo, ſicut cœlum ipſum elementa cogit ad ſocietatem in vniuerſo; quælibet ſuis eſt prædita potentiis quæ referunt ſub agente primo motrices intelligentias. Animalia fugiunt ſibi contrarium per conſtrictionem, vt bonum ſibi conueniens proſequuntur per dilatationem; hi duo motus ſunt omnibus communes, & horum principium notatur in cordis ſyſtole & diaſtole; conſtringitur metu & triſtitia, dilatatur lætitia & ſpe. Motus conſtrictionis eſt à circumferentia ad centrum, dilatationis autem à centro ad circumferentiam; Cum autem mouetur animal motu conſtrictionis, retrahitur tota eius ſuperficies verſus vnum punctum in medio & figuratur concauum dimidiæ ſphæræ, cauſa eſt, quod motor non eſt aliqua forma elementaris, ſic enim motus eſſet rectus, ſed eſt aliqua reſultatio & veſtigium motoris cœleſtis, cuius motus eſt in gyro & circularis, deficit autem in animali quod deſcribit tantum ſemicirculum.

Albert. Magn. lib. de motib. animal. c. 1.

Digitized by Google

Formæ tam nobili & cœleſti mirè conſentit artificioſa partium compoſitio actionibus cuilibet ſpeciei propriis, accommoda. Quorundam corporum facies, velut arx munitiſſima hoſtium arcet impetus & præuenit, nulla ſpe vincendi relicta, ſic Echini telis, conchiliata tecto lapideo, leones, pantheræ, lupi, plurima minaci rictu ſiſtunt aggreſſoris audaciam; nec fruſtra nam quidquid præ ſe ferunt horridi, ſuperat in certamen ab hoſte prouocata feritas. Eximium quid eſt, & fortitudinis exemplar naturale, ardenter in pugnam ferri cum ad illam vocat iuſtæ deffenſionis occaſio; ſupponit enim liberam, ſubiici neſciam indolem, & ſi ſors tulerit, vincere paratam. Cum propriæ vires non ſufficiunt, & cogit neceſſitas, auxiliares à ſimilibus mutuari, id cum indigentia, connotat tamen dignitatem naturæ tanti pretij vt eius ſingulare periculum commune cenſeatur, & communi periculo vindicandum. Sic inferiorum creaturarum homo nobilior, nudus & inermis naſcitur, contra temporis & rerum ſibi nociuarum iniurias, non proprio ſed alieno tantum tutus præſidio.

Quidquid in talis protectionis vel initi certaminis commendationem dicatur, ſuis hæc non vacant notis in aliquo contumelioſis: Nam quæ non ſtant per ſe ſed alieno ſubſidio, cui debent quod ſint & agant, in hoc plurimum diſtant à ſuperioribus cauſis nullius indigis, & quæ fœcunda bonitate continuo dant inferioribus, nihil ab illis accipientes. Similiter pugnare melius eſt, quam hoſti ſæuienti cedere, quia tamen pugnantia reſiſtendo multa patiuntur, & ſæpè non niſi pluribus acceptis plagis grauius vitant periculum, melius illis eſſet nec pugnare nec lædi; vt melius eſt non ægrotare quam ſanari, acerbis potiſſimum remediis. Independentem, planam, ſecuram deffenſionem natura conceſſit rebus infirmis, & gradus ſui deiectionem hac compenſauit tutelâ, vt illæſæ, vt quietæ vim hoſtilem fruſtrentur, quod valida magno labore magniſque periculis & incommodis vix obtinent. Securitas hæc in fuga & latebris eſt poſita, quæ motu contractionis etiam in aliena materia ſeruant indiuiduum: Ita quod infirmum, quod turpe putant homines, in natura ſuo non caret encomio.

Inſirma

Infirma fugiunt à nocentibus & latent.

§. 1.

ORbis primam conſtitutionem authores tum ſacri tum prophani deſcribunt per fugam contrariorum à ſe mutuò, vt ſicut qualitatibus, ita locis plurimum diſtent, & in hoc poſita eſt tota ordinis mundani ratio. Terra tenet imum ſuis librata ponderibus, & in orbem conformata, vt quantum fieri poteſt ab inimico ſuo cœlo ſeparetur. [b] Maria ab ortu in occaſum continuo feruntur motu; quoniam à ſole rareſiunt, intumeſcunt, & ideò præcurrunt, velut aqua feruens in caldario intumeſcit vbi ignis applicatur; & ad oppoſitam fugit partem; quod ſi ignis in gyrum apponatur ac moueatur, & ipſa in gyrum abit; cœlum autem voluitur, ita cauſat maris fluxum & refluxum qui eſt motus ſemicircularis, nec perfectus, quia terris interiectis maria non efficiunt vnum continuum. Aër fugit ignem ipſum depaſcentem dum rarefit, & huic periculo exponit tantum partes, quæ penitus neceſſariæ ſunt, ne detur vacuum. Argentum viuum, natura ſua frigidum, ignem ægrè patiens nunquam ſatis miranda metamorphoſi, fit de denſo ſubtile, de ponderoſo volatile, de craſſo inuiſibile & ne hoſti ſuo cedat in prædam, tenues euaneſcit in auras. Cucumis [c] pendens è ſarmento, ita refugit ſubditum oleum, vt reflectendo ſe curuetur in ſinus, quia habet conſtitutionem ſuam ex multa aqua, quæ fugit oleum. In locis proximis iuxta mare [d] flectunt ferè ſe arbores, & incuruant quaſi auerſantes auras maris, & fugientes ramis, ſi non poſſunt ſtipite.

[b] Campanella.

[c] Fracaſtor. lib. de ſympath. c. 9.

[d] Bacon. in hiſtoria ventorum.

In elementis & plantis obſcurior eſt à nociuis fuga. At hæc manifeſtior apparet in omnibus animantibus quæ deprehenſa, celeriter eripiunt ſe ex hominis conſpectu, quem naturaliter intelligunt libertati vitæque ſuæ inſidiantem. Etiam Leo [e] animi nobiliſſimi fera, magna canum & venantium vrgente vi, cedit in campis, contemptim quidem vbi ſpectari poteſt, at vbi virgulta ſyluaſque penetrauit acerrimo curſu fertur, velut abſcondente turpitudinem loco. Lepores, cerui, damæ, omnes feræ fugiunt canes quaſi fidos hominis miniſtros; fugiunt accipitrem columbæ, perdices, & omnis imbecillium volucrum turba; fugiunt homines etiam fortiſſimi, metu iuſtiſſimo, maris inundationes, domus ruinas & incendia, peſtem, morbos populares, fuſo ſanguine ſe paſcentes tyrannos, & quidquid ſapit vim maiorem à nemine præſtandam. [f] Apud Cannas deletis Romanis, Ciuicam coronam meruit Sergius, [g] quod indè fortiter fugiendo fortunam viciſſet; & ex illo pari Conſulum ibidem

[e] Plin. lib. 8. cap. 16.

[f] l. 23. ff. de regn. iur.

[g] Plin. lib. 7.

Digitized by Google

dimicantium fortiorem ciuem exiſtimarunt Varronem qui fugit, quam Paulum qui occubuit, nec aliter ſenatus populuſque Romanus iudicauit, qui publicè gratias ei egerunt, quod de Republica non deſperaſſet. Athenienſes [h] cum Perſarum impetum nullo modo poſſent ſuſtinere, vrbe relicta, naues ſtatuerunt aſcendere, vt Græciæ libertatem claſſe deffenderent.

c.28. Lipſius lib. 1. de conſta. c. vlt.

[h] Cicero lib 3 officior.

Quis in ciuili ſocietate, & communis vitæ negotiis ferat impetum vitiorum tam magno comitatu venientium. Nemo non aliquid nobis virtuti contrarium, aut commendat, ant imprimit, aut neſcientibus allinit: Mundanæ leges diuinis oppoſitæ peccandi ciuilem quandam neceſſitatem efficiunt. Vrget interna paſſionum ſeditio; conſentit exterius coniurata malorum, innocentiam obſidentium, turba; ipſiſmet altaribus impoſita colitur iniquitas, & miraris ſi qui vident abominationem deſolationis in loco ſancto, ex præcepto Chriſti domini, [i] ſpretis omnibus fortunæ bonis, fugiunt ad montes ideſt ad puriorem vitæ rationem. Turbam hanc ma'is ſuis enutritam etiam gloriantem, non poſſum ad meliora ducere, poſſum autem ab ea debilior abripi, poſſum infici, itaque tutior eſt ſeceſſus. Nihil foro, [k] nihil campo, nihil curiæ debeo, vnicum mihi negotium eſt, nec aliud nunc curo, quam me curem; Nemo alteri naſcitur moriturus ſibi. Sic vbi deſperata communis ſalus, ſibi conſulit qui non poteſt omnibus.

[i] Math. 13.

[k] Tertulian. lib. de pallio. c. 5.

At quandiu fortitudini locus eſt, quandiu ſuperſunt cæteris vires & animi, variamque fortunam ſibi conciliare poteſt bellicus ardor, turpiſſimum apud omnes gentes habitum eſt hoſtibus terga vertere, & impotentiam, cum non vrget neceſſitas, profiteri, Reipublicæ, ſociis, etiam cœlo iuuanti contumelioſa timiditate. Hinc olim militiæ deſertores [l] induti veſte muliebri perpetuam ſubibant infamiam. Romanis legibus [m] ignauia flagitioſa deliteſcens vt à bello ſe eximat, capite punitur. Fugiunt & qui ſe ſuoſque debilitant, vt fiant ad bellum inhabiles, & hos interdum morte, [n] interdum perpetuis vinculis & ſeruitute Imperatores damnarunt.

[l] Diodor ſicul. Biblio. hiſtor. lib. 12.

[m] l. 3. Cod de deſerto. capit. Caroli M. lib. 6. cap 353.

[n] l. 4. §. 11. ff. de re mil. l. 1. Cod. Theod de filiis milit. Valer Max. lib. 6. c. 3.

Fuga tendit ad latebras, vt ſibi cauens infirmus, ab hoſtis perſequentis conſpectu ſe eripiat, loci diſtantia, tenebris, vel ſinu recondito. Latent animalia quæ, vt diximus, fucum faciunt oculis, & abſentiam dolo mentiuntur. Vt ſæpiæ [o] quæ vbi ſenſerunt ſe apprehendi, effuſo atramento, quod illis eſt pro ſanguine, infuſcata aqua abſconduntur. Brachmanæ Philoſophi [p] ſe cum libuiſſet, faciebant inuiſibiles, eadem ratione qua Gyges [q] annulo ſuo fatali, viſus hominum cum volebat fugiens Lydiorum regum obtinuit, & plus illi profuerunt opportunæ latebræ, quam ingentes exercitus. Apes [r] hyeme conduntur, non enim illis inſunt vires, ad niuem, & aquilonis flatus perferendos. Similiter quandiu durat illa

[o] Plin. lib. 9. c. 29.

[p] Philoſtr. in vita Apollon lib. 3. c. 3

[q] Diodor. ſicul.

[r] Plin. lib. 11. 6.

Digitized by Google

ſæua tempeſtas latent, limaces, teſtitudines, glyres, mures montani, inſecta pœnè omnia. At quæ innatam ſibi perpetuam agnoſcunt infirmitatem, perpetuas affectant latebras talpæ, lumbrici, per diem cuniculi, vulpes, lupi, etiam magnanimi leones, ortus eſt ſol congregati ſunt & in cubilibus ſuis congregabuntur. Draco marinus, [s] captus, atque miſſus in arenam, cauernam ſibi roſtro mira celeritate excauat.

[s] Plin. lib. 9. cap. 27.

Vt infirma pro ſui deffenſione latent, ſic conditione nobilia, ſtatu, virtute præſtantia, etiam latent, cum eorum vim beneficam ſiſtit inferiorum cæca pertinaxque multitudo, niſi fuerit arte deluſa. Ideò diximus [t] cauſas vniuerſales ſibi ſubjectis inſciis etiam inuitis auxiliari, vt ægris medici, pupillis tutores, populis qui paternè dominantur. Illis propoſitum eſt occultè publicum conferre beneficium, ne fremat in contrarium ex ſe timida inuidorum artibus concitata plebs, ne ſapientiam vnius obruat confuſa multitudo, ne numero potentior in malum ſuum ſit inuicta, oculſis ideò modis proceditur, vt ſe prius ſanatam gaudeat, quam curandam timuerit. Religionis ſimul & politiæ decreta latent ſub myſterio, & tam diuina quam humana potentia, ne vim inferat liberis affectibus illos arte præuenit, & alio tendentibus beneficiis promeretur.

[t] Supra lib. 1. l. 9.

Pertinacem in malo voluntatem, nemo niſi ſalubriter fallens detorquebit in bonum. Vnius viri boni virtutem, quamuis in ſe validiſſimam expugnabunt malorum iniquitates circumfuſæ, niſi latenter ſibi viuat, in ſinu gaudeat, & ſuos in aliorum commodum emittat influxus. Ita vitales corporis partes nec ſub oculos nec ſub manus cadentes ſaluæ ſibi manent, & cæteris beneficæ. Sic in occulto & in reconditis officinis natura conficit ex vaporibus mineralia, liquores in gemmas conſolidat, ſemen in partes ordinatiſſimas animalium conformat; ex reptibilibus efficit volatilia. Tranſiit hæc neceſſitas in artificioſam maieſtatem & ſenſim hominibus, hæc fuit impreſſa mens, vt maximum ex occulto metiantur; maior eſt ex longinquo reuerentia; difficilis ad Principem acceſſus, & ipſum videre beneficium eſt. Non eſt igitur exprobandum ſanctis quod ab hominum communi ſocietate ſe ſubducant; nam Religioſa [v] nullius ſunt, & in commercium cum rebus cæteris æquum eſt non venire, ob ſui ſecuritatem, & aliorum reuerentiam. Lux tamen illa lucet in tenebris, nec latet niſi cæcas mentes, & in inſenſibilium conditionem vitio ſuo conuerſas, vt ſol ligna & lapides; Non vni genti, ſed magnæ mundanæ Reipublicæ natus eſt ſapiens, vacat à minoribus officiis quæ ſub ſenſum cadunt velut mechanicis, mercaturæ, cauponariæ, vt totus ſit in maioribus, conſiliiſque ad maiorem ciuitatem pertinentibus, ignotus plebi, quæ plebem mouent naturales diuinaſ.

[v] § 8. Inſt. de rer. diuiſ.

Digitized by Google

que cauſas contemplatur; Id Deo præſtat ne tanta eius opera ſine teſte ſint; populis leges dicit ſæculis omnibus profuturas, & inſtar Dei, miſeris abſconditus auxiliatur.

Imperfecta & indecora pudor tegit.

§. 1.

OMnia, ſicut diximus, in exiſtentiam velut in certamen veniunt, cum intimo quodam ſenſu ſui deffectus, quem & abſcondunt quantum licet duplici de cauſa, tum ne patens infirmitas in ſe de victoria ſecurum hoſtem aduocet, vt cum ceruus vi canum preſſus ad occurſum venatoris, multas ſibi ſupereſſe vires affectatis præter neceſſitatem ſaltibus, mentitur: cum miſeri debitores vt vitent inhiantem ſibi creditorum turbam ex paupertatis vel minima ſuſpicione crudeliorem, magnifici conantur apparere, & dilabentis fortunæ ſuæ reliquias auidius profundunt, breuique fiunt ne tunc videantur ad extremum egeni. Vrbes obſeſſæ proiectis etiam è mœnibus cibariis fingunt abundantiam pene deleti exercitus incedunt ſimiliter explicata fronte, ſed cauis legionibus & ordinibus. Familiariſſimum omnibus accuſatis de crimine vel aliquo turpi facto ſtatim plurimas excuſationes pretendere, quæ probata innocentia imminentes legis pœnas vitent; ſic primus homo reatum falſo negans, cumulanſque mendacio grauius effecit.

Secundo ſe tegit infirmitas excellentiæ quodam ambitu, cui ſibimet, ſpectantium etiam exiſtimationi non reſpondere, cæteris non præferri turpe cenſetur. Hinc iactabundi, quos in ſe ſentiunt defectus abſcondunt verbis ad laudes ſuas arte concinnatis, & ipſiuſmet gloriæ quam affectant contemptum ſimulantibus. Præcipiunt ſapientes * quædam beneficia palam danda, quædam ſecreto; palam quæ conſequi glorioſum eſt, vt militaria & honores, & quidquid aliud notitia pulchrius fit, quæ autem occurrunt infirmitati, egeſtati, ignominiæ, tacitè donanda ſunt, vt nota ſint ſolis quibus proſunt; Interdum & ipſe qui iuuatur fallendus eſt, vt habeat, nec à quo acceperit ſciat, vt inutiliter verecundus quod deſiderat, inueniat potius quam accipiat. Ita beneficium contumelioſum plus lædit quam iuuet, ſatis ſic danti gratus eſt qui beneficio eius ignoſcit.

* Seneca lib. 2. de Beneficiis.

Videtur hic deformitatis abſcondendæ ſenſus ipſiſmet inſenſibilibus ineſſe, velut ſi cum nimis deficiunt à ſummo bono, à ſumma

Digitized by Google

pulchritudine creatrice, timeant rigidam Angelicæ humanæque mentis cenſuram. Naſcente mundo terra deſcribitur inanis, vacua, [a] ſimul & tenebris obſita, iam præludens futuris naturæ proceſſibus quæ rerum præcipuarum formationem perficit in ſecretioris officinæ ſeceſſu, ne parum decora materiæ ſenſim formas induentis diſpoſitio lædat oculos, & ex operis nondum perfecti rudimentis indocta cenſeatur. Hæc eadem terra circum ſe fluentibus elementis ſua glorians firmitate, ſi vel hominum excauantium, vel aquarum partes ſuas diſſoluentium & eradentium vitio dehiſcit, lapſum hunc interdum repentè ſic emendat, vt nulli remaneant hiatus, [b] ſicque cauernæ capiunt ruinas montis, agri, oppidi, vt nullum vſpiam veſtigium appareat, quod accidit cum cauernæ reſpondent in capacitate moli ruinarum. Simile quid in corporibus noſtris vulnere confoſſis molitur natura. Paucis enim interiectis diebus plagam externam replet carne citra modum ſuccreſcente, vt non minimum experto chirurgo faciat negotium, peniculo viam excreſſionibus neceſſariam, ſemper apertam ſeruandi. Non vult videri læſa vt nec aberrans, cum monſtra [c] propter facilem ſeminum confuſionem in mari frequentia, ſeruat in abyſſis procul à littoribus ipſi timendis, propter hominum hinc de ſuis operibus male iudicantium, præſentiam. Viſus [*] atrum eſſe affirmat id quod tranſire nequit, vnde aërem nigrum è longinquo, candidum ex propinquo videmus, & maris quod propè adeſt candidum, quod procul cæruleum & nigrum. In horizonte cœlum terræ iunctum apparet, & vltra ſex aut ſeptem leucas ſpatium non dari, quia nec videri poteſt; natura ſic viſus defectum in res obiectas adulantibus apparentiis retorquet.

Expreſſior eſt in animantibus inſtinctus abſcondendi quod in ipſis debile & probroſum eſt, Elephas [d] nocte tantum miſerabili voce ſeruitutem ſuam luget, homine ſuperueniente tacet, velut pudor vocem præcludat, & turpius ſit, quæ plurimum auerſatur, pati. Cerui [e] poſt libidinem auidè petunt pabula, vbi ſe præpingues ſenſere, latebras quærunt fatentes incommodum pondus; cornua quotannis ſtato veris tempore amittunt, tunc petunt inuia, latentque velut inermes & indecori. Pauo [f] cauda annuis vicibus amiſſa cum foliis arborum, donec iterum renaſcatur cum flore pudibundus ac mœrens quærit latebras. Aues omnes canoræ ſimiliter decidentibus per ætatem pennis ſic verecundè tacent, latentque vt putes emortuas.

Non ſic in illis cæteriſque animantibus pulchrè conformari potuerunt corpora, quin ſint partes quædam obſænæ mittendis excrementis deſtinatæ, ſed illas ſic plumis, pilis, cauda, cutis contractione prudens natura contexit, vt earum penitus lateat turpitudo.

[a] Gen. 1.

[b] Georg. agricola lib. 2 de cauſis ſubterran.

[c] Cardan. lib. de rer. variet. c. 38.

[*] Ariſt. problem. ſect. 25. q. 10.

[d] Philoſt. in vita Appollo. lib. 2. c. 5.

[e] Plin. lib. 8. c. 22.

[f] Id. lib. 10. c. 20.

[g] Gen. 3.

In homine [g] poſt peccatum primus fuit ex verecundia doloris ſenſus, nudum enim ſe ſentiens fugit à facie Dei, nuditati quæſiuit operimentum, excuſationem peccato, vtriuſque tegere volens quam conſcientia percipiebat infamiam. Non eſt hic pudoris ſenſus ex hominum opinione, ſed natura docente mouenteque barbaros etiam ſub zona torrida veſtem non patientes, pudenda tamen tegere. Pudet animum immortalem hæc in corpore ſuo præferre ſicut generationis, ſic reparandæ corruptionis organa; pudet liberam, artibus ſuis toti naturæ velut imperantem, in exiguo proprio domicilio abſolutum non habere dominium, patique quos nollet importunos libidinis motus; pudet ſic deiici, ſic quas appetit mundicias inquinari, ſi premit neceſſitas ſaltem auerſatur pœnæ naturalis inſtrumenta, & quaſi non eſſent, optat non videri.

[h] Gen. 9.

Inter primos homines à diluuio, Cham [h] maledictionem incurrit Noë patris quod à vino proſtrati nuditatem impudenter conſpexiſſet.

[i] Plutarch.

Miſſenæ virgines [i] furore quodam velut populari morbo inter illas graſſante, cum ſibi manus violentas afferrent, ſuſpenſis nudis mortuarum cadaueribus & expoſitis populo ab hoc ſcelere deterritæ ſunt anticipato metu ſuæ futuræ turpitudinis, & pudoris ſenſu ipſis etiam extinctis nihilque ſentientibus ſuperſtite. Nequidem ſcenicis [k] olim Romæ ſine ſublicaculo prodire licuit, ne partes quædam corporis aſpicerentur indecorè; Ita nec cum parentibus filio, cum ſocero generi lauare licuit, natura verecundiæ duce & magiſtra. In Anglia [l] mos erat ſtupri reos nudos cum femoralibus & cereo in manibus circuire Eccleſiam populo ſpectante cum autem aliquis zelo vt videbatur auſterioris pœnitentiæ turpiter ſe penitus nudum exhibuiſſet, reiecta fuit & grauioribus pœnis caſtigata hominis impudentia. Parcendum vt oculis ſic auribus, & ſi phantaſia nolentibus ſpecies rerum indecoras obiicit, modeſtiæ munus eſt illas ſilentio ſupprimere, ex Apoſtoli præcepto [m] vitare turpiloquium, velut propriæ latentis turpitudinis argumentum, incentiuum alienæ.

[k] Cicero. 1. officior.

[l] Æneas Siluius comment. lib. 1. cap. 2.

[m] Coloſſ. 3.

Si rectè mortalium vitam æſtimes in eo totam videbis eſſe poſitam vt quilibet defectus ſibi, naturæ, fortunæ, voluntatis vitio proprios contrariæ perfectionis larua tegat, apud proceres opportunè negotiatur adulatio cum vnuſquiſque cupiat non tam eſſe quam videri à turpibus immunis. Velat caput ſuum mulier [n] intortis ampliatum capillis, vt infra ſolitam hominibus capacitatem exile, non ſit exilis & ad magna peragenda imparatæ mentis argumentum. Sic homines naturalem nuditatem ſplendidis veſtibus & palatiis; famem opiparis conuiuiis; infirmitatem indigam opis alienæ, magnifico ſeruorum apparatu; tyranni metum ad majeſtatem compoſita militum cuſtodia operiunt & excuſant. Minus tamen noxiè quam cum pro-

[n] Rupert. in geneſim lib. 3. cap. 9.

Digitized by Google

digi ne videantur ſuas omnes exhauſiſſe facultates, illas nouis reparant concutionibus; quam cum Dionyſius Sycilię tyrannus hominem nefarium ad dignitates euexit, vt eſſet quem ſe magis odiſſet populus; quam cum Auguſtus probé noſcens in Tiberio [o] morum acerbitatem, eum tamen Imperij ſucceſſorem elegit, vt quæ dura ſecerat, eius comparatione leuia viderentur ſuique poſteris relinqueret deſiderium. Blaſphemat timidus vt ex numinis contemptu nihil formidantis audaciæ credatur. Reges inceſtuoſi ne notarentur infamia, illegitimæ coniunctionis labem lege lata deterſerunt, communemque fecere. Multi malæ mentis impetus * vel fato vel aſtris imputant, nolunt enim ſuum eſſe, quia malum agnoſcunt. Cogunt turmas ſectariorum hæretici, malumque ſuum quantum licet propagant, ne videatur error ſingularis, ſed populi velut Dei voce comprobetur. Iniquiſſimum ſimul & abſurdiſſimum hoc eſt excuſationis genus, ſcelera ſceleribus vt tegantur cumulare, plus enim apparent congeſta, non fallunt oculos, ſed indignationem bonorum & cœlitum in ſe conuertunt; vt homini placeant, vt ſeruo blandiantur, Deum omnium Dominum, omnis boni largitorem ſpernunt, vt fugiant vanam humani dedecoris vmbram, incurrunt in diuinæ Iuſtitiæ paratas tot criminibus pœnas.

[o] Sueton. in Tiberio.

* Tertulian. in Apologetico.

Non ſic excedere nec tanti conſtare debet innatus decoris appetitus, vt eat per calcatas diuinas humanaſque leges, quid enim homini turpius quam à ratione ſibi propria, à Deo boni honeſtique idæa deficere? Paſſim in communis vitæ muneribus licitum eſt innocenter proprios abſcondere defectus, vt cum quis collectum ex lapſu veſte puluerem clam ſtatim officioſa manu detergit, quaſi pœnæ ſolatium ſit non videri; licet decurtatum caſu pedem alteri parem efficere, ſuppoſito qui claudicationem impediat, calceo; vnius humeri gibbum altero pariter farcimentis elato tegere; vno priuatum oculo, ea parte qua viget alter, vt olim Antigonum pingere. Ex Euangelio ieiunantibus licet lauare faciem, ne vt in hypocritis videatur ad ſpectaculum exterminata. Vultus mulierum deformes optimè velum decet, mulieri tamen licitum non eſt [p] faciem vt pulchrior appareat pigmentis acquiſititio candore rubori mixto perfundere, operi diuino ſatanæ ingenia ſuperinducere, vanitatis & accendendæ concupiſcentiæ cauſa.

[p] D. Thom. 2. 2. q. 199. a. 2. Tertulian. lib. de habitu mulie. c. 5

Licet parum ſapienti, ſcientiæ ſuæ defectum ſilentio, varios animæ motus, vultu geſtuque ſemper in modeſtiam compoſito tegere, vel ideo ſeceſſum quærere, ſic enim Tiberius [q] procul ab vrbe degens ſæuitiam ac libidinem quam factis promebat, locis occultare nitebatur. Secretum quod exigit cliens à patrono, amicus ab amico, Dominus à vaſallo, pœnitens à confeſſario, quilibet ex charitate à

[q] Tacit. 4. annal.

proximo, licet maiori fide maiorique cautela ſibimet præſtare, ne malis in res noſtras ſecretiores admiſſis, plurima detur illis occaſio nocendi.

Hinc lento diuturnoque ſupplicio torqueri putantur hi, quibus ob perpetratum crimen irrogatur infamia, inuruntur pœnales notæ, vt fugitiuis mancipiis, militiæ deſertoribus, damnatis in metallum, ſacrilegis, homicidis [r] qui iubebantur olim ferre collo ſuſpenſum à ſe necati corporis particulam: hi toties pereunt, quoties proferuntur, quoties patiuntur oculos æternas illas commiſſi criminis notas obſeruantes, quoties turpitudinem quam natura docet abſcondere, lex in pœnam viuacemque mortem publicis exponit aſpectibus. Si magna pars peccantium tollitur, [s] cum peccantibus teſtis aſſiſtit, cur non præſentem, renes & corda ſcrutantem Deum, Patrem, Principem, iudicem homines non verentur, cur metu ſimul & amore in ſupremæ maieſtatis conſpectu non abſtinent ab illicitis?

[r] Suidas in voce ἱμμα-τίων.

[s] Seneca. epiſt. 11.

Sæpè vis inimica cedendo frangitur.

§. 3.

MVndum Plato dixit ludum eſſe Deorum, vel ſapientum ſpectaculum eo quod in eo maximè certatur dolis & videre licet validiora impetu magno ruentia ſuis frangi viribus, ſi quod aggrediuntur opportunè loco ceſſerit. Mare furens & aſſultans diſſoluit munitiones quibus ars tentauit coërcere fluctus ſuos, ne ad aliquod breue ſpatium diffundantur; at libertati ſuæ relictum tumentes vndas in ſe replicat, & in arenarum lata planitie, cum nihil contra nititur vi propria langueſcens retrocedit; fulmen parcit rarioribus quæ momento penetrat, at denſa confringit, eo quod propter reſiſtentiam in illis diutius maneat & agat. Similiter noſtra belli fulmina quæ tantas edunt ſtrages turrium, propugnaculorum, ædificiorum, cadunt in caſſum ictu fruſtrato, torpeſcente celeritate ſuper mollem lanarum congeriem. Meſſes, arundines, arbores rarò ſternit tempeſtas, irritam enim efficiunt flexu, propter longitudinem in materia minus ſolida facili, ita vim ſequendo, cedendoque vitant. Iratum mare nullus hominum ſedauit, ſed nauis obliquat ſinus, contrahit vela, it reditque fluctuans in anchoris, latitat in portu donec miteſcant fluctus, & illis ſe committere volentibus, arrideant. Vt lex ciuilis [x] nimiam nautarum audaciam coërcet, nec permittit nauigationes per hyemem velut nimis periculoſas; vt cum peccantibus

[x] l. 3. Cod. de naufr.

Digitized by Google

tibus humoribus ſtatim ab initio medicus non confligit, [y] nec crudos, ſed concoctos curat, ſic in rebus humanis prudentia non ſemper probat præcipites ad ſui deffenſionem conatus, vbi ſpes eſt vim illatam paulatim ipſo tempore deſituram, interim tum in rebus priuatis, tum in Iudiciis, etiam in cauſa fidei, fugam latebraſque præcipit.

[y] Hipoc. lib. 1. Aphor. 22.

Maximum iræ remedium, mora, [z] graues habet primos impetus, tota vincitur dum partibus carpitur; Ideò dare locum iræ præcipit Apoſtolus, [a] Ità ſeruus non habetur fugitiuus [b] qui latet domi donec ira domini ſui efferueſcit, ſicut nec is qui ſe confert ad amicum, quem ad precandum perducat: Poteſt quis latere non turpi de cauſa, inquit lex, [c] vt ſi tyranni crudelitatem timet, vim hoſtium, domeſticas ſeditiones, creditorum inhumanam auiditatem.

[z] Senec. lib. 2. de ira. c. 28.
[a] Roma. 12.
[b] l. 17. §. idẽ ait ff. de ædil. ed.
[c] l. 7. § 4. & 13. ff. quib. ex cauſ in poſſ.

In bello Duces fortiſſimi fugiunt certamen, quo magis ad illud hoſtis inclinatur, nec illud vnquam ineunt ad eius arbitrium; expectant tempus cui cedere turpe non eſt, ne turpius ſit vinci & iniquas pati pacis conditiones; ſic Fabius maximus fregit Hannibalem & rem cunctando reſtituit, non ponebat enim rumores ante ſalutem; ſic Marius [d] non auſus ſtatim congredi cum hoſte, milites ſuos tenuit in caſtris, donec inuicta illa rabies & impetus quem pro virtute barbari habent, conſeneſceret. Antigonus olim ingruentibus hoſtibus cedens dicebat ſe non fugere, ſed retrò poſitam vtilitatem perſequi.

[d] Florus lib. 3. cap. 3.

Quamuis iudicio ſiſtendi neceſſitas vrgeat; & in contumaces vt in reos conuictos, pœnæ ſæpius decernantur, vmbratiles tamen illas multi innocentia ſua tuti, maluerunt ſubire, quam coniuratis paratis tunc ad nocendum hoſtibus ſuis exponi, cum maximo vitæ ſuæ periculo. Non enim videtur [e] vi & iniuria à iudicio exemptus, cui ſit ius non conueniri. Is ſanè grauis & iuſtus eſt metus, legitima declinationis, fugæ, latebrarum cauſa. Nam omnes [f] quorum in alterius manu vita poſita eſt, ſæpius illud cogitant, quid poſſit is in cuius ditione ac poteſtate ſunt, quam quid debeat facere. Sic Alcibiades [g] accuſatus innocens de crimine capitali, noluit iudicio ſiſtere; Amens eſt, inquiebat, qui vitam ſuam alieno ſubiicit iudicio, cum ſit illi declinandi poteſtas, & addebat, hac in re non fiderem meæ matri ne nigram fabam albæ loco non aduertens mitteret in vrnam. Sic Themiſtocles, [h] ſic Furius Camillus, innocentes capitaliter accuſati ſapienter latuerunt, donec tempus coniuratorum artes dilueret, & veritati ſuum reſtitueret ſplendorem. Præuidit hoc ſapientiſſimus Moyſes Dei conſilio, & homicidas inuoluntarios noluit [i] in iudicium vocari, licet paratiſſimam haberent abſolutionis

[e] l. 5. ff. ne quis eum qui in ius.
[f] Cicero pro Quintio.
[g] Plutarch. in alcibia.
[h] Idem. in Themiſt.
[i] Deut. 19.

Digitized by Google

cauſam ; ſed eos præcipit confugere ad ciuitates refugij, & iudiciorum declinationem, in quam multum inclinat ſibi timens natura, effecit legis præcepto neceſſariam, vt ſic tutior eſſet contra vim omnem, innocentia. Inter moras, hoſtilitatis ardore remiſſo, de crimine capitali poteſt transſigi [k] quia licet vnicuique quoquo modo redimere ſanguinem ſuum; nec tranſigens [l] pro confeſſo habetur, ſed cenſetur tantum vitaſſe periculum.

[k] l. 18. C. de de tranſactio.
[l] L. Fin. ff. de præuaric.

Ita vis inimica cedendo frangitur & in multis fuga non infamat, ſed protegit, innocentiæ, fortitudini, veritati ſuum præſtat patrocinium, in cauſis tum priuatis tum publicis, etiam dum agitur de Religione, cui proprium eſt contemptis omnibus fortunæ bonis, vitæ periculo, fidem publicè profiteri. Fuit error Montani & Tertuliani [m] fugam in perſecutione non eſſe licitam, quaſi perſecutio ſit à Deo decernente & volente, ſic nec iuſtum, nec poſſibile ſit ab ea immunem ſe præſtare. Si valeret hæc opinio nullis contra morbos confligendum eſſet remediis; arte nulla ſibi prouidendum eſſet in malis innumeris quibus ſcatet humana conditio : Non eſſet fugiendum à peſte, ruina, diluuio, ab incendio, ab hoſte ; complauſis manibus eſſet excipienda vis omnis : Iniuſtitiæ, impietati ſæuienti dedere ſe deberet indeffenſa virtus & Religio. Longè diuerſum eſt, Deum permittere mala quæ contingunt ordinaria naturæ lege, vel hominum peruerſa voluntate, & aliud eſt eum aliquid futurum à cauſis ſecundis penitus abſtracto, æterno, non vitabili fato decreuiſſe. Non ſibi contrarius eſt infinitè bonus, ſapiens, & potens; qui dedit, non impugnat legem Euangelicam ; qui vult eam ab omnibus recipi, omnes ad agnitionem veritatis peruenire, non eſt inſtigator, promotor, etiam neceſſariò cogens & exactor, vt aliqui coniuràtis mentibus fidem impugnent, cæteri deſerant, vim hanc velut inſuperabilem patientes. Lumen quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, non facit, non inducit tenebras; ſummum bonum non eſt mali cauſa, ſed permittens mala naſci ex libera peruerſaque hominis voluntate, his ita ſolet vti, vt bonis non noceant, imò cedant in maiores virtutis profectus.

[m] lib. de fuga in perſecut.

Summus victoriæ titulus eſt & apex Chriſtianæ fortitudinis, fidelem, gentilium manibus apprehenſum Dominum confiteri; ſecundus [n] ad gloriam gradus eſt cautâ ſeceſſione ſubtractum Domino reſeruari; Illa publica, hæc priuata confeſſio eſt : Ille iudicium ſæculi vicit, hic contentus Deo ſuo iudice, conſcientiam puram cordis integritate cuſtodit ; Illic fortitudo promptior, hic ſollicitudo ſecurior: Ille appropinquante hora ſua, iam maturus inuentus eſt, hic fortaſſe dilatus eſt in melius; confiteretur vtique ſi fuiſſet & ipſe

[n] D. Cyprian. ſerm. 5. de lapſis.

Digitized by Google

detentus; quiſquis in Chriſto manens interim cedit, non fidem denegat, ſed tempus expectat. Sancti [o] cum præſtituti ſibi à diuina prouidentia temporis finem ignorent, noluerunt inſidiantibus ſe temerè tradere, ſed circuientes in melotis, egentes, anguſtiati; in cauernis terræ latitantes, expectabant definitum à Deo tempus. Inhærebant exemplis Chriſti qui fugit in Ægyptum, & ſæpè declinauit inſidiantes ſibi Iudæos, hoc ipſum Apoſtolos docuit, cum perſequentur vos in vna ciuitate fugite in aliam. Paulus per ſportam euaſit perſequentium & comprehendere volentium manus. Quis ſibi confidat ſe tantam habere fortitudinem vt ſuperet ſæua tyrannorum tormenta? rebus ita dubiis in perſecutione melius eſt fugere quam negare: [p] Petrus quia fugere renuit abnegauit, Ioannes ne abnegaret, aufugit.

[o] S. Athanaſ in Apologia de fuga ſua. Baron. an. 356.

[p] Chryſolog. ſerm. 150. & 151.

Martyr comprehenſus [q] debet tenere conſtantiam, non comprehenſus debet fugere perſecutorem, vt & perſecutori indulgeat reſipiſcendi tempus, & ipſe nihil conferat ad hoſtile periculum, perſecutorem qui prouocat facit, corrigit qui declinat. Fugere ergo debemus, ſi ſaluare perſecutores noſtros volumus, pro quibus præceptum eſt nos orare. Ariſtoteles [r] Athenis accuſatus quod de Diis malè ſentiret, non ſe purgauit coram iudice, ſed ſe contulit in Colchidem dicens, nolo Athenienſes bis in Philoſophiam peccare nam & antè Socratem interemerant. Sibi, hoſtibus, iudicibus ſapienter fugâ conſuluit.

[q] Gregor. Nazian. orat. 3.

[r] Laërtius.

Boni interdum pugnam cum malis deſerunt, [s] ſi defectu auxilii viderint laborem ſuum ſuperuacaneum, maximè ſi è vicino cauſæ ſuppetant quæ fructum valeant Deo ferre meliorem. Ita diſtinguit D. Auguſtinus; [t] fugiunt ſerui Chriſti, quando quiſpiam eorum ſpecialiter à perſecutoribus quæritur, itaut ab aliis qui non ita quæruntur non deſeratur Eccleſia: fugiunt etiam ſi cæteri fugerint, nec ſint quibus oporteat miniſtrare: fugit Athanaſius dum ſpecialiter quærebatur; at ſi commune ſit periculum, paſtor, lupo veniente gregem ſuum non deſerat, ne ſit velut mercenarius, & quærat non quæ Ieſu Chriſti, ſed quæ ſua ſunt. His exceptis caſibus, in perſecutione fuga ſic habita eſt licita & ſancta, vt confeſſorum numero comprehenderentur qui dicebantur extorres, hoc eſt qui ne Chriſtum negare cogerentur, neue per ipſos Religio diſpendium pateretur, dimiſſis omnibus bonis ſe ſubtrahebant, quæ facti potius quam verborum confeſſio dicebatur; ſi in eo ſtatu mortui fuiſſent habebantur vt martyres.

[s] Can. ibi adunati 7. q. 1

[t] Epiſt. 108

[u] Baron. an. 253.

Digitized by Google

ſerpat in perniciem animarum. Olim improbatæ lectionis libri conferebantur à fidelibus [i] igni tradendi, ſic libri Porphirij contra Chriſtianam Religionem iubentur [k] comburi, ne pias mentes offendant. Nunc vix tale conceditur remedium voluminibus typographiæ nociuo beneficio infinitè multiplicatis. Si penitus ſint contra fidem aut bonos mores, viget Eccleſiaſtica diſciplina politiæ iuncta, vt impoſitis pœnis quantum fieri poteſt, ſupprimantur & ſaltem impii in tenebris conticeſcant. Interim ſi dogma tale ſit vt prurientibus curioſis auribus, interdicto magis placeat, & gratius excipiatur, natura ſemper in contrarium nitente, ex D. Dionyſii conſilio, [l] melius eſſet, errore ſuppreſſo, ſilente controuerſia, veritatem validis ſuis nixam rationibus proponere, Nam, inquit, vbi veritas demonſtrata clarè conſtat, arguitur ex oppoſito diſſimile, & cum quiſque afirmet ſe habere regium numiſma, vero propoſito facilè conſentiunt omnes & adulertatum repudiant.

[i] Act. 19.
[k] l. 3. C. de ſum. trinit.
[l] Epiſt. 7. Polycarpo.

Turpe habetur non tantum facere ſed etiam loqui rem turpem licet neceſſariam; omnis ſermo turpis recedat ex ore veſtro, inquit Apoſtolus, [m] hæc enim reaccendunt conſopitas cupiditates, [n] cordis puritatem fœtore quodam inficiunt, irritant ſenſuum voluptatem ſpiritui contrariam, vnde ſic apud ſe ſtatuerat Dauid [o] integritatis & diuinorum deſiderio, non loquatur os meum opera hominum. Quid igitur dicendum de his qui conſultò percurrentes celebrium Doctorum libros, Eccleſiæ plurimum vtiles ad illuſtrationem fidei, ad hæreſum confutationes, ad mores Chriſtianè conformandos, aliquas ex illis diuellunt propoſitiones velut bonis moribus non congruas & has in publicum proferunt, vel authores infamandi, vel publicos mores corrumpendi gratia, vtrumque à Chriſtiana charitate & pietate penitus alienum. Cui plura ſcribenti, aliquid minus exactè dictum non excidit? vſus eſt Retractionibus D. Auguſtinus, & nunc etiam, ſi viueret vteretur, videns ſcripta ſua ſic in prauos ſenſus detorqueri vt Eccleſiæ pacatiſque mentibus negotium faciant. Nec propter aliqua non ſatis accuratè penſata excidit à cultu ſuo Angelicus Doctor? quis audebit diuinæ prouidentiæ, & ordini mundano ab ea conſtituto detrahere propter aliquod in nobiliori ſpecie contingens monſtrum? quis non attendens ſolis immortalem ſubſtantiam, viuificos influxus, inexhauſtos ſplendores, eum æſtimabit & denominabit ex næuo quem ope tubi fortè fallacis in eo deprehendit oculus, & obſcurum in meridie cœli dominum pronuntiabit? quis diuulſam à ſuo corpore partem, & à ſuo contextu ſententiam exponet ea pollentem gratia, quam habebat ex ſui totius proportione & ſpiritu.

[m] Coloſſ. 3. 8.
[n] Caſſian. lib. 4. 15. & collat. 10. c. 9.
[o] Pſal. 16. 4.

Sit tandem in ſcriptis, elapſus error, melius latebat in tanta re-

Digitized by Google

rum vtilium copia, labem hanc obſcurante. Noluit ſapiens Paterfamilias à tritico ſeparari zizania, [p] licet frequens, ne ſimul eradicaretur triticum: hi calumniatores, propter granum vnum zizaniæ volunt non ſolum ditiſſimam diuinæ ſapientiæ meſſem, ſed etiam meſſis dominum, & domini propinquos omnes igne damnari. Non valent ductæ conſequentiæ à ſenſu compoſito ad diuiſum; ex melle dulciſſimo educunt chymici extractum violentiſſimum quod aurum diſſoluit, & pro cibo ſumptum vitam perimeret, nam vt ex venenatis elici poſſunt medicamenta, ſic ex cibis deleteria, ſoluta ſcilicet qua mixtum conſtabat, temperie, ſi quid erat minus exactè ponderatum in allegatis propoſitionibus, manebat innnoxium, quia nec apparens, in eruditionis optimæ copia; nunc autem contumelioſi tot minutias colligendo corpus efficiunt, & ex atomis ſolidum, conſcientias ingenti lædens ſcandalo.

[p] Math. 13.

Exponunt confertim, nudeque propoſitiones inſolitas, non addita nec diſtinctione nec ratione qua ſolui poſſit dubium, venam aperiunt, quaſi medici, & eam non comprimendo vitam exhauriunt. Sic D. Auguſtinus [q] ad Conſentium, qui Priſcilianiſtas ſectam ſuam occultantes, inueſtigabat; Magis inquit, fac vt expugnata iaceant, quæ feciſti vt prodita pateant, ne falſa dogmata ita inueſtigata videantur, quaſi docenda fuerint, non redarguenda. Nam velut proclamata cupiditatibus libertate, in furtis, homicidiis, ſimonia, periurio, inde titubant piæ mentes, & dum hæc vitant peccata quæ dicuntur Doctorum virorum iudicio probata, timent ne ſe vanis torqueant ſcrupulis. Confirmantur in malis ſuis contractis habitibus mundani: conſcientiæ ſenſim efficiuntur criminibus familiares, & magnæ ſic aberrantium turbæ, cum authoritate doctorum, cum excuſatione probabili facilius accedunt.

[q] Lib. de mendacio.

Si pro veris hæc admittantur, perit virtus, perit charitas & ſimul fides Chriſtiana? ſi non admittantur & à ratione fideque vt proponuntur, habeantur penitus aliena; perit fama, perit authoritas in cæteris fortiter pro fide decertantium; ſic in ſuis militibus velut exautoratis infirmatur Eccleſia militans. Inhumanum eſt [r] Chriſto quotidie parturientem congregationem tot infamiæ pœnis ſubiici: ſeditioſum eſt propalare coram populo, quod Antiſtitum iudicio ſoluendum erat: Impium eſt actores Dei ſic infeſtare, ſic Patrum turpitudinem filiis, hoſtibus, plaudentibus hæreticis aperire; flagellatos exponere populo, vt iterum in ſuis Ieſus crucifigatur? Cum ſint ſoluendis Eccleſiaſticis controuerſiis Eccleſiaſtica tribunalia poſita, ne ſacerdotio debita reuerentia prophanetur, [s] cur non prouocant ad Doctores, ad Antiſtites, ad ſummum Pontificem. Cur ad plebem cæcam in talibus, contumelioſam, probis, & aura maligna

[r] l. 3. ff. de pœn.

[s] Can. ſi quis & ſeqq 11. q. 1. & can. placuit. 21. q. 5.

Digitized by Google

ſe paſcentem? Si tales opiniones ſunt, vt aiunt, carbones deſolatorij, cur ignes illos ſubterraneos, prius latentes & innoxios libero committunt aëri ad tantas mundo ſtrages inferendas? cur exulcerant cancrum latentem, [t] vt fiat exitioſus, & ſerpat in pernitiem animarum? cur ex imo tempeſtates excitant Petri nauem horrendè vexaturas? cur ligatum in abyſſis dæmonem ad ſeducendas animas euocant noua nec adhuc ſatis damnata necromantia Intereſt Reipublicè non ſic mores corrumpi, non ſic dignitatem ſacerdotalem traduci, ideo plurimas ex his opinionibus hoc in opere, vt occurrit legis naturalis occaſio, confutaui, non credens reos qui accuſantur, ſed ne quæſtiones illæ vt nudè proponuntur grauiſſimorum doctorum judicio probatæ, Chriſtianis mentibus pernitiem inferrent.

[t] 2. Tim. 2.

E' DVOBVS MALIS MINVS ELIGITVR.

Lex 19.

HÆc, vt ſæpè diximus, mundi compoſitio conſtans ex contrariis naturam ſemper continet in procinctu, nunquam ab actione, nunquam à conflictu vacantem, vel vt fortiora cæterorum diteſcant ſpoliis; vel vt infirma contra vim illatam ſibi, certamine, dolis, tandem latebris & fuga ſibi conſulant; at cum omnia nata ſint ad interitum, differri quidem poteſt non vitari his rebus ad ſui conſeruationem conceſſis modis, & iam illius vltimi fatalis termini præludium eſt, & quædam mortis delibatio ſic inter duo mala concludi, vt vni eorum ſe dedere neceſſe ſit.

Hoc vrgente periculo, vt natura quæ ſemper quod melius eſt facit, etiam malum quod maius eſt vitat, nam bono proximius eſt, & bonum comparatiuè cenſetur quod minus habet rationem mali. Ea lege partes vniuerſi vim faciunt innatis ſibi qualitatibus, mouentur immobilia, aſcendunt grauia, leuia deſcendunt, quælibet etiam non amica nolunt à mutuo complexu diuelli, ne detur vacuum, quia melius eſt partem quam totum iniuriam pati Corpus obſeſſum [v] ab heterogeneis ſe recipit ad minus inimica, vt metallum foliatum, cum non delectetur aëre circumfuſo, à natura ſolidi & ponderoſi plurimum diſtante, adhæret cuilibet corpori tangibili, maximè verò craſſo; nec facilè diuellitur: etiam papyrus & pannus non ſe benè habent cum aëre qui inſeritur & commixtus eſt cum ipſorum poris, itaque

[v] Bacon in nouo organo.

itaque aquam aut liquorem libenter imbibunt, & aërem extermi-nant. Sic aquam trahit ſpongia. Cum oporteat ex corruptione fieri generationes, minus nobile cedit in alimentum nobiliori, elemen-tatum vegetatiuo, vegetatiuum ſenſitiuo, ſenſitiuum rationali: ſi materiæ defectus immineat, [x] natura ignobiliori parte prærerita, nobiliori prouidet; ſi turgeant humores, nociuos reiicit vbi minus noceant, ſi morbis neceſſario confligetur, [y] grauiorem ſanat minus periculoſo, conuulſionem & tetanum quartana, melancholiam, per hemorroydas, ophtalmiam, diarrhæa.

In hac electione minoris mali mirabilis eſt animalium inſtinctus. Ceruus [z] vrgente vi canum, vltrò confugit ad hominem, & in pa-riendo fœmina ſemitas minus cauet humanis veſtigiis tritas, quam ſecreta loca feris opportuna. Idem [a] ætatis ſuæ arbiter, ſerpente pa-ſtus, veneno langueſcit in iuuentutem. Perdix vt vitet accipitrem ſi-bi magis notum infenſiſſimum hoſtem, conuolat ad homines, la-tens deprehenſa patitur ſe manu capi, hac libera deditione, ſperans, nec fruſtra miſericordiam, dum viua venit in venantium manus. Pe-dicula capti, vulpes, lupi, feles, vt diximus, pedem quo detinen-tur, extirpant ſæuo morſu, libertatem & vitam redimunt membri mutilatione. Sæpiæ vt vitent piſcatorem, aut piſcem voracem effun-dunt atramentum, quod eſt illis pro ſangnine. Melanaurus [b] piſcis, nunquam ex imo maris prodit, niſi ſæuiente tempeſtate, qua mauult concuti, quam in piſcatorum inſidias, dum ſerenum eſt, incidere. In ſuis cubilibus quietæ, ſæcuræ manent feræ, nec indè prodeunt, niſi cum vrget neceſſitas, illiſque melius eſt validiorum & hominum periculis exponi, quam mortem inedia ſubire; experiri dubium cer-tamen, quam certam ſub hoſte ſæuiente diſcerptionem.

Homines ſolo naturæ ſibi conſulentis impetu, vitant incendium præcipitio, vt beſtiam latronemque fugiant in flumen ſe proiiciunt, & ibi ne pereant obuiis quibuſque, ſpinis, ferro ſcindenti, igne candenti pertinaciter hærent; dum ſæuit tempeſtas metu naufragij iactant in mare merces pretioſas, interdum alimenta, & vt viuant, proiiciunt vnde viuant, ne tam citò moriantur. Cum huic inclina-tioni ratio acceſſerit, vitæ producendæ deſiderio patiuntur aſperrima ſe diæta torqueri, vri, ſecari, fugiunt [c] mortem proximam per plu-res futuras, & cum eligant ſub medico dolere ne finiant, accedit eis vt doleant & finiant. In morbis compoſitis & complicatis [d] ab eo curationem auſpicatur medicus, à quo maius periculum impendet ægro, aut læſæ functionis præſtantia, aut facultatis offenſæ dignita-te corpus vniuerſum gubernantis, interdum ab eo quod grauiſſimè torquet ſymptomate, cauſa morbi prætermiſſa.

Seruus [e] eſt ſine culpa qui cum domino & dominæ periclitantibus,

[x] Ariſt. lib. 2. de partib. animal. c. 14.
[y] Hypocr. lib. 4. Aphor. 57.
[z] Plin. lib. 8. cap. 32.
[a] Tertulian. lib. de pallio. c.
[b] Aldobrandus.
[c] D. Auguſt. ep. 45.
[d] Fernel. de methodo medendi.
[e] l. 3. §. 4. ff. de S. C. Syllani.

Digitized by Google

vtrique non valeret auxiliari, adfuit potius domino quam dominæ. Cum mens, inquit D. Gregorius [f] inter maiora & minora pericula conſtringitur, ſi omnino nullus ſine periculo aditus pateat, minora ſemper eligantur, ſic qui muris clauditur ne fugiat, ibi ſe præcipitat, vbi breuior murus ingeritur. Loth offerebat filiarum pudorem [g] quia minus erat ſecundum, quam aduerſus naturam delinquere. Sic hoſpes Leuita [h] in Gabaa tradit impuris concubinam, non hominem quo volebant abuti. Quoties nihil ſine captione inueſtigari poteſtis, eligendum, inquit lex, [i] quod minimum habet iniquitatis.

[f] Lib. 1 moral. cap. 1.
[g] S. Ambr. lib. 1. de Abrah.
[h] Iudic. 19.
[i] l. 200. ff. de reg. iur.

Tota moralis, & politicæ Iuſtitiæ ratio ſic procedit, vt eligatur velut bonum quod minus nocet: Naturalis eſt homini libertas, & ad illius vt ad vitæ conſeruationem ingenti fertur appetitu, tamen iure gentium introductum eſt regimen, & vni vel pluribus legis imperantis locum tenentibus, omnes ſe regendos commiſerunt, tranſmiſſo toto libertatis ſuæ iure, [k] quia hac ſubiectione grauius malum eſt anarchia, & tot pati tyrannos, quot eſſent iniqui potentiores Licet Monarchia hæreditaria multis ſit expoſita periculis, ex minoritate, imperitia, ſæuitia ſucceſſorum, tamen præfertur electiuæ, hanc enim plura circumſtant pericula ex ambientium coniurationibus. In ea ſæpius vt ſedentur diſcordiæ, res ſorti committuntur, vt nullus videatur conſilio excludi, aut alteri præferri. Sic in conſiliis publicis vt vitentur inuidiæ mala, iudicia numerantur, non ponderantur.

[k] l. 1. ff. de conſtit. princip.

Propriè leges non fiunt à legiſlatoribus, inquit Plato, [l] ſed ex occaſione vt in ludo, quod minus nocet eligitur. Hinc ſummum ius ſumma iniuſtitia, & omne magnum exemplum habet aliquid ex iniquo, quod ſingulis vtilitate publica rependitur. Leges [l] & conſtitutiones futuris dant formam negotiis, non ad facta præterita reuocantur, quia nimis periculoſum eſſet tanta ſimul conuellere: licet contrahentibus ſe mutuò decipere, [m] modo læſio non excedat dimidium iuſti pretij, vt mercaturam Reipublicæ penitus neceſſariam alat lucri comparandi ſpes maior: meretricia vita conniuentibus legum oculis permiſſa fuit, [n] ne grauiora mala contingerent ſtupri ſcilicet & adulterij. Equuleus receptus eſt, licet aliquos torqueat innocentes, ne multorum crimina maneant impunita. Amittit ciuitas ciuem vnum perpetrato homicidio, geminatur autem amiſſio cum reus homicida capite plectitur, id tamen neceſſe fuit vt metu pœnæ cæteri deterreantur ab alieno ſanguine fundendo; quia ſuum ex tunc obligatum iudici cenſetur.

[l] 5. de legib.
[l] L. 7. Cod. de legib. & conſtit. princip.
[m] l. 17. ff. de minor.
[n] l. 29. C. ad l. Iul. de adult.

Infinitum eſt ſimilia ſingulatim proſequi, tum in priuatis, tum in publicis rebus, nam cum mala bonis permixta ſint vt expoſui-

Digitized by Google

mus, [o] nobis bonum eſt quod minus habet iniqui. Ingentium ma-lorum remedia nunquam ſuis vacant periculis, ſapientis eſt profutura cum nociuis, cum circumſtantiis perſonarum, rerum, temporum, locorum æqua lance ponderare, & id vt melius probare quod minus nocet. Deficiunt qui cum armatis inermes congrediuntur; cum malis tanquam cum probis, ſi res non vt fiunt ſed vt fieri debent, & ex idæis Platonis, abſtracta mente contempletur.

[o] Supra.lib. 1 l. 10. §. 3.

Magnus eſt ille qui in diuitiis pauper eſt, [p] earum non corruptus contubernio, ſed ſecurior eſt qui caret diuitiis, qui proiicit hæc minus explicandæ virtutis quam nequitiæ inſtrumenta. Non ſemper habebit in promptu pauper quæ ad corporis cultum & ſanitatis tutelam conferunt, ſed externa non habendo, habebit facilius quæ pertinent ad animi libertatem & tranquillitatem. Si exercitus in obſidionibus diram famem pertulerunt, pro regno, quod magis mireris alieno, & ne in arbitrium victoris caderent, dubitabit aliquis ferre paupertatem, vt animum furoribus liberet? fauor principis maximum eſt in aduerſis præſidium, ſed emitur perpetua ſeruitute, ingentium vitiorum miniſterio, nam illis blandiri & obſequi neceſſe eſt, aut opprimi. Igitur qui ſibi vilis non eſt, eliget magis libertatem, ſecuritatem, integritatem, quam ſplendidam hanc ſeruitutem, mauult ſuus eſſe quam alterius, & ſi calamitas ingruit, illam propriis viribus, ſcilicet virtute, quam alieno, graui, fortuito ſubſidio ſuperare.

[p] Seneca epiſt. 17.

Seruitutem exigit mundus, domeſticam & animalem, ſub iugum mittens homines in coniugio; Exigit publicam in officiis in quibus nobiles emunt ære grauiſſimo, quos aſſiduè patiuntur irrequietos corporis & animi labores, dant ſimul operas & pretium, ridicula ſi non miſeranda conductione: In tanta inuidentium, vitæ, fortunæ, bonis inſidiantium turba, velut in hoſtili ſolo, perit qui ſemper non ſeruat excubias, & quidquid agat ſemper torquetur ſua vel alterius cupiditate. Hæc, inquiunt, lex eſt, à tot ſæculis mundo poſita; ſic viuitur ſic famæ, ſic fortunæ, ſic proceribus ſeruiendum eſt. At ego, habeant proceres ſuam gratiam, ſit mihi mea libertas & integritas, quam pro fortuitis non impendo; ſi hac in vita ſeruiendum eſt, potentiori, optimo, maximo Deo, bonorum omnium largitori ſeruiam: erit mihi ſecura temporalis vita ſub eius prouida bonitate, quæ ne minimis quidem rebus deeſt, ſecurior mentis integritas ſub ter ſancti legibus & imperio, cui ſeruire regnare eſt; Poſt conſcientiæ diuturnam imperturbatam hic pacem, externorum abdicationis pretio, ſecura, læta continget mors ad diu ſperatam in æternitate conſummatam fœlicitatem, præbens aditum.

Digitized by Google

Semel victa ſolent ſuis victoribus in poſterum ſubiici.

§. I.

INſtinctus ille quo ducuntur animalia, vt è duobus malis minus ſibi nociuum eligant, generale quoddam principium eſt, miræ in periculis innumeris occurrentibus explicandæ ſolertiæ. Si feras & aues eſca deluſas rete viuas ceperimus, ſic ſeruant ſpeciem inſidiantis ſibi machinæ, & duræ ſeruitutis quam paſſæ ſunt, vt ſi poſtea caſu manus noſtras euaſerint, licet guſtu pruriente, licet fames vrgeat, malunt eſca propoſita priuari quam in experta iam damna rurſus incidere. In hoc brutis acutior eſt ſenſus quam hominibus; multos decepit ambitio, & diu quæſitum afflixit imperium, multos hæc eſcata fortunæ beneficia perdidere, & extremis merſere ſuppliciis; hunc aulæ malignus ſplendor, illum amicæ blandiens virus, alium ſecreti non ſeruata fides fefellit, & tamen in eadem quotidiè recurrunt, ne ſuis quidem periculis edocti.

Eodem inſtinctu maius & expertum malum cauendi, fit vt animalia ſi ferè cum paribus decertent, & debilius à fortiore fuerit acriter caſtigatum, doloris huius perpetuam ſeruat imaginem, & ne ſimile quid in poſterum patiatur, victorem ſuum formidat, illique mauult ſubiici, quam pugnam grauiter vexantem retentare. Elephanti [q] pugnant inter ſe vehementer, & dentibus alter alterum ferit, qui autem victus fuerit, adeò animum amittit vt ne vocem quidem victoris toleret; qui eos venatur inſedit aliquem mitem, ſed fortem qui ferum perſequitur, ferit, fatigat, vireſque diſſoluit; tum rector in defatigatum illum inſilit, regitque falce, poſt breui tempore fera miteſcit atque obtemperat. Vidimus lupum adhuc lactantem enutritum domi, ſæpius à canicula morſibus vexatum, in illam poſtea nihil audere, etiam cum ætas integras illi vires ſuas dediſſet. Ea ratione catti & canes, licet matri ſuæ ſint præſtantiores viribus, illi tamen cedunt, non pietatis ſenſu, quo carent, ſed quia paruulos illa caſtigauit, fecitque ſubiectionis habitum. Habemus equos, tauros, canes mira diſciplina nobis obſequentiſſimos, poſtquam imperii noſtri notionem, humanis vocibus mixta verbera, & verberum minæ dederunt. Sic agreſtia quælibet animalia tempore fiunt domeſtica, ideo fera non dicuntur [r] quamuis ſint ex ferino genere, ſi ſint manſueta vt leo.

Reſpublicæ patiuntur quædam damna, vnde perpetua remanet illis infirmitas, nec priſtinæ virtutis memoria ſatis animos accendit, vt vel

[q] Ariſt. hiſt. animal. lib. 9. c. 1.

[r] l. 1. §. beſtias ff. de poſtulando.

Digitized by Google

iterum belli fortunam experiantur, vel ſatis fortiter vt impoſitum iugum excutiant. Illis idem accidit quod magneti [s] qui vires ſuas amittit, ſi flagrantibus carbonibus igniatur, cum autem ſemel virtutem illam amiſerit, iam cadauer fruſtra tentatur iterum viuificari. Sic Lacedemonii poſt infœlicem Luctrenſem pugnam, & Thebani poſt cladem Chæronæam, velut fractis viribus hoſtibus ſuis ceſſere: Ex quo Porus [t] Indorum Rex ab Alexandro victus fuit, nunquam vſurpauit titulum regis, ſed Satrapa volebat denominari. Coſroes * Rex Perſarum victus à Tiberio, duce Iuſtiniano, cogitur in regnum ſuum ſe recipere, vbi legem ſcribit ne Rex Perſarum in poſterum contra Romanos arma ferret, velut ſempiternum fugæ ſuæ monumentum. Semel expertus aduerſam in bello fortunam, timet illam in poſterum, nec ſe libenter exponit periculis; hinc ad Cannas * victis Romanis, octo millia ſeruorum empta militauerunt, cumque minoris captiui redimi poſſent, maluit ſe Reſpublica ſeruis in tanta tempeſtate committere, quam ſemel victis militibus, velut poſt cladem expertumque hoſtem dejectiori forent animo. Conſtitutionibus Siculis [v] nullus campio ſi deuictus fuerit, iterum ad pugnam pro alio admittitur, niſi pro ſe, non cum ipſe impetit alium, ſed cum fuerit ab alio impetitus. Cum duello tunc lites maximè nobilium dirimerentur, timebant ne ſemel ſucceſſu non fœlici remiſſus fractuſque pro alio decertantis animus, innocentiæ cauſam mutilata fortitudine deffenderet.

[s] Porta. l. 7. c. 51.

[t] Philoſt l. 2. de vita Apol.

* Baron. an. 579.

* Macrob. Saturn. lib. 1. c. 11.

[v] Cod. leg. antiq. in Conſt. Sicul. lib. 2. tit. 37.

Sicut pars [x] quæ diutius ex alterius conſenſu laborauit, eius quandoque contrahit affectum velut proprium, fitque ex ſympathia, idiopathia: ſicut prædiorum ſeruitutes; [y] quæ continuum vſum habent, acquiruntur præſcriptione vt in æquæ ductu quotidiano, ſic diuturnam dominationem multi ſupponunt eſſe legitimam, velut tacito ſemel ſubacti populi conſenſu. Hoc ſublato principio controuerſiam patientur imperantium omnium iura, nam ſi regnorum natales curioſus inquiras, videbis hæc incœpiſſe à tyrannide, ab inundatione populorum, ab vſurpatione bellica, iuſto tamen Dei Iudicio, qui reges & populos contumaces regit in virga ferrea, tanquam vas figuli confringit, dominatur enim excelſus [z] ſuper regnum hominum, & vnicuique vt voluerit dat illud.

[x] Fernel. de morb. cauſ. lib. 1. c. 4.

[y] l. 10. l. final. ff. de Seruit.

[z] Daniel. 4.

Hinc non modo iure gentium, ſed etiam iure naturali videtur introducta ſeruitus; Nam ſi contra naturam eſt, hominem natalibus liberum alieno dominio ſubiici; naturali tamen iuri conſentaneum videtur, eum qui temerè contra potentiorem mouit arma, nec ad pacis conditiones ſe conuertit, captiuum victori ſeruire vel tributa pendere, hinc ſerui à ſeruando dicti, [a] quod eos non occidere ſed ſeruare ſoleant Imperatores. Hanc autem ſeruitutem & tributorum

[a] §. 3. Inſtit. de iure perſon.

Digitized by Google

penſitationem iure gentium comprobatam putandum eſt, vt huius infœlicis turpiſque conditionis metu, homines etiam laceſſiti bellorum aleam, incertumque martem ſubirent, & concideret ſi non primus, ſaltem ſecundus ad certamen impetus. Ita lex ciuilis caſtigat immanem iudicio contendendi cupiditatem, [b] penis temerè litigantibus impoſitis. Igitur ex peccato, ſcilicet ex actione contra rectam rationem procedit ſeruitus, hoc enim nomen primum à iuſto Noë vſurpatum, cum peccatum filij vindicauit, & Daniel [c] confitens domino peccata ſua & populi ſui, ea dicit cauſam fuiſſe ſuæ captiuitatis. Inde creſcentibus peccatis, creuit populorum ſeruitus, & imperiorum aſperitas.

[a] Inſt lib.4. tit. 16.

c Daniel. c. 9.

Cum ex peccato ſeruitus ducat originem, ipſum peccatum eſt omnium duriſſima ſeruitus, & eminenter continet effectus ſui malignitatem. Qui facit peccatum, inquit Chriſtus dominus, [d] ſeruus eſt peccati. Nec enim in eo liberæ manent cogitationes, turbatur mentis oculus ne veritatem percipiat, vt carbo ſemel accenſus facilè concipit ignem, ita cor concupiſcentiam, cuius flagrauerit ardore. Seruus eſt peccator, & ſæuitiam domini non valet nec mutare nec fugere, cum ſe ſecum vbique trahat, & tormentum ſuum mala conſcientia. Sicut, inquit D, Auguſtinus, [e] qui ſe occidit vtique viuendo ſe occidit, ſed occiſus non viuit, nec ſe poteſt reſuſcitare cum ociderit; ita cum libero peccatur arbitrio, victore peccato, amiſſum eſt liberum arbitrium, à quo enim quis deuictus eſt, [f] huic & ſeruus addictus eſt. Seruus non quidem amiſſa libertate naturali, ſed morali.

[d] Ioa. 1. 34. D. Auguſt. l. 9. de Ciuit. c. 15.

e In Enchirid. ad Laurent. c. 30.

[f] 1. Petr. 2.

Multæ tribulationes peccatoris, patitur enim iuſto Dei iudicio, internas externaſque ſæuiſſimæ ſeruitutis pœnas; vermem conſcientiæ qui non moritur, æſtus irrequietos nunquam ſatiatæ cupiditatis, cui tum mediocritas, tum exceſſus ſupplicium eſt; priuationes rerum quibus adhæret videntur illi ſæuæ membrorum extirpationes; Patitur & quidem inuitus fruſtra reluctans, morbos, bella, peſtem, incendia, naufragia, ſæuientem inimicum: Felix qui cum Propheta, [g] dicit Deo, caſtigaſti me & eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus; miſeri beſtiis ferociores; qui nec beneficiis Dei mitigantur, cum bos agnoſcat [h] præſepe domini ſui, & etiam leones oſtendant gratitudinis ſenſum. Furor eſt feritatem omnem excedens, non aduertere, non timere, non ſequi caſtigantem. Luget extremnm hoc populi ſui malum Ieremias: [i] percuſiſti eos & non doluerunt, attriuiſti eos & renuerunt accipere diſciplinam, indurauerunt facies ſuas ſupra, petram & noluerunt reuerti. Nec ſe Deo, beneficiis & pœnis æquali miſericordia prouocanti dedere.

[g] Ierem. 31.

[h] Iſay. 1.

[i] Ierem. 5.

Digitized by Google

PLVRIMA VIM SINGVLAREM PASSA reſtituuntur in integrum.

Lex 20.

CVm victa victoribus ſuis in poſterum ſubiiciuntur, id cenſendum ſemper non eſt, tanquam aliquod per alterationes interitus præludium, & à ſuperiori gradu in infimum lapſus, ſed eſt interdum ordinis congrua reſtitutio, qualis eſt cum ignis aut aër, viſceribus terræ concluſus, ſurſum ad regionem ſuam euolat. Vt partium in vniuerſo, ſic indiuiduorum in qualibet ſpecie ordo poſitus eſt, ex formæ, temperamenti, principiorum, ſuperioris influxus præſtantia. Hanc inquiunt Aſtrologi,[k] obtinet ſuper alium is, in cuius geneſi luminaria, ſuperiores planetæ, cum ſignis eleuantur, & fœliciorem habent poſitionem; ſi habeat in aſcendente medium cœli mundi, denique ſi ſit oriundus ex illuſtri familia cui potentior genius incubet; hinc enim videntur naſci fœliciores, vt ex mari maiores piſces quam ex fluminibus, ratione maioris ſpiritus inſiti. Quod ſi caſu & per accidens occaſione tranſitus infauſti, contingat vt præſtantior minori ſubiiciatur, vim hanc diuturnam melior natura non patiens, iugum excutit, ſortem immutat, latentis ſubſtantiæ vi emergit è ſeruitute, vt ex aquis aëreum & oleoſum, ſuoque ſe reſtituit ordini. Tandem præualet accidenti ſubſtantia, & hanc habemus naturæ gratiam, vt cum ex principiorum contrarietate, corpora, fortunæque concutiantur, morbo tamen ſanabili laboramus, tot in ſubſidium paratis remediis, pluribuſque cauſis in reſtitutionem noſtram conſpirantibus.

[k] Almanſor. propoſ. 71.

[l] Vide ſupra l. 17. §. 1.

Forma læſas ſuas reſtituit qualitates.

§. 1.

MVndus hic ex nihilo creatus ab omnipotente Deo, præfert in omnibus aliquod vtriuſque ſui principij veſtigium nihili & entitatis, priuationis & exiſtentiæ, tum mixta tum ſucceſſiua, tam oppoſiti ſtatus partitione. Tempus quo res menſurantur collectio quædam eſt, præteriti iam non exiſtentis, cum præſenti momento, quod iam deſiit cum eſſe pronuntiatur, & in hoc eſſe non diuiſibili partem anteriorem obtinere videtur præcedentis deſitio, poſteriorem ſubſequentis & illam perimentis inchoatio. Si quis contempletur naturam, vultus vt Prothea mutantem, videbit res fieri potius quam eſſe; naſcendo depereunt, niſi vis interna vel externa vindicet illas ab interitu, & illarum maximi conatus nihil ferè ſunt aliud quam imperfectæ reſtitutiones. Aër friget & incaleſcit, condenſatur & rarefit, ventis hinc inde pulſatur; & his intermittentibus conantem ſe ſuæ reſtituere qualitati, ſuperueniens altera vis occupat. Mare mox de tranquillo turbidum momento vertitur, & dum ſilentibus ventis fluctus ſuos explanat, vt cœli faciem exprimant conuolunt illos ſurgentes vel ab imo, vel ex alto ruentes procellæ. Fluuiorum aquæ dum grauitatis & fluiditatis ſuæ motu dilabuntur, vnitatem quam affectant, amitterent, niſi fugientis vndæ celeritatem, æquaret ſequentis velocitas, itaut continuum fiat, ex nunquam interrupta loco cedentium reſtitutione. Animalium ſubſtantiam aſſiduè conſumit is quo viuunt innatus calor, reparat autem illam, alimentum quies & ſomnus. Aqua quantumuis ignem paſſa hoſte remoto redit ad naturale ſuum frigus; ſimiliter quæ fuerunt nimium denſata vel rarefacta, remotis obicibus, ſtatui ſibi connaturali reſtituuntur.

Hæc efficit in ſingulis ſubſtantialis forma, quæ cum ſit, vt diximus proles quædam incorruptibilis cœli, ipſa non ſentiens alterationem, materiæ partes illam paſſas, propriis iterum veſtit qualitatibus. Vidimus, inquit Plinius, vlcera montium repleri, renaſcuntur enim ſuis temporibus in mineris lapides & metalla, vnde maritus [m] non cenſetur fundum dotalem deteriorem reddere, ſi ex illo lapides extraxerit; Mirum in plumbi metallis [n] quod derelicta fertilius reuiuiſcunt; hoc videtur facere relaxatis ſpiramentis ad ſatietatem infuſus aër, qui terram velut obſtructione liberatam fœlicius imprægnat. Viget

[m] l. Fin. ff. de fundo dotali.

[n] Plin. lib. 35. c. 17.

Viget vt diximus, in illa ſpiritus quo fiunt concretiones omnes & qui diffuſos auidius in vacuam matricem vapores, illic iam exiſtenti parti aſſimilans, conſolidat. Vim hanc toties exhauſtos theſauros ſuis temporibus reparantem, antiqui coluerunt velut numen ſub nomine magnæ matris quæ ſemper noſtris neceſſitatibus & delitiis æqua pietati fœcunditate parturit,

Videtur eminenter continere vim vegetatiuam, quam ab ea mutuantur plantæ, vt in illis æſtu vel frigore caulis conſumptus, iterum de radice pullulet, ad idæam ſpeciei, cum omni foliorum & florum ornatu. Arbores ſimiliter præciſos ramos fœtu multiplici reproducunt, quibuſdam cortex ſenecta rugoſior rumpitur [o] ſponte ſua vt viti, quibuſdem etiam cadit vt malo, ſic reparantur in iuuentutem. Proſtratæ vi tempeſtatis quercus reſtituuntur plerumque, & quadam terræ cicatrice reuiuiſcunt. Eſt in exemplis, [p] & ſine tempeſtate vllaue cauſa alia quam prodigij, cecidiſſe multas arbores, ac ſua ſponte reſurexiſſe, à quo tempore majeſtas populi Romani reſurexit quæ antè proſtrata cladibus fuerat. Platanus & ſalix ſecuri luxatæ procumbentibus ramis noctu ſurrexerunt, & plagam cortex iterum obduxit; ſeruandas arbores & fauſtas augures reſponderunt. Hac in reſtitutione ſæpius ars naturam adiuuat, nam arbor naſcens [q] læſa & deterior effecta fructu etiam amaro, vtpote humores debilis permiſcens, nec valens decoquere, in naturam priſtinam reſtituitur, ſi ætate iam confectà recidatur & apprimè colatur.

[o] Plin. lib. 16. cap. 31. & 32.

[p] Theophr. hiſt. plantar. lib. 4. c. 19.

[q] Id. libro de cauſis plantar. lib. 2. c. 20.

Vt in plantis fit noua pullulatio de ſtipite, quia ſibi maximè ſimilia ſunt plantarum organa; [r] ſic animalia quorum partes ſunt inter ſe maximè ſimiles, redeunt ad iuuentutem ſecundum aliquid, & eorum partes deſciſſæ renaſcuntur, ſicut in cancris, oſtreis, ſerpentibus, lacertis, vermibus & ſimilibus, præcipuè renaſcuntur illæ partes quæ multum diſtant à vitæ principio, ſicut caudæ in quibuſdam; Nam partes principes aliarum reſtitutiuæ, vt cor, non renouantur. In animalibus autem quæ membra habent inter ſe multum diſſimilia vnum non formatur ex altero. Senectam quotannis exuunt aues mutando pennas, quadrupedes pilos, ſerpentes cutem, homini renaſcuntur, pili, cutis, vngues laboribus attriti. Exciſi capilli Samſonis [s] iterum creuerunt, & cum illis, reſtituta fuit ei prior fortitudo.

[r] Albert. Magn tract. 2. de iuuentute & ſenect.

[s] Iudic. 17.

Reſtitutionem naturæ tum vniuerſalem cum ſtellæ fixæ & planetæ pluribus decurſis ſæculis ſimul ad propria loca redierint, quæ naſcente mundo tenuerant; ſeu particularem in plantarum & animantium renouatione, æmulata eſt lex Moſaica. Præcipit enim [t] ſeruum hebræum anno ſeptimo liberum fieri; Sanctificat annum quinquageſimum [v] remiſſionis & iubilæi in quo reuertitur homo ad poſſeſſionem ſuam, & vnuſquiſque ad familiam priſtinam. Id Iudæi tra-

[t] Exod. 21.

[v] Leuit. 25.

hunt in argumentum ſperatæ ſuæ reſtitutionis ſub venturo quem in vanum expectant, Meſſia.

Lex ciuilis ſimiliter naturalem vnde procedit ſequuta eſt, cum ciues ab hoſtibus redeuntes voluit in priſtinum ſtatum poſtliminio [x] reſtitui, & fictione iuris tales haberi, ac ſi ſemper fuiſſent in ciuitate; vt agri ab hoſtibus recuperati ad ſuos redeant dominos. Nam quod ita ſanatum [y] eſt vt in priſtinum ſtatum reſtituatur, perinde habendum, quaſi nunquam morboſum fuiſſet. Omnes ex diuerſis cauſis conditiones, in integrum reſtitutiones; omnia Principum, legum, Iuſtitiæ munia hoc intendunt, vt ius ſuum vnicuique tribuendo, læſos eo in ſtatu conſtituant, ac ſi non fuiſſent iniuriam paſſi. Princeps ſe habens vt ciuilis corporis anima, per miniſtros quaſi per totidem ſenſus explorat mala quæ ſenſim illabuntur, & nouis legibus velut adhibitis remediis ciuile commercium ad originis ſuæ, legiſque naturalis integritatem reuocat.

[x] L. 16. ff. de capt. & poſtlim. reuerſ.

[y] L. 16. ff. de ædil edicto.

Idem intendit moralis & Religio homines in ſpirituales defectus lapſos, in meliorem ſtatum reſtituere. Materia deformitatem quidem habet naturalem, formoſitatem verò peregrinam, inquit Plotinus, ſed anima turpitudinem habet aduentitiam, pulchritudinem verò natiuam, eius itaque virtus & pulchritudo, eſt ipſa ſua puritas animo reſtituta. Hanc reſtitutionem animæ rationali poſſibilem eſſe ſolius naturæ viribus cenſuerunt philoſophi: ſed tot rationis & affectuum aberrationes, quandiu ſola viguit philoſophia Idololatriæ tempore, ſatis probant humanæ mentis infirmitatem & impotentiam, vt ſe malis prementibus eripiens valeat ad meliora reſurgere. Si quid anima ex ſeipſa parturit, inquit Philo [z] plerumque abortiuum & immaturum gignitur, è diuerſo integrum abſolutumque quidquid in eam diuinitus impluit, aperit Deus, clauditque vuluas animæ, ideo dicebant Patriarchæ, hi ſunt filij quos dedit mihi Deus. Expreſſior eſt in hoc Chriſtiana Religio, quæ docet hominem ad diuina, naturæ ſuperiora, natum, vt ad illa pertingat ab iiſdem debere ſuſtolli, ſi ceciderit reſtitui: ad Deum ſine Deo non venire, vt ſupra demonſtratum eſt. [a] Vnde omnia fidei myſteria referuntur ad humanæ naturæ reſtitutionem poſt lapſum, vt ſit Deus omnia in omnibus, mentis noſtræ mens, vt ſpiritus eius [b] adiuuet infirmitatem noſtram. In nobis habitans gratia, eſt diuinæ naturæ participatio; ſapientia [c] qua formaliter ſapientes ſumus, eſt quædam participatio diuinæ ſapientiæ quæ Deus eſt: hic ergo diuinus ſpiritus in nobis inhabitans ſupplet defectus animæ, illamque perfectius ſuæ integritati, quam forma corpus propriis ſuis qualitatibus reſtituit.

[z] lib. de migrat. Abrah

[a] Supra lib 1. l. 8. §. 2.

[b] Rom. 8.

[c] D. Thom. 22. q. 23. a. 2. ad 1.

Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris.

§. 2.

LEx iſta ſapientum & populorum communi voce, citatur velut cæterarum fons, Iuris naturalis compendioſa quidem ſed eſſentialis inſtitutio, quæ tantum valet in præceptis moralibus, quantum in diuinis charitas virtutes omnes complectens; vnde præſupponenda videbatur hoc in opere, & præcedentibus titulis præfigi velut principium, illam tamen hic conſultò ſeruauimus vt frænum quo paſſiones continentur, & ab his læſa ſolent in integrum reſtitui.

Præfati ſumus à Deo prima veritate inſitam eſſe mentibus humanis ideam recti, qua iuſtum ab iniuſto quilibet ſine præceptore, ſine lege ſcripta, ſine magiſtratu, ſola ſua ſyndereſi diſcernit; hac luce Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & qui dedit Angelis rerum omnium ſpecies, animantibus inſtinctus quibus in ſuos fines fœliciter diriguntur, has impreſſit homini certas & vniuerſales agendorum regulas. Lux iſta ſemper quidem adeſt mentibus, ſed ab his terrena fœce maculatis ſemper non auditur admonens & increpans; ſæpius enim inſurgunt primi motus, qui perſpicuitatem iudicio, libertatem & electionem voluntati præripiunt, & hi violenti flatus nos turbine nunquam exagitant ſereno cœlo.

Commodis & profectibus ſuis ſolum intenta cupiditas aliena diripit, nullo calamitatis alienæ ſenſu, iuſtumque reputat quidquid ambit & poteſt; quoſdam inconſultos rapit primus ille pulchritudinis ſplendor, & per calcatas honeſtatis publicæ, thori coniugalis, ſacræ profeſſionis leges cæcus amor tendit ad illicita: ad primos iniuriarum ictus ira furit, & quidquid crudele, violentum ardor vindictæ ſuggeſſerit, addicta mens iuſtum æſtimat; non vacat paſſio quin mille coloribus & argumentis ius ſuum validè tueatur, impetu quidem, ſed natura duce ſic ad ea quæ ſibi proponit fœlici, vt hinc Rhetores ſibi fecerint artem. Vnicum in his acutis animi morbis remedium eſt mora, & attenta mentis in ſe conuerſio, quæ naturæ legem in ſe ſcriptam conſulat, quæ ius alienum propria ſua lance ponderet, propria metiatur menſura. Iniquiſſimum mihi videretur bona mea, labore meo parta, à potentiore diripi, famam lædi, ob leuem linguæ volubilis culpam, ob inconſideratum in officiis & vrbanitate defectum inclementi, nihil parcente ſæuitia macerari; at iuſtitia communis eſt virtus, & ſi talibus læditur in me, lædetur & in alio; ſic diſcuſſa quam amor proprius ſuffundebat caligine apparet actionis iniquitas,

ſenſu non amplius torpeſcente, alienum ex iniuria dolorem in me deprehendo, & quod exigebam ab alio applicatum mihi & ex vicino conſideratum, habetur vt iniuſtum, ſi tale ſit, malum eſt, at malum nemo volens ſequitur, ſic paſſio ratione deſtituta iuſto ſynderiſis iudicio concidit.

Iam ex præcepto Dei homo proximum conſiderat & amare diſcit ſicut ſeipſum, nam in pari cauſa, in pari ad Deum & legem eius reſpectu par debet eſſe iudicium, ſi reputas iniquum te à potentiore ſpoliari, nec ipſe debes occupare bona debilioris. Momento mare, momento fœlicitas humana vertitur. Væ qui prædaris inquit Propheta, numquid & ipſe prædaberis, & quæ tibi ſupererit ratio conquerendi? quis condolebit, quis ſuccurret ſi iuſta talionis pœna damnum ab alio patiaris, quod aliis tu pariter intuliſti. Si Platoni creditur vt diximus, hac inter homines prima fuit inſtitutio iuſtitiæ, quod cum poſſint iniurias vt inferre ſic pati, melius iudicarint ab illis abſtinere, quia non eſſet iniuſtum pati, quod ab ipſis cæteri paſſi fuiſſent, & hæc apud Romanos lex inualuit, quod quiſque iuris in alterum ſtatuerit, vt ipſe eodem iure vtatur; quis pater non exigit obedientiam à filiis, Dominus à ſubditis & ſeruis. Igitur monet Apoſtolus, reddite cui honorem honorem, cui timorem timorem, vis amari ama, vis non lædi, ne lædas, eadem quippe menſura qua meſſi fueritis remetietur vobis.

Abiectus eſt hic iuſtitiæ ſenſus ex metu naſcens, ſimilis canibus qui ad præſentiam fortioris non rixantur, non mordent, ne viciſſim mordeantur; Indignum eſt hominem cui propria eſt ratio à paſſione dirigi, ſanitatem debere morbo, habitu & affectu iniquum eſſe, ex occaſione & per interualla iuſtum.

In intimo pectore, ſeruet quæ fuerunt olim in arca, inquit Origegenes, tabulas legis, virgam, & manna, iuſtum, diſciplinam, conſolationem legis, intret ſanctuarium ſuum velut Summus Pontifex, mundum non veſte, ſed mente ferens, & ex propitiatorio, inter duo Cherubim, legem ſcilicet naturalem & Eccleſiaſticam diuina diſcat oracula.

Si aqua procul ab igne ſibi relicta nociuum ſibi deponit calorem, & ſenſim natiuum frigus recipit, ſi cæteræ naturales formæ ſponte ſua ad ſibi proprias qualitates poſtliminio quodam redeunt, quid mirum ſi mens hominis in ſe reflexa, Deo nunquam non præſente, prouocante, iuuante, nociuas tum ſibi, tum proximis exuere poteſt paſſiones? ſi tunc ſcriptam in ſe naturæ legem intelligit & ſeruat, tandem ſi procul à terrenis cœleſtium dignata commercio, diuinæ quodammodo fit particeps naturæ.

Digitized by Google

Ad alterati reſtitutionem eſt neceſſaria contrarij vexantis omnimoda ceſſatio.

§. 3.

QVandiu res infirma vim potentioris ipſam impugnantis patitur, debilitatis ſenſim propriis qualitatibus induit alienas, & in dies accreſcente defectu properat ad interitum. Quo diutius aqua lebete concluſa ſuppoſitum patitur ignem, magis ac magis incaleſcit, feruet, euaneſcit in auras, ab hoſtili elemento confugiens ad ſympathicum, & mallens tandem non eſſe, quam ſemper torqueri. Tunc igitur cum aſſiduus calor illam exagitat, forma natiuam ſibi frigiditatem non reſtituit cum amittit, non ſe ſubleuat cum deiicitur, nec ſimul eſſe poſſunt illi duo motus ad contrarios terminos directi; duæ qualitates oppoſitæ, quarum quælibet exiſtit per alterius priuationem. Remouendus eſt igitur ignis, & aquæ ab eius vexatione liberæ concedendum eſt tempus quo paulatim tepeſcens in naturale ſuum frigus reſtituatur: Nam ſi vel parum adhuc incaleſcenti, rurſus ignem admoueas, efferueſcet citiſſimè, cedetque hoſti, cuius nondum ditionem exceſſerat.

Inde patet ad alterati perfectam reſtitutionem non ſufficere quod vis hoſtilis intermittat; nam aquam tepeſcentem non dicimus frigidam licet non ferueat. Tremor eſt à facultate partim humore opreſſa, partim illam ſuperante, eſt tamen morbus: febrem quidem intermittentem periculo vacare pronuntiauit Hypocrates,[d] quia non procedit ab inflammatione & humorum putridine maligna; ſpem dedit de futuro, at quandiu tali malo detinetur æger, vires concidunt, nec niſi febre penitus ceſſante conualeſcit; nam & tertiana in continuam, cum eadem ſit materia; quartana in mortalem hydropem ſæpè conuertitur. Ita lex[e] decernit, qui tertiana aut quartana febre aut podagra vexantur, quiue comitialem morbum habent, ne quidem his diebus quibus morbis vacant, rectè ſani dicuntur: habet aliquod ſanitatis interuallum, inhærentem autem morbi tempore ſuo rediturі cauſam, illique, velut impoſita ſeruitute manent obligati, etiam oppignorati; Nam[f] quæ relinquuntur in morbis recidiuas facere ſolent; ex ſcintilla relicta ſuſcitatur incendium, ex vlceris ſinu iterum graſſatur putredo, ex vermium ſemine, iterum vermes ebulliunt.

[d] Lib. 4. Aphor. 43.

[e] L. 53. ff. de ædil. ed.

[f] Hypoc. lib. 2. Aph. 12.

Ideò natura molitur omnimodam nociuorum expulſionem, & vix in illa ſe temperans, etiam vtilia cum vitioſis, ſpiritus, probumque

ſanguinem cum peccantibus humoribus extrudit. Sic falſa eſt pœnitentia [g] quæ non eſt omnium peccatorum : vera diffunditur in omne tempus, dolet de præteritis, in præſenti Deo conſecrans cor, excludit ab eo reos omnes affectus, ſicut in loco vbi ædificatur Eccleſia [h] proiiciuntur paganorum ibi ſepultorum reliquiæ; ſpondet in futurum exactam pro ſeruandis Dei mandatis fidelitatem quam præſtare ſolet vera mentis compunctio. Quid enim ſi poſt abſolutionem iterum faciant, quæ feciſſe ſe plangunt, & ſcelus ſcelere obruant? talis pœnitentia peccatorum eſt meditatio, & ſemper cenſetur peccans, habens tacitum affectum, cum habitu peccandi, cuius actiones ad diem intermittentes per menſes & annos ſolito liberoque decurrunt itinere. Vnus ædificans & vnus deſtruens, quid prodeſt illis inquit ſapiens,[i] niſi labor? qui baptiſatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius? fiunt nouiſſima illius peiora prioribus, cum tot iteratos lapſus hypocriſi cumulauerit? quæ conuentio lucis ad tenebras? gratiæ cum peccato? Chriſti ad Belial? Deus vult ex toto corde diligi, immenſus totum petit non partem, vacuo illi loco opus eſt: ſanctus ſanctorum alieniſſimus à terrena fæce, non patitur affectus, præteriti & futuri reatus deſiderio coïnquinatos, ſed quærit in azymis ſinceritatis & veritatis ſacrificium in quo nihil ſit veteris fermenti.

[g] Can. ſunt plura de pœnit. diſt. 5

[h] Can. Eccleſiam de conſecr. diſt. 1.

[i] Eccleſ. 34. in fine.

Igitur ad reſtitutionem alterati non eſt tantum neceſſaria contrarietatis intermiſſo, ſed totalis ceſſatio, quæ contingit variis de cauſis, vel exhauſta impugnantium vi; vel aduocato potentioris auxilio; vel cum patientis vires accreſcunt per ſimilium ſocietatem. Cometæ deficiunt ſub Eclyptica, quia calore ſolis augetur conflagratio, & deficit materia, ſicut cum ignis appoſitam ſibi conſumpſit. Sedantur venti [k] aut cum vapores coacti in nubes ab aliis ventis in alto ſpirantibus tranſuehuntur in alias regiones, vt pax ſit ab ipſis in regionibus quæ præteruolant; Aut denique cum venti à fomitibus ſuis ſpirantes longo itinere, nec ſuccedente noua materia langueſcunt, impetu ſuo deſtituuntur, & quaſi expirant; In mari cum pertinacia ſunt vehementiores propter copiam vaporum: ſerpentum venena à cubili ſuo repentium nocent, innoxii dentes ſunt, cum illos frequens morſus exhauſit. Ad veram morborum ſolutionem [l] excretio copioſa, vel inſignis abceſſus deſideratur; Nam qui morbi citra hæc finiuntur, in iis recidiua timenda eſt. Si ager inundatus ſit, amittitur proprietas & vſusfructus, eo autem exſiccato redit vtrumque. Sæpè pacem conciliat neceſſitas, conſumptis vtrinque decertantium viribus; & à præda ſua perſequenda deſiſtere coguntur pyratarum naues, omni puluere pyrrico crebris miſſis fulminibus abſumpto. Huc referri poteſt impugnatis hoſtis contingens calamitas, morbus,

[k] Bacon. in hiſtoria ventorum.

[l] Galen. lib. 1. de dieb. criticis.

[m] l. 23. ff. quemad. vſusf. amitt.

Digitized by Google

tandem mores, quæ diu meditata belli conſilia, & conceptas victoriæ ſpes momento vertit in contrarium, ſic Holopherne [a] à Iudith capite cæſo ſtatim concidit exercitus, & in fugam verſus eſt; ſic Dionyſius [o] Heracleæ tyrannus audita morte Alexandri quem timebat, præ gaudio repentina conſternatione affectus eſt, poſtea lætitiæ ſtatuam conſecrauit; Tales ſunt quibus conſumptis bonis parſimoniam prodigalitas indixit; ſenectus aut morbus continentiam; quieti non tam ſua fortitudine, quam hoſtis impotentia.

[a] Iudith. 12.

[o] Photius biblioth. c. 234.

Secundò ceſſat vt dictum eſt [p] impreſſus à contrario defectus & reſtitutioni locus eſt, cum res oppreſſa nouas vires aſſumit ex ſimilium vnione. Ita magnes [q] cuius virtus euanuit, priſtinam vim recuperat ex contactu alterius viuidi, & ſi ſepeliatur in ferrea ſcrobe per multos dies, quo vſque ex ferri conſortio vel halitu, ſuo fungatur munere. Qui fuit apparitor [r] non poteſt fieri preſbyter niſi ab infantia fuerit educatus inter monachos, tunc enim creditur à ſæuo miniſterio facilè tranſiturus ad bonos mores, quos ſuos educatio fecerat, & reſtituit pia ſacerdotum couerſatio. Sic planeta poſt virium ſuarum deiectiones, ſi iungatur ſtellæ fixæ naturam ſuam ſapienti, non modo conualeſcit, ſed mirum in modum exaltatur: Ægros in ſolo peregrino, ad natale remittunt nos medici recuperandæ ſanitatis gratia.

[p] Supra. l. 17. § 2. & 3.

[q] Porta. de magnete cap. 49.

[r] l. 52. Cod. de epiſ. & cler.

Tandem potentioris aduocatum auxilium vim hoſtilem reprimit, [s] & oppreſſos liberat, vt cum Saturnum ligat Iupiter; cum frigida calidis, calida frigidis, humida ſiccis, curantur & per contraria medici læſo temperamento ſubueniunt. Homicidæ confugiebant ad ciuitates Leuitarum, prophani ad ſanctos, nam inquit Philo, [t] vir bonus eſt malorum redemptor; Tegit multorum iniquitates, vnius aut alterius iuſtitia: Moyſes ſtat contra Deum vindicem in confractione; ab incendio Sodomorum ſaluatur Segor propter Loth ibi habitantem. Validus patriæ murus eſt vir iuſtus. Si ſperatur genius cuſtos & munimen ciuitatis, ciues Carthaginis benè viuant, inquit D. Auguſtinus, [v] & ipſi erunt genius Carthaginis id autem auxilium à nociuis liberans, maximè procedit à cauſa vniuerſali.

[s] Supra l. 17. §. 4.

[t] lib. de Sacrif. Abel & Cain.

[v] Serm. 6. de verbis Domini cap. 6.

Digitized by Google

Vera liberatio & reſtitutio procedit à cauſa vniuerſali.

§. 4.

AGentia ſecunda vim paſſa, ſiue propriis, ſiue mutuatis viribus nunquam impunè ſe reſtituunt; diu ſenſere graues ſibi contrariorum qualitates, & poſt certamen etiam in victoribus remanet non facilè reparabilis vaſtitas. Poſt tempeſtatem ſilentibus ventis ſtatim fluctus ſuos ad æqualitatem mare non componit; qui ex longa & graui valetudine expliciti ſunt, motiunculis leuibuſque interim offenſis perſtringuntur, illis non planè ſanum eſt, nec ſanitati ſatis aſſuetum corpus; Nam remedia cum ſint naturæ contraria, carpunt illam dum iuuant, & interdum occulta partis principis læſione, detinent ad alias infirmitates. Venti clauſtris ſuis concluſi, dum aquarum ſuperficiem non vexant in abyſſis tumultus agunt, vt indè paulò poſt crudelius erumpant. Sic cauſa particularis non tam mali reſtitutiones quam inducias concedit.

Vniuerſalis autem cauſa cum emineat, cum agendo nihil repatiatur, læſas ſublunarium qualitates, ſincero & integro magis beneficio reparat. Tolle quantumcumque volueris de terra ſecreta, lota depurata, ſubtiliata, ſi dimiſeris aliquandiu ſub dio, mox cœleſtibus viribus fœcundata & prægnans, ex ſeipſa producet planitas, vermiculos, lapillos, lucidas metallorum ſcintillas. Intra paucos dies, calor putridus fit naturalis, vt patet in ſtercoratione: Poſt diluuia aquæ & ignis quæ totam deuaſtant terram cum ſuis habitatoribus, dicunt philoſophi [z] quod reſtituuntur ſpecies virtute ſtellarum, quæ illas formant ex congruo terræ & elementorum temperamento, velut in matrice. Vliginem ſol ad temperiem fœcunditati propriam adducit, ſic olim Ægyptus [y] à Nilo & paludibus inundata, ſiccior effecta eſt, habitationi & ferendis fructibus aptior, formam viuentium à cœlo ductam eo potiſſimum probant argumento, quod alimenta tam facilè, tam æqualiter conuertat in ſubſtantiam aliti, ſicque conſumptas laboribus vires reparet. Quamuis ex multorum opinione ſemen ex parentis partibus omnibus excidat, & inde procedant morbi quidam hæreditarij, cælorum tamen præſidentium influxu fit, vt cæcus cæcum, ſurdus ſurdum, mutilatus mutilatum non pariat, nec podagricus, podagricum, ſi fauens ſit cœlorum conſtitutio in filiorum geneſi: Impreſſas ab infortunis qualitates emendant in filiis planetæ, cœlum quod induxit reuocat, vt aliquis impoſitam à ſe ædibus

[y] Albert. Magn. tr. 2. de proprier. element. cap. 13.
[z] Ariſt. 1. meteor. cap. 14.

bus ſuis ſeruitutem, [z] poteſt cum libuerit remittere.

Hominem agnoſcit natura ſibi dominantem, primæque cauſæ per rationem vicarium, hinc in plurimos defectus lapſa gaudet in priſtinum ſtatum reſtitui noſtris artibus. Medicus Dei miniſter ægros reuocat ad ſanitatem, microcoſmi tutelaris Angelus, hoſtiles quibus conſtamus qualitates temperatas efficit, & hic iucundam bonorum omnium cum proſpera valetudine concedit poſſeſſionem. Agricultura cœli vices agens ſitientem agrum humectat irroratione ductiſque riuis aquarum, humidum exſiccat, & à diluuio vindicatum aratro proſcindit; aquas in præceps lapſas per fiſtulas aut canales marginibus præmunitos reuocat in originis altitudinem; arbores vitio vel vetuſtate laborantes recreat proba nutritione & partis vel excedentis vel deficientis reciſione: ſic ars quælibet opus ſuum caſu vel tempore vitiatum reparat, at omnium vitæ ſeruientium præſtantior eſt iuſtitia quæ ſpoliatos ante omnia reſtituit, quæ vim priuatam publicamque, velut ignem cuncta conſumere nitentem, non tantum continet, ſed quæ iam inuaſerat, conſumpſerat cogit reſtituere, vt ſeruetur ciuilis æqualitas, dum vnicuique ius ſuum redditur. Sed à tot miniſtris, ſeruatæ, reuocatæ publicæ ſalutis gloria, potiſſimum debetur Rectori, qui cunctorum officia in optimum regiminis finem dirigens, implet in hoc diuinæ prouidentiæ ſibi commiſſum munus.

Ambit princeps vniuerſalis cauſæ titulum, vult eſſe in ſuo regno, velut ea quæ vniuerſis præſidere dicitur anima mundi; velut cœlum, cuius luce, motu, viribus in ordine ſuo ſtant inferiora, & cuius vim impaſſibilem habere videtur dignitas quæ non moritur. Hinc inter regalia præcipuum ius eſt concedendi reſtitutiones in integrum [a] deceptis, aut extra ordinem læſis, reis gratias, abolitiones criminum; natalium reſtitutionem libertinis, & his [b] qui ſeruitutem ſub tyranno paſſi ſunt; vt vrbs iniuriam paſſa, in antiquum ſuum ſplendorem redeat; ſic Veſpaſianus [c] cum vrbs deformis eſſet veteribus incendiis ac ruinis, vacuas areas occupare & ædificare, ſi poſſeſſor ceſſaret, vnicuique permiſit. Curæ Regalis eſt [d] prouidere vt loca ſacra ſpurcitia fœdata, in antiquum ſtatum reformentur; diruta reparentur exemplo Ioas. [e] Rex Religionis eſt nutritius, iniuriam paſſæ vindex & reſtitutor, vnde qui ſub illo magiſtratus adminiſtrant dicuntur iuſtitiæ ſacerdotes. [f]

Si quæ cœlo, ſi formis ſubſtantialibus, ſi principibus & magiſtratibus contingit cæteros liberandi poteſtas, hanc habent velut vicariam à Deo rerum omnium vt primo principio, ſic conſeruatore & reſtitutore. Ius hoc diuinum eſſe confeſſi ſunt etiam falſorum numinum cultores, cum neceſſe ſtatuerunt [g] vinctum quemlibet ſolui qui flaminis Dialis ædes introiſſet; cum templa fecerunt, miſero-

[z] l. 2. ff. de ſeruit. præd. Vrbano.

[a] Tot. tit. ff. de in integrum reſtitutio.

[b] l. vnic. Cod. Theodoſ. de ingenuis qui tẽpore tyranni ſeruierũt.

[c] Sueton. in Veſpaſ. c. 8.

[d] Cap. Car. Magn. lib. 4. c. 53.

[e] 4. Reg. 12.

[f] l. 1. §. 1. ff. de Inſt. & iure.

[g] Gellius lib. 10. cap. 15.

Digitized by Google

rum aſyla, cum luſtrationes inſtituerunt, quibus res tum priuatas tum publicas credebant effici à criminum reatu liberas; ad aras & ad ciuitates Leuitarum Lex Moſaïca refugium concedens vmbra fuit ſummæ potentiæ à Chriſto conceſſæ ſacerdotibus ligandi atque ſoluendi, de qua alibi diſſeruimus.

Si miniſtris hæc competit poteſtas multò magis immediatè Deo, ad quem ſupplicatione & contemplatione anima perueniens, [h] vitam primam obnoxiam paſſionibus, tranſmutat in vitam paſſionibus expertem, ſubiens actionem vitamque Dei: hinc in ſacrificiis vtuntur igne qui conuertit in ſe materiam, & de terrena facit cœleſtem, non amplius in ima redituram; hinc pro rebus omnibus, tum pace, tum bello, fiunt vota & expiationes, Sara [i] filia Raguelis cui dæmon occiderat ſeptem viros, petens à Deo liberari dicit, non delectaris Domine in perditionibus noſtris, quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lachrymas exultationem. Eliphas Themanites dicit Iob, [k] ſi reuerſus fueris ad omnipotentem, ædificaberis, dabit pro ſilice torrentes aureos, delitiis afflues & eleuabis ad eum faciem tuam. Lex Moſaïca ſperans à Deo liberationem à ſeruitute cæteriſque malis externis, figura fuit legis Euangelicæ quæ tota eſt in collatione gratiarum, in redemptione miſeriarum maximè ſpiritualium. Vtrumque Chriſtus contulit, cæcos, claudos, ſurdos ſanitati, mortuos vitæ reſtituit, & ſimul tribuit remiſſionem peccatorum: momentò peccatores ad pœnitentiam conuertit, Paulum de perſecutore, Mathæum de publicano fecit Apoſtolos. Viget adhuc nunc in Eccleſia hoc miraculum gratiæ iuſtificantis quo Deus mouet animam [l] de ſtatu peccati ad ſtatum iuſtitiæ, cum tamen iuſtificare impium ſit aliquid maius, quam creare cœlum & terram ratione termini & repugnantiæ. Patent omnibus ſacramenta ad talis gratiæ deiformis diſtributionem; patent ex infinitis Chriſti meritis inexhauſti gratiarum theſauri: proclamatur, gratis venundati eſtis, gratis & ſine pretio redimemini. Vtinam abolitionis tanta facilitas faciles non efficiat ad peccandum, & inter præſentia nec ſumpta tamen remedia, ſuis cupiditatibus corruptas mentes improuiſa mors non ſiſtat tremendo Dei iudicio.

[h] Iamblicus de myſteriis c. 9. & 33.

[i] Tob. 3.

[k] Iob. 22.

[l] D. Thom. 12. q. 113. a. 1. & 9.

Digitized by Google

Caſus multa reſtituit.

§. 5.

AD vniuerſalis cauſæ, & ad Dei prouidentiam pertinent inſperaræ quædam periclitantis & deiecti ſtatus reſtitutiones, quas vulgus caſibus & fortunæ tribuit; Quod non expectamus fit ex improuiſo, negotium ſuperiora perficiunt [m] nobis ignorantibus ſicut paterfamilias pueris, princeps populis inconſultis, rebus ſuis ordinem dicit fœliciter deceptis profuturum. Hinc cum antiqui Romani [n] nullum ſapientiæ templum poſuiſſent, plura dicarunt fortunæ': huic omnia expenſa, [o] huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium, ſola vtramque paginam facit; cæcitatem, inconſtantiam, ſortem verſatilem quam in talibus patiuntur homines, adſcribunt huic falſo numini, cæcum, vagum, incertum, indignis fauens dixerunt, & his illud coluere conuitiis. Sic quæ non benè diſcernunt occuli, nigra & confuſa reputant, cœlum terræ coniungunt in horizonte; cum è portu ſoluit nauis terræ diſcedunt, extrema ſenecta ſæculo deficiens, ſæculum calumniatur; ſic humana mens futurorum ignara, quæ non capit blaſphemat, & eo quod ignotis ſibi modis verſantur mundana, rectricem inconſtantiam ſibi finxit.

[m] Vide lib. 1. l. 9.

[n] Plutarch. lib. de fortuna Roma.

[o] Plin. lib. 2. cap. 7.

Alius eſt nobis ſenſus edoctis à Chriſto domino; diuinam ſcilicet prouidentiam minimis etiam rebus legem & ordinem dicere; Nonne, inquit, [p] duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro; veſtri autem capilli capitis omnes Numerati ſunt; Nolite ergo timere multis paſſeribus meliores eſtis vos. Si ſol luce ſua non illuſtrat tantum altas quercus & abietes, ſed & humi iacentes violas quas veſtit purpura; ſi calore ſuo, non tantum viuificat Elephantes & Leones, ſed repens in ſectum quod pulchrè varia, ſplendida & aurata ſuccingit veſte; ſi roris guttulam naſcens pingit tot eximiis coloribus, vt punctum referat totam terræ, cœlique pulchritudinem? quid mirum ſi lux intellectualis, infinita, immenſa, bonum omnis boni cauſa ſe diffundit ad exiſtens omne etiam ad illud quod videtur nobis in vltimo entitatis gradu deiectum.

[p] Math. 10. 30.

Nihil igitur eius reſpectu fortuitum eſt, quia nec eſſe poteſt independens ab eo, nec præter infinitam cuncta colluſtrantem regentemque ſapientiam. Fuit hæc Platonis ſententia, [q] qui certis, iuſtis licet occultis modis à Deo cuncta regi pronuntiauit & ideo

[q] lib. 6. de legib.

Digitized by Google

in ſacris potiſſimum præcipiebat electiones ſorte faciendas; vt totum numini præſidenti committeretur. Manifeſtum [r] eſt ſydera non habere in animo, vt fiant quæ fiunt, ſicuti neque ignis qui de ſyderali natura eſt, atque tellus, aliud quam ignem, aut tellurem facere ſatagunt, verùm dum pugnant quodam fato, ideſt cauſarum concurſu & neceſſitate fit, vt harmonice producant animalia, plantas, lapides, liquores, & cætera quæ rerum vniuerſitatem integrant, & variis mutuiſque vſibus inſeruiunt: hinc etiam patet cauſas nobiliores eſſe in mundo quæ ſyderibus & elementis vtuntur, ad rerum productionem & tranſmutationem, vt ferrarius vtitur igne.

r Campanella in præfat. ſuæ Aſtrologiæ.

Cœlum prouidentiæ diuinæ inſtrumentum eſt, inquit D. Thomas, [s] & vt ex inſtrumento artificis manu geſtato, futuram coniicimus actionem, ſic periti ex ſyderum poſitione quædam augurantur quæ caſibus imputat cæcum vulgus, vt ſubitas tempeſtates, ægritudines, in melius reſtitutiones: Caſum putas quod in Pyrrhi gemma [t] naturaliter inſculptæ viſæ fuerint nouem Muſæ cum Appolline; quod in Germaniæ comitatu [v] Mansfeld terra fert lapides nigros in quibus apparent naturaliter depictæ piſcium & auium imagines: quod inter Tripoly & Baruc in Palæſtina tales inueniuntur lapides figura piſcis non pictos tantum ſed & ſculptos ſpinis eminentibus tanta ſubtilitate, vt id ars non poſſit aſſequi; & talem ego lapidem habeo hinc allatum, & mihi domo datum à quodam noſtri ordinis Patre miſſionario. Figuras illas fortuitas non eſſe ſic probat Albertus, [x] ſicut, inquit, vapores terræ referunt in nubibus figuras hominum, beſtiarum &c. quæ euaneſcunt, quia recipiuntur in materia fluida, ſic intra terram, cum recipiuntur in materia ſenſim lapideſcente, apparent lapides taliter figurati: hæ autem figuræ pendent à conſtitutione cœleſti ſub qua vt in ordinatis ſpeciebus fiunt interdum monſtra, ſic vbi fœlix eſt, fiunt in inanimatis animatorum figuræ.

s Contra gentiles lib. 3. cap. 82. 83. & 91.
t Plin. lib. vlt cap. 1.
v Dauity in germania.
x De mineralib. lib. 2. tract. 3. c. 5.

Sunt quibus res omnes proſperè cedunt, & dormientibus; vt olim dicebatur de Timotheo duce Athenienſi, vrbes veniunt in retia, & in ſinum de cœlo victoria deuolat. Tales benè fortunatos vocant, nec caſu tamen, ſed Deo prouidente, & ad id tum Angelis, tum corporibus cœleſtibus vtente. Nam, inquit D. Thomas, [y] homo eſt ordinatus ſecundum corpus, ſub corporibus cœleſtibus; ſecundum intellectum ſub Angelis, ſecundum voluntatem ſub Deo: ex his cauſis hominem inclinantibus in bonum citra electionem ſuam, aliquis dicitur benè fortunatus. Nonnunquam & in procella confuſis veſtigiis [z] cœli & freti, alicui portus offenditur proſpero errore; Nonnunquam in tenebris aditus quidam, & exitus deprehenduntur cæca fœlicitate, vt Ariſtomeni Meſſeniorum Duci, [a] qui captus à Lacedemoniis, & in caueam demiſſus, hinc ſe eripuit occaſione vulpis per

y lib. 3. contra gentes.
z Tertulian. lib. de anima c. 2.
a Pauſanias in Meſſenicis.

Digitized by Google

ſubterraneas cauernas ad cadauera venientis. Sic fortè propter inſignes aliquas virtutes morales Deus calamitati finem impoſuit, nec ſine quadam in cœlis prænotatione, ſi peritis creditur qui dicunt ſe pluribus ſæculi noſtri experimentis vidiſſe magnates è carcere liberatos cum occurrit directio trini ſolis ad decimam in eorum geneſi.

D. Auguſtinus [b] gratias egit Deo quod ~~caſu~~ aberrauerit à via, in qua illi Donatiſtæ inſidias parauerant ad necem; liberationem ſuam non caſui aut fortunæ, ſed pius & gratus adſcribit Deo, qui vitæ noſtræ momenta ſic moderatur, ſic ab aduerſis vindicat, cum ita prouidentiæ ſuæ placuerit. Quidam [c] tuber tyranni gladio diuiſit, qui ad eum occidendum venerat, & rem quam medicorum manus reformidauerunt, nocendo ſanauit. Profuit aliquibus in flumen cecidiſſe frigore magno, quorundam flagellis quartana diſcuſſa, & metus repentinus animum in aliam curam auertens, ſuſpectas horas fefellit. Quibuſdam venenum pro remedio fuit, vt ei cui vxor adultera venenum propinarat, & vt citius operaretur miſcuit argentum viuum de quo ſic Auſonius.

[b] In enchiridio ad Laurentium. c. 17.

[c] Seneca. lib. 2. de benef c. 19. & lib. 6. c. 18.

Diuidat hæc ſi quis facient diſcreta venenum;
Antidotum ſumet qui ſociata bibet.
Quam pia cura Deûm, prodeſt crudelior vxor.
Et cum fata volent, bina venena iuuant.

Id merito refert in prouidentiam quæ maleficæ mouit animum, vt ad inſtar ſcorpij proferret antidotum cum veneno & ad tanti ſceleris prius occulti. vindictam, rea teſtis exiſteret. Cur præſentis mali ſenſum augemus impatientia, futuri metum auxia ſollicitudine: Maximum vitæ noſtræ præſidium eſt probitas & ſanctitas, quæ Deum nobis conciliat fortunæ & caſus omnis æquiſſimum moderatorem, quocumque res noſtræ vertant fœliciter conſtitutæ ſunt in manu miſericordiſſimi parentis, ſi filiorum obſequentium officio fungamur. Supra variam mundanorum ſortem, ſtat mens vni Deo charitate coniuncta, nullum bonum amittit, ſaluo illi ſummo ſuo bono, quo dum fruitur, ſecura, fœlixque facit etiam de tentatione prouentum. Cum interim, vt expoſuimus agunt, repatiuntur, proſtrata reſurgunt inferiora, omniſque vita militia eſt decertans viribus, dolis, aduocatis auxiliis, pro ſui conſeruatione vſque ad præfixum durationi terminum. Et hæc ſufficiant de rerum conſeruatione & augmentis, quæ qua ratione penitus tandem deſinunt, ſequens tractatus exponet.

Digitized by Google



Digitized by Google

LIBER TERTIVS.
DE RERVM ALTERATIONE & interitu.

PRÆFATIO.

GAudet interdum mundus pulcherrimo naſcentis auroræ ſpectaculo, cum illa proximos terræ vapores mille pingit coloribus, lenes mouet zephiros, ſtillat mel cœli & rorem, vt naturæ profuſius ridentis in hac ſua renouata geneſi lachrymas, quas in homine dolor exprimit. Ex ea parte quæ magis fulget oritur ſol, qui ſtatim radiorum maieſtate perſtringit oculos, viuifico ſuo ſpiritu, inſitum omnibus excitat, vt aperto ſinu pulchritudinem ſuam flores explicent, odores fundant, aues dulce concinant, animal omne lætum propriis incumbat operibus, cum interim ipſe curſus ſplendoreſque ſuos promouens ad meridiem, indè ſenſim vergens in occaſum diem claudit vt incœperat, orbis læta facie, ſecuturæ ſerenitatis præſaga. Nam ſi tunc regnet fœlix ſtellarum poſitio decedentem nobiliſſimè ſolem, nox ſequitur innumeris hinc inde fulgens ſyderibus, luce tamen æmula, quæ nihil patiens videri præter cœlum, illic euocat oculos & affectus, ornat & vult amari talem lucis & motus in natura velut moriente defectum.

Ecce dies vna conſtans principio, medio, fine, vniuerſam ſæculorum ſeriem, & rerum omnium ſingularem exiſtentiam his concluſam limitibus, exprimit; Vt lux ſolis, ſic nata res quælibet, producitur, augetur ad præſcriptum vſque naturæ ſuæ terminum, vt expoſuimus libro primo & ſecundo. Ab hoc virium ſummo, velut à

Digitized by Google

meridiè, decreſcunt vires, & naturaliter per gradus labuntur ad interitum, à ſolis tamen quem diximus, occaſu duobus maximè titulis diſtinctum, quod pulchritudine & ſpe reſtitutionis careat. Res naſcentes fulgent illibato quodam decore, geſtiunt, exultant, caloris vitalis & ſpirituum fonti ſuo vicinorum, tum puritate, tum abundantia: his autem in accretione, actione, paſſioneque paulatim abſumptis, nec ſufficienter alimento reparatis, ſequitur lenta potentiarum defectio; ſuccedens pulchritudini deformitas, alacritati torpor, ſanitati morbus, tandem vitæ mors, & negatus à priuatione ad habitum regreſſus.

In breui vitæ noſtræ decurſu, videmus naſcentes, adoleſcentes, ſeneſcentes tandem morientes, canes, cattos, equos, aues & fateri cogimur hæc nos precario tantum poſſidere, [a] cum à nobis etiam inuitis auferantur: pereunt inter diligentis & commiſerantis manus, hæc amoris vel vtilis vel delectabilis irritamenta, hanc vnicam habemus tempori cuncta depaſcenti gratiam, quod amorem cum rerum pretio paulatim imminuat, vt illas non tam videatur rapere vi, quam laſſis iam & faſtidientibus animis ſubducere.

[a] l. 11. ff. de reg. iur.

Cum rebus mutare conſilium graue non eſt, ſed durum videtur res ſic mutari vt cogant ad conſilij mutationem; vt illis impoſita citò pereundi neceſſitas in affectus noſtros refundatur, & illos ſatis extinguat maligna fati vis, dum materiam qua fouentur ſubtrahit. Sic impii diuinæ prouidentiæ cenſores, imperfectè fabricatum mundum aſſerunt eo quod res alterationibus tandem corruptioni ſint obnoxiæ, meliores putarent ſi ſemper permanerent in eo quo creatæ ſunt qualitatum & ſubſtantiæ gradu. Nam ſtatus motu dignior eſt, eo quod ad illum tendat motus, & in eo deſinet aliquando cum res in fine ſæculorum velut impleris ſtipendiis quieſcent. Quis neget alterationi & corruptioni præferendam eſſe permanentiam, cum eo maximè titulo, cœleſtia ſublunaribus antecellant? addunt Deo immutabili conuenire magis opus pariter immutabile, ſic abſolutum, ſic fixis innixum eſſentiæ fundamentis, vt extra diſſolutionis aleam non egeat quotidianis additamentis reſarciri, iam non ipſum tot decrementis & acceſſionibus immutatum.

Ita diſſerit cæcutiens humana ratio, & vt ſapientiſſimo rerum omnium opifici contumeliam inferat, impingit in abſurda & ſibimet contradictoria. Fatemur ſtatum abſtractè conſideratum motu præſtantiorem eſſe, non tamen in his quorum eſſentia, perfectio, dignitas in ipſomet motu conſiſtit. Deſtruis muſicam ſi hanc vno tono emiſſo, ſublata vocum ſucceſſione, varietate ex proportionum regulis, concludas; ſermo conceptus noſtros non exprimet, niſi ſuccedentibus ſyllabis & verbis ex inſtituto ſignificantibus: ſic ex D. [b] Auguſtino

D. [b] Auguſtini ſenſu, Deus immutabilis, mutabilium ſicut creator ita moderator res ordine ſuo naſcentes aptauit ſæculis, ſæcula æterno ſuo verbo, [c] donec vt diximus vniuerſi pulchritudo, cuius particulæ ſunt quæ ſuis quibuſdam temporibus apta ſunt, velut magnum carmen cuiuſdam ineffabilis modulationis excurrat; hæc enim rebus decedentibus & ſuccedentibus peragitur, & Deus gloriæ, [d] qui eſt prima pulchritudo, vt homini, ſic ætatibus mundi conuenientem dedit pulchritudinem. Statum efficit ipſa partium ordinatè venientium ſeries pulcherrima; ſicut continuam muſicam, vocum harmonica varietas, continuum ſermonem, non interrupta verborum mentem aperientium prolatio; cœnam continuam, fercula ſeriatim appoſita, licet alia & alia menſæ tectique verſatilis facies ſuccedat; perennen fontem & fluuium, aquarum indeficiens effluxus & appulſus.

[b] Epiſt. 5. Marcellino Hebræo.
[c] 11. 3.
[d] D. Auguſt. lib. 83. qq. q. 44.

Stat igitur vniuerſum rebus ſingulis decedentibus, & ſua conſtat dignitas eo motu regulari, quo fit vt inſenſibilia videantur animata. Sic definitur natura principium motus & quietis per ſe; ſic principes eius partes ſunt maximè mobiles, cœlum ſuper elementa; animal ſuper inanimatum; cor & cerebrum ſuper cæteras animantis partes, & quis ſtagnantes aquas viuis, rigorem lapidum, liberis animantium motibus æquaret? Conqueri quod intereat pars vna ſequenti locum ceſſura, prima ſecundæ, ſecunda tertiæ & ſic in cæteris, abſurdiſſimum eſt quia fieri non poteſt aliter ſuppoſita ſucceſſione; ſic autem quælibet particula ipſa ſua defitione confert ad ſui totius integritatem & permanentiam; ſibi, non ſuo toti deficit; in illo viuit mortua, decedens permanet: ſicut in ſermone vox elapſa, licet illam copia cæterarum obruerit, licet aures non amplius ſono ſuo feriat, adhuc integra manet ad diſcurſus intelligentiam cum aliis quas antecedit & ſequitur. Lugeat voces ſic diffluentes ad mentis expreſſionem; aquas ad perennitatem fluminum; motus cordis ad conſeruationem vitæ; offerat cum Ægyptiis [e] miſerationem; lachrymas atque fletum germinibus terræ defloreſcentibus, qui plantam, qui animal, qui hominem, & quidquid forte ſua mortale eſt, mori conqueritur.

[e] Euſebius præparatio. Euang. lib.

Sanè conuenientiſſimum eſt mundanum opus referre quaſdam opificis ſui perfectiones; ſed cum infinitus ſit, & infinitas pluralitatem non admittat, cum effectus non ſint eiuſdem, ſed longè diſparis conditionis; cum Deus ſit agens ad extra, non neceſſarium, ſed liberum, ſequitur hoc opus, infinitum, æternum non eſſe, ſed vt placuit opifici, ſic compactum ſic limitatum eſt vt aliqualem tamen eius referret imaginem. Pictor non ſemper ſe pictorem coloribus exprimit, ſed prout libet, flores, arbores, equos, ædificia;

Digitized by Google

ſubſtantialis ipſe facit opus accidentale tamen ad exemplaris ideæ ſuæ ſimilitudinem. Ita Deus ad extra mundum producturus, fecit illum, immaterialis materialem, ſpiritualis corporeum, æternus temporalem, vnus multiformem, Immenſus limitatum, Immortalis, partibus ſuis mortalem; ſic tamen vt infuſus materiæ ſpiritus, eſſet immaterialis entitatis veſtigium; ſucceſſionis in tempore perpetuitas; æternitatis vmbra; rerum multiplicitas in ordinem digeſta ſibique cohærens per vnionem, eſſet vnitatis in vna materia non abſimilis proles, tandem per indiuiduorum generationes & corruptiones ſtaret generum, & ſpecierum perpetuitas.

[f] Supra lib. 1. l. 2. §. 1.

Infinitatem vt iam expoſuimus, [f] æmulatur multitudo, & vnius amplioris dolij capacitatem pluribus vaſis minoribus æquamus: at infinitum finita nunquam æquare poſſunt: oportuit igitur eſſe ſingularia numero multiplicata, ſucceſſione perpetua, quæ diuinas, infinitas, æternas perfectiones melius quidem hac multiplicitate, licet nunquam ſatis exprimerent, vſque ad tempus ſoli diuinæ ſapientiæ cognitum; at per generationes producantur ſingularia innumerabilia, quæ collectiuè magis implent ſuæ ſpeciei dignitatem, vno ſupplente quod alteri deerat, ſic ad infinitatem diuinam numero, ad æternitatem ſucceſſione, ad cæteras perfectiones cumulatis ſingulorum virtutibus, magis acceditur.

Diuinæ bonitatis in rerum creatione, viuum & actiuum ſigillum rebus impreſſum, eſt ipſa vis eſſentiarum productiua per generationes, quibus vnumquodque producit ſibi ſimile, ſic vnitas ſingularis, ad exemplum infinitæ fit fœcunda, per prolem exiſtit in multitudine; per ſucceſſiones æternitatem æmulatur: at hæc diuina vis rebus indita, vel ceſſaret vt inutilis, vel ordinem vniuerſi citò confunderet vt ſuperflua, nec eſſe deberent generationes ſi creata ſemper eadem vt creata ſunt, permanerent inalterabilia, & immortalia; nam vt ſtagnantibus, nec fluentibus aquis, ſi magna vis aquarum ſuperueniat, intumeſcentes, & cito loci continentis profunditatem ſupergreſſæ longè lateque diffunderentur, & campos æquor efficecerent; ſic rebus per generationes multiplicatis, ſi parentes ex ſe natis tandem loco non cederent, nec alendis illis, nequidem ferendis terra ſufficeret. Cum animalium infimæ ſpecies, vt erucarum, locuſtarum, ranarum, murium, cuniculorum, & ſimilium cæteris multò ſint fœcundiores, minus quam vnius ſæculi ſpatio totum orbem implerent, & cæteros licet validiores incolas obruerent ſua multitudine. Si Ægyptum muſcæ, locuſtæ, cyniphes citò conſumpſiſſent, niſi plagam hanc eadem quæ fecerat manus, ſanaſſet; ſi referunt [g] è diuerſis regionibus pulſos homines à talpis, ranis, muribus, ſerpentibus, ſcolopendris, quid fieret? & nonne deterior eſſet.

[g] Plin. lib. 8. cap 29.

antiquo chao confuſio, ſi nequidem daretur in mundo locus quo ſe à multitudine oppreſſa reciperent.

Igitur aut ceſſare debent in inferioribus generationes, aut oportet vt in aquarum fluxu, in verborum prolatione, ſic in indiuiduis antecedentia cedere ſequentibus, mori parentes vt ſuccedant filij, & ætas deficiens, valida iuuentute reparetur. At generationes de mundo non tollendas decreuit ab initio diuinum oraculum, Creſcite & multiplicamini; probat ipſa ſexus diſtinctio, probat tot voluptatis illecebris inſitus ad ſe mutuus amor, & ad prolis educationem, ad quæ vt ad publicum munus, non tam electione, quam raptu quodam animal omne transfertur. Vide ſupra lib. 1. l. 15. §. 3.

Ex generationum ergo conuenientia ſequitur alterationis & corruptionis neceſſitas, quæ dum vrget, naturam vbique ſeruat alacrem, velut in procinctu, vires ſuas pro ſui conſeruatione, vel profectibus fortiter explicantem. Ideò conſtat mundus principiis inter ſe contrariis, vt ex illis compoſita torporem excutiant, & innato quodam impetu, perpetuis actionibus impendantur. Hinc inſitus amor ſui mira ſagacitate, inuicta fortitudine, nociua refugit, vtilia proſequitur, decertat, & victor ſpoliis ditatus ad vlteriora ſpe protenditur. Elementa ſi non agerent in inuicem, ignis in aquam, aër in terram, ſi calor innatus non abſumeret humidum radicale, ſi non eſſet fames & neceſſitas artium mater, ceſſaret omnis actio, & vacantes potentiæ fruſtra ſingulis concederentur; vt eſſet mundus inalterabilis, iaceret immotus; ſitu, torpore conficeretur; ad quid motus nullo propoſito præmio, ſi nihil eſt quod conſequatur aut fugiat? Si riget vt lapis animal? Pulchritudinem orbis non tam facit ſpecierum quam actionum diuerſitas, ſi ſufficeret res creatas ab alterationibus & interitu immunes eſſe, ceſſare deberent motus cœli, ſi ſub illis inferiora nihil agere, nihil pati nata ſint.

Imperiti cenſores non aduertunt ſe, dum rebus ſingulis fauent & volunt eas inalterabiles, vniuerſo plurimum detrahere; nam ſublata deſiderati fruitione tollitur pulchritudo, amor, omnis vitæ ſuauitas quæ potiſſimum contingit ex dolentis & alterati reſtitutione; Volunt perpetuum violentum in natura, ſi partes elementorum ſub indiuiduorum forma vim patientes, in ſuam nunquam redeant originem. Oriuntur, creſcunt, minuuntur, intereunt ſingula, ſic ab initio factum eſt, Ita nunc fit, ſic deinceps fiet: Cur vana curioſitas in quæſtionem reuocat diuinæ ſapientiæ mundo præſidentis immutabile decretum? heu quam vanum & quam impium eſt, contra cœli terræque leges [h] dictas contra fatum, ideſt in æternum permanens verbum, cenſere, & velut meliora coniicere, quam ea quibus tot elapſis ſæculis, ſtetit cœlorum, elementorum, ſpecierum ordo perpetuus,

[h] Iſay. 31. 3.

Digitized by Google

mundique conſtans per ſuas viciſſitudines pulchritudo ? ſic ab æterno decreuit diuina ſapientia, in tempore cœlos moueri, elementa permutari, mixta naſci, ſtatis incrementis proficere, decrementis minui, tandem interire.

Magnum exhibent homini ſpectaculum cœleſtis militiæ variæ ſemper exercitationes, quæ modis alternantibus vni decertantium nunc victoriam, nunc fugam decernunt ludicra velitatione, cum nihil intereat vniuerſo, ſed partes in agmen ſuum receptæ, poſtmodum inde fortius erumpant. Magnum ſpectaculum ſub variis cœlorum aſpectibus, videre magnas in orbe mutationes legum, imperiorum, populorum, terrarum quas hic mare ſorbet, alibi reſtituit; quas calore conſumptas, [i] humoribus diluuia reficiunt: humana mens, ſupra locum, ſupra tempus, & materiam elata, videt ſub ſe mundanam machinam hos viciſſim induentem colores, non caſu, ſed dictis à prouidentia legibus, quas putant ex cœlis velut ex paratis ad executionem inſtrumentis poſſe coniici.

[i] Ariſt. meteor. lib.

Licet nobis velut in æternitatem iam admiſſis, illius ſaltem candidatis in præſens, præterita futuraque colligere; rerum initia, progreſſus, fines contemplari, & vltra venientes ſæculorum decurſus momento cogitationes noſtras mittere, at heu quam excelſa ſimul & deiecta hominis conditio, qui hoc in humano theatro non tantum ſedet ſpectator, ſed in arenam deſcendit damnatus pugil, ſimul iudex & reus; eandem ac ea quæ regit tempeſtatem patiens; ſublimes animo, corpore domeſticis quidem animalibus longiorem ducimus vitam, ſed fine ſimili, ſcilicet morte concludendam; cuius executio dum præuidetur, dum non vitanda differtur, in improbis metus auget, & cedit in ſupplicium. At viro bono liquet mortem nullius eſſe mali materiam, multorum finem. Non eſt timenda [k] bonorum amiſſio, quæ altero bono, ideſt incommodorum pace penſatur. Lucrum eſt euaſiſſe incrementa peccati; Lucrum fugere deteriora, & ad meliora tranſire. Diu non fuimus, in poſterum non erimus, attento præterito futuroque, momentum eſt, punctum in vniuerſo non ſpectabile, quod ſumus: Illud tamen breue tempus ſi benè diſpenſetur, ſemen eſt nunquam deſituræ fœlicitatis. Iuuat interim noſſe nos corpore mortales, vt huic infimæ parti minimum indulgeamus; Immortales animo, vt toti ſimus in eius cura, qua tempus in æternitatem, eſſentia ſpiritualis, in diuinam poteſt refundi. Licebit & cum ſapiente [l] ſpeculari rerum initia, progreſſus, fines, viciſſitudines, permutationes, & præcedentibus libris de ortu & augmentis rerum, hunc de earum interitu ſubiicere, vt ſicut natura per tot mortes offert Deo iuge ſacrificium, quo proteſtatur totam ab eo pendere quam habet è nihilo ductam exiſtentiam, ſic

[k] Tertul lib. de teſtimo. animæ. c. 4.

[l] Sapient. 7.

Digitized by Google

nos huius publicæ ſolemnitatis præcones ; quod fit actibus, verbis conabimur exprimere ad Dei laudem , & hominum ab ortu ſuo ſenſim in mortem properantium diſciplinam. Eo procedemus ordine , vt primum exponantur generalia quæ pertinent ad rerum interitus ; tum inquiremus alterationis & corruptionis cauſas tam internas , quam externas ; tandem quæ ſingulorum interitum immediatè præcedunt , & poſtea ſequuntur.

COMPOSITVM EST NATVRA SVA diſſolubile.

Lex 1.

PRimam mundi molem, rudem, indigeſtam, confuſam deſcribunt antiqui , [m] quia corpore in vno frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis ; mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus. Ex eorum opinione res ſibi mutuò ſic obſtantes vt nec eſſent , nec agerent , ſapientiſſimus opifex , ſpatiis congruè diſſitis locauit velut fides in cithara, qui liberæ conſonarent ad harmoniam vniuerſi. Mirum in animalis exiguo corpore contubernales degere contrarias elementorum qualitates, quæ ſe non compatiebantur in vaſto totius orbis ſpatio. Hic humida ſiccis ; calida frigidis, ſpiritus ſine pondere grauibus obtuſiſque permiſcentur , temperatè tamen , & diu ſaluis propriis ſuis viribus quæ conferunt ad integritatem compoſiti.

[m] Ouid. l. Metamorph.

Id efficit ſubſtantialis forma quæ cœleſti quadam virtute has qualitates elementorum fræno continet ne ſimiles ad ſe mutuo confluant diſſoluta mixti temperie; agitat illas perenni motu ſicut mixtos liquoribus pulueres, qui non ſedent & imum non petunt , niſi quieti. Hinc didicit politia populos exagitare ne rebellent ; & moralis, ſenſus in opere detinere, ne laſciuiant. Talis motionis primarius miniſter eſt natiuus calor , effectu tamen ſibi plurimum contrario : miſcet enim dum agitat , [n] ſed diſſoluit , dum à centro rei mouet ad circumferentiam, & dum ſubtile ſibi conueniens attrahit , ſeparatque à groſſo imum tenente , congregat homogenea, ſeparat heterogenea cum tranſmutatione ſubſtantiæ.

[n] Albert. Magn. lib. 1. de gener. & corr. tract. 1. cap. 5.

Humido primigenio ſenſim à calore conſumpto , nec alimentis ſufficienter reparato , etiam minuitur hic fortiter exagitans calor, & partes ſuæ relinquit inclinationi : cum ſint contrariæ in congreſſu

Digitized by Google

pugnant, in pugna & reactione vim patiuntur, quam natura non ſinit eſſe perpetuam; Itaque ſe fugiunt, euaneſcunt ſpirituoſa, ad ſe mutuo humida confluunt, ſubſidunt torpentque terreſtria, ita fit totius diſſolutio. Repetunt partes ſtatum quem prius habuere, puriorem, liberiorem, & ſpiritus tum vniuerſi, tum ſingulorum elementorum diſtractas partes quibus adhuc inſidet, à mixti captiuitate reuocat, & illas velut poſtliminio, ſuis reſtituit natalibus. Ideò plantæ & animalia cum non poſſint ordinari ad incorruptionem, non remanebunt in mundi innouatione.

[o] D. Thom.

Fruſtra ſperes æternam ciuitatem, [o] in qua ſunt plures principes, vel quæ componitur ex diuerſis gentibus, nam habent vnitatem accidentali modo quæ tandem cedit eſſentiali diuerſitati, rerum motuumque. Contractum ex diuerſis gentibus exercitum, [p] vt ſecundæ res tenent, ſic diſſoluunt aduerſæ, ſiue neceſſitas, ſiue ſingulis innatus amor homines ſocios effecerit, illis ſupereſt libertas inde cum voluerint, diſcedendi, & ab hoc accidentali communione in eſſentialem ſingularitatem vitæ dominijque reſtitui. Nihil tam naturale, inquit lex, [q] quam vnumquodque eodem genere diſſolui quo colligatum eſt; ideò verborum obligatio verbis tollitur, nudi conſenſus obligatio, contrario conſenſu diſſoluitur; ſiue mutatio [r] contigerit, ex perſonis, rebus, voluntate, actione, diſtrahitur ſocietas, & adeò morte ſocij finitur vt nec ab initio paciſci poſſimus vt hæres ſuccedat ſocietati: ſi conueniat [s] ne omnino rei communis fiat diuiſio, tale pactum nullas vires habet, nam nemo cogitur [t] in commune manere, nullaque ſocietatis in æternum coërcitio eſt, ſiue priuata ſeu publica, nam vt liberum eſt vnicuique de ſocietate, [u] ſic de ciuitate [x] diſcedere.

[p] Tacit. in vita Iulij agricolæ.
[q] l. 35. ff. de reg. iur.
[r] l. 63 ff. pro ſocio. l. 59. ff. eod.
[s] l. 14. ff. cóm. diuid.
[t] l. Final. ff. eod.
[u] l. 70 ff pro ſocio
[x] l. actione § læbeo ff. Pro ſocio.

Antiqui legiſlatores hoc communi iure ducti, diuortia coniugatorum permiſere; Plato [y] propter decennij ſterilitatem, aut ſi propter acerbitatem morum non conſentiant coniuges; Romulus [z] ob adulterium, concepti fœtus ſuffocationem, clauium ſubreptionem; Tandem apud Romanos [a] vt apud Hebræos [b] cauſa repudij legitima habita eſt, odium inter coniuges, licet eius rationes in libello non ſcriberentur, vel ne infamarent, vel quia ſunt occultæ, validæ tamen cauſæ antipathiæ, quas Ptolomæus [c] refert potiſſimum ad luminarium poſitionem in vtriuſque coniugis geneſi in ſignis inconiunctis, vel oppoſitione vel quadrato ſe reſpicientibus.

[y] lib. 6. & 11. de legib.
[z] Plutarch. in Romulo.
[a] Idem in Paulo Æmilio.
[b] D. Thom. ſuplemen. q. 67. a. 7.
[c] Quadrip. lib. 4. c. 5.

Cæteras quas habemus cum rebus aut perſonis humanas ſocietates optimum eſt conſiderare velut in diem mutabiles, & ex improuiſo nos relicturas. Sicut vnus ex ſociis [d] cæteros licet inuitos poteſt prouocare ad diuiſionem hæreditatis, & rei communis. Vt animalia [e] deſinunt eſſe noſtra cum reuertendi animum amiſerunt, ſic homi-

[d] l. 41. ff. famil erciſc.
[e] l. 5. in his autem ff. de acquir. rer. dom.

Digitized by Google

nes, cum libuerit fiunt de familiaribus alieni, nam ambulatoria,[f] imò volatilis eſt voluntas vſque ad mortem, & ſubinde mutatur in varios affectus. Lex Romana[g] decernit iura ſanguinis, nullo iure ciuili dirimi poſſe; Lex tamen Salica permittit volenti renuntiare parentelæ, in mallo, ideſt publicis comitiis, fracto ſuper caput baculo aluino in quatuor partes, quæ proiiciuntur inter propinquos conceptis etiam verbis diuiſionem à familia ſignificantibus. Hunc gaudebas amicum tibi contigiſſe probum, gratiſſimum, vt putabas fidum, & ecce momentò, vnde probandus erat fugit, alterius ſpecie, commodis, genio captus, & quod maximè doles, ſecreti tui conſcius te deſerit; Quid indignaris? vtitur iure ſuo, mutabilis mutatur, vt mutabilem poſſidere debueras, vt ex amico futurum inimicum, & nihil illi committere, quod committere etiam inimico non poſſes. Diuiſus, etiam ſeruus eras, in duplici corpore & familiâ, fortunæ magis expoſitus, nunc te liberum integrumque prouidentia reſtituit virtuti, in qua velut in fonte probos omnes poſſideas amicos.

[f] L. 4. ff. de adimend. legat.
[g] l. 8. ff. de reg. iur.
[h] Cod. leg. antiquar. leg. Salicæ. c. 63.

Florens vxore pudica, piis liberis, ſatis amplo prouentu fundata domus arridebat, cum inſperatæ mortes augent ex præcedenti voluptate chariſſimorum pignorum luctus, quaſi data ſint, vt breui poſſeſſa, deſiderio ſui diuturnum fouerent dolorem; At iniquus tu rerum æſtimator familiam non conſideraſti, vt eſt accidentale compoſitum, natura ſua obnoxium diſſolutioni: hortus erat fulgens floribus qui vel citò ſponte ſua marceſcunt, vel excutiuntur ſubita ventorum procella; Liberos mortales genueras; dati fuerant die non adjecta[i] vt præſenti deberentur; cur malæ fidei debitor creditori repetenti facis conuitium? cur quod precariò receperas gratus non reddis?

[i] L. 14. ff. de reg. iur.

In his & ſimilibus fallimur, inquit Epictetus,[k] quod rerum naturas quales ſint non agnoſcimus, cum tamen quiſque debeat eſſe non ignarus conditionis eius[l] cum quo contrahit: Si diuitiæ, dignitates, amici, liberi, contingunt, hæc omnia in mutabili tempore, & mutabilium regione, etiam à mutabili poſſeſſa, mutabilia ſunt, ſiue res poſſeſſori, ſiue rebus poſſeſſor deficiat: Igitur vt mutabilia debent poſſideri; ſicut habemus ver æſtate, æſtatem autumno, autumnum hyeme deſiturum; ſicut ſolis ſplendore fruimur ad amiſſionem eius parati, cum illum aut nubes tegunt, aut cadentem in occaſum nox excipit. Non multò maiori neceſſitate res mortales inter ſe connexæ ſunt, quam cum illis eſt coniuncta lux, quæ tantum ſuperficie tenus aduenit, & abeſt nullo ſui relicto veſtigio. Perit rerum etiam illuſtrium memoria cum ſonitu & velut ſonitus quem immediatè ſequens obſcurat. Vt bulla paululum in aquis intumeſcens, eodem quo turget ſpiritu in planitiem momento euaneſcit, ſic diſ-

[k] In enchyridio.
[l] L. 19. ff. de reg. iur.

Digitized by Google

ſoluitur omne naturale compoſitum iiſdem quibus conſtat principiis, eadem fati lege qua cœperat, licet ſingula ſuis propriis occumbant temporibus.

Deletæ ſunt florentiſſimæ ciuitates, bellis, incendiis, diluuiis, vt vix ſuperſit earum memoria; etiam intelliguntur mori, cum hoſtes dirutis ædificiis per illas ducunt aratrum [m] quod paſſa eſt Carthago. Mare non ciuitates tantum, ſed maximas etiam regiones [n] ſorbuit. Ogygis & Deucalionis diluuia operuerunt magnas orbis partes. In vniuerſali diluuio ſub Noë, omnia pontus erat, & ſine littore pontus Tandem totus orbis has paſſus viciſſitudines deficiet ſicut arbor ſingulis annis viduata & veſtita foliis tandem ſenectute contabeſcit; Ipſum perpetuæ tragœdiæ cæleſtibus exhibitæ theatrum, quia compoſitum eſt, aliquando diſſoluetur.

[m] l. 11. ff. quib. mod. vſusfr. amittat.

[n] Plin. lib. 2. c. 90.

Compoſiti diſſolutionem tardat aut impedit potentioris interuentio.

§. 1.

Coelum [o] alterationibus & generationibus inferiorum præſidens, ab ipſis immune conſtitutum eſt, ne ſi vel minimum deficeret, turbaretur concentus vniuerſi; vel ſi læſæ ſuæ qualitates reſtitui deberent ab alio, daretur progreſſus in infinitum niſi tandem deueniretur ad inalterabile. Nihil ergo nec à ſe patitur, cum ſit corpus ſimplex; nec ab externis, cum magnitudine, virtute, ſitu longè ſuperius ſit. Seu immediatè creatum à Deo immortalitatis dote cum puris mentibus donatum ſit, & inferiora regens hoc regali iure fuerit inſignitum; ſeu habeat aliam ab inferioribus materiam; ſeu hæc tam nobili formæ cæteras eminenter complectenti coniuncta ſit, vt amittat vagum quo transfertur ad mutationes appetitum. Vndecumque procedat hæc permanentia, conſtat hanc illi competere, cum à tot ſæculis nihil de ſua luce, virtute, periodo ſtellæ perdiderint, cum æquè ſemper fulgeant, moueantur, & inferioribus vim qua ſpecies & indiuidua conſeruentur, influant.

[o] Albert. Magn. de cœlo. lib. 1. tract. 1. cap. 9.

Cœlum empyreum licet motu careat, influit tamen in inferiora, inquit D. Thomas, [p] & illis aliquid ſtatui ſuo conforme ſcilicet continendi & perſiſtendi vim largitur. Primi mobilis ſigna fixa, cum in illis fuerint planetæ fauent rerum conſeruationi: ſtellæ fixæ dominantur potiſſimum regnis, legibus, & his ciuilibus corporibus quorum duratio prolixior eſt: Primum conceptionis menſem [q] Saturno

[p] 1. q 66. a. D. Dyoniſ. cœleſt. hierar. cap 8.

[q] Marſil. ficin. lib. de vita cœl.

Digitized by Google

turno tribuunt; quia cogit ſemen ne diffluat, non frigore vitæ contrario, ſed virtute à circumferentia ad centrum omnia redigente, & ſpiritus nimis volatiles coërcente; Quod aurum ſit homogeneum & vacans omni ſulphure inflammabili, vnde non poteſt calcinari per per ignem, id procedere dicunt à virtute ſolis qui eodem ſemper paſſu procedens in Eclyptica, nec cæteris planetis communes variationes patiens, etiam in cœlorum centro vim habens minus mobilem, illam imprimit ſuo metallo; Ex eo chymiſtæ ſpondent ductum elixir vitæ diuturnæ conſeruatiuum, cum ſit humido radicali ſubſtantia perſimile. Inde fluunt formæ ſubſtantiales, quæ, vt diximus, contrarias elementorum qualitates cogunt in concentum & temperiem. Certum eſt enim has ex ſe qualitates animantium vitam non producere, nec corruptionem ab humido, conſumptionem à calore ſemper naſci, nam leo plus viuit quam ouis, at leoni calor major, ſucci minus, igitur ratio præcipua durationis procedit à forma & vi cœleſti, quæ ſplendore vix ætatem ſentiente, micat in gemmis.

Quod cœlum efficit in natura, id præſtat in ciuilibus lex, velut immortalis ideæ diuinæ ſimulachrum; [r] ſupponitur enim ab humanis paſſionibus libera, ſic inalterabilis, mutabiles hominum voluntates ne contra ius & æquum ab inuicem diſſiliant, in multis coërcet: naturaliter liberum eſt, vt diximus, è ſocietate & è ciuitate diſcedere, lex [s] autem ſic limitat niſi ſocietatis & ciuitatis interſit, vt ſi fiducia multitudinis bellum ſit ſuſceptum, ſi obſidio immineat: gregatim diſcedere non licet, quamuis id permiſſum ſit ſingulis, vt aliud eſt ex flumine aquam haurire, aliud riuum deducere. Ciues Romani, [t] vbicumque ſint alterius regionis incolæ, poſſunt ad ciuitatem retrahi vt ſeruire poſſint functionibus quas impoſuit antiqua ſolemnitas. Sic etiam nunc Reſpublicæ Italorum, Heluetiorum, Germanorum reuocant ad ſe ciues ſuos ſub pœna publicationis bonorum, vrgente belli periculo. Lex commercia cum hoſtibus habentes, transfugas, deſertores militiæ, grauibus ſubiicit pœnis; prohibet diuortia, exhæredationes, abdicationes, niſi certis de cauſis. Ad hoc reduci poſſunt, prohibitiones alienandi, conditionem ſuam mutandi [v] cum alterius intereſt, & ſimilia plurima in iure.

[r] Plato lib 5. de Republ.

[s] l. actione. §. labeo ff. pro ſocio.

[t] l vnic. cod. de priuileg. corporat. vrbis Romæ

[v] l. 75 ff. de reg. iur.

Diſciplina moralis homini legem dicit, qua vagos mentis & affectuum motus coërceat; habitus animi non erit in optimo niſi totius vitæ legem ſibi dixerit, ad verum non peruenitur ſine decretis, [x] continent vitam; his accedat præſtantis alicuius viri præſentia quem animus vereatur, vt coram illo diſſolui pudor ſit; ſi commotos populos & milites ſedat præſentia Principis, quam ſanctè componetur mens quæ Deum intimè ſibi ſemper aſſiſtentem agnoſcit. Ex illo charitatis fonte manat illa qua Religioſus naturalem ſuam liberta-

[x] Seneca ep. 95.

y D. Thom 1. 1. q. 88. a. 1. & 4. tem litat Deo per vota, quæ firmant rationem [y] in meliori bono, & hac animi firmitate mortalem aſſimilant beatis; Cœlum & terra tranſibunt, vnum eſt quod nunquam excidit, [z] ſcilicet charitas quæ nos Deiformes ſic immutabiles efficit, quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, ſecurus, fidenſque proclamat Apoſtolus; [a] non tribulatio, non anguſtia, non fames, non nuditas, non periculum, non perſecutio, non gladius. Habet Eccleſia Iurisjurandi religionem qua fidem hominum velut oppignoratam continet ne diffluat à promiſſis; habet ligandi poteſtatem, qua miniſtris ſuis indicit cœlibatum, reſidentiam certis in locis, operum præſtationem, ſeu charitatis diuinæ vinculum omnium fortiſſimum & ſuauiſſimum eſt, quo fit vt anima æterno Deo, in æternum adhærere ſeligat ſpretis omnibus vitæ ciuilis & naturalis oblectamentis. Ita Deus fundauit terram ſuper aquas, firmum in meliori bono propoſitum, ſuper fluxam ex ſe voluntatem humanam. Non promittit ſe bonum in perpetuum [b] qui caſu bonus eſt, ergo infigi debet obligatio ad totam pertinens vitam, omnia honeſtè fiunt cum honeſto nos addiximus, in particulas ſuaſiſſe, totum ordinanti parum eſt, non contingit tranquillitas, niſi immutabile certumque iudicium adeptis. Cæteri decidunt ſubinde & reponuntur, & inter omiſſa appetitaque fluctuant. Vt igitur perpetuo cœleſtium influxu continentur elementa ne confundant ordinem vniuerſi; vt anima corpori præſens partium corruptionem impedit; vt lex & Princeps vigens in Republica compeſcit ſeditiones, pacemque conciliat, vt Philoſophia decretis ſuis mores optimè dirigit ne diſſoluantur; Ita Deus piis mentibus præſidens aſtringit illas ſibi per vota, perpetuo charitatis, virtutum ſimul & fœlicitatis vinculo. Fœlix enim qui dicit cum Propheta, [c] à iudiciis tuis non declinaui, quia tu legem poſuiſti mihi; fœlix quem velut arborem irrigant egredientes aquæ de ſanctuario, [d] vt illi folia & fructus non deficiant.

z 1. Corinth. 13.

a Roman. 8. 35.

b Senec. ep. 95.

c Pſal. 118.

d Ezech. 47.

Digitized by Google

RERVM CORPOREARVM DVRATIONI præfixus eſt terminus.

Lex. 2.

INſitas rebus inferioribus vires ſuis terminis concluſas expoſuimus, [e] quia productum omne cum ſit pars vniuerſi debet ſeruare cum cæteris proportionem, quæ conferat ad totius complementum; ſicut in depicta tabula figuræ contrahuntur, producuntur, fulgent coloribus, velantur vmbris prout licet ex perſpectiuæ regula, quæ vicinas vel diſtantes exprimit. Cum igitur vniuerſi permanentia conſtet rerum ſingularum ſucceſſione, illarum durationi præſcribi debuit terminus, vt ordine congruo primis ſuccedant ſecunda, ſecundis tertia, ſic deinceps, fiatque fatalis ille ſoli Deo notus cauſarum nexus. Eadem compoſitum omne manet diſſolutionis neceſſitas, non tamen paribus interuallis ſingula deficiunt, rerum exitus variantur, vt quantitate, longis breuibuſque numeris diſpares ſunt ſyllabæ, quibus ſermo, vel metrum conficitur; vt tonis quibuſdam toto ſpiritu productis, aliis mediatis, ſemiuiuis, intercepta fractaque voce naſcendo morientibus aures muſica demulct. Ne quis autem caſibus tribuat quæ fiunt arte diuina in regno prouidentiæ, cauſas aliquas naturales exitus ita diuerſi ſcrutabimur, vnde conſtabit omnia ratione diſpenſari, plurima ſapientes agnoſcere quæ vulgus ignorat, & & illis adhuc ſupereſſe longam inquiſitionis materiam.

[e] Supra lib. 1. l. 7.

Citò naſcentia, citò diſſoluuntur.

§. 1.

SI res diu duraturas, diu meditatis operibus natura perficit, [f] ſi aurum & gemmæ ſint plurium ſæculorum labores, ſequitur à contrario cito naſcentia citò diſſolui; quotidianis id conſtat experimentis impreſſionum ignitarum aëris in ipſo ſuo curſu deficientium; inſectorum quorundam vna die naſcentium & morientium; plantarum, quæ vt citius enaſcuntur, ita minus ætatem ferunt quam arbores; Inter illas, ſambuci, ſalices & cætera id genus ligna medul-

[f] Vide ſupra lib. 2. l. 16, §. 2.

Digitized by Google

lis grauida, mala perſica, breui tempore ſurgunt in altum, ferunt fructus, ſed intra paucos annos effœta contabeſcunt. Ita fit quia plantæ, taleſque arbores conſtant potiſſimum humore aqueo qui terreo ſubtili permixtus facilè diffunditur, & cœli calorem ſequens debitam ſuæ ſpeciei conſiſtentiam accipit; Ita ſi quis plantas potiſſimum frigidas vt cucumeres, pepones comprimat aut aperiat videbit eas inſpiſſata tantum aqua conſtare, & hæc eſt vt citiſſimi profectus, ſic interitus cauſa; nam hic humor aqueus vix ſibi conſtans vel euaneſcit, vel in compoſito torpeſcens generat corruptionem. Hinc animalia aquatilia breuiorem habent vitam quam terreſtria, quæ ſicut arbores magis conſtant terreo probè digeſto, vnde ſoliditas & permanentia.

Vt chymia mixtum diſſoluens primum educit aqueum flegma, ita ſol verno tempore terram calore ſuo tepefaciens, ex ea primum elicit quod eſt aëreum aqueumque, vnde formantur folia, flores, legumina, plurimi fructus ætatem non ferentes, vt ceraſa, pruna, poma, pyraque quædam præcocia. Hæc quamuis non æquent eorum bonitatem, quæ lenta coctione etiam ad ferendum hyemem valida tardè profert autumnus, placent tamen quia veniunt poſt ſteriles plurimos menſes auidis expectantibus gratiora, noua, & annuæ fœcunditatis primogenita guſtui plurimum blandiuntur; diu quidem non durant nimis humida, & id expediebat, vt in ſua morerentur æſtimatione, & vt quæ primò placuerant, ſequentibus comparata, repulſam non paterentur.

Plurimum nobis indulget rerum natura ſuæ fœcunditatis profectu, dum minima ſubſtrahens, meliora ſubſtituit, & decedentium extinguit deſideria ſequentium ampliori ſuauitate. Placet hæc viciſſitudo quandiu viget in externis, at vbi mors è familia rapit expectationis maximæ iuuenem, prudentia, rebuſque iam præclarè geſtis, canum; tunc erumpunt gemitus celerius occidere feſtinatam maturitatem, [g] quaſi lateat quædam quæ ſpes tantas decerpat, inuidia, ne videlicet vltrà quam homini datum eſt noſtra prouehantur. At cæcus ille præ lachrymis dolor non aduertit fortè iuuenem, anticipata gratia genij ſui iam apicem attigiſſe, & clauſiſſe totum in exiguo, fortaſſis alicui malo ſubduxit illum prouidentia, ſi nulli alij, certè vel ætati prouectiori quæ ſpei conceptæ turpiter non reſpondiſſet. In Cypro [h] genus quoddam peculiare palmarum eſt, cuius fructus nunquam matureſcit, crudus tamen guſtui placet, & peculiarem dulcedinem ſortitur. Sic quorundam hominum adoleſcentiæ ſola contingit ſuauitas; Nam qui cerebrum frigidum & ſiccum habent, præcoci ſunt ingenio, & iis in ætate tenera ſenſus ſunt acres, actioneſque vitio carent, non enim ſunt multi vapores humidi qui

[g] Quintilia. Inſtit. orator. lib. 6. in proc.

[h] Theophr. hiſtor. plāt. lib. 2. c. 8.

Digitized by Google

ſpiritus & organa ſenſuum inquinent, & eſt ſatis caloris in prima ætate ad actiones obeundas; at annorum progreſſu, cum alij ſapere incipiunt, & omnibus ſenſibus vigent, in iis ſenſuum acrimonia remittit, & calor non ſufficit ad actiones animales, vnde prouerbium præcocia ingenia raro ad frugem perduci. Humana natura vniuerſi compendium eſt, & in ea reperiuntur diuerſis entibus diſtributæ conditiones: ſunt ingenia quædam ad fructum lentè matura, ſunt quædam ad delitias, & tantum vt floreant cita ſua naſcendi ſorte familiis conceſſa: his vtendum vt floribus qui cum ſpectatiſſimè prodierint, celerrimè marceſcunt.

Cœleſtis pulchritudinis ſpecies diuerſa & inter ſe contraria materia hic excipitur, vna eſt fluida, permanens altera; In fluida citò recipitur, citò deſinit, vt in aquis quæ cum puræ placidæque ſolem referant, minima pulueris iniectione, vel externo motu turbantur: in anemone, in cichoreis cæteriſque floribus qui ſtatim nati ſolem ſequuntur, ſed intra paucos dies concidunt: in muliebri pulchritudine quæ vigens in primis annis rapit mentes, at ætate paululum procedente defloreſcit, etiam turpiter deformatur, non ingrato ſpectaculo his quos ſuperbè torſerat. Fulget ſplendor diuinus, inquiunt Platonici, [i] in his quæ oculis, auribus, mente percipiuntur: Citò placent, citò deſinunt naturæ ſuæ momentaneæ fato: artes quæ non reliquunt opus poſt ſe, qualis eſt muſica, ſaltatio, oratio voce geſtuque ex eloquentiæ præceptis naturæque fœlicis impetu fortiter animata, dum pronuntiatur agitat mentes quibus voluerit paſſionibus, transformat illas ineluctabili magia, ſed ad horam, & cui ſaltem pauci dies remedio ſint. Plurima proſtant exempla citò naſcentis pariterque deſinentis fœlicitatis & gratiæ. Equeſtribus copiis proprium eſt citò parare, cito amittere victoriam; Ludus momento quem impleuit ſpoliat; Aula cito ſummam rerum adeptos præcipitio collidit, & ex magnis dignitatibus extremas conficit calamitates; quis fidat huic tranquillitati, momento mare vertitur, & vbi luſere nauigia ſorbentur: Etiam ius ſingulare [k] quod ex occaſione, & cum vrget caſus aliquis introductum eſt, ibi deſinit, nec producitur ad conſequentias.

[i] Marſ. ficin. in hippia maiore.

[k] L. 14. ff. de legib.

At cœleſtis pulchritudinis ſplendor ſedet, diuturnamque ſui fruitionem permittit in auro, & in gemmis ab omni æuo, & apud omnes populos ideo tanti pretij, quia ſunt naturæ per plura ſæcula vtero ferentis, partus immortales; Inter ea quæ delectant mentem humanam, cui propriè competit ſenſus pulchritudinis, referri poteſt habitus ſapientiæ qui defæcatam veritatem in vniuerſalibus principiis contemplatur, habitus conſommatæ virtutis, qui potentiis ordinem dicit, vt in cœleſtibus nunquam aberrantem, ſuauitate, for-

Digitized by Google

titudine, rectitudine legibus æternis conſonum. Cum hanc moralem gratia Chriſti perfecerit, mens humana paradiſus eſt, velut illi iam contingat omnis boni poſſeſſio, ſed illam ſolent præcedere diuturnæ virtutum exercitationes.[l] Vnde neophitos ideſt recenter ad fidem conuerſos, per ſaltum & prætermiſſis ordinum interſtitiis promotos Eccleſia non probat, ne dignitatis tantum occaſione virtus aſſumpta facilè diffluat ad antiquos mores, ſicut ex ludo, ſucceſſione, donatione, denique citrà laborem facultatis quæſitæ facilis eſt profuſio, & vt fert prouerbium, malè parta, malè dilabuntur. Hic ſperata vitæ fœlicitas vix erit conſtans, niſi quæratur & conſeruetur per virtutes quæ fideliſſimam exhibeant ſeruitutem Deo: In his conſtituendum eſt regnum eius, non in momentaneis gratiæ ſplendoribus, qui vt cito fulgent, ita deſinunt, & incautas immeritas mentes, quæ nihil habent ſolidæ virtutis; interdum horrenda ſterilitate damnatas repudiant

[l] Philo lib. de profug.

Quod ſi receptos diuinitus ſplendores in aliorum ſalutem reflectere velit charitas ipſa nunquam excidens, & id gratia conceſſerit, non tantum fluxis, vt pronuntiatur ſermonibus, ſed æternitati ſcriptis poſteritati conſulet, ordinabit ſæcula futura, & apud omnes gentium & temporum homines concionabitur. Gerſon[m] miris extollit laudibus hoc impenſum libris ſcribendis ſtudium, accuratè magis & exactiori diligentia, quam quod pronuntiatur digerendum, ſed immortali donatum præmio, dum non operatur cibum qui perit;[n] dum arma, conſilia, munitiones in futurum ſuppeditat Eccleſiæ militanti, & hoſtibus ſuis timendam efficit, erectis diuinæ veritatis, poſt tot de mundo reportatas victorias, perpetuis trophæis.

[m] Opuſc. de laude ſcriptorum.

[n] Ioan. 64.

Magis actiua minus durant.

§. 2.

Viuens in actione calorem & ſpiritus è theſauris ſuis trahens, profundit ad externas partes, vbi ſedibus ſuis pulſi, velut è fomite ſuo flammæ ſurgentes euaneſcunt; Itaque motus immoderatus,[o] ſiue ſit ſupra corporis vires, ſiue perpetuus nec interciſus morbos infert, virium ſubſtantiam exhaurit, tandemque corpora refrigerat, & commotis putridis humoribus languidum obruit. Igitur quo frequentior & vehementior erit actio, maiorem laſſitudinem inducit, hanc autem ſequitur, caloris, ſpirituum exolutio, quæ non ſufficienti quiete reparata, tandem diſſoluit compoſiti totius harmoniam: hinc inanimata vt lapides, metalla, quia non agunt &

[o] Fernel. meth. med. lib. 2. c. 9.

Digitized by Google

minus repatiuntur diutius durant, quam animalia.

Theophraſti regula eſt [p] fœcundiores arbores celerius conſeneſcere, nam diuturni penſi perpetuatione fatiſcunt, quia ſuccus qui debebatur matribus abit in ſobolem, ſic vitæ principia euadunt debilia, dicitur enim ſemen arbor poteſtate, quippe cum arbor vna multa ferat ſemina, multas quoque arbores ferre dicitur, ergo ſe ſic in multis millibus repræſentando, multum amittit ſui. Id euenit annuis plantis, & cauſa hæc eſt vt annua conſtent natura; cum enim fructus perficiuntur radices protinus exareſcunt, quoniam vis naturæ tota conſumpta eſt, quam ob rem culta celerius quam inculta ſeneſcunt, & meliora quam deteriora, vrbana quam ſylueſtria; cultura enim auget fructus qui arborem necant. Roſa [q] dicitur à fluxu odoris, quem plurimum emittens citò marceſſit. Dum vineæ putantur [r] non ſunt vni trunco pluſquam quaterni palmites concedendi, non indulgenda eſt, ſed ſemper cohibenda fœcunditas, ea eſt enim natura, vt parere malit quam viuere, quidquid materiæ adimitur, fructui accedit;

[p] De cauſis plantar. lib. 2. cap. 11.

[q] Clem. Alexandrin. pædag. lib. 2. c. 8.

[r] Plin lib. 17. c. 22.

Simile iudicium eſt de animantibus, quæ plurimum prolifica, vt paſſeres, columbæ, lepores, ad paucos perueniunt annos, cumque, refert Ariſtoteles, [ſ] gallinæ bis in die peperiſſent, à tanta fœcunditate effœtæ redditæ ſunt, breuique mortuæ. Ferunt ſub augusto [t] ancillam quinque pueros edidiſſe, eoſque perpaucos dies vixiſſe, matrem quoque eorum, non multò poſtquam peperit mortuam.

[ſ] De generat. animal. lib. 3. c. 1.

[t] Gellius lib. 10. c. 2.

Videtur ſingulis vita non ad menſuram temporis, ſed actionis conceſſa, vt tantum durationi detrahatur, quantum adiicitur actioni, & cedat in fatalis cenſus liberationem, quod anticipata ſolutione præſtatur; ſic Alexander annorum viginti quinque ſpatio impleuit Imperatoris fortiſſimi munia, quæ cæteri diuturnis bellorum periculis edocti ſenes vix conſequuti ſunt. Ter enixa [v] videtur etiam quæ tergeminos peperit. Fallebatur ergo qui vitam ſibi producere ſperabat, ætatem duplicare, diligenti totius temporis impenſa, labore dies noctesque nunquam intermiſſo: nam nimiæ vigiliæ [x] ſpiritus animales exhauriunt, cerebrum ſiccant, mentem perturbant, bilem inflammant, natiuum calorem humidumque diſſipant, ſic læſa coctione magnus fit cruditatum prouentus, quo vitæ fomes extinguitur. Segetem nimia ſternit vbertas, rami fructuum onere franguntur; ad maturitatem non venit nimia fœcunditas, nec ad ſenectutem labor improbus.

[v] l. 137. ff. de verbo. ſigniffic.

[x] Fernel. meth. med. lib. 2. c. 9.

Publicis dignitatibus inſigniti, formæ cuiuſdam vniuerſalis, ſed non immortalis munere funguntur; agunt plurium miniſtrorum oculis, manibus, ſolertia, & tot in vnum congeſtæ ſollicitudines,

tot animi pluribus intenti pathemata, vires vni vitæ debitas abſorbent. Inde fit vt Regum, maximè Pontificum [y] vita breuior ſit, totius ſcilicet orbis intenta regimini, tutelam gerens animarum quas, quippe ſpirituales, nec oculis videre nec manu taugere licet, nec liberas vi continere. Itaque meritò recenſet Hypocrates inter vitæ conſeruandæ pæcepta, publicæ dignitatis abdicationem, quæ tot curis ſpiritus animales exhaurit illiſque fraudat corpus naturale, vt ſeruiant ciuili. His conſentit aſtrologorum obſeruatio, qui domum cœli decimam regimen ſignifficantem conſtitunt in apice cœli, horoſcopum vitæ fontem quadrato hoſtili mortalique radio ferientem.

[y] Petrus Damiani opuſc. 23.

Si detur optio, & melius ſit vitam vt ferrum in actu cum ſplendore, quam in ſordibus rubigine confici, impendatur pietatis & charitatis officiis, propriis ſenſibus & concupiſcentiis bellum indicat, voluptate carens fortè breuior, ſed ſecurior fine glorioſo concludetur. Si ferat, hominis Deo dicati conditio, corruptos publicos mores arguat zelo pertinaci, voce, ſcripto ſtudiis irrequietis; populos, principes, prædicator velut tuba, reos denuntiet, illis pœnas minetur, conuerſis abolitionem promittat. Multa molienti, multa patienda ſunt in quibus fortè vita deficiet, laborum tolerantia, malorum coniuratione, ſed lucrum eſt etiam tempeſtate in portum transferri; excellit in hoc mortali ſtadio, qui celerius currens præmium reportat; Nam vt perfectior eſt Angelornm operatio ſtabilis quæ vno momento perfectiſſimè ſuum opus abſoluit, quam quæ indiget tempore, ita cæteris lentè gradientibus præſtat illa quæ ad id minus temporis impendit; quæ vnius vitæ mortalis periculo, ſanctiſſima diuinaque fœcunditate innumeris vitam ſpiritualem immortalem largitur; anticipatos paucos annos, heu quanto fœnore fœlix æternitas compenſabit.

Si tot laudibus celebrant milites & duces pro aris & focis fortiter decertando mortuos, ſi lex [z] illos ſemper habet vt viuentes, quid cenſendum de his qui pro gloria Dei & proximorum ſalute laboribus aſſiduis profundunt animas ſuas vero licet incruento martyrio? Nullus eſt qui non fateatur honeſtam hanc acceleratam mortem longa & inerti vita longè præſtantiorem eſſe, ſed id lugendum eſt quod in officiis ſæpè tentatur & debilitatur non tam corporis quam animi bonus habitus. Charitatis muneribus intenti, fedari poſſunt vt aquæ, quibus ſordes abluuntur; conſumuntur vt cerei, vt ſacræ veſtes, dum diuinis inſeruiunt cæremoniis, illas ſic in Dei cultum impenſas quis non præferet aliis arca conditis, tinea corroſis & quæ nequidem veſtes ſunt nunquam in vſum aſſumptæ? Nemo rupem opertam terra, damnum non patientem, imò iuxtapoſitione creſcentem, præferet animantibus cœlo, tota natura fruentibus; licet vitam

[z] l. 18. ff. de excuſat. tutor.

Digitized by Google

vitam actio motuſque depaſcatur; & quis domui ſuæ ſepultos viuentes mortuos, æquabit fortiter pro virtute decertantibus, quamuis humano puluere parum inquinatis? Attritos aſſiduis operibus vngues natura reſtituit, vires conſumptas cibo, quiete, ſomno reparat, & ex infirmitatis lapſu vegetior ſolet ſurgere feruens, auidaque periculi charitas, etiam quod plurimum agendo vitæ temporali deperit, ingenti profectu vitæ ſpiritualis, tum propriæ, tum in alios effuſæ, compenſatur.

Singularia citius alterantur & intereunt, quam vniuerſalia.

§. 3.

PRobant Platonici [a] ſupra res mutabiles dari debere primum immutabile principium, alioquin nullus eſſet ſtatus in rebus, nec motus haberet ordinem & continuationem: hinc ipſa ordinatiſſima cœlorum citra idem centrum, eoſdemque polos reuolutio, motionum æqualitas, ſtatæ ſyderum periodi, inalterabilis eorum ſubſtantia, luminis & influxus indeficiens largitio. Cum partes habeant, vt diximus, [b] aliquam ſui totius ſimilitudinem in omni naturali compoſito, ſedet fixumque manet aliquid, communes cæteris partibus alterationes vel nulla ratione, vel minus patiens. Talis eſt in mixtis quinta quæ dicitur eſſentia cœleſtis, quæ perſeuerat in viuentibus vſque ad extremum vitæ terminum. Tales ſunt in plantis & arboribus partes magis principes, aliiſque beneficæ; ita cadentibus foliis remanent ij quibus adhærebant rami; ramis exciſſis, remanet truncus vnde pullulant, trunco proſtrato ſupereſt radix quæ in ſyluis cæduis per plura ſæcula nouas agit ſurſum, deorſumque propagines, ætate ſimul & vulneribus iuueneſcens, lætior reſurgit.

In perfectis animantibus oſſa corpori firmitatem, rectitudinem tribuunt, parteſque mediis illis continentur ne in ſe mutuo concidant: vnde refert Hippocrates [c] puerum ſine oſſibus natum exterius licet benè conformato corpore, breui mortuum. Hæc oſſa tum formæ, tum ſubſtantiæ ſoliditate huius naturalis ædificij fundamenta & columnæ, etiam eo diruto ſuperſunt, & propter ſiccitatem vix poſt plures annos corrumpuntur. Cor in animali cum ſit fons caloris quo vita conſtat, etiam eſt vt primum viuens, ſic vltimum moriens, extremas ſibi ſeruans viuificæ ſuæ virtutis reliquias.

Morale corpus ad inſtar naturalis habet aliquid immobile, cui, ſuccedentes ſibi partium motus vnde ſua conſtat perennitas, inni-

[a] Marſil. ficin. theol. Platon. lib. 1. c. 25.

[b] Supra lib. 1. l. 4.

[c] Lib. 2. de morb popularib.

Digitized by Google

tuntur. Talia ſunt ſtirpis, nominis, nobilitatis, ſtemmarum, ſanguinis iura, quæ [d] nullo iure ciuili dirimi poſſunt: ad id etiam referuntur antiquæ poſſeſſiones, quas alienare multi nefas exiſtimant, quarum etiam conſeruationi lex Iudaica fauebat per reditus ad illas quolibet ſeptennio, & noſtra per retractum gentilitium. In Republica lex cenſetur immortalis. Romæ patriciatus dignitas erat perpetua, [e] & ſimilis ſacerdotio, quia patriciorum prima familia, numini dicata fuit. Inter tot Athenienſis & Romanæ Reipublicæ iactationes ſtetit immobilis Senatorum ordo. In regnis ius ſucceſſionis vel electionis, perſonis fato ſuo diuerſo ſublatis idem manet. Præcipuæ dignitates conceduntur ad vitam, nec ſubiacent mutationibus quas cæteræ patiuntur præcariò conceſſæ. Dignitas, inquiunt, [f] non moritur, vnde ſi legaui Imperatori qui antè mortem meam moritur, legatum debetur alteri Imperatori ſucceſſori: ſimiliter relictum ſacerdoti, [g] videtur relictum templo, & in perpetuum debetur.

Nimium ſibi blandiuntur homines de Regnorum, ciuitatum, legum, dignitatum æternitate. Non hominibus & animalibus tantum ſua ætas eſt, ſed & Imperiis quæ licet diutius durent, certo tamen ſuo tempore deſinunt & plures paſſa morbos, tandem moriuntur. Ita periit Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Macedonum, Athenienſium, Lacedemonum, Thebanorum, Romanorum Imperium, vt ex his magnis funeribus cætera diſcant immortalitatem ſibi non arrogare. Plato dicit [h] annos clymactericos ſeptem & nouem qui ſimplices valent in hominum vita, multiplicatos per cubos & quadratos ſuos, efficere regnorum mutationes. Sanè ſuperſtitioſum eſt vim tantam florentiſſima regna ſternentem tribuere numeris qui nihil ſunt reale, ſi quid in talibus obſeruatione dignum eſt, totum referri debet ad cœlorum motus, certos, regulatiſſimos, ab inuicem formali virtute diſtinctos, qui propterea numeris optimè ſignificantur.

Has regnorum mutationes aliqui [i] petendas dicunt à mutatione excentricitatis ſolis, vel à mutatione obliquitatis zodiaci, vel à ſtellis fixis infœlicibus, dum fiunt illis verticales, tandem à maximis coniunctionibus Iouis & Saturni, potiſſimum in tranſitu à ſigno aqueo in igneum. Nuper editus eſt liber Arabis cuiuſdam de fato vniuerſi, qui hanc de regnorum alterationibus & interitu materiam noua facilique methodo cæteris melius profitetur illuſtrare, ſcilicet ex tranſitu Saturni vel algol per radicem regnorum in figura vniuerſi, vel cum in eadem vertentibus magnis annis occurrunt eorum quadrati. Hic autor aſtra contemplatur velut diuinæ prouidentiæ & Iuſtitiæ inſtrumenta, quæ dum aſſumuntur, coniecturam aliquam dant de opere illis proprio mox edendo.

[d] L. 8. ff. de reg. iur.

[e] Caſſiod. lib. 1. variar. ep. 1.

[f] L. 56. ff. de leg. 2.

[g] L. 20 ff. de ann. leg. cap requiſiſt. de de teſtam.

[h] lib. 8. de Republ.

[i] Origan. parte 3. membro 2. c. 1. Campanella Aſtrolog. lib. 2. cap. 5.

Digitized by Google

Igitur non aliter quam homines ægrotant, debilitantur, ſeneſcunt tandem moriuntur Imperia, vt corpore, ſic duratione maiora. In his præter conſuetum ſingularibus ordinem diuturnæ filiorum ſucceſſioni parens exiſtit ſuperſtes, innumera quæ vidit & ſequutus eſt ſuorum funera ipſemet aliquando patiens. Ita nihil eſt hic in tempore non fluxum. Vitas illas vniuerſales & prolixiores, breues iam efficit mens noſtra quæ videt illas naſcentes, adoleſcentes, tandem ſeneſcentes & ſibi mutuo ſuccedentes; at in æternitate tot ſæcula, tot exagitata negotiis, bellis, fœderibus; vanitas & momentum erunt.

MALVM FVTVRVM SÆPE' SIGNA quædam & prodigia denuntiant.

Lex 3.

EX omnium gentium monumentis, traditione, fideque quotidianis experimentis comprobata conſtat, vix vllum regnis, ciuitatibus, principibus damnum contigiſſe, quod præcedentibus ſignis aliquibus & prodigiis non fuerit denuntiatum. Longum eſſet, etiam ſuperfluum hic ea recenſere quæ paſſim habentur apud probatiſſimos authores, ex quibus ego plura collegi in Digeſto Sapientiæ:[k] Igitur ſupponendo quod nulla ſit ciuilis vel externi belli; nulla gentis aut vrbis excidium paſſæ; nulla principis violenta potiſſimum morte ſublati hiſtoria, quæ non referat hæc mala pluribus antè ſignis prædicta, videntur tales præmonitiones communes omnibus, inter naturæ leges recenſendæ. Hinc noſtris & alienis periculis edocti diſcimus mundum, partium ſuarum læſiones ſentire, dum extirpantur conuelli; non caſu, ſed certa prouidentia regi tum vniuerſa, tum ſingula; Res in exiſtentiam ordine ſibi dicto venire, ex ea pariter diſcedere; alias aliis ita complexas eſſe [l] vt quæ antecedunt ſint ſequentium vel cauſæ vel ſigna, nam ſi fatum eſt nexus cauſarum, in prioribus poſteriora præſentiri poſſunt, non enim ſtatim exiſtunt futura ſed ſenſim explicantur. Deus res hominum curat propenſo ſemper in eos affectu miſericordiæ, & dum incurrunt in iuſtitiæ ſuæ pœnas, illas eis denuntiat vario creaturarum præconio, vt conuerſi fugiant à facie arcus, aut vitent imminentem calamitatem, aut præuiſam fortius ferant.

[k] Tit. cognitio contrarietatis.

[l] Cicero lib. 1. de diuinatione.

Digitized by Google

Illuſtriora ferunt [m] eſſe præſagia; quæ caſus ſignificant magis vniuerſales, debent enim à pluribus intelligi, ita magis terrent quæ malum minantur vrbibus quam pagis, Imperio quam regioni, Cæſari quam priuato. Sic antiquæ Religionis mutationem à Chriſto factam, prædixerunt tot prophetiæ, prodigia quæ refert Cardinalis Baronius. [n] Dantur etiam priuatis futuri præſagia, ſatis clara cum moneant eos quorum intereſt; quidam licet abiectæ conditionis homines obſeruarunt nihil aduerſi ſibi ſuiſque contigiſſe, cuius non aliquod ſignum in ſomnis, prodigiis, vel fortuita diuinatione præceſſerit. Inde conſtat hominem non tam fortunæ quam naturæ titulo cœleſtium curam promereri. Si quid magis impenditur circa principem, id fieri non perſonæ ſuæ ſingularis, ſed multorum ab ea pendentium cauſa, vt per fontem riuis, per ſanitatem capitis, toti corpori prouiſum ſit.

[m] Paracelſ. lib. 1 ſagacis Philoſophiæ.

[n] In præfatio. animal.

Hæc de futuræ calamitatis præuiſione materia, vel inſperatis vel conſultò captatis modis, tot occultæ philoſophiæ myſteria complectitur, tot hiſtoriarum fidem aduocat, vt ad illius dignam expoſitionem cum multa iam extent volumina, plurimum adhuc in ſcribendo ætati noſtræ ſupereſt, & poſteritati ſupererit operis. Id igitur non intendimus hic accuratè ſcrutari, ſed tantum ex multis quædam delibare, vnde conſtet mala potiſſimum publica ſæpè præmiſſis quibuſdam oſtentis ſignificari.

Malum imminens diuerſis nutibus prouidentia ſignificat.

§. 1.

COelum prius mugit tonitru, terret fulgetris, quam feriat fulmine. Et Deus optimus maximus modis innumeris hominibus minatur, vt eos à malis quæ pœnas merentur, auertat; Intendit [o] arcum ſuum donec infirmentur ideſt humilientur, priuſquam feriat monet, obſerua, [p] vt non inueniat quos feriat. Ad Ionæ prædicationem Niniuitæ pœnitentes non loci ſed vitæ mutatione, latam in peccantes ſententiam vitarunt, [q] & denuntiatio mortem minans, vitam peperit. Ita D. Auguſtinus refert [r] Conſtantinopoli reuelatum eſſe fideli homini vrbem paulo poſt igne cœleſti perituram; admonitus Epiſcopus ad pœnitentiam prouocauit populum; dicta die apparuit nocte ignita nubes paulatim excreſcens cum ſulphuris odore, ſed diſſipata eſt, cum mox videretur ciuitas peritura. Sacræ ſcripturæ referunt innumeras prophetarum prædictiones, quibus

[o] Pſal. 57.8.

[p] D. Aug. ſerm. 109. de tempore.

[q] D. Chriſoſt. homil. 5. ad popul. Antioch.

[r] Tract. 11. de diuerſ. cap. vlt.

Digitized by Google

aliquando Iudæi ab idolorum cultu reuocati ſunt, aut in malis ſuis pertinaces, prædictis ſibi flagellis duriſſimè contriti.

Sæpe Deus monet homines de malis imminentibus per Angelos, qui ſunt corporis Eccleſiæ vigiles ſemper oculi, [s] bonoque ſuo proſpicientes. Tempore belli Iudæis [t] ſignificabant futuram de hoſtibus victoriam, inſolito fulgore gemmarum in rationali ſummi ſacerdotis, vel earumdem obſcuritate, tempus infauſtum præliandi. Angelis ſuis mandauit de te, inquit Propheta, [u] ne offendas ad lapidem pedem tuum; Educunt Loth [x] de Sodomorum incendio, præmuniunt Tobiam [y] contra Dæmonis æmuli mortiferos in pluribus iam expertos furores; monent S. Ioſeph Chriſti Domini nutritium de ſua in Ægyptum fuga, [z] vt vitet Herodis perſequentis manus. Cum diuina bonitas nunquam hominibus defuerit, his potiſſimum qui ad naturæ legem viuerent, exempla plurima referuntur auxilij philoſophis præſtiti ab Angelis quos Genios vocabant. Plato ſcribit [a] Socrati à primis annis adfuiſſe bonum genium, cuius monitu deterrebatur ab omni occaſione, & actione ſibi periculoſa, ita [b] ferunt Simonidem euocatum è domo, quæ ipſo egreſſo ſtatim corruit, & malos homines illic conuiuantes oppreſſit.

[s] D. Bernar. lib. de natura amoris. c. 10.
[t] Theodor. in Exod. quæſt. 60.
[u] Pſal. 90. 11.
[x] Gen. 19.
[y] Tobiæ. 8.
[z] Math. 2.
[a] in Theage.
[b] Quintil. inſtit orato. lib. 10. c. 2.

Solent Angeli hominibus futura prædicere potiſſimum in ſomnis, quia tunc mens liberior à corpore diuinos afflatus melius excipit. Horum autem vniuerſali ſcientia præditorum ſermo, vt plurimum eſt allegoricus, quem non niſi ſapientes intelligunt. Ita Ioſeph [c] ſomnium Pharaonis de ſeptem bobus macie confectis, interpretatur de ſeptem annis ſterilitatis; & Daniel [d] ſomnium Nabuchodonoſor ſtatuæ, cuius caput erat aureum, pectus & brachia de argento, venter & femora ex ære, tibiæ ferreæ, interpretatus eſt de futuris regnis quæ ſecundum proprietates talium metallorum ſibi debebant ſuccedere. Aliud eiuſdem regis ſomnium de arbore excelſa ſuccidenda, reſiduis radicibus, intelligendum dixit de regno ab eo transferendo per ſeptem annos & poſtea reſtituendo. Hypocrates [e] cauſas morbi, & qui ſint humores corporis temperiem turbantes venatur ex ægrotantium ſomniis, ex figura, colore qualitate, quantitate viſorum. Quieſcente * corpore anima non quieſcit, & ſi caret opera membrorum corporalium, ſuis vtitur, vt gladiator ſine armis exprimit artis ſuæ habitum geſticulatione.

[c] Gen. 41.
[d] Daniel. 2. & 4.
[e] Libro de ſomnis.
* Tertullian. lib. de anima. cap. 45.

Vt in ſomniis ſic in prodigiis angeli parabolicè futura ſignificant. Nam vt pictores & ſtatuarij [f] priuſquam magnum opus aggrediantur, illius prototypum effingunt & exercentur in vili materia, ſic illi formant oſtenta, quæ proximos caſus exprimunt, luduntque his quæ nos detinent, ænigmatibus. Sic ante Auguſti exceſſum [g] in aëre globus igneus apparuit qui in ipſo ſuo curſu diſſipatus eſt: idem vi-

[f] Paracelſus lib. 1. Sagacis Philoſophiæ.
[g] Seneca. 1. natural. q. c. 1.

Digitized by Google

ſum prodigium cum de Seiano actum eſt[l]; nec Germanici mors ſine tali denuntiatione fuit, quid enim ſunt aliud hi quos ſupra cæteros extulit ciuilis fœlicitas, quam igniti vapores naturæ ſuæ vanitate citò diſſoluendi. Vi turbinis [h] in campo Romæ columna ante Iouis ædem cum ſigno aureo decuſſa fuit, reſponderunt aruſpices, magiſtratuum interitum fore, tum omnes magiſtratu ſe abdicarunt, & metu fidem dederunt augurio. Loca publica fulmine tacta publicas denuntiant calamitates, vt accidit Mediolani [h] anno 1521 arce ſic horrendo diſiecta fulmine vt in ea 113 homines perierint, paulo poſt ex ea Galli pulſi ſunt. Obſeruatum etiam eſt inſolitas maris & fluminum inundationes prænuntiare magnos populorum tumultus nam aquæ multæ, multi populi. Quod experti ſumus in vltimo Galliæ motu an. 1650. Sequana agros vaſtante, domos & pontes diruente: præceſſerat magna coniunctio Iouis & Saturni in piſcibus, iiſdem planetis tunc venientibus per directionem ad erectæ figuræ horoſcopum.

[h] Plin. lib. 17.

[h] Cardan. lib. de rer. variet. c. 71.

Aſſerunt aliqui terræ motus fieri potiſſimum à Deo, pœnas peccantibus ſic miſericorditer minitante, vt ad pœnitentiam redeant; contremiſcit hoc elementum alieno periculo; Iras ſuas teſtatur commotione contra creatoris ſui contumelioſos hoſtes, illos ne receptatoris crimen incurrat, ne pondus ſibi vrbibus integris grauius videatur libenter pati, fortiter excutit, terreniſque hominibus linguam cœlorum velut exteram neſcientibus, terrenâ quam facilius capient Deus loquitur.

Expreſſior & interpretatione non indigens belli ſignificatio fuit, cum in lata planitie inter Capuam & Vulturnum [i] nocte viſæ ſunt acies præliari priuſquam ibi ciuiles acies Romanæ nefario bello confligerent. Antequam inuaderentur ab Antiocho Iudæi[k] tempore Macabæorum, apparuerunt in cœlo acies confligentes. Anno 931. in Gallia ſpecies duorum exercituum in aëre concurrentium viſa eſt, Hugore Capeto regnum tunc armis occupante. Tres ſoles in cœlo viſi, dominationis timendam diuiſionem ſignifficarunt vt inductione probatum eſt in ſupplemento Digeſti ſapientiæ. Sic antequam imperium Conſtantini ſcinderetur inter fratres, & Eccleſia grauius laboraret Arianiſmo, in oppido Antiochiæ natum eſt monſtrum puer quatuor oculos & duo ora habens. Obſeruat Cicero * ſi puella naſcatur biceps, protendi ſeditionem in populo fore, corruptelam & adulterium domi. Appollonius [m] viſo monſtro in Sicilia puero ſcilicet maſculo habente tria capita, & vnum corpus, dixit Nerone mortuo tres futuros Imperatores qui imperio non eſſent perfectè potituri, deſignans Othonem, Galbam, Vitellium. In Co inſula ouis leunculum peperit, & id fuit proximæ tyrannidis augurium; Ita per

[i] D. Auguſt. lib. 3. de ciuit. c. 23.

[k] 2. 2. Macab. 5.

Plin. lib. 2. c. 57.

Tit. Cognitio Contrarietatis.

[l] Ammian. Marcell. lib. 19.

* Lib. 1. de diuinat.

[m] Philoſtr. in vita Appollo. lib. 5. c. 4.

Tacit. 15. annal.

ſoles,per capita, per oculos, per columnas allegoricè ſignificati ſunt populi Rectores,& per fera animalia tyrannis.

Ingentis publicæ calamitatis indicium[n] fuere duæ puellæ an. 1601. & 1602. in vtero materno tribus antè partum diebus ejulantes. In vterum protinus reuerſus eſt infans Sagunti,[o] quo anno ab Annibale deleta eſt: dubium an id contigerit Angelis partum ſic mouentibus, an ſubſit cauſa naturalis,& delicatiſſimi ſenſus infans multum affectus ſit à maligni ſyderis influxu prouinciæ tunc incumbenti, huncque lædentem aut gemitu, aut fuga teſtatus ſit.

[n] Camerarius. cent 1. genitura.38. & 39.

[o] Plin.lib.7. c 3.

Sapientem naturam nunquam aberrare ſibi perſuadebant antiqui, ſed conſultò his portentis mortalibus futura mala denuntiare & velut dato libello reos puniendos ad Dei tribunal citare. Si procedebant è cœlo, ad eius iram placandam indicebantur[p] ſolemnes ſupplicationes Pontifice Maximo, Senatoribus, omnibuſque ordinibus circa templa procedentibus. Si monſtra informia edita eſſent, iuſſo fœtu exportari, & in mare vel flumen deiici, à ter nouenniis virginibus carmen per vrbem canebatur, adhibitis etiam ſolemnibus expiationibus & ſacrificiis. Conſilium fuit hæc etiam mala præuenire indicta ſingulis luſtris ſupplicatione publica, quâ fauſta omnia Imperio Romano precabantur, & vota in ſequens luſtrum promittebant.

[p] Alexa ab Alexan lib. 5. c. 27.

Maximæ dignitatis & authoritatis erat collegium Augurum & Aruſpicum in talibus prodigiis interpretandis cum contigiſſent, & ſi ſponte ſe non offerebant, futurum variis modis coniicere nitebantur, maximè conſultis hoſtiarum immolatarum extis,& ex aliquo partium vitalium defectu, par in ciuitatibus vel perſonis malum augurantes; dicebant enim ad hoſtiam deligendam,[q] ducem eſſe vim quandam diuinam toti mundo diffuſam & præſidentem. Auſpicia ſumpturi vtebantur lituo incuruo, ſcilicet ad hemiſpherij ſimilitudinem, baculo in ſex partes diuiſo, ſignificante ſex domos aſtrologicas, ſic obſeruabant in qua primum parte fulmen aut auis appareret, & inde ferebant iudicium fœlix vel infauſtum pro ratione domus.

[q] Cicero lib. 2. de diuinatione.

Omnibus penè gentibus mos fuit in ambiguis ſortes mittere, cum ſit omnium facillimus diuinationis modus. Etiam à Chriſtianis vſurpatus fuit, cum elegerunt S. Mathiam[r] in Apoſtolum. Iis vtendum dicit D. Auguſtinus ſi in magna perſecutione dubium ſit qui remanere debeant, Nam, inquit, contradictiones ſedat ſortitio, & inter potentes definit. Orto bello ciuili in galliis inter fratres Reges Chilbertum & Clotarium clerici Diuionenſes[s] diſcunt exitum belli poſitis ſuper altari tribus ſacris libris, ſcilicet Prophetarum, Apoſtolorum, & Euangeliſtarum, in ſingulorum fortuita apertione

[r] Act. 1.

[s] Baron. an. 556.

Digitized by Google

inuenta ſunt vaticinia futuri excidij; ſic Romani conſultis libris Sybillinis, ſic Iudæi ex Ephod augurabantur.

Aſtrologi totius vitæ caſus in erecta nati figura cœleſti, deſcriptos aſſerunt, illorumque licet non certa, nec fatali neceſſitate fixa ſint iudicia, ex illis tamen graues ducunt coniecturas, tum ratione, tum experimentis comprobatas. Vnde Ptolomæus [t] ſcientiam hanc coniecturalem, cognitioni gratiſſimam rebus agendis pervtilem, etiam neceſſariam probat, vt ad exemplum medicæ & nauticæ præuiſa pericula vitentur quantum humanis conceditur viribus. Licet hanc ſcientiam Arabes multis infamarint ſuperſtitioſis obſeruationibus ſi tamen ex probatis Ptolomæi regulis tractetur, eam non penitus vanam eſſe, probat ratio, Doctiſſimorum & ſanctorum virorum authoritas, quotidianum etiam inter peritos experimentum. Difficultas laborque diſcendi, neglectam effecit, malunt enim quidam diſſerere nullum dari ex cœleſtibus iudicium, quam quale ſit ediſcere; ſuperbè blaſphemant quod ignorant, ne videantur aliquid quod ſciri debeat, ignorare. Contumeliis occaſionem præbuere tot antiquorum Patrum decreta, ſcientiam hanc velut Idololatriæ conſortem, Dei & hominum libertati contrariam, damnantia; hæc diluere conati ſumus in quadam eius apologia, [u] his tamen afflicta conuitiis, reatus ſuſpicionem apud pleroſque non effugit, & inculta, contemptu dignior iacet.

[t] In præfat. quadripartiti.

Albert. Magn. in ſpeculo aſtrolog. D. Thom. lib. de fato & paſſim.

[u] In Apologia fati vniuerſi.

Huius naturalis aſtrologiæ ſimia quædam eſt Geomantia, proiectis fortuitò linealiter punctis, & linearum extremitatibus in numerum vel parem, vel imparem deſinentibus vim planetarum tribuens: eius periti dicunt vix vnquam falli ſua vaticinia ſpiritu ſcilicet vniuerſorum projicientis manum dirigente. [x] Cardanus exiſtimat ex vanis ſimilibus obſeruationibus veras aliquando contingere prædictiones, quia mouent animam & intentam magis efficiunt, vt velut ſpeculum ex cœleſtibus futura referat; itaut ſint potius irritamenta, quam rationes diuinandi; exponunt enim, inquit animam benigno veneris ſyderi, quod more facilium hominum arcana reuelat. At citra talem obſeruationem mentes auidiſſimæ ſunt futuri, & tamen illis non illuceſcit contingentium notitia, quis igitur artem hanc ſolo caſu conſtantem, non damnet velut incertam, & ridicula ſua vanitate proſcribendam.

[x] Lib. de rer. varietate cap. 44. & 68.

Nullus fuit in inquiſitione futuri ſuperſtitionibus finis; nam ex igne, aëre, aqua, terra ductæ ſunt variæ diuinationis ſpecies, id operantibus dæmonibus, auium volatus, animalium motus, hoſtiarum fibras, calculorum ſortem, ſic diſponentibus, vt notat Origenes, * etiam infœlicis euentus duxerunt augurium ex occurſu primo deformis hominis, eunuchi, claudi, gibboſi, alicuius infœlicis nominis; animalis

* Homil. 16. in numer.

malis nocturni, vel ſolitarij ſi ſit naturæ gregalis. Siniſtra pars habita eſt inauſpicata, quia motus animalium & cœli vt incipit à dextris; ita deſinit in ſiniſtris. Tanta fuit eius rei ſuperſtitio, vt olim Romæ cum Imagines Deorum per vrbem ſolemniter veherentur, polluta habita ſunt ſacra, eo quod rector currus, habenas improuidè ſumpſiſſet manu ſiniſtra. Auguſtus omen infauſtiſſimum ducebat [y] ſi mane ſiniſter calceus pro dextro porrigeretur; læuus pes ante dextrum calceatus fuit, ea die qua ferè obſidione oppreſſus eſt. Nigrum etiam in ſomnis, in occurſu, in oſtentis, in Eclypſibus, in morborum ſignis infauſtum habitum eſt, eo quod eſt luci contrarium, ſaturno infortunæ maiori, terræ vltimo elementorum, tenebris, malis Dæmonibus, morti proprium. Sic eo quod à Deo & angelis interdum conceditur aliqua diuinatio, hanc in artem ducere tentarunt homines, & eam efficere ſibi tum propriam, tum perpetuam mille vanis ſuperſtitionibus,quæ diuinæ prouidentiæ, noſtriſque ſub ea paratis obſequiis multum derogant. Nunquam fortuna ſatis valida contra ſeipſam arma ſuppeditat, à nobis fortiter ſumenda, & à Deo ſuppliciter expectanda ſunt.

[x] Plutarch in Coriolano.

[y] Sueton. in Auguſto. Plinius. 5. 1.

Si pro rebus caducis fit inquiſitio tam auxia futuri, quanta debet eſſe pro rebus æternis. Scit Chriſtianus poſt hanc vitam aliam ſibi ſupereſſe, pro ratione meritorum aut immenſa gloria ſemper fœlicem, aut ſuppliciis nunquam deſinentibus addictam. Quis & ratione & fide certus de animæ ſuæ immortalitate, & de futuro iuſto Dei iudicio ſollicitus de reddendis domino ſuo rationibus non cogitet, & an futurus ſit in perpetuum cum beatis aut cum damnatis: Implicat mentes, libertati noſtræ quam experimur; bonitati diuinæ quam credimus mouent controuerſiam, tot argutæ quæſtiones de prædeſtinatione, & de ſignis prædeſtinationis, ſed nodos illos inextricabiles ſi non ſoluit abſumit viua fides, ardens charitas; Annos æternos in mente habui, inquit propheta, [z] meditatus ſum nocte cum corde meo; & exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum, hoc eſt verum futuræ tuæ beatitudinis augurium; bene fac & viues; Ama Deum, ſecurus quod amantem, ſibique complacere volentem, non perdet, qui nos etiam cum inimici eſſemus, dilexit. Ambis gloriam, & hæc venalis eſt, inquit D. Auguſtinus, [a] eme ſi vis, nec multum exæſtues de re magna propter pretij magnitudinem, tantum valet, quantum habes, imo noli quærere quantum habes, ſed quantus ſis, res iſta te valet, tantum valet quantum es, tu te da & habebis illam; ſi malus es, dando te illi, bonus eris.

[z] Pſal. 76. 6.

[a] Serm. vlt. de Verbis Domini.

Digitized by Google

Præſagia naturæ ſunt vt plurimum mali iam incipientis effectus.

§. 1.

INferiora corpora ſuæ conſtitutionis rationem, vim ad actiones quibus ſeruantur & augentur cœlo debere nemo ſapiens dubitauit. Viuunt, agunt, modis infinitè variis, afficiuntur continuo ſuperiorum motu & influxu, quo ceſſante vt ceſſarent à motu ſublunaria, ſic eo mutato mutari debent; toti mundanæ machinæ partes colligantur, [b] vt fœtus in aluo toti corpori materno per continuata ligamenta connexus, impreſſiones inde recipit. Ab his cauſis ſuperioribus continuè mouemur, & de futuris pluribus moneremur, niſi mens alio diſtracta, cogitatione, conſilio, ſtudiorum curarumque copia tales motiones non perciperet. At ratio quæ ſenſum hunc ſuperiorum ſic obſcurat, quos infert illi defectus compenſare conatur per ſcientias & artes, quibus, vt dictum eſt, futurum inquirit, ancipiti tamen iudicio, cum poſt tot ſæculorum obſeruationes, tot aphoriſmos, tot exempla, nihil amplius aſtrologia promittat, quam conſecturas.

[b] Marſil. Ficin. Theol Platon. lib. 13. c. 2.

Cum itaque multa ſint quæ humana induſtria non poſſumus aſſequi, vt certas mutationes temporum, quæ non tam è cœlo, quam è diuerſa locorum poſitione, montoſa, paludoſa, maritima procedunt, Deus & natura non deficientes in neceſſariis, ea nobis modis aliis reuelant. Futuras cœli diſpoſitiones, pluuias, tonitrua, grandines, ventos, frigora, tempeſtates, denuntiat nobis aër medius rerum, & ad varias affectiones ſyderum & locorum mobilis; hic autem ſenſus animalium afficit & titillat ad ſigna earundem rerum edenda: Nam inferiores formæ à cœleſtibus afficiuntur, illiſque vt particularia vniuerſalibus & paſſiua actiuis ſeruiunt.

Inſtante pluuia aues fluuiales ſeſe abluendi cauſa caput immergunt aquis, humeriſque ſuis infundunt; cætera iuxta fluenta lauantur, plumaſque vellicant, tum quia prælibatam aëris humiditatem quam appetunt, ampliorem ſibi ex aquis miniſtrant, tum eo quod inquietantur à pediculis qui ex corruptione calida humidaque nati, etiam calida humidaque tempeſtate, cum per æſtatem pluit, magis vigent, acrius pungunt, illos autem aues, tum noſtro, tum frigidâ conantur exturbare. Sic araneæ, ſcolopendræ, ſcorpiones tunc per muros ſerpunt, quærentes quod ex aëre vaporoſo deguſtant humidum quo

poſt longam in tenebris ſiccitatem reficiantur. Delphini ſuperficiem maris radentes prænuntiant tempeſtatem; fugiunt enim imum, vbi è terra impetu magno turbines erumpentes conuoluunt arenas, priuſquam per aquarum altitudinem viam ſibi ad ſuperiora fecerint; vim hanc maximè fugiunt minuti piſces, quos maiores ſequuntur & depaſcuntur. Tunc etiam mergi ex æquore reuolant, infeſtant enim illos multi piſces ſummum aquæ tenentes. Aëre nebuloſo & pluuioſo hirundines circa humum & parietes volant, quia venantur muſcas quæ ſuperioris regionis humiditatem frigusque fugientes infra decidunt. Hæc igitur præſagia ſperni non debent; nam animalia tali ſenſu ducta meritò dicuntur ſtellæ ſecundæ, per quas certius habemus iudicium quam ex ſtellis cœli, ſunt enim iam cauſæ dominantis incipientes effectus, vnde per talia certius nauticæ periti iudicant, quam aſtrologi ſcientifici. Hanc fortè Aruſpicinam permiſerunt Chriſtiani Imperatores, quia fit ſine magia ſolius naturæ beneficio. [c] l. 1. Cod. Theod. de maleficiis.

Harum & ſimilium obſeruationum occaſione referunt alias, quaſi ſint occulto quodam inſtinctu futuri mali præſagia, cum tamen procedant à cauſa naturali tales effectus iam producente: Vt cum dicunt [d] ruinis imminentibus præmigrare muſculos, id autem contingit territis, dum ædificiorum compago, partibus hinc inde crepitantibus & minutatim cadentibus diſſoluitur. Inglans frangi ſe ſonitu prænuntiat, inquit Theophraſtes; [e] eſt enim eius materies ampla vſuſque ad opus tectorium, itaut præſentire homines poſſint, quod & in Andro accidiſſe, omneſque è balneis terrefactos profugiſſe traditum eſt. Simile eſt quod dicunt [f] vultures & coruos biduo aut triduo antè aduolare vbi poſt conflictum cadauera futura ſunt, ſequuntur enim exercitus, in quibus ex hominum & iumentorum ingenti collecta multitudine, ex aſſiduis in inuicem aut cum hoſte velitationibus, nunquam deſunt cadauera. Crocodylus diuinatione quadam, inquit Plinius, [f] oua ſua parit & incubat extra eum locum ad quem ſummo auctu eo anno acceſſurus eſt Nilus. Sentit, in littore madentem intus terram, priuſquam inundetur ſuperficies. Idem fieri debet in ſimilibus iudicium exploſa ſuperſtitione quæ refert ad occultas cauſas, quod à manifeſtis & ſenſum afficientibus procedit.

[d] Plin. lib. 8. cap. 28.

[e] Hiſtoriæ plantar. lib. 5. c. 7.

[f] Plin. lib. 10. cap. 6.

[f] lib. 8. c. 25.

Habemus & nos latentis & iam ingraueſcentis morbi præſagia, ex ſymptomatis quæ functiones & actiones lædunt: ſic ſpontaneæ [g] laſſitudines denuntiant morbos vel ex cacochymia, vel ex plenitudine aut ex vtraque nociuis iam humoribus per totum corpus diffuſis, & ſpirituum viam præcludentibus. In gangrena, [h] quæ eſt vitalis caloris extinctio, & incipiens corruptio pars liuet aut nigreſcit, tumi-

[g] Hipocr. lib. 2. Aphor. 5.

[h] Fernel. de extremis affectibus. c. 7

da, mollis, ac prorſus cadauerosa. Qui ſæpè & vehementer ſine cauſa manifeſta animo linquuntur, [i] ij de repentè moriuntur; Id enim mali patiuntur propter imbecillitatem animalis virtutis; & qui frequentes mouent contra fidem quæſtiones, tandem ab illa penitus deficiunt, vt obſeruatum eſt in Iuliano Apoſtata; [k] hæc enim, vt ait Apoſtolus, [l] prophana vaniloquia proficiunt ad impietatem, fide iam in imo pectoris expirante; Non eſt infirmitas, ſed habitus, actus ſuos iam producens in eadem vitia ſæpius labi, id enim arguit maximam in animo corruptelam, vnde naſcitur malorum ſeries.

[i] Hipoc. lib. 2. Apho. 41.

[k] D. Greg. Nazianz. orat. 3.

[l] 1. Timoth. 4.

ALTERATIO PRÆCEDIT CORruptionem.

Lex 4.

NOn ſunt vt plurimum à cœlo, à prodigiis, à cæteris diuinationis artibus petenda cladis & interitus imminentis ſigna, vnaquæque res illa præ ſe fert; quod patitur emittit in faciem, & eſt læſionis illatæ materia ſimul & augurium. Arbor diuturna ſterilitate; ramis retorridis, nihil noui proferentibus quod validè ſugat alimentum, exſiccato vertice mortem ſuam prænuntiat: fontes diu parcè fluunt, antequam origine totaliter vitiatâ deſinant; morbum ingraueſcentem teſtantur ſpontanea laſſitudine, inappetentia, pallore vultus, totius corporis langueſcente facultate. Dubium quibuſdam videtur an naturæ gratiam debeamus, quod tot alterationes præcedant corruptionem, quod res lento conficiantur excidio; quod ſuccisis etiam poplitibus, ad extremum vſque contra mortem decertent; dubium an expediat nos tam in noſtro corpore, quam in his quæ poſſidemus ita diu concuti, & quod ſemel patiendum eſt naufragium, metu continuum effici. At certè prouidentia ſucceſſiuas illas optimi ſtatus deiectiones nobis non indixit ad ſupplicium, ſed ad cautelam, vt ſcilicet lenioris mali ſenſus excitet nos ad occurrendum grauioribus; vt extinguatur ſerpens in ouo, ignis in ſcintilla, & ſi res ſorte ſua è manibus noſtris effluentes retineri non poſſunt, placidè videamus illas abeuntes, aſſueto priuationibus; vt minus afficiatur, animo.

Digitized by Google

Extremi defectus ſolent à paruis incipere.

§. 1.

CVm rebus creatis præfixus ſit à prouidentia, tum quantitatis tum virtutis terminus, [m] conueniens fuit, vt probatum eſt, [n] eas ad ſummum ſui & conceſſæ perfectionis apicem ordinatis gradibus peruenire. Hinc continuus naturæ motus, cum non poſſit ad ſuperiora progredi, neceſſariò declinat ad inferiora, ſed gradatim imminutione vix ſenſibili, quæ reſpondeat lentè ſurgentium profectibus. Legem hanc ſalua ſua ſubſtantia ſeruant in motibus & influxibus ſuis cœli, & ad eam obſeruandam exemplo ſuo prouocant inferiora; Sol à meridie deſcendit in occaſum luce paulatim decreſcente, ſicut aſcendens creuerat ab oriente in meridiem. Planetam vocant ſtationarium, cum accedit ad perigæum epicicli, verè tamen in eivs perpetuo circulari motu non intercedit quies, ſed fingitur eo quod momento motus in anteriora minuitur tam lenta defectione, vt deſignari non poſſit vel minima fractione numeri. Cum expirat aër è terra [o] ſenſim & ſparſim parum primò percipitur, ſed poſtquam aëris illius emanationes multæ minutæque confluxerint, fit ventus, vt ex ſcaturiginibus aquarum riuus; Ideò notatum eſt ventos ab ortu ſuo exiguos ſpirare.

[m] Supra lib. 1. l. 7.
[n] Supra lib. 2. l. 7.
[o] Bacon. hiſtoria ventorum.

Ingens eruptio Veſuuij, in qua nimis curioſus ſpectator Plinius occubuit, incœperat à nube inſtar arboris pini longiſſimo trunco efflata in altum, & quibuſdam ſurſum ramis diffuſa, nam quo euehebatur ſpiritu, ſeneſcente, ſuoque pondere victa in latitudinem vaneſcebat, tum exploſis ſilicibus, fracta quæ obſtabat alta terra, exitus liberior datus eſt flammis quæ toti regioni vaſtitatem intulerunt. Senſim æſtatis ardor deſinit per autumni noctes frigidas, diſcuſſiſque arborum foliis, canoris auibus mulctatis exilio perit aëris, camporum, cœli decor ſub hyemis accreſcentis ſibi ſæuitia. Antè morbos ſanitas leuibus primum tentatur incommodis: obſcurantur oculi vix vlla apparenti cauſa per ſuffuſiones ipſo tempore concretas: febris hectica quæ cordis ſubſtantiam afficit & depaſcitur, initio perſeuerat ſine dolore, itaut vix æger ſe ſentiat ægrotantem. Cancer incipiens à tumore ciceris magnitudine, interdum ſine doloris ſenſu, tandem totum corpus depaſcitur. Venenum ſerpentis & canis rabioſi paulatim ſpiritus inficit & per eos ad cor perueniens necat animal: hinc hominum perfida timidaque malignitas artem

Digitized by Google

ſibi fecit venena ſic temperandi, vt citò non noceant, his vti ſtatuerant Carthaginenſes [p] ſperata captiuorum cum Romanis permutatione, vt captiuis emiſſis à ſe lentum darent venenum, quod non niſi permutatione facta mortem inferret. Ita Seianus [q] Druſo per ſpadonem venenum dedit, quo paulatim irrepente, morbus videretur eſſe fortuitus.

[p] Gellius lib. 6. cap. 4.

[q] Tacit. 4. annal.

Mitius nobiſcum agit natura, & cum extremos caſus à paruis orditur non ſæuit in nos ex inſidiis; ſed occultat, & moderatur quantum poteſt ſuos defectus; pudori ſuo, noſtriſque timoribus parcit. Mali venientis ſatis aperta dat ſigna, quibus poſſit præuideri; nec totam ſimul effundit humoris peccantis tabem, ne talis ab extremo in aliud præceps tranſitus noua ſit ægritudinis acceſſio. Ita ſapientes [r] melius eſſe cenſent, amicitias cum minus probantur, ſenſim diſſuere, quam repentè præcidere; non negant aliquando recedendum, ſed paulatim relato gradu, vt fit vrgente belli periculo, ſaluis ſignis, ſalua militari dignitate. Si ad Reipublicæ [s] conſeruationem alicuius poteſtas eſt minuenda, id expedit fieri modicè, non vno ſimul impetu, non cum honoris contumelia, vt facilius toleretur. [t] Magiſtratus non poteſt iudicare, præcipere, eo die quo magiſtratu priuatus erit, vt ab eo recedat ſenſim deficiente potentia.

[r] Cicero 1. officior.

[s] Ariſt. 5. polit. 11.

[t] l. 13. ff. de Iuriſd.

Cum artem experientia fecerit & tot exemplis didicerimus, exiguum eſſe malum naſcens quod per moras ſæuiſſimè graſſatur, prudentis eſt obſeruare vel minutiſſima, quorum defectu magna concidunt. In conſeruanda Republica maximè cauendum eſt ab eo quod paulatim irrepit, inquit Ariſtoteles, [t] latet enim corruptio quæ non tota ſimul fit, ſed mentes vt ſophiſta decipit; ex falſis poſitis principiis inferuntur falſiſſima & abſurdiſſima; à recto paucis primum paſſibus aberrans iter, ſuo progreſſu deducit in contrarium. Dæmon non ſtatim tentat hominem ſpiritualem de grauioribus peccatis, inquit D. Thomas, [u] tyrannus ille ſenſim occupat dominationem, ſæuus, implacabilis & qui, ſi peperceris, non parcet. Occaſione conuerſationis, vrbanitatis, morbi ſanandi, laboris relaxandi cauſa indulgetur ſenſibus, quod deinceps vt debitum exigit natura, gratiam vertens in obligationem: Vnius interdum tegulæ defectu ruit tota domus, [x] leuis in veſte ſciſſura facilè dilatatur; torrentes ſi vel minimum cœperint ingreſſum, totum introducunt fluentem. Quid intereſt ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu, an aqua paulatim ſubeunte nauis oppreſſa ſubſideat. Haberi non debet vt paruum quod in cumulum obruentem ſolet accreſcere; non eſt leue,, quod Deum lædit; quod de toto corde, de totis viribus illi ſacratis detrahit. Cur ergo Doctores quidam blandiuntur humanæ fragiliti? cur tentant inani philoſophia, latam viam efficere, quam Chri-

[t] Politico. lib. 5. cad. 8

[u] 3. q. 41. a. 4.

[x] D. Chryſoſt. hom. 19 ad popul. Antioch.

Digitized by Google

ſtus arctam prædixit; luctum ſanctis indictum, in mundana gaudia conuertere; paciſci conuentionem tenebrarum cum luce, ſenſuum cum Chriſtiana pietate, philautiæ cum charitate Dei & proximi; ſoluere quod antiqua Patrum diſciplina ſtrinxerat; cum nobis vigilandum & cauendum præcipiatur, ſecuros tamen, ſibique nihil timentes hoſtibus dedere; tandem docere ſeculares, quomodo peccando non peccent? Doctrinæ chriſtianæ finis eſt, profeſſores ſuos efficere quantum licet puros & in poſterum auerſos à peccato; at peccatum fouetur per actus conſentaneos, tollitur autem per contrarios qui fortiter ad aſperiora nitantur, qui per fructus dignos pœnitentiæ ſenſus rationi ſubiiciant, vt qui fuerat ſub initiis labor, velut in naturam, & in vitam cœleſti voluptate refertam tranſeat.

Solet eſſe nexus quidam malorum.

§. 2.

INualuit apud vulgus prouerbialis hæc ſententia, malum incomitatum, ſeu ſolum non venire; præcedens gradum eſſe ſequentis, & miſeros mille caſibus actos aduerſam ſemper fortunam inſequi. Non probarem quod ait Plato, malum eſſe de genere infinitorum, & in deterius lapſos non magis retineri poſſe, quam graue pondus in præceps ruens vrgente ſe & quo plus procedit, accelerante motu. Hæc deſperata de rebus vim paſſis opinio non debet admitti; natura quippe certas habet mali vexantis acceſſiones & remiſſiones; hyemi ſuccedit æſtas, tempeſtatibus ſerenum, alioquin iampridem diſſoluta & in nihilum eſſet redacta mundi machina, confuſis aut deletis rerum omnium ſpeciebus. Propterea diximus [y] mala bonorum vel mixtione vel ſucceſſione vt plurimum eſſe temperata. Tamen ſicut inter homines huic obnoxios viciſſitudini reperiuntur aliqui bene fortunati, [z] quibus magis fœliciter quam cæteris cuncta ſuccedunt; ſic à contrario ſunt alij aliis infœliciores, qui rerum ſortem ſemper experiuntur aduerſam; ipſiſmet beneficiis, vt impura corpora probis licet alimentis, læduntur; quod habet vita dulcius, ad eos perueniens aceſſit; quidquid fiat, miſeri ſunt; quidquid eueniat, in ſuum colorem trahunt.

Platonici [z] ordinem animarum aſſignantes planetis, dicunt tales eſſe ſub abſoluto dominio Saturni, qui cæteris ſuperior, facit à rebus externis abſtractos, hiſque ſi ſe miſceant, ſemper infœlices: Aſtrologi continuos illos aduerſos caſus tribuunt maleficis, in alicuius geneſi, corpore, quadrato, vel oppoſitione, primam, decimam, par-

[y] Supra lib. 1. l. 10. § 3.

[z] D. Thom. lib. 3. contra gentiles.

[z] Plato in Timæo Marſ ficin. de vita cœlitus compar. c. 22.

tem fortunæ & earum dominos lædentibus. Si mitior ſit geneſis; ſeriem licet non perpetuam aduerſitatum, procedere dicunt ex ſaturni domibus immediatè ſe ſequentibus primam & ſecundam domum cum infortunis occupantibus; Etiam ex occurſu maleficorum per profectionem, directionem, tranſitum, paucis interiectis temporibus ſibi ſuccedentium. Antipater [a] Sidonius Poëta omnibus annis eo die quo genitus erat febre laborabat, & eadem die tandem mortuus eſt: hæc infirmitas annua, ſi fides habetur aſtrologis, videtur adſcribenda ſoli per annuam reuolutionem redeunti ad locum radicis ab infortuna grauiter læſæ.

[a] Valer. Maxime. lib.

Apud Romanos [b] habebantur aliqui dies infauſti in quibus cum aliquando dura paſſi fuiſſent, deinceps in illis exercitum conſcribere, legiones educere, manus cum hoſte conſerere, peregrè proficiſci, fœdus vel nuptias inire, exitiale putabant, quaſi ſemel experta ſemper recurreret aduerſitas, ſtulta vanitate, quæ ſpem & fortitudinem in aduerſis elidit. Videtur idem eſſe ſenſus iratis, dum obuia frangunt & proiiciunt, velut de meliori fortuna deſperantes, & imminentem aliam præuenientes fati ſæuitiam. Sic Nero [c] amiſſarum rerum nuntio accepto ira furens fregit pretioſos duos criſtallinos calices; an ſtatim à graui damno, velut interitus ſui prænuntio inuidebat aliis vſum rei ſibi chariſſimæ; An aduerſum & iteratò ſæuiturum fatum placare nitebatur hoc velut pretioſi muneris ſacrificio; ſicut Hebræi [d] credebant in mactandis animalibus, rebuſque ſuis ſacrificio diſſipandis mala cœlitus imminentia ab ipſis ad ſua deflecti.

[b] Alexand. ab Alexan. lib. 4. c. 10. Gellius. lib. 5. c. 17.

[c] Plin. lib. 37. cap. 2.

[d] Marſ. ficin. de vita cœlit compa. c. 22.

Sed miſſis ſuperſtitioſis obſeruationibus ſi conuertamur ad ſecundas quas diximus ſtellas, ſcilicet ad cauſas ſenſibiles tum naturales, tum morales, conſtat [e] morbos quoſdam eſſe connexos & conſequentes, cum vnus eſt alterius cauſa, vt quem obſtructio, horrendum ſymptoma, dolor, ſyncope conſequitur. Sic humores vniuerſi ad commotam & calefactam ſedem facilius permeant & ad dolentem confluunt. Omnes inflammatæ particulæ tenduntur, tenſæque dolorem ſibi conciliant, quo fit vt inflammationes augeantur, conuulſioneſque excitentur: à natiuitate ſurdus etiam mutus eſt, quia non innato ſed audito ſermone loquimur; ex bello agris deprædatis & vaſtatis ſequitur fames, ex fame prauaque nutritione morbus popularis, peſtiſque luxuriantem generis humani multitudinem demetens Serpit in fructibus corruptio, & vel contactu, vel emiſſis prauis vaporibus infectus aër totam facilè congeriem abſumit. Denique cum à paruis incipiant defectus, vt dictum eſt, neglecti creſcunt in immenſum, auctique validius quæ tetigerint, infeſtant. Ex ancillis naſcuntur [f] ſerui, & ex læſa contra naturam origine

[e] Fernel. pathologiæ lib. 1. c. 10.

[f] §. ſerui Inſtit de iure perſonac.

ne ſequutura proles alterius dominio remanet mancipata.

Tyranni rationem habere ſe putant augendi quotidiè ſuas cupiditates & vexationes; In hoc potiſſimum miſeri quod poſtquam in ſe odium priuatum, publicumque concitarunt, vix ſecurè valent ſuæ feritati finem vel modum imponere. Contra Rempublicam infœlici ſucceſſu grauiter læſam audacius inſurgunt hoſtes, ab ea dum ſibi timent, deficiunt amici & in rebus priuatis publiciſque circum euerſos ingens eſt ſolitudo. Patitur quis naufragium, plures inueniuntur qui ſibi potius quam miſero reliquias colligunt; quidquid intonent leges, [f] prohibeantque ſub pœnis grauiſſimis è re tam luctuoſa compendium ſectari; vnius calamitas, multorum irritat cupiditatem, & fracta nauis, domus incenſa, fit occaſio furtis & direptioni. Qui potentioris iniuriam paſſus eſt, timet iterum inferendam, hoc enim habent peſſimum animi magna fortuna inſolentes, quos læſerunt oderunt, velut infenſos improbitatis ſuæ teſtes & hoſtes. Ita tradit illos Deus in reprobum ſenſum; apponit iniquitatem ſuper iniquitatem non vulnerando, ſed non ſanando, inquit D. Auguſtinus, [g] qui tales ſunt vt curari non mereantur, in ipſa malitia proficiunt. Abyſſus abyſſum inuocat; ſic omnia vitia capitalia [h] generant alia, vt videre eſt in ſingulis. Crimen crimine tegitur; Dauid adulterium ſuum cumulauit homicidio; furem ſupponimus ſi quid obſtet, cæſurum; Iuriſconſulti in tit. de præſumptionibus, ſeruum fugitiuum etiam furem eſſe coniiciunt.

[f] l.1.Cod.de naufragiis.

[g] In Pſal. 68. concio. 2.

[h] D. Thom. 2. 2 q. 53. a. 6.

A pedibus didicere manus peccare proteruæ
Non miror furem, qui fugitiuus erat.

Internecina teſtamenta dicebantur, [i] quæ quis falſa fecerat, & vt effectum haberent, eum de cuius hæreditate agebatur, occiderat. Timendum itaque peccatum, vnde cum ex nobis non poſſimus ſurgere, poſſumus in alia & alia, in apertum barathrum, ſeipſam præcipitem agente malitia, labi.

[i] Cuiac. obſeruation. lib. 1. cap. 2.

Repentinus aliquando contingit interitus.

§. 3.

HIs quæ diximus de mali venientis præuiſione, de eiuſdem lento qui nos ad arma vocat progreſſu, obſtare videntur ſubiti ſimul & inopinati ſæpè contingentes rerum interitus. Videmus mare momento verti, ex tranquillo furens, quæ læta & in triumphum vexerat ſorbere nauigia; vidimus oppreſſos ruina ſuæ domus quæ debuerat eſſe vexatis tutum [l] receptaculum; quantos quotidiè mor-

[l] l. 1. 103. ff. de reg. iur.

Digitized by Google

bus acutus, mediis in priuatis publiciſque negotiis alligat lecto? Quantos longum iter, nuptias, ambitus meditantes ſternit apoplexia, rapit ſubita mors inſalutato cui tantis affectibus adhærebant hoſpite mundo? Eſſet aliquod imbecillitatis noſtræ ſolatium ſi tam tardè perirent cuncta, quam fiunt, at duriſſimum videtur quod cum lentè proueniant incrementa, feſtinetur in damnum, malaque vndè minus expectentur, erumpant. Propterea fortunam antiqui volucrem effinxere & Diis inferis [k] volucres hoſtiaſque nigras offerebant, quia citiſſimè ſimul & in tenebris, ne his occurratur, deſæuiunt.

[k] Plin. lib. 2. c. 1. Euſeb. præparat. Euang. lib. 4. c. 4.

In his nemo neget falli mortales, ſed ſua culpa, dum non poſſident res prout ſunt natura ſua his obnoxiæ caſibus; non aduertunt præjacentes aduerſitatis cauſas, & vt ſpei ſuæ plurimum blandiantur, ſignis & coniecturis omnibus fidem derogant. Peritus nauta nouit maris indolem, variam, infidam, ad omnem ventorum vim agitari facilem, itaque nunquam ſoluit è portu niſi naue modis omnibus inſtructa ad ferendam tempeſtatem, quam quia ſemper paratus expectat, & vigil ex ſignis pluribus coniicit, non patitur repentinam. Fiunt & in aulis fortunæ, in bellis vitæ naufragia, ſed præuiſa quibus ſe ſciens volenſque deuouit fortunæ litantium animus. Vt arbori ſorbo [l] folia ſimul decidunt vniuerſa, cum à cæteris paulatim diffluant, ita ſcitur ab omnibus aulicos momento ſpoliari, ſereno cœlo fulgure percuti, ne minis exterrita, vel ſuſpicione læſa potentia, tanta moueat in ſui tutelam, vt ſi cadendum illi ſit, totam ſecum trahere tentet Rempublicam. Cum ex alto præcipitium hoc aulicis tot exempla tum externa, tum domeſtica denuntient; huius tamen aleam ſubire volunt, & his periculis regum affectus tempeſtiua celeritate promereri. Si hos nimius ſplendor non excæcauerit, ſi ſapiunt, caſum ſuum innumeris indiciis præuident, ſaltem ex immoderata fœlicitate, quæ timendam principis inuidiam in ſe concitat. Sic morbos acutos, apoplexias, caſumque præuident medici [m] cum plenior corporis habitus ſui ſummum attigit, itaque remediis, vacuatione, diæta ſoluendum præcipiunt. Idem fieri debet iudicium de mulierum amore cæco, volucri, ad id quod ſtatim nouitate placuerit, tranſlatitio; Idem iudicium de mundanorum affectu, ſuum intereſſe, ſuaque commoda hinc inde venantium, propterea dicunt ſapientes cum ciuilibus amicis viuendum ſicut cum futuris inimicis, nec vnquam illis arma committenda, quibus ſi fiant datæ fidei deſertores, nobis poſſint nocere.

[l] Plin. lib. 16. cap. 24.

[m] Hypocr. lib. 1. Aphor 3.

Cur ergo prouidentiæ contumelioſi ſumus quaſi mala nos ex inſidiis aggrediantur, cum inſit rebus omnibus natura ſua variis implexa diffidentiæ ratio; cum quodlibet emergens damnum tot præcedant ſigna, tot ſapientum præſagia, tot in ſimilibus exempla.

Digitized by Google

Repentinum igitur & inſperatum haberi non debet quod venit ad nos præmiſſis pluribus nuntiis, ſæpius cum rumore, quo vel ad fugam vel ad patientiam inſtruimur. In medio rerum poſitos homines [n] oportet eſſe animo ſemper prompto, atque intento, vt ſunt athletarum corpora ad ictus vitandos cauta, aut ad faciendos parata. Quis in aperto conflictu, quis in excubiis poſitus queri poteſt de hoſtis irruptione, quam non obſeruaſſe ſtupor & crimen eſt, & quis inter mortalia, meritò queri poteſt de mortalitate, quam licet præter ſpes humanas, iure tamen ſuo infert natura, etiam præmonitis. In omni obligatione [o] vbi dies non ponitur, præſenti die debetur, dilatio ſolutionis, pendet ex creditoris arbitrio, & ſi non implet debitóris vota, mora tamen actio non eſt præceps, nec antè tempus, quia ſilente creditore dies omnis ad ſolutionem interpellat. Quot ſunt ſingulis diebus morientes, quot ſunt in Eccleſiis ſepulchra, in cœmeteriis oſſa, in vrbe viduitates, in iudiciis lites de defunctorum hæreditate, quot teſtamenta, quot inſtrumenta publica de defunctis loquentia, tot ſunt denuntiationes mortis. Inſtantem omni ætati, omni die tympana moëſto ſuo concentu perſonant, & quærimur quod veniat repentina, ſpeſque noſtras ex inſidiis præripiat.

[n] Gellius lib. 13. c. 26.

[o] l. 14. ff. de reg. iur.

ALTERATIONIS ET CORRVPTIONIS cauſæ ſunt internæ vel externæ.

Lex. 5.

PAres naſcimur, natura non diſcernit principem à paſtore, ſi quid adiicere videtur vanitas, cum aliquos vtero fuſos excipit purpura, veſtis eſt, & exterior ornatus nihil ad iam nati corporis ſubſtantiam, habituſque conferens. Eadem omnibus hominibus poſita lex eſt, idem modus conceptionis, nutritionis, conformationis fœtus in viſceribus maternis, & quia pares ſunt illic adipiſcendæ perfectionis cauſæ, par eſt, aut exiguis diſtinctum interuallis naſcendi tempus. At cum in omnes homines lata ſit ſententia, terra es, & in terram ibis, & hanc qui non audiunt, videant; cum omnes eadem maneat mortis neceſſitas, diuerſis tamen id contingit temporibus, quia diuerſæ etiam infinitæ ſunt quæ vitam alterant, & auferunt, cauſæ.

Quid eſt homo, [p] quodlibet caſſum vas, imbecillum illi corpus

[p] Seneca in

consolat. ad Marciam. c. 11. & fragile, nudum, inerme, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum, ex infirmis fluidiſque contextum; frigoris, æſtus, laboris impatiens, ipſo rurſus ſitu & otio iturum in tabem, alimenta metuens ſua, quorum modo copia modo inopia rumpitur; odor illi, ſaporque, & laſſitudo & vigilia & humor & cibus, & ſine quibus viuere non poteſt, mortifera ſunt, quocumque ſe mouet infirmitatis ſuæ ſtatim conſcium, non omne cœlum ferens, aquarum nouitatibus, aura minus familiari læſum, inter aduerſa ſemper pendens, donec illud inſperata mors opprimat. Itaque naſcimur vno modo, multis morimur, gladius, laqueus, præceps locus; venenum, naufragium, aliæ mille mortes nobis inſidiantur, nihilque tam exiguum quod in perniciem generis humani non valeat. Cum ex multis conſtemus velut ex rapto, quod ſuum eſt cuncta vindicant, & tum partes compoſitionis, tum quæ nos circumſtant magis actiuæ, minus conuenientes in noſtram conſpirant diſſolutionem, vt ſimus maximis minimiſque elementis & vermibus præda. Tot hoſtiles cauſas à quibus incerto varioque tempore, ſingula deuaſtari neceſſe eſt, reducimus ad duas claſſes; vel enim ſunt internæ, quæ nos ſua diuiſione perturbant, debilitant, conficiunt; Vel ſunt externæ, quæ nos obſident & pro ſperatis quibus indigemus auxiliis, vim mortiferam inferunt.

Vix vlla ſtare poteſt Reſpublica, quibuſcumque munita præſidiis cum ciuili ſimul & externo bello vexatur, nam vt altius ſurgunt & periculoſius conuoluuntur fluctus maris quam fluminum, ita metuendæ magis ſunt potentioris ſtatus ſeditiones, vertit enim vires ſuas in ſuum damnum, tuncque videtur deſperata ſalus, cum alicuius arbitri res compoſituri loco, ſæuit externus hoſtis, peſſimorum partes fouens & iuuans. Vnde fit igitur vt hominum vita, iam conſtans partibus ad diuiſionem propenſis, ſimul adhuc à tot externis nocentibus expugnetur? Non apparet tantum alienæ miſericordiæ expoſita ſed feris à quibus dilanietur proiecta, & in certum naufragium inermis deuota tempeſtati. Quidam exiſtimant tot ex vita nobis eſſe conceſſos exitus, ne nolentes in ea retineremur: Naturam miſertam noſtri [q] genuiſſe venenum, cuius hauſtu facillimo, illibato corpore, & cum toto ſanguine dormientibus ſimiles extingueremur, à vitæ tædio cæteriſque cruciatibus liberi. At priuationem pro fine ſibi non proponit natura, tendens ſemper ad id quod melius eſt; imo plerique vitam licet ærumnoſam, ſic complectuntur, ſicut qui à torrente rapiuntur, ſpinas & aſpera. Si mors portus eſt, qui nos à fortunæ fluctibus eripit, non debuerat tot circundari, tot prohiberi ſcopulis, quibus doloris cauſæ multiplicantur non finiunt.

[q] Plin. lib. 2. cap. 63.

Sanior eſt Chriſtianorum ſenſus qui vitam hanc mortalem, tot

Digitized by Google

aduerſis exagitari putant, ſic decernente prouidentia, vt boni fœlicitatem quærentes, ſuis & alienis exemplis diſcant, terram eius rei quam quærunt non eſſe regionem, in oceano non inueniri ceruos, piſces in montibus, nec in caducis rebus vera bona; vt citra concupiſcentiam, quantum vitæ neceſſitas exigit, talium vſu recepto, ſpe ferantur ad æterna, & hæc innocens fortiſque mortis exercitatio, vitæ ſenſualis ægritudines, mortis naturalis metus extinguat, vtriuſque conditionibus homine iam ſoluto, & velut æternitate donato.

Prodeſt malis tot obſidentium aduerſitatum ictus ſæuiſſimos pati, minas grauiores præuidere; vt ſciant hiſce rebus, etiam dum blandiuntur, fidem non habendam; ſibi, diu commotis & vellicatis tandem cadendum; affixos volubili rotæ, cum eadem conuerti, & à ſibimet ipſis præcipuè cauendum, cum grauiora ſint quæ ab internis cauſis procedunt mala, vt ſæuiores ſunt ab imo maris ſurgentes procellæ. Has igitur aliquas internas externaſque mali cauſas hic ſigillatim expendimus ad diuinæ prouidentiæ nos erudientis gloriam, & hominum inter iſta viuentium, diſciplinam.

AB HIS QVIBVS CONSTAMVS deſtruimur.

Lex 6.

INternas cauſas interitus contemplanti, illud primum occurrit, tam naturale nobis eſſe minui quam augeri, mori quam viuere, cum eadem ſint vtriuſque, principia & ſicut quantitas partium extenſione ſimul & terminis conſtat, ſic eſſe noſtrum vita breui, morte prôlixa, & exiſtentiæ partibus omnibus inſerta. Non eſt, non numeratur vita niſi per mortes; adoleſcentia mors eſt pueritiæ, virilitas adoleſcentiæ, ſenectus virilitatis, ſic vita minutiſſimis portiunculis dum datur, eripitur, ſi quidem motu perpetuo cœlum rotat momenta, dies diem trudit, & quod accedit annorum numero, præfixæ durationi detrahitur, vt in clepſidra quo plus effluit, minus reſtat.

Inſitæ ſunt humano corpori morborum & mortis cauſæ, [r] quædam naturales, aliæ præter naturam; Naturales temporum, ætatumque decurſu ſenſim nos immutant, & ſine ſenſu in extremum ſenium mortemque deducunt. Tales ſunt partes ſeu qualitates elementorum

[r] Fernel. lib. 4. c. 8.

Digitized by Google

contrariæ, quæ dum pugnant, cuicumque cedat victoria, ſequitur compoſiti diſſolutio. Quamuis vitæ fomes poſitus ſit in humido primigenio, pingui, oleoſo, permanente, qui propria eſt ſpiritus & caloris materia, per ætatem tamen abſumitur pabulum hoc à calore qui dum conſeruari & perfici naturaliter deſiderat, ſemetipſum cum alimento ſuo conficit, & progredi volens properat ad interitum.

[s] Id. Patholog. lib. 11. c. 11.

Præter naturam [s] inſitæ nobis morborum cauſæ dicuntur, quæ vel ex paterni ſeminis, vel materni ſanguinis vitio exortæ, ſimilem inurunt proli temperaturam, pareſque ſuis temporibus ægritudines hæreditarias ingenerant. Tranſit in liberos vita, vt in hæredem fundus, cum ſua ſeruitute ſuiſque oneribus, eadem cauſa viuentes morboſos, tandem mortales efficit.

[t] Supra. lib. 1. l. 10. §. 3.

Iam inductione probatum eſt, [t] in hac ſublunarium regione, vbi duratio priuationibus, ſtatus omnis mutatione perficitur, vbi nihil ſine ſucceſſione perpetuum, nullum bonum dari ſine mali permixtione; nocere quæ iuuant, modis diuerſis, vtiliaque cenſeri, quæ minus nobis ſunt aduerſa. Sic alimentum vniuerſum concoctione mutari non poteſt, nam quantumcumque benignum & familiare ſit, alteram partem idoneam ad corpus alendum, alteram diſcrepantem habet & ineptam, quam non ſic foras extrudit vis expulſiua, quin indè ſanguis complexioque plurimum afficiatur. Opórtuit eſſe vim concupiſcibilem voluptatis [u] allectam illecebris, quæ nos ad ſenſibilia vitæ fouendæ neceſſaria transferret, alioquin illa, vt nimium infra nos poſita neglecturos: Opportuit eſſe paſſiones, quæ ſub rationis imperio militantes, illi plurimum conferrent ad ſolertem mali fugam & intrepidam conſtantemque boni conuenientis proſequutionem. At quæ mala mortalibus non intulit, & quotidie non infert concupiſcentia primæ præuaricationis mortiſque cauſa. Hinc quotidiani gulæ, veneris, exceſſus qui fortunæ facultates exhauriunt, corpus vel copia ſuffocant, aut languidum effœtumque morbis innumeris interdum horrenda tabe conficiunt. Paſſiones vocari ſolent perturbationes quia mentis conſilia perturbant, rationem non exaudiunt, & ſi videntur illi militare, ſimiles ſunt copiis quæ ſignum receptui negligunt. Eas aliqui vocant appendices, [x] velut eſſent in anima, malorum ſpirituum, animantium, lapidum, adulterinæ proprietates appenſæ, ex quibus ſimilia procedunt opera, dæmonum immanis nocendi cupiditas, ira leonum, porcorum ingluuies, duritia lapidum. Inde lites, pugnæ, bella ambitionis, auaritiæ furores, priuata, publicaque mala quæ proiiciunt animas, quæ diuinas humanaſque leges impetu modum non capiente, violant. Si tam acerbè ſemper non deſæuiunt in aliorum pernitiem, ſaltem priuato

[u] Supra lib. 1. l. 11. §. 2.

[x] Clem. Alexand. ſtrom. lib. 2. cap. 9. Paracelſus libro de Lunaticis.

Digitized by Google

ipſas parturienti plurimum nocent, tum animæ, tum corporis parricidæ, hanc vtramque partem ægris cogitationibus conficientes.

Has ideo perturbationes inter euidentes & neceſſarias morborum cauſas recenſent medici, [y] quarum; & ſi ſint moderatæ, nullus ferè vſus præterquam gaudij, hoc enim exhilarans & dilatans cor, ſpiritus diffundit, natiuum calorem ſuſcitat, ſanguinem humoreſque extenuat, quibus conſeruatur ſanitas; quod ſi modum excedat, & vehementior ſit, tum animæ tum corpori plurimum nocet, impedit enim vſum rationis, [z] quia fertur in obiectum ipſi contrarium, ſenſibus ita blandiens, vt totam ad ſe rapiat attentionem. Plures etiam referunt [a] extinctos morte ſubita præ nimio gaudio, ſcilicet excedente cordis dilatatione qua ſpiritus omnes effuſi ſunt, nullo dato tempore quo conſiſterent, & aër reſpirationi neceſſarius traheretur. Sic mortui ſunt, Chilo, Sophocles & Dyoniſius Siciliæ Tyrannus, vterque accepto victoriæ nuntio: ita concidit mater è pugna Cannenſi videns redeuntem filium incolumem contra falſum nuntium: tollitur vita, eo quo recreati videbatur remedio.

[y] Fernelius pathol. lib. 1. c. 18.

[z] D. Thom. 2. 2. q. 34. a. 3.

[a] Plin lib. 7. c. 53.

Quandi pereunt propter amicos qui tamen exiſtimantur firmiſſimum vitæ ciuilis præſidium, nam pro his in ſolidum obligantur fortunæ, ſuis & alienis iactantur periculis. Eſt pecunia pretium rerum omnium, & in ea videntur omnia poſſideri, multos tamen perdit, tum fœlicitatis inſolentiâ, tum impetu potentioris, cuius inuidiam & cupiditas irritat. Conſtant omnia calido & humido & vtraque qualitas eſt vitæ ſimul mortiſque principium; Nam in calida regione homines minus viuunt, eo quod æſtuoſus cœli ſtatus ſpiritus inflammat, ſanguinem & humores extorret, bilem exacuit, morbos acutos generat, poros patefacit, quibus caloris natiui vis diſſipatur. Humido plurimum conſtant plantæ aquatiles & domeſticæ [b] magis cultæ, ideo breuior illis vita, quam ſicciori ſolo natis & ſylueſtribus: generaliter in omnibus humidum eſt accretionis & corruptionis cauſa. Florentem putares familiam fœcunda liberorum educatione, hi tamen numero ſuo partitas inter ſe facultates exhauriunt, & antiquum ſplendorem deiectione ſtatus obſcurant. Immenſa militum multitudo, qua conſtabat Xerxis exercitus & obtinendæ victoriæ ſpes, ſtrauit eum per Græciam, & quæ regi, quæ ſe tota vti non valebat, pondere ſuo victa procubuit. Nulla magna ciuitas diu poteſt quieſcere, ſi foris hoſtem non habet, inuenit domi, & ſuis ipſa viribus oneratur. Percurre cætera vitæ tum naturalis, tum ciuilis munia, nullum periculo vacuum inuenies; ſed cuncta iiſdem ipſis quibus nitebantur, fundamentis concuti, & extremam pati diſſolutionem. O rerum mortalinm vanitas; ô fallax in illis poſita ſpes? nutant, nocent, interimunt, quæ iuuare debuerant.

[b] Theophr. hiſt. plant. lib. 4. c. 14.

Digitized by Google

EXCESSV PLVRIMA DEPEREVNT.

Lex. 7.

[c] Supra lib. 1. l. 1. §. 3.

[d] lib. 1. l. 2. §. 1.

[e] Ibid. l. 4.

SÆpè diximus [c] omnimodam perfectionem in ente primo, vno, infinito tantum reperiri, vtque fieret eius ſimilitudo quædam in creatis, collectas fuiſſe ſingulares vnitates, [d] quæ ad infinitatem magis accederent ſua multitudine, & ad vnitatem partium ordinata conſtitutione; ſic omnia ſunt in omnibus, [e] ſic inſunt elementorum, cœlique vires in quolibet mixto, reſque diuerſæ deficientes à ſuis principiis confluunt in vnitatem multa complectentem, diuinæquæ magis ſimilem, vnica quippe forma continentur. Hæc eſt primæua ratio cur res omnis conſtat temperatura naturæ ſuæ conuenienti, & cur ex diuiſibili multitudine ſurgit formalis indiuiſibilis vnitas.

Ariſtoteles cœlum dicit conſtare ex caloris frigoriſque miſtura, vnde nec torpet nec igneſcit; Motus eius perfectior eſt motu elementorum, quia cum partium eius nulla ſit grauis, nulla leuis, neque à centro neque ad centrum fertur, ſed citra centrum. Iupiter planeta [f] dicitur fortuna maior, eo quod eſt mediæ virtutis inter ſolem & venerem temperatæ, eſt etiam medius inter ſolem & Lunam, vnde complectitur omnia, denique ſol eſt ad nos temperatus. Saturni frigidi diurna conditio melior, Martis calidi, nocturna, ſic enim temperantur & nobis temperatis minus fiunt noxij. Sub zonis temperatis [g] optima fit corporis conſtitutio, & ad egregias animi functiones aptior. Ita Græcos mediam orbis regionem ſortitos, Ariſtoteles dicit [h] eſſe animoſos & ingenioſos. Ex anni tempeſtatibus verna ſalubrior eſt, quia magis temperata Quid multis opus eſt, vita, vitæ ſanitas, pulchritudo, delectatio, fœlicitas, ars omnis, vt ordine, ſic agendi modis, inter defectum & abundantiam mediis conſtat, ita partes toti ſuo, ſcilicet mundo, conſentiunt, quem Deus fecit in pondere, numero & menſura. Mediocritas eſt entelechia & forma quædam vniuerſalis virtutum omnium, etiam Reipublicæ quæ eſt vita ciuilis. In ea non debent eſſe nimiæ diuitiæ, [i] quia pariunt ſuperbiam quæ rationi non obedit, nec nimia paupertas quæ eſt impotens & fraudulenta, deiicit animos, & ineptos efficit ad regimen. Vt igitur operationes tum naturales, tum humanæ

[f] Marſil. Ficin. de vita cœl. comparanda. c. 5.

[g] Hypocr. Aphoriſ. 47. lib. 6.

[h] lib. 7. Polit. c. 7.

[i] Ariſt. 4. Politicor. cap. 11.

ſtant

Digitized by Google

ſtant per mediocritatem, ſic pereunt per exceſſum & defectum, rupto ſcilicet eo vinculo, quo partes in vnitate formali continebantur.

Obruit recipientem qualibet excedens copia.

§. 1.

SIue res videas in ortu ſuo, vel iam natas in actionis ſuæ progreſſu, ſemper naturæ tendentis in finem ſuum vires obruit, aut ſanè vitiat, cauſæ materialis vel efficientis exceſſus. Quotidie naſcentem in focis ignem extinguit maior quam deceat impoſita lignorum ſtrues: cum in vtero materno exundant vitæ principia, fiunt plurimæ conceptiones,[k] ſed minimè vitales, ſæpius monſtroſæ, prodigioſæ, inauſpicatæ, & quas ſequi ſolet ſterilitas. Ideo prægnantibus aliquibus mulieribus ſanguis extrahendus eſt, ne copia fœtum ſuffocet. Similiter laxis in vtero vinculis, membra turpiter producuntur vltra debitam ſibi figuram & quantitatem.

[k] Plin. lib. 7. c. 11.

Eadem in alimentis ratio, nam cum oleæ ſitienti [l] imbres copioſi acceſſerint, vitiatur oleum in amurcam & oliua nigreſcit; Ita rore & leui pluuiarum ſtillicidio plus agri proficiunt, quam effuſa torrentis vnda, licet exceſſum terra reſpuat, & ad quatuor circiter pedes humidum excipiens, illud deinceps qua data via permittat effluere. Pinis hic eſt morbus [m] ex abundantia, vt toti vſque ad extremum corticem, tædifiant, ſic obeſitate moriuntur, cum enim nullum tranſitum habeant ſpiritus, ſtrangulantur, ſicut in animalibus accidit, quæ vltra modum pingueſcunt. In nobis ex probati licet ſanguinis copia, fit nimia repletio quæ naturæ ſymetriam excedens, vires opprimit, viam obſtruit ſpiritibus, motus tardat, gignit interdum phreneſes, apoplexias, morbos innumeros. Phlegmone nihil aliud eſt quam tumor ortus à ſanguine, qualitate laudabili affatim extra venas, maiori copia quam parti alendæ ſit opus, effuſo, qui calorem, ruborem, tenſionem, pulſationem, acerbum dolorem indicit, eo plus quo ſanguis purior eſt. Ex hoc alimentorum exceſſu putant medici omnes ferè corporis morbos originem ducere, ideoque toti ſunt in ſanguinis miſſione quæ ſupplet vires ab antiquis vſurpati vomitus & ieiunij. Exiſtimant politici ciuile corpus vt naturale paribus de cauſis ægrotare, paribus remediis ſanari; tyrannides, ſeditiones, morum corruptelas, legum contemptus, ex nimiis naſci diuitiis, & his opportunè ſubueniendum per id omne quod excedentes facultates imminuit; clementi ſeueritate, dum per priuata quædam incommoda publicæ conſulitur tranquillitati.

[l] Plin. lib. 15. cap. 3.

[m] Mathiol.

Digitized by Google

[n] D. Hieronym. in vita Malchi.

A pluribus iam ſæculis ſancti Patres [n] conqueſti ſunt; Eccleſiam diuitiis maiorem, virtutibus minorem effici, impedimenta hæc eſſe, non adiumenta, onera non ſubſidia, maximarum opum poſſeſſione, Religionem non fulciri, ſed euerti, [o] quippe contrario indoli ſuæ, dum nata & formata fuit, temperamento; hinc, inquiunt, quantum humanæ facultatis acceſſit, tantum cœleſtis diſciplinæ receſſit. Nam diuitiæ pietatis filiæ, tot ſibi famulantium manibus matrem ſuffocant. Ambiunt homines non tam ſacerdotia quam lucra, non officium, ſed officij ſplendorem & prouentus; ſub religionis titulo exercentur injuſta compendia; Ingemiſcit orbis his exceſſibus læſam eſſe religionem, tamen obſtat Religio, ne ſicut in ciuilibus huic occurratur nociuæ repletioni: Non eſt enim Religionis ſed ſingulare perſonarum vitium, vota pietatis pretioſa quibus Chriſti corpus vngitur, quibus domui ſuæ prouidit * turpiter ſimul & impiè dilapidantium.

[o] Saluianus lib. 1. & 2. ad Eccleſiã. Catholicam Petrus Damiani opuſ. 20. 15. 31. & paſſim.

* Rupert. in Geneſ. lib. 7. c. 37.

Iterum multi nobis obiiciunt nunc Eccleſiam periculoſius laborare litterarum, quam diuitiarum intemperantia nectunt arguti nodos, & ambigaum ſignificationem verbis alligant, tum partim ſoluunt, ſic dubiam & infirmam efficiunt fidei veritatem. Studium per ſe bonum, per accidens fit in illis malum, [p] quia retrahit à magis vtilibus & neceſſariis; refertur ad vanitatem non ad Deum; Tumentes magiſtri ludunt animarum pretio, quas certis opinionibus addictas & coniuratas, habent vt gratiſſimum eruditionis ſuæ ſpectaculum.

[p] D. Thom. 2.2. q. 167. a. 1.

Lugenda magis Doctorum quorundam peruerſitas qui cum in nullius authoris eant ſententiam, contrarias ſimul diſcunt, in vtramque parati eodem ore calidum frigidumque ſpirant, prout mundanæ gratiæ, vel vtilitatis ſpes affulſerit. Peccant in legem naturæ quæ bonum cum vno & vero conuertit. Non eſt igitur bona eorum ſententia, quia non vna, ſed multiplex & verſatilis; non vera ſemetipſam contradictoriè reſcindens, etiam dum vera dicit mendax propter euulgatas in contrarium opiniones quæ fidem ei derogant. Monſtrum eſt & inauſpicata naturæ deuiatio, ſi quid naſcitur præter determinatæ ſpeciei formam, ſi plurimum ſimul partes vel geminatas, vel extremas extremis, aures & manus pedibus turpiter annexas, præferat.

Datur quidem aër omni vento mobilis; dantur ſpecula quæ figuras omnes obiectas referant; dantur mollia impreſſiones omnes excipientia; Nec mirum eſt cum ſub externis fortioribus ſe tantum habeant paſſiuè, tanta varietas non ipſis, ſed variis agentibus adſcribitur, ſe tamen quantum poſſunt, vindicant à confuſione, cum ſpecies illas non ſimul, ſed ſucceſſiue recipiunt. Motus enim & omnis

Digitized by Google

actio naturalis determinatis continetur limitibus & in certum ſibique proprium tendit terminum, vnde cum turbo inæqualiter in ſe reflexus obuia conuoluit, non eſt propriè motus, ſed conuulſio laborantis naturæ. At Doctores cœlis comparantur quia non patientis ſed agentis, cauſæque ſuperioris vices agunt, nec ergo debent ab aliis ſic affici vt varij ſint, ſed doctrinæ ſuæ certum lumen & influxum inferioribus, quantum capere poſſunt, largiri. Qua ratione dirigent animas, ſi nec eorum ſententia in certam veritatem ~~non~~ dirigatur; Nautas maria ſulcantes non diriget acus magnetica, ſi tam in orientem & occidentem, quam in ſeptentrionem conuertatur, nec rectam tradet morum inſtitutionem in vtramque partem mobilis doctorum ſententia.

Vſurpant in negotio ſalutis, quod in ciuili ſine grauiſſima legum preuaricatione non fieret, Nam aduerſus factum proprium [r] nullus admittitur vt controuerſiam moueat; tenetur doctor datam à ſe reſponſionem tueri, non ergo debet in contrarium reſpondere, vt nemo poteſt euincere [s] rem quam ipſe vendidit, etiam alio quæſito titulo, quia quem de euictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio. Vnde ſi quis antequam obtineret magiſtratum [t] fuerit aduocatus vnius partis, & hæc poſtea in eadem cauſa coram ſe contendat, debet pro illa cauſa mandare iuriſdictionem ſuam; patroni, in cauſa cui patrocinium præſtiterunt, teſtimonium [u] non poſſunt dicere, ita quiſque cenſetur tenax opinionis à ſe ſemel conceptæ. Si reſponſa prudentum habentur pro legibus, qualis erit illa Doctorum lex ambulatoria, omni momento, prout cupiditas ſurrexerit, mobilis, Regula leſbia ad arbitrium inflectenda; quid iuuat præcepta negatiua obligare ſemper & pro ſemper, ſi nunc rigidus ad probitatis ſpectaculum Doctor, nunc palpans & blandiens ad commodum, contraria reſpondeat? Iudex quam ſemel tulit ſententiam [x] definitiuam non mutat; Cur licebit in hoc conſcientiæ tribunali, crebra mutatione ſententiarum mentes implicare dubiis & ad incredulitatem diſponere?

Medicis non licebat apud Ægyptios [y] curare niſi methodo libro publico præſcripta; Res ſunt venales, ſub certis forma publica percuſſis menſuris & ponderibus. Imperator Iuſtinianus, reciſis, nec memoratis quidem ambiguis antiquorum in iure reſponſis, habito peritiſſimorum Iuris conſultorum conſilio, [z] determinatam iuſti atque iniuſti ſcientiam digeſto & Codice complexus eſt. O ſi quæſtionibus vanis, fidei, moribus nociuis, Chriſtiano nomini contumelioſis Eccleſia modum diceret? ſi nunc vt præceptum eſt populus ſcientiam diſceret ex ore ſacerdotis? ſi caſus ſingulares non tranſirent in regulas authorum indiſcreta ſcribendi libidine? ſi prætioſus Chriſti

[r] l. 25. ff. de adopt.
[s] l. 17. ff de euict.
[t] l. 17. ff. de iuriſ.
[u] l. 25. ff. de teſtib.
[x] l. 14 ff. de re iud.
[y] Diod ſicul. rer. antiq. l. 2. c. 3.
[z] l. 1. Cod. de vet. iure. enuel.

AAaa ij

ſanguis ad ſalutem animarum effuſus non veniret in diſputationis & exercitationis ingeniorum aleam? O ſi ſaltem reſecato controuerſiæ moralis ſtudio, via non aperiretur iniquitati, impunitas publicè non concederetur peſſimis cupiditatibus, diſcerentque homines, ex Apoſtolo [q] ſapere ad ſobrietatem?

[q] Rom. 12.

Videmus in contrarium quoſdam acri zelo, ſed non ſecundum ſcientiam perſitos, quoſlibet defectus, vt ingentes ruinas conclamare, fiunt priuatis, ciuilibus, Eccleſiaſticis perſonis contumelioſi; non ſanant, ſed irritant cupiditates intempeſtiua ſeueritate, omnibus, ſed nulli magis quam ſibi graues, ſi peccantibus omnibus iraſci decreuerint; Initium ſapientiæ timor domini, [s] hic tamen ſi ſit ex ſuperſtitione nimius & inordinatus, Deum videt vt tyrannum, in ſuam ſemper pernitiem armatum, dura quæ peragi non poſſunt imperantem, velut inſidiaretur humanæ ſaluti; Error inſanus quem colit, violat; [t] quid enim intereſt Deum neges an infames; quidam [v] negare mitius eſſe putant, vt minus eſt hominem non noſſe quam iniuriis afficere. Tales, vt plurimum, proficiunt in impietatem, cum enim ſe diu falſis opinionibus torſerint colentes phantaſmata ſua religionis nomine, tandem vt dolori ſuo parcant, ad id deueniunt vt putent nihil eſſe colendum; ne toties habeantur rei, abolitionem generalem ſibimet concedunt impietate, quæ negat legem & principem rebus humanis imperantem, hic ſolet eſſe finis cultus immoderati, vt à ſummo phantaſticæ pietatis, cadant homines in atheiſmum.

[r] Rom. 10.
[s] Prouerb. 1
[t] Seneca ep. 123.
[v] Plutarch. perſtitione.

Eadem ferè ſors eſt indiſcretæ deuotionis eorum qui ieiuniis, vigiliis, orationibus ſupra modum aſſiduis, vnius anni ſpatio, profundunt omnes vires ſuas, toto reliquo vitæ ſuæ tempore, langueſcentes ſibi cæteriſque oneri. Erga Deum infinitè bonum & amandum dilatentur ſpatia charitatis, ſit amor ſine modo, id menti licet, ad Dei dilectionem ipſiuſmet illapſu Dei, ad infinitos eius ſplendores, & ardores excipiendos vltra quam dici poteſt, amplificatæ; At in externis pietatis officiis quæ pendent à corpore, corpori conſentiendum in multis, indulgendum vt iumento ad vitæ viam alacriter perficiendam neceſſario, tali ratione, vt nec deficiat nec inſoleſcat: mortificatio exuberantis & nimia repletione laborantis naturæ remedium eſt, certo pondere, numero, decretaque menſura exhibendum; ſuis etiam temporibus, quis enim perpetuis viuet medicamentis? quam ſtulta menſis vnius auſteritas in poſterum infirmitate etiam ſenſualitate damnata, incidit enim in ipſam inertem & delicatæ vitæ rationem quam vitare voluerat.

Infinitum eſt recenſere ſingulas actiones quæ ſola conſtant & perficiuntur mediocritate, cum illa ſit effectus rationis & intelligen-

Digitized by Google

tiæ cunɛta moderantis in naturæ, artium, moralis, politiæ, Religionis operibus; Non eſt fortitudo ſed temeritas citò peritura, quæ nihil timens, ruit in quoduis periculum; Non eſt frugalitas ſed turpis auaritia, omnium odio digna, quæ decorum non ſeruat in bonorum erogatione; ſemper, etiam in neceſſariis contracta manu, ſibimet negans, quod aliis abſtulit; Perit aulicus neſciens fortunæ ſuæ blandienti modum dicere, nam vt ad ignem, ſic ad principem accedendum; perit nauis quæ non contrahit vento nimium ſecundo, turgida vela; & nimis pertinax & nimis blandus conſultor exploditur; hæc & ſimilia fuſius habentur in Digeſto Sapientiæ. x In titulis, Maioritas Bonitatis Magnitudinis, Durationis, Poteſt. &c. & tit. Virtus Medii mediocritatis.

Tranſitus ab extremo in aliud ſine medio periculoſus.

§. 2.

CORpora naturalia conſtant ordinatis ſuoque loco firmiter poſitis partibus quarum nulla ſitum mutat, nulla præcedentem aliam anteuertit, tunc enim fieret diſſolutio continuitatis, cui potiſſimum in viuentibus idem eſt non eſſe, ac aliter diſponi. Similiter in his quæ perpetuitatem, & vniformitatem æmulantur partium ſucceſſione, primam ſecunda ſequitur, ſecundam tertia ſic de reliquis quæ veniunt ordine ſuo, cedentes ſequentibus locum, quem nulla velox præripit, nulla tardior detinet præter legem fluxui poſitam: hanc à Deo ſibi dictam ſeruant cœli æqua ſibi ſemper partium ſuarum ſerie, quamuis ſolidi non ſint, in fluxa tamen materia motus ſuos æqualitate tanta peragunt, vt nihil vnquam excedens aures & oculos noſtros afficiat, ſed in ipſo ſuo curſu taciti ſimul & immoti videantur. Quamuis aſſerant partes eius ſingulas teneri deſiderio totius locum ſitumque occupandi, ſintque aliis aliæ ſplendore, virtute digniores, nulla tamen prætermiſſa, nulla repulſam patiente procedunt, choros ducunt, circuitus ſuos abſoluunt qui beatos animarum à ſe in Deum, à Deo in ſe reditus ſenſibiliter explicant.

Superioribus ſic agentibus reſpondet inferiorum potentia, aliter regi non nata quam ſi ſenſim ab vno in aliud decurſis omnibus mediis fiat tranſitus. Ideò terra ſtat immobilis, ſuoſque polos ſemper polis cœli habet æquales, ne ſi conuerteretur in contrarium, plantæ & animalia, quæ natura ſua frigido gaudent cœlo, ſolis æſtu repentino læderentur; ſimiliter aſſueta calori, frigus non ſuſtinerent. Ita Deus ſenſim nos ducit ab hyeme ad æſtatem, [y] media veris temperie, ab æſtate ad hyemem per autumnum vtriuſque participem. Nam ſicut videmus vaſa chymica frangi cum ab aqua vel ab aëre

y Theodoret. orat. 1. de prouidentia.

Digitized by Google

frigido, ſtatim igni validiſſimo exponuntur, aut ab hoc igne in aquam præcipitantur; ſicut manus frigoris aſperitatem grauiter paſſæ dolent, & mille aculeis videntur perfodi cum ſtatim ad copioſum ignem accedunt, ſic rebus omnibus, immediatus ab extremo in aliud tranſitus plurimum infert damni.

Non ſic tamen æſtatis expirantis calores, & accedentem hyemis rigorem autumnus temperat, quin morbos generet, propter ſubitum ab vtroque tranſitum in vna die; Nam tunc calori diei poros aperienti, ſtatim ſuccedit frigus veſpertinum quod patentibus poris ingrediens, calori natiuo plurimum nocet; ſicut aqua frigida epota interdum æſtuantem interficit, quia tunc præcordia paruadens natiuum calorem nimio ſubitoque frigore perimit. Hinc apud Hypocratem generalis eſt aphoriſmus; [z] ſemel multum & repente vel vacuare vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, aut alio quouis modo corpora mouere periculoſum, omne ſiquidem nimium naturæ inimicum, paulatim verò quod fit tutum, cum alias, tum maximè ab vno ad aliud facienda eſt mutatio: Ita verno tempore, [a] ſuum incrementum paulatim recipit dies vt corpora ſenſim aſſueſcant maioribus laboribus tunc ſuſcipiendis in agricultura, nautica & cæteris, nam ſolitò maior labor ſi ſubitus incidat, corporibus non mediocriter nocet. Auditus officina tortuoſa eſt, & confractui cocleæ perſimilis, vt illabentis aut aquæ aut aëris frigiditas, aut vehementis fragoris tinnitus, flexuum varietate ſenſim miteſcat.

[z] Lib. 2. Aphor. 51.

[a] Theodor. d. loco.

Ea fortè de cauſa aſcenditur ad dignitates per gradus, non ſcientiæ comparandæ gratia per experientiam, quæ alienis, publicis potiſſimum non debet fieri periculis, ſed vt qui priuatus fuerat, ſibique tantum intentus, ſenſim diſcat in ipſis operibus incaleſcens, totum ſe bono publico dicare. Idem autor gratiæ qui & naturæ, dum eduxit populum Iſraël à cultu idolorum cui aſſueuerat in Ægypto, permiſit illi ſacrificia, ſed eorum animalium quæ pro Diis habebantur in Ægypto. Vt ceremoniæ antiquæ [c] iudæorum fuerunt per traditionem receptæ ante legem, ſic poſtquam deſierunt in morte Chriſti aliquandiu obſeruatæ ſunt, ſicut corpori priuſquam in totum corrumpatur remanet eadem figura.

[b] Theodor. in Leuit. q. 1

[c] D. Thom. 12. q 103. a. 1. &

Inde ſibi fecerunt artem politici, vt ſi mutandæ ſint leges, id fiat leni & lenta via, alioquin periculum eſt ne irritentur animi ſubita mutatione: Itaque Princeps in nouo ſuo imperio prudenter non ſtatim noua facit omnia, ſed ſenſim quæ non placent, immutat; ſoluit ſolita ſtipendia, antiquis miniſtris nouos permiſcet, etiam mutato rerum ſtatu antiqua retinet vocabula. Tiberius populum per tot annos ſub Auguſto molliter habitum, [d] nondum audebat ad duriora vertere; Leo Iſauricus Imperator [e] ſacrarum imaginum cultum dele-

[d] Tacit. 1. Annal.

[e] Baron. an. 726.

Digitized by Google

turus, eas primum in ſublime poni iuſſit, eo prætextu ne eas ore manibuſque contingendo populus prophanaret, ſed verè id agebat vt eas ab oculis remouendo paulatim venirent homines in diſſuetudinem illis honorem exhibendi; ſic his temporibus Nouatores, differendam ſuadebant Euchariſtiæ ſumptionem ſpecie maioris reuerentiæ, vt ſic fieret eius abſtinentiæ conſuetudo. Vis igitur corporum deperit, in pernitiem ſumentis cedunt medicamenta; naturale, politicum; Religioſum regimen periclitatur, ſi fiat immediatus tranſitus ab extremo in aliud. Ita dicunt aſtrologi [f] magnas in mundo mutationes legum & imperiorum contingere, tunc cum fiunt coniunctiones Saturni & Iouis in ſignis igneis, eo quod ad illa fit tranſitus à ſigno aqueo duabus qualitatibus contrario, ſcilicet à piſcibus in arietem, à cancro in leonem, à ſcorpione in ſagittarium, diuina prouidentia vtitur, vt aiunt, cœlo ſic diſpoſito, velut virga ferrea, cum decreuit fictilem, inſoleſcentem tamen humanam poteſtatem confringere. Similiter in acutis morbis fit criſis cum ſeptima aut decima quarta die, Luna peruenit ad quadraturam aut oppoſitionem duabus qualitatibus contrariam ſigno in quo fuit tempore decubitus; Nam ſicut ſtridet & efferueſcit aqua ferrum candens paſſa, ſic peccans humor, lunæ conditiones ſequutus, ad repentinum occurſum talis contrarietatis, furit, & aut naturam opprimit, aut à validiore foras protruditur. generaliter vbi termini ſunt contrarij non fit immediatus tranſitus ab extremo in aliud & ſi contingat, conſtans non eſt defectu diſpoſitionis; vnde medici fidem non habent ſanitati extra dies criticos & ſine cauſa manifeſta ſtatim ægrum liberanti.

[f] Origan. parte 3. mẽbro. 2. c. 1.

At in inſtanti fieri poſſunt quæ non habent terminos contrarios, vt formæ naturalis introductio, quia ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, in eodem inſtanti [g] fit illuminatio aëris, viſio coloris, & diſcretio rei viſæ licet primum ſit cauſa ſecundi, & ſecundum tertij. Igitur tripliciter in inſtanti fit mutatio, [h] 1. ſi forma ſit indiuiſibilis, vt forma ſubſtantialis 2. ſi ſubiectum ſit in vltima diſpoſitione, 3. ſi agens ſit infinitæ virtutis: ſtatim fugiens ab hoſtibus ciuitati poſtliminio reſtituitur; ſtatim vt fons qui aruerat, reuiuiſcit, etiam redit ius priſtinum hauriendi; rem ſuam furto ablatam, ſtatim dominus vindicat; in momento mortis teſtatoris aditur hæreditas, cedunt legata, hæc enim conſiſtunt in iure quod habetur inter res incorporeas, quod etiam ablata poſſeſſione non extinguitur; ſed ea vel abeunte vel redeunte, non eſt eius tranſitus, ſed continuatio.

[g] D. Thom. 1. q. 65. a. 5.

[h] Id. 12. q. 113. a. 7.

Inſitus eſt humanæ menti diuini vultus ſplendens ſimilitudo; Chriſtianis mentibus impreſſus eſt gratiæ baptiſmalis character, qui probat illas eſſe poſſeſſiones Dei, iure creationis & redemptionis; quid

obſtat quin primæua lux illuminans omnem hominem, ſtatim offuſas peccati tenebras diſcutiat, & rem ſuam dominus dominantium, omni ceſſante præſcriptione, ſine mora vindicet; peccatum enim in anima non eſt quid poſitiuum quod ſenſim à contraria virtute debeat ſuperari, ſed eſt priuatio rectitudinis, ex qua voluntas cum auxiliis gratiæ momento ſe poteſt eripere, intimo ſibi Deo coniungi, à quo immenſo prius diſtabat, non paſſibus, ſed affectibus; momento poteſt ab eo illuminari, purgari, perfici; Deus enim qui iuſtificat impium, [i] eſt infinitæ virtutis, & nihil ei reſiſtit. Fœlix immediatus ab extremo tranſitus qui contigit vocatis à Chriſto Apoſtolis ipſum ſtatim ſequentibus. Etiam nunc hodie miramur illas à diuina gratia factas morum transformationes, in his qui à ſæculi furoribus tranſeunt ad vitæ Religioſæ ſanctitatem: Videmus illos ſtatim animo cum habitu mutato ex elatis humiles; ex delicatis, fortiter ad aſpera quæque paratos, mortuos mundo, ſoli Chriſto viuentes: hæc mutatio dexteræ excelſi; hic ſubitus à vitiis ad virtutes tranſitus, diuinum eſt illis collatum beneficium, omnibus documentum, homines nullis tam validis cupiditatum catenis alligari, quin ſtatim libertate donari poſſint, ſi liberatori & illuſtranti Deo mentis oculos, dona proferenti manus, prouocanti, conſenſum non negauerint. O fœlices nos, ſic aperta, ſic facili ad fœlicitatem via, ſi de beneficio crimen negligentia noſtra non effecerit? Priuilegium eſt quoſdam eximio principis fauore ſtatim euehi ad dignitates, quæ cæteris cedunt in præmium diuturnæ & ab auis acceptæ fortitudinis; Ita diuinæ gratiæ ſingulare donum eſt, quoſdam in virtutibus repentè fieri ſummos, nam ordinariè ſicut demonſtratum eſt [k] tum naturæ, tum moralis incrementa fiunt ſenſim & per gradus, nec præcoces & præmaturi prouentus periculo vacant.

[i] D. Thom. 12. q. 113. a. 7.

[k] Supra lib. 2. l. 10. § 4.

Magna concidunt propriis in ſe conuerſis viribus.

§. 3.

QVod exiles ſint rerum omnium natales, quod in parua quantitate minimum etiam virtutis affulgeat, id imputandum non videtur imbecillitati, ſed cautioni naturæ, quia tunc in viuentibus, toti, copioſi, puriores, ſcilicet origini ſuæ vicini ſpiritus dum ſe ſenſim ad accretionem explicant, non tentantur malis ab exceſſu, progreſſuque nimio naſci ſolitis. Roſa primum germinat intumeſcente gemma concluſa, hinc inde viridibus ſtipata ſpiculis, paulatimque dehiſcens ac ſeſe pandens, ad ſolem rubeſcit, explicantur ordine

ordine gratiſſimo ſuccedentia ſibi folia, ſed in tantum, vt cum vis deinceps ad contractionem deficiat, humido tenui vnde conſtabat color, abſumpto, pallent, marceſcunt, defluunt, ſua morientes expoſita pulchritudine. Ob humoris abundantiam [l] producunt ex ſe plantæ rodentes ipſas vermiculos, à quibus longè magis quam ab externis iniuriis læduntur. Terra ſurrexit in montes ab incluſo & fortiter propellente ſpiritu, [m] qui deinceps vacuum maiuſque ſpatium nactus, ibi frigore denſatus, poſt modum [n] à ſubiectis ignibus rarefactus, exitum quærens clauſtra ſua concutit, & inſolitas prius elationes punit abyſſis. Referunt [o] in Thebaïde locum reperiri vndè perpetuo manat ſalſus quidam humor, quem calor ſolis denſat in ſudes acutas quæ calceos terebrant; Illic itaque terra ſemetipſam inuiam, exaſperatam, ſterilem efficit, ex ſuis viſceribus effuſa qua lapideſcit materia. Similiter ex corporum noſtrorum corruptis humoribus, procedunt phlegmones, impetigines, Elephantiæ, cancri, febres, tot morbi, quibus caro deturpatur, putreſcit, moritur; aſſerit Galenus, [p] ſic ea, vnde conſtamus, corrumpi poſſe, vt induant naturam veneni, eoſdemque pariant effectus.

[l] Theophr. hiſt. plant. lib. 8. c. 10.
[m] Albert Magn. lib. 2. de propriet. elem. tr. 2. c. 4.
[n] Id. Meteor. lib. 3. 2 tit. cap. 16.
[o] Vitæ patrum lib. 2. in fine.
[p] lib. 6. de locis affectis.

Non pereunt roſæ, vel plantæ naſcentes, ſed tunc cum ſuam adeptæ plenitudinem exundat quod probè digeri non poteſt alimentum: Non memorant initio terras extitiſſe ſteriles, non horrendis motibus concuſſas, non halitu peſtifero contagioſas, ſed poſt plura ſæcula ſuperiorum influxu nimio monſtrificè ſuperfœtantes. Vacat adoleſcentia morbis innumeris quibus torquetur ob ſuam intemperantiam virilis ætas. Sic ſocietates omnes, ſic Reſpublicæ naſcentes, maximam ſeruare ſolent partium ſuarum concordiam, vt vires quas non habent ciuium numero, augeantur vnione; At vbi ſuum adeptæ ſunt incrementum, cuius partes omnes non ſunt ex æquo participes, quæ præualent, cæteras opprimunt, oppreſſæ coniurant vt ſuæ reſtituantur libertati, ita ciuile corpus vires ſuas in ſe conuertit, [q] tyrannide, factione, ſeditione, ciuili bello. Tyrannis eſt violentum vnius imperium, præter mores & leges: factio eſt paucorum aut plurium inter ſe coïtio, & cum aliis diſſenſus, cui origo à priuatis familiarum odiis & ambitione: ſeditio eſt multitudinis in principem aut magiſtratus ſubitus & violentus motus à plebis inopia, magnatum ambitione, impendentis pœnæ metu.

[q] Lipſius in Politicis.

Licet Romæ [r] Martis & Bellonæ templa fuerint extra vrbem ædificata, vt procul eſſet à ciuibus, ſeditionis, bellique ciuilis immanitas, tamen populus Romanus in ſe conuerſus [s] Marianis atque Syllanis, tandem Pompeij & Cæſaris manibus quaſi per rabiem furorem & nefas ſemetipſum lacerauit, creſcentibus cum imperij magnitudine vitiis. In ſe magna ruunt, lætis hæc numina rebus,

[r] Alex. ab Alex. lib. 2. c. 4.
[s] Florus lib. 2. cap. 19.

Creſcendi poſuere finem. Plurium ſæculorum experimentis conſtat, Deum infenſos ſibi populos ingratos, impios, per ſemetipſos delere, ſuis illos tradere cupiditatibus, vt ipſa qua ſunt abuſi fœlicitate pereant. Concurrere faciam, inquit,[t] Ægyptios aduerſus Ægyptios, & pugnabit vir contra fratrem ſuum, amicus aduerſus amicum, regnum aduerſus regnum, & diſſipabitur ſpiritus Ægypti in viſceribus eius, & conſilium eius præcipitabo.

[t] Iſay. 19.

Præſagium fuit [u] Philiſtæos ab Hebræis delendos, ex eo quod verſus fuerat gladius vniuſcuiuſque ad proximum ſuum; Regnum in ſe diuiſum deſolabitur, inquit Chriſtus Dominus; [x] quid enim ſupereſt ſpei, ſi quod iuuare debuerat, nocet; ſi victrix aliarum potentia, in ſemetipſam ſæuiat, ſemper victa etiam dum vna pars præualet alteri, magno quidem apparatu, ſed vt in funeribus lugendo. Propterea lauream, nec Senatus cuiquam detulit, [y] nec quiſquam ſibi dari deſiderauit ciuitatis parte lachrymante, prudenter enim cenſuerunt domeſtica mala non ſuperbè celebranda, ſed pudore triſtitiaque operienda. Paulò antè ſeditionem [z] Gracchorum ignis Æthnei æſtu tanta vi fauillæ oppleta eſt Sicilia, vt Catanenſis vrbis tecta obruta, & oppreſſa diruta ſint; ſic æſtuabat mare, vt pix nauium ſolueretur; quantum erat malum, quod tanto malo ſignificabatur. Prodeſt ignis ſubterraneus vt temperetur natiua terræ frigiditas, etiam ad terrenos ſpiritus emittendos quibus fiunt concretiones, producuntur metalla, ſaliunt fontes, vegetant plantæ, purgantur maria, ſurgunt vapores, fiunt pluuiæ camporum faciem fœcundantes; at vbi congeſta ſulphuris & bituminis copia maximis incendiis materiam præbuerit; horrenda vaſtitate & hinc ſterilitate conficitur tota regio, terraque hoc infœlici ſuo partu ſuffocatur.

[u] 1. Reg. 14.
[x] Math. 11.
[y] Valer. maxim. lib. 2. c. 3.
[z] D Auguſt. 3. de Ciuit. c. 23.

Quidquid concordiæ lex exigat à ciuibus, quidquid fingat accommoda moribus omnium vrbanitas, diſſident naturaliter, diuitum, ambitioſorum, inuidorum animi, non cohærent, & cum illos publica fœlicitas extulerit, diſſoluuntur, ruunt, ſicut in aceruum congeſti lapides, cum in certam altitudinem peruenerint. Ipſæ leges cum de rebus ſingulis volunt fieri, protenſa nimis ſua diuerſitate ſæpius in apparentem deueniunt contrarietatem, inextricabiles inducunt nexus, rabulis, malæque fidei opportunos vt iudicia diu pendeant, litigantes expilentur, & legibus fundata ciuitas legibus pereat.

In Eccleſia naſcente fidelium omnium erat cor vnum, & anima vna, & hac vnitate quam influit vnus Chriſti ſpiritus, vna in ipſum fides & charitas, de mundana ſapientia, potentiaque triumphum egit; At quia Diabolus [a] multos Deos non potuit facere Chriſtia-

[a] D.Auguſt. tract. 10. de diuerſ. c. 8.

nis, ſectas multiplicauit, errores diſſeminauit, hæreſes inſtituit, ſuperbos concitat in humiles; dignitate, diuitiis, ambitione prophana, tumentes Euangelicæ perfectionis ſectatoribus hoſtes conſcribit, ne luce veritatis eorum arguantur opera, ne dicatur & fiat; quod prædicare & facere renuunt. In futurum non quæro ſigna grauiſſimè laborantis & perſecutionem patientis Eccleſiæ, ex Apocalypſis, Reuelationum, vel Aſtreæ myſteriis: Iam conuellitur, & frequenti ſyncope maioris mali prænuntia laborat mater fidelium, tanto periculoſius, quo nobiliores ſunt partes ab inuicem diuiſæ, falſa pro veris, vitia pro virtutibus verbo ſimul & exemplo peſſimè populis influentes. Quid in terræ motu cuiquam ſatis tutum videri poteſt,[b] ſi mundus ipſe concutitur, ſi partes eius ſolidiſſimæ laborant, ſi quod vnum immobile eſt in illo, fixumque, fluctuat; ſi quod proprium habet terra perdidit, ſtare; quo cuncta ſollicita confugient, ſi ab imo metus naſcitur, & funditus trahitur; quod auxilium nobis ſupereſt ſi orbis ipſe ruinas agitet, ſi quod nos ſuſtentat, diſdiſcedit ac titubat? quid poteſt eſſe ſolatii, cum timor ipſe fugam perdidit? quæ poteſt inter Chriſtianos eſſe fidei, charitatis morumque diſciplina, ſi templi, ſi cœli columnæ[c] concutiuntur.

[b] Seneca lib. 6. natur. quæſtion.

[c] Iob. 9. 6.

Paracelſus[d] dicit fortunæ nomen commentitium eſſe, hominesque malorum aut bonorum ſuorum eſſe cauſas, prout prouidè ſe gerunt; Cadet, inquit, qui per abrupta nimis feſtinat, pungetur ſpinetis implicitus; ſol lucet omnibus, poteſt tamen in eius radio claudens oculos nihil videre; poteſt alius luce nimia circumfuſus obrui. Hominem ſuperna ſimul & infima connectentem, magnum miraculum vocat Triſmegiſtus, & hic excellentiæ ſuæ nimio ſenſu, poteſt imperantis ſibi Dei gloriam ambire, debitam illi ſubiectionem inficiari; hinc tranſiit ad nos peccati fomes, peſſima primi parentis ſucceſſione; hinc concupiſcit caro contra ſpiritum, & ſenſus deficit à ratione, deficit à Deo; hinc voluptati deditis quæ ſuperuacua fuerunt, fiunt neceſſaria, illiſque ſeruiunt, non fruuntur; hinc zelotypi pulchritudinis amorem vertunt in ſupplicium, & inſtar furentis Herculis, vxorem putantes hoſtem, trucidant. Hinc malitia[e] quælibet maximam veneni ſui partem bibit: venenum ſerpentes, in alienam pernitiem proferunt, ſine ſua continent, at vitiorum non eſt huic ſimile, nam habentibus peſſimum eſt; vt mare propter aquarum altitudinem, horrendè ſe ſuis vndis exagitat, vt ferrum cætera domans metalla propria ſe rubigine conficit, ſic iniqui turbantur, concutiuntur, pereunt vario cupiditatum ſuarum æſtu, eò maiore quo fuerit earum amplior materia, mercedem[f] quam oportuit erroris ſui in ſemetipſis recipientes. Iuſſiſti Domine & ſic eſt, inquit D. Auguſtinus,[g] vt omnis inordinatus animus ſibi pœna ſit;

[d] Lib. de bona & mala fortuna.

[e] Senec. ep. 81.

[f] Roma. 1. verſ. 30.

[g] 1. Confeſſ. c. 12.

Digitized by Google

cum habuerit quod concupierat [h] poſſidere non poterit, cum ſatiatus fuerit coarctabitur, æſtuabit, & omnis dolor irruet in eum. O Domine, exclamat Iob, [i] cur factus ſum mihimetipſi grauis, ſi peccem, recti conſcia mens id impunè non patitur, ſed ſemetipſam vt ream iudex ſæuiſſimè diuerberat; ſi quid rectè peregerim irrepit vanitas quæ debitam tibi Deo meo gloriam vindicat, ſic alleuans [k] alliſiſti me, vtrinque præuaricatio, vtrinque periculum, vel ſi non ſequor ſubleuantis manum, vel ſi dum ſequor, meum eſſe reputato, quod in me miſericors efficis. At certè Deus [l] intentator malorum eſt, ipſe neminem tentat, vnuſquiſque verò à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus parit peccatum; cum ipſe temporalium & æternorum particeps ordine peruerſo, hæret temporalibus velut æternis, in ſe diuiſus, partis inferioris ſeditione, ſuperioris abuſu miſerè concutitur, eo quod à principio ſuo diuidant & ſeparent illum, peccata.

[h] Iob. 20.
[i] c. 7. 20.
[k] Pſal. 101.
[l] Iacob. 1. 14.

INFERIORA DEFICIVNT, DEFICIENTE principiorum influxu.

Lex. 8.

EXpoſitis cauſis quibuſdam interitus, internis & ab exceſſu naſcentibus, rerum ordo deducit nos ad inquiſitionem externarum, quæ defectum inducunt mortalem. Inter illas occurrit prima præcipuaque, priuari principiorum ad exiſtentiam & actionem neceſſariorum influxu, ſic enim ſe habet partium mundi concentus, [m] vt inferiora pendeant, à benigna continuaque virtutis ſuperioris effuſione, qua ſublata depereunt. Communis eſt Philoſophorum ſententia, ſi ceſſaret cœlum à ſuo motu, ſimul motus omnes inferiorum deſituros; eorum influxu actioneque ceſſante, ſubito vitam omnem cum morte commutandam, ſicut tenebris obſitæ manent rerum omnium figuræ, nulli colores, cum ſol poſt occaſum lumen ſuum illis negauerit. Ita nox diei ſuccedens, hyems æſtati; plenitudini luminarium, Eclypſis docet nos per minimos defectus, quanta ſublunaribus incumberet calamitas, ſi talium principiorum abdicatione totali damnarentur.

[m] Vide ſupra lib. 1. l. 8. 9. 10.

Id manifeſtius apparet cum immediatæ cauſæ vis ſubtrahitur, ſucciſa ſua radice procumbit arbor, languent, cadunt folia; quæ prius

creſcebat, in dies deperit, ſicca, fragilis ad corruptionem diſponitur. Extra ſuum elementum exanimantur viuentia, nos extra aërem, piſces extra aquam; plantæ, metalla, lapides, non amplius capiunt incrementum, ſed externis pereunt iniuriis, dum à terræ parentis viſceribus, ſinuque diuelluntur. Fit apoplexia, quæ eſt repentinus motus & ſenſus omniſque animalis functionis priuatio, obſtructis cerebri meatibus ab humore craſſiore & obſtante ne vis eius diffundatur; ſucciſo neruo pars ſuperior cerebro ſpinæque proximior, viget adhuc, inferior autem, influxu ſuæ cauſæ priuata iacet immobilis; abſciſſo capite, cadit corpus truncum ſenſu carens, iam cadauer, citò putridum. Eſt pretioſus oculus, ſed ſi perſeuerat in corpore, nam auulſus, nec ſibi nec corpori lucet[n], debent quidem illi membra ſuæ lucis obſequium, ſed & ipſe oculus ſentit corpori ſe debere quod lux eſt. In Carinenſi [o] Hiſpaniæ agro fons eſt qui piſces omnes oſtendit aurei coloris, nihil extra illam aquam, à cæteris differentes; Vim, pretium, ſplendorem ſuum amittunt ſi diſcedant, rebelles à principe & Republica ſubditi, ab Eccleſia Chriſtiani, ab ordine ſuo Religioſi, abortiui ſunt, errauerunt ab vtero quo contineri, quo ferri debuerant, donec illos æternitati peperiſſet.

[n] Chryſolog homil. 132.
[o] Plin. lib. 2. cap. 103.

Quod cœlum efficit in elementari mundo, quod ſol in vegetabili & ſenſibili, quod radix in planta, quod cor, iecur, cerebrum in animali, quod aër reſpirationi, aqua piſcibus, id Deus præſtat vniuerſo, potiſſimum hominibus, in ipſo enim viuimus, [p] mouemur & ſumus. Cum ſit cauſa cauſarum, ſi vim ſuam ſubtrahat, cuncta deficiunt; ſic confitetur Propheta; [q] aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate, auertente autem te faciem turbabuntur, auferes ſpiritum eorum & deficient & in puluerem ſuum reuertentur. Bonitas immenſa inexhauſta, etiam ſapientiſſima adeſt omnibus pro modo naturæ ſuæ, [r] irrationabilibus inſciis etiam inuitis prouidet, at humanæ menti ratione præditæ bona ſua copioſius ſolet largiri cum in ipſum intellectu ſimul & affectu conuertitur. Vt ſolis lucem auris, manus, guſtus non percipit, ſed oculus ipſam apertus organoque rectè diſpoſito recipiens. Sacer, inquit Seneca, [s] intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſeruator & cuſtos, hic prout à nobis tractatur, ita nos ipſe tractat. Speculum purum à ſordibus & expoſitum ſoli, ſolem refert ſolis illuſtrantis beneficio, ſic ab inordinatis affectibus pura mens humana Deum capit, eius ſplendet radiis, virtute perficitur, vnde fœlicitatem Plato [t] conſtituit in ſapientia Religioſa, duabus enim inquit alis ſurſum eleuamur intellectione ſcilicet & voluntate, ſed diuino tantum illuſtrante & afflante ſpiritu, qui non niſi ab ipſo liberè deficientibus, deficit.

[p] Act. 17. 28.
[q] Pſal. 103. 28.
[r] Supra, lib. 1. l. 10.
[s] Epiſt. 41.
[t] In Phædone & axiocho.

Digitized by Google

Ab immenſo totum ſuum opus implente & ſuperante diſtantes tantum efficit affectata cæcitas & impuritas, & hæ peſſimæ conditiones dum nos diuidunt à ſummo bono, pronos efficiunt ad omne malum. Id vitare cupientes antiqui etiam idololatriæ temporibus, aſſiduam numinis cogitationem & reuerentiam profitebantur, ſic hebdomadæ diebus [v] dederunt nomina ſyderum quæ pro Diis habebant, imagines eorum in templis priuatim & publicè proponebant, ne ſubiret eorum obliuio. Nam quæcumque ſalutaria ſunt, [x] ſæpè debent agitari, vt non tantum nota ſint nobis, ſed etiam parata, nec enim repoſita illa eſſe oportet, ſed in promptu.

[v] Euſeb. Emiſen. hom. 11. de Paſcha.
[x] Seneca. epiſt. 94.

Viguit potiſſimum apud Iudæos aſſidua Dei memoria, velut ex eius defectu, ex ſui conditoris & liberatoris obliuione, omnis illos maneret calamitas. Ideo ſummus ſacerdos [y] tribus omnes in ſuo rationali præferens & velut vices omnium agens, nomen Dei aurea lamina ſculptum geſtabat in capite, idem ſignificabat iuge ſacrificium quod propriè dicitur dies feſtus domini, nam inquit Origenes, * non aliquando certiſque per interualla temporibus agenda Deo feſtiuitas, ſed ſemper & indeſinenter celebranda, vt ſine intermiſſione oremus, itaut aſcendat mane oratio noſtra ſicut incenſum in conſpectu eius & puræ manus à peccato, bonis operibus plenæ, ſint illi ſacrificium veſpertinum: Id etiam ſignificabat lucerna ſemper lucens in tabernaculo, ignis ſemper ardens in altari, & Deus præcepit poni fimbrias hyacinthinas in palliis, vt his viſis fierent memores mandatorum. Dauid Dei dona & hominum officia pſalmis ſuis celebraturus ſic exorditur [z] Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum ſed in lege domini voluntas eius & in lege eius meditabitur die ac nocte, &c. omnia quæcumque faciet proſperabuntur, non ſic impij non ſic, ſed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ: vbique ſperat firmitatem ab immobili, ſubſidium à montibus æternis, à prima luce lucernam ſuam accendi, qua viam ſuam dirigat in ambiguis huius vitæ; ab omnipotente ſcutum quo tegatur, mediiſque in hoſtibus illæſus maneat, à ſumma miſericordia dulcedinem qua ſicut adipe & pinguedine reficiatur. Hæc ſinguli verſus Pſalmi 118. commemorant, ſi deficiat cœleſtis illa lux, alimonia, protectio, erraui, inquit, ſicut ouis quæ periit; percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.

[y] Num. 15.
* Homil. 23. ſuper numer.
[z] Pſal. 1.

His omnibus adſtipulatur Eccleſia Catholica ſingulis diebus, pio celebrique eorundem pſalmorum cantu, ſic & auguſtiſſima cæremoniarum & templorum maieſtate, tympanorum altiſſimo concentu velut multitudinis Angelorum voce de cœlo miſſa, torpentes in rebus humanis excitat ad celebrandas Dei laudes, ſaltem in cordi-

Digitized by Google

bus ſuis, [a] ſine intermiſſione ſemper orantes. Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud, inquit Chriſtus dominus: Traiiciatur ergo in viſcera animæ tuæ, [b] tranſeat in mores tuos & in affectiones tuas; Ne obliuiſcaris comedere panem tuum, quod quotidianum à Deo petis, ne exareſcat cor tuum, ſed adipe & pinguedine repleatur anima tua; ſi ſic verbum Dei ſeruaueris, haud dubiè quin ab eo ſerueris, at ſi oblitus Dei creatoris tui, totus ſis in humanis rebus quid ſperare potes auerſus à luce niſi confuſionem, à vita niſi mortem. Dei ſalutiſque ſuæ negligens, mundo non Chriſto militans, viuit ſed in mortem, ſtipendia enim peccati mors, [c] gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu domino noſtro. Vbi nulla de Deo cogitatio, nullus amor, vbi nulla charitas, nulla ſpiritualis vita; vt nulla corporalis, extincto naturali calore: Anima tunc ſicut corpus mortuum primo frigeſcit, poſt induratur, tandem putreſcit; Miſeri tranſeunt aliquo modo in ſortem damnatorum, quibus priuari viſione & amore Dei æterna mors eſt.

[a] Coloſſ. 3. 16. 1. Theſſal. 2.
[b] D. Bern. ſerm. 5. de aduentu.
[c] Roma. 6.

His ita poſitis pudet referre quorundam opiniones dicentium; præceptum de diligendo Deo eſſe affirmatiuum & ideò non ſemper obligare, ſed ſemel tantum in vita & in articulo mortis. Præceptum hoc de dilectione Dei, ordine conuenientiſſimo, primum eſt, inquit D. Thomas [d] & omnium fundamentum, quia finis humanæ vitæ & ſocietatis eſt Deus, & ſic oportuit primo hominem ordinari ad Deum, & quia duo ſunt quorum beneficia nullus ſufficienter recompenſare poteſt, ſcilicet Deus & pater, ideo ſola duo præcepta affirmatiua ponuntur de cultu Dei & parentum. Affirmationem præcepti ſumit hic D. Thomas vt expreſſæ magis obligationis titulum ad actionem eliciendam; Tamen ſupradicti doctores trahunt hanc affirmationem in argumentum contemptus; præceptam enim Dei dilectionem ſic differunt, ſic habent indeterminatam & arbitrio noſtro relictam vt nulla ſit, ſicut conſtitutio principalis quæ eſt ſine die & conſule; ſub hac conditione ſi volam nulla ſit obligatio. [d]

[d] 1. 2. q. 100. a. 6.

Amandum decernunt Deum, tali ratione, qua ne vilis quidem homo ſe vellet amari, ſcilicet amabo te quando mihi placuerit: & ne quidem ſic licet inimicos diligere, ſuſpenſa & in articulum mortis dilata dilectione: ſi minus ſoluit [e] qui tardius ſoluit, plurimum detrahit de amore Dei illum reiiciens in calcem vitæ, non enim tantum minimum in imo, ſed peſſimum remanet; vt inutiliter relinquitur vſus fructus [f] rei pereuntis, vt arboris dum eradicatur, ſic vana videtur Dei dilectio dilata cum homo morietur. Hæc dilectio præcepta fuit ad totius vitæ directionem, & ordine fruſtrato, tunc exhiberi volunt, cum vita deſinit; finem volunt intendi, cum ad fi-

[d] l. 8. ff. de oblig. & actio. l. 17. ff. de verbo. obligatio.
[e] l. 12. ff. de verb. ſignif. ſic.
[f] l. 5. ff. de vſuf. legat.

nem ventum eſt, tunc incipiunt bene viuere, cum deſinendum eſt: Non ſic amor moras patitur, non differtur ad arbitrium, ſic conſultò dilatus, nullus eſt. Dicere Deo cogitabo de te, amabo te cum moriar, hoc eſt, per totius vitæ meæ tempus, tui negligens, tui oblitus, meis rebus vacabo, meis indulgebo cupiditatibus, & ſi ſors tulerit, expirans tui recordabor: certum, validumque tempus dant mundo, incertum, languidum; deficiens & iam nullum, Deo tunc totius præcedentis ætatis & propoſiti contumelia, obſtat gratiæ ad eliciendam in fine dilectionem neceſſariæ. Abſurdiſſimum eſſet aliorum affimatiuorum præceptorum obſeruationem ſic in extremum vitæ differre, vt dilectionem proximi, honorem parentum, eleemoſinæ præſtationem, cur ergo dilectionem Dei præceptorum omnium caput, obiecti dignitate, noſtri neceſſitate præcipuum, ad calcem vitæ reiiciunt?

Deus ratione infinitæ ſuæ perfectionis, etiam collati nobis beneficij, creationis, redemptionis, perpetuæ conſeruationis, perpetuò debet amari & coli, & impius eſt qui vitio ſuo tali non fungitur munere, licet in illum non peccet actuali blaſphemia, ſicut rei habebantur olim ſerui, [g] qui quotidie mane ſalue, veſperi vale domino non dixiſſent; libertini [h] qui ſingulis menſibus non veniſſent in domum domini parati ad præſtandas operas. Reus habetur miles non tantum ad hoſtes transfuga vt arma ferat contra patriam, ſed etiam ordinis militiæ deſertor, [i] & ignauia flagitioſa deliteſcens vt à bello ſe eximat. Impius eſt in parentes, non tantum qui violentas eis manus iniicit, ſed & qui debitum honorem non defert, hos enim [k] non amare impietas, non agnoſcere inſania.

[g] Sueton. in Galba.
[h] Plato 11. de legib.
[i] l. 11. Cod. de deſert.
[k] Seneca 3. de Benef.

Non ſufficit etiam hunc amoris actum differre, cum inſurgunt tentationes odij Dei, & eſt periculum illis conſentiendi; cum etiam eliciendus eſt actus contritionis, potiſſimum in mortis articulo, eo quod tunc magis vrget periculum ſalutis: Id doceret colendum Deum, non ratione ſui, ſed noſtri; non amore, ſed neceſſitate quod à charitatis perfectione multum deficit. Si tantum tenemur Deum amare, cum vrget tentatio illum odio habendi, rariſſimus erit hic actus amoris? quis eſt enim tam deſperatæ & diabolicæ peruerſitatis vt Deum oderit, potiſſimum cum ſupponatur de ipſo non cogitans. Igitur ex tali ſententia, his non occurrentibus caſibus, ſufficiet tempore medio habere ſe ad Deum indifferenter, quod diximus grauiſſimum eſſe peccatum omiſſionis, irritum efficiens præceptum affirmatiuum; Id abominatur Dominus, vtinam inquit, [m] aut calidus aut frigidus eſſes, at quia tepidus es, incipiam te euomere. Zelotem [n] ſe dicit totalis affectus noſtri quem exigit, non ergo patietur hominem ſic ſe habere erga ipſum, ſicut nec pater vellet erga ſe filium; dominus

[m] Apocal. 3. 16.
[n] Exod. 20. & 34.

Digitized by Google

dominus ſeruum, vir vxorem, princeps ſubditum, ſocius contubernalem pati.

Cum opinionis tam inofficioſæ proferunt pro fundamento diſtinctionem hanc præcepti affirmatiui, quod dicitur non obligare pro ſemper, conſulatur locus Deuteronomij [o] vbi habetur præceptum hoc, non de Deo odio non habendo, ſed de Deo diligendo, diligatur ergo ex præſcriptis verbis præcepti. Hæc autem ſunt, diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens, & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & mouebuntur intra oculos tuos, ſcribeſque ea in limine & oſtiis domus tuæ. Non poterat Dei memoria dilectioque magis commendari, quam cum dicitur cordi infigenda, vt tam frequens ſit quam reſpiratio, iuxta illud [p] os meum aperui & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam; cum adiicitur hanc cogitationem & dilectionem omni loco & tempore eliciendam multis hinc inde ſignis refricandam. Cum dicitur ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine, aſſiduam mentis attentionem, cordis dilectionem, operis impletionem pro viribus ſignificat. Fundus totus meus eſt, [q] cuius nulla pars eſt alterius, ad Deum igitur non pertinebit totum cor, tota mens; ſi partem eius maximam, diuturnam ſibi vindicet mundus, ſi mentis cogitationes, ſi cordis affectus, occupet iure ſuo, ad Deum autem non teneamur conuerti niſi certis in caſibus, velut per exceptiones, & ex neceſſitate ſupra legem poſita.

[o] Deuteron. 6 5.

[p] Pſal 118. v. 131.

[q] l. 25. ff. de verbor. ſignificat.

Talibus qui diuinum amorem certis alligant conditionibus & temporibus liceat dicere, quod olim dixit Iudith [r] his qui hoſtibus ciuitatem ſtatuerant tradere niſi veniſſet auxilium intra paucos dies; poſuiſtis vos tempus domino, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei; totum petit, partem offertis, etiam minimam, incertam, ferè nullam, bonorum omnium in hac vita, beatitudinis in alia largitori; Non dat totum cor, qui non dat toto, ſed breui determinato tempore, vt non videntur eſſe fundi [s] quæ ad tempus ibi ſunt, & minori anni tempore. Quis credat Deum à contemplatione & amore ſui nunquam ceſſantem, homini ad imaginem ſuam formato præceptum dediſſe de dilectione ſui non perpetua, ſed temporaria & ex occaſione, vt aliquando velit non amari, qui ſemper ſummè bonus, ſibi nobiſque ſummè ſemper diligendus eſt; Numquam ab amore ſui vacat homo, igitur nunquam vacare debet ab amore Dei, quem pluſquam ſeipſum debet diligere.

[r] Iudith. 8. 13.

[s] l. 44. ff. de leg. 3. 4. ff. de inſt. vel inſtr. leg. l. 18. §. 12. eod.

Miror cur ex eo quod certum tempus non videtur aſſignatum

Digitized by Google

huic præcepto, audeant Doctores eius obſeruationem ſic limitare, ſic differre, cum ſit hæc certiſſima iuris regula, in omnibus [t] obligationibus in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur: æterno ſupra tempus poſito Deo, ab æterno nos amanti, ad æternitatem promouenti, omni momento, iuuanti, conſeruanti, perficienti perpetuum debemus amorem & cultum, ſed miſericors compatitur infirmitatibus noſtris, nec apud eum rei ſunt ſinguli niſi cum attentis naturæ ſuæ viribus & auxiliis gratiæ, debitum torpente ſimul & affectata negligentia non exoluunt. Nihil iubet Deus ſupra vires, & quæ apud homines impoſſibilia ſunt, apud ipſum ſunt poſſibilia. Vult amari, quid amore facilius, quid dulcius ſi detur obiectum modis omnibus amabile. Amor non eſt ad actionem intentio quæ diuidat, onus quod tardet, ſed incentiuum quod fert, impellit & delectat; eſt in anima quod eſt ſpiritus in animalis corpore, qui quo plus abundat, motus faciliores efficit. Dicitur inquit D. Dionyſius, [u] præpotens rerum omnium prima diuinitas, quod expetenda amandaque ſit omnibus, & iugo voluntario omnia coërceat, eiſque dulces partus diuini ac præpotentis rerum omnium, & indiſſolubilis bonitatis ſuæ, amoris offundat. Memor fui Dei, & delectatus ſum, inquit Propheta; [x] ſicut deſiderat ceruus ad fontes aquarum, [y] ita deſiderat ad te anima mea Deus. Amanti dulce eſt, & graue ſupplicium eſſet à Dei cogitatione & amore vel minimum diuelli.

[t] l. 14. ff. de reg. iur.

[u] De diuin. nominib. cap. 10.

[x] Pſal. 76. 4.

[y] Pſal. 41. 2.

Si quando id exigat humanæ vitæ fragilitas & neceſſitas, amor tamen ad breue tempus interruptus, cum ſit habitualis, continuus cenſetur, ſicut ſemper apertus ad lucem oculus, licet ſucceſſiuè claudat palpebras, vt naſcentem ex luce calorem humido ſuo contrarium temperet; ſic breui reuerſa vxor [z] diuertiſſe non videtur; qui debet cum aliquo eſſe, [a] non tenetur cum eo omni momento morari. Vir bonus ſic tranſit per bona temporalia vt non amittat æterna, videt ſimul lucem & colores, Deum & agenda, inferiora contingens ſuæ non minus hæret origini; ſi quando diffluant cogitationes ſuæ, omni hora, ſaltem omni die colligit illas, in Deum niſu maiore rediens defectum celeritate compenſat; gratias agit in proſperis, in dubiis lucem petit, in aduerſis auxilium, vt Abraham ambulat coram Deo, & viuus in corde fomes charitatis, etiam ex improuiſo ſcintillas ſuas emittit.

[z] l. 33. ff. de ritu nuptiar.

[a] l. 8. ff. de conditio. & demonſt.

Memorati doctores fauere putant hominibus terrenis cupiditatibus implicatis, dum abſoluunt illos ab hac Dei meditatione & dilectione, ſed rerum diuinarum ignari, debilitant animas, & ad quodlibet rectum opus inhabiles efficiunt ſublato Dei ſenſu, dum leuare volunt aggrauant, vt qui totum ſanguinem duceret è corpore, quo fieret ad iter peragendum leuius; qui præſcinderet alas aui, rotas

Digitized by Google

currui, velut oneri futuras; qui ab omnibus actionibus naturæ voluptatem eliminaret, velut attentionem & vires efficeret partitione minores: Præceptum amoris Dei, ex D. Thoma, [b] eſt vt finis cæteras dirigens actiones, ad hunc igitur toties debet homo recurrere, quoties mechanicus ad circinum & regulam, pictor ad prototypum, rector nauis ad magnetem: qui ſub ſpecie libertatis à Dei dilectione fit alienus, exponitur dæmonum tyrannidi, cupiditatum tempeſtatibus, amittit maximum præſentis vitæ ſolatium, futuræ beatitudinis ſpem; quid enim viros bonos prudentes forteſque facit in aduerſis, niſi quod ſumma erga Deum reuerentia prouidentiæ ſuæ cuncta regentis ordinem læti ſequuntur, affectu ad omnia parato præueniunt; iamque præmium putant, aliquid in amoris ſui probationem, perpeti.

[b] 12. q. 100. a. 6.

Quantumcumque ſuis cupiditatibus ſeruiant mundani, ſæpius ingemiſcunt ſe, non vt debent, de Deo cogitare, ab eius amore, terrenis paſſionibus, velut quibuſdam procellis diuelli; hæc dilucida interualla pœnitentiæ fructus aliquos operabantur, & ſpes ſupererat diuina dulcedine refectos humana tandem aliquando faſtidire: concupiſcunt cum Propheta [o] deſiderare iuſtificationes Dei, ſic in ipſis iam eſt, quod in amore ſuo eſt, [p] habent aliquid eius quod quærunt licet eo pleniſſimè non fruantur: at vbi Doctores langueſcentibus, vt ægris medici nimium indulgent, cum hæc in publicum profertur, opinio rebus mundanis implicatos attenta vitæ ſuæ conditione, non teneri ad actus amoris Dei, niſi ſemel in vita, & in mortis articulo, ſolutis habenis conſcientiæ ruunt in omne nefas, & quia Deum non habent in notitia, [q] tradit illos Deus in reprobum ſenſum vt faciant ea quæ non conueniunt, vnde perpetua mentis cæcitas, peruerſitas, conuulſio, motus ſenſuſque priuatio, mors; O Deus [r] à quo auerti cadere, in quem conuerti reſurgere, in quo manere conſiſtere eſt; Deus à quo exire, emori; in quem redire reuiuiſcere, in quo habitare viuere eſt; Deus quem nemo amittit niſi deceptus, quem nemo quærit niſi admonitus, quem nemo inuenit niſi purgatus: Deus quem relinquere hoc eſt quod perire; quem attendere hoc eſt quod amare, quem videre, hoc eſt quod habere.

[o] Pſal. 118. 20. D. Auguſt. ibid.
[p] D. Bern. in ſoliloq.
[q] Roman. 1. 28.
[r] D. Auguſt. 1. ſoliloq. c. 1.

Digitized by Google

PERIT ACTIO VITAQVE MEDIIS ad conſeruationem neceſſariis deſtituta.

[r] Vide ſupra lib. 2. l. 3. 4. & 6.

Lex 9.

[s] Vide ſupra lib. 1. l. 8.

INeſt cauſis vniuerſalibus vis quædam inexhauſta, quæ damnum largitione non patiens, ſed ſplendidiorem ex effectis ſuis amplitudinem nacta, æqualiter [s] in id omne quod illam capere poteſt diffunditur: quod ergo deficit in quibuſdam inferioribus id illi non eſt imputandum, ſed ſubiectis ad illam excipiendam imparatis, vt eſt oculus cæci ad ſolis lumen, rupes ſub cœli pluuiis & rore ſemper infœcunda, ſub his dulcibus mare ſemper amarum: pendet igitur ſuperiorum & imperantium cauſarum effectus à medij & recipientis conditionibus. Ita fit vt in actione naturali duo ſemper concurrant [v] facultas animæ & organum; facultas animæ non deficit, ſed organum, vnde ſenex videret vt iuuenis, ſi haberet oculum iuuenis, & cum ſingulæ corporis actiones pecularia ſortiantur organa quibus eduntur, actionem lædi neceſſe eſt inſtrumento ſuo grauiter læſo. Non datur, quia fruſtra foret, corporea ſubſtantia ſine accidente; corpus debitis ſuæ ſpeciei organis mutilum, monſtrum eſt inauſpicatum, nec diu viuens, ſi recta conformatio partium internarum defuerit.

[v] Galen. lib. lib. 1. de locis affectis.

A natura didicerunt artes ſingulæ præmuniri propriis & ad opus ſuum accommodatis inſtrumentis, quæ ſi vitientur aut omnino deficiant, in actum ſe proferre non valentibus ideis, vix peritum ab imperito diſcernes: quid aget maria ventoſque toties expertus nauta, ſi deſit nauis? quid nauis velis, remis, cæteroque ſuo apparatu deſtituta? quid aget dux ſine milite, & omni bellico commeatu, Princeps ſine miniſtris, Reſpublica ſiue ciuibus tali numero qui poſſint iura ſua tueri & publicis fungi muneribus? vnde ſi poſt magnas clades, vt poſt diluuia, peſtes, bella, hiatus terræ, tam pauci ſuperſint qui populum facere non valeant, [x] non competit illis antiquum ius populi; Infauſtum & interitus ſignum erat, cum in immolatis hoſtiis eæ partes deerant ſine quibus animal non poteſt viuere,

[x] Seneca. epiſt. 92. l. in bello. §. ſi plurium ff. de captiu.

Mortem nihil aliud infert quam organorum defectus, cum vel ſenio tabeſcunt, vel accelerata vi perimuntur, vt vulnere quo fit vnitatis ſolutio; obſtructione, officiales operas præpediente; vel ſi corrumpantur qualitatis inconuenientis affluxu. Ictus ſuos imme-

diatè nemo dirigit contra formam ſubſtantialem quæ non videtur, non tangitur, ſed ſatis illam perimit deſtruens accidentia ſine quibus nec eſſe poteſt, nec operari. Qui non poteſt comam arboris attingere, ſternit illam acciſo cui innitebatur trunco, vel auulſa cortice ſub qua fluit alimentum, exſiccatam, emortuam ventis procelliſque relinquit deiiciendam, ſuffoſſis fundamentis momento ruit ingens ædificiorum moles; ſic occulta & pernitioſius accelerata machinatione qui directè non audent in Rempublicam, in Principem deſæuire, miniſtros aggrediuntur, & erutis regiminis oculis, præciſis manibus & poplitibus truncum & inerme corpus ſperant facilè ſpoliandum.

Et miraris ſi reus maieſtatis habetur [y] qui peccat in magiſtratum publicum, læditur enim princeps in miniſtro, grauior videtur iniuria quæ ſubrepit, & iuſtitiæ titulo mutilum efficere conatur imperantem. Cordis ſubſtantia [z] nullo penè morbo tentatur, ſed dicitur cor ſanum eſſe aut dolere, cum partes quæ circa illud ſunt, benè aut male ſe habent, vt pericardium, nam illo inflammatione affecto cor conſortij lege afficitur, læſis etiam arteriis ab ipſo pendentibus laborat ſyncope; pia mater vltima cerebri membrana ita tenuis eſt, vt non poſſit lædi niſi ſimul lædatur cerebrum. Medullæ ſpinalis à cerebro fluentis perinde ac ipſius cerebri vulnus lethale eſt, vtriuſque vitium facilè communicatur læſo neruo, venarum mala redundant in hepar, arteriarum in cor, fitque morbus per conſenſum. Dicunt martem in geminis, pulmoni dominantibus & domo Mercurij, efficere pulmone laborantes, & tam mercurium lædere, lædens domum ſuam quam ſi eſſet ipſimet coniunctus. Pari ratione princeps illatam miniſtris ſuis iniuriam ſuam reputat, & eo quod ad tale crimen prona naturaliter [a] eſt, turpis timidaque ſubditorum inuidia, ſeuerius videtur vindicanda.

[y] l. 1. ff. ad l. Iul. maieſt.

[z] Galen lib. 5. de locis affectis. c. 1.

[a] l. 16. in f. ff. de pœn.

Inde miror Imperatoris Conſtantini decretum [b] quo prouocabat omnes, propoſitis etiam præmiis, ad accuſandum Palatinos & in quacumque dignitate poſitos, ſi quid non integrè ac iuſtè feciſſe videantur, ipſe me vindicabo, inquit, de eo qui me vſque ad hoc tempus ſimulata integritate deceperit. Id prodeſſe poterat ad miniſtros metu in officio continendos, inter tot ipſos circumſpicientum cenſuras; & ad probandam Principis in eorum electione diligentiam. Sed non ſatis tuta cenſeri debet dignitas tot inuidentium calumniis expoſita, ſemel impetita ſuſpicione non vacaret, nec ſatis eſſet integra pudicaque de qua quæreretur. Melius poſtea conſtitutum eſt ad inuidiam nulli nocere dignitatem, [c] nec ex ſenatoria vel alia dignitate, præſumi dolum vel metum inferri; In ius vocari non poſſe, [d] Magiſtratus, Pontifices, Religioſos, iudices dum

[b] l. 3. Cod. Theodoſ. de accuſation.

[c] l. 6. Cod. de his quæ vi met. cau.

[d] l. 4. 6. & & ſeqq. ff. de in ius vocan. l. hos accuſare ff. de accuſat.

Digitized by Google

ius dicunt; Non admitti preſbyterorum aduerſus Epiſcopum accuſationem, ſeuerè puniendos qui audent de patriarcha publicam & contumelioſam facere mentionem. Tandem Laici[e] aduerſus epiſcopum accuſationem non admitti.

[e] 2. q. 7. can. non eſt à plebe.

Eccleſiam à Chriſto domino inſtitutam, perpetuam paſtorum à Petro ſucceſſionem, conuicti negare non poſſunt hæretici, tamen vt hanc vnicam dilectamque Chriſti ſponſam infament, in eius miniſtros debacchantur; illique contumeliam inferre tentant ex Pontificum morali vita non ſatis probata: hac temeritate fiunt contra ius antiquum rei, Dei veritatem immortalem, ex mortalium moribus æſtimantes; quaſi verò per lapideum canalem non tranſeat aqua in areolas quas efficit fertiles, quamuis in canali lapideo nihil generet; lux per immunda tranſiens pura manet & illuminat; valent iuſta principis decreta, nec inquiritur in mores præconis illa publicantis: ita licet hæreticis concederetur, aliquos non probatis moribus in Eccleſia miniſtraſſe, non valet à moribus humanis ad diuinam doctrinam conſequentia. Chriſtus Dominus[f] loquens de Phariſæis, facite inquit quæ dicunt, at quæ faciunt nolite facere.

[f] Math. 23. 2.

Non miniſtrorum tantum ſed & cæterorum mediorum ſalutis priuatione deiicere, nullamque conantur efficere Catholicam Eccleſiam; Nam vt conſtitutos à Deo prælatos non agnoſcunt, ſic acceſſum ad ſacramenta gratiarum fontes vel negant, vel differunt in tempus intra quod langueſcens tandem pereat fides & charitas: Inſuper contrariis opinionibus mentes diuidunt, pugnantes efficiunt filios contra matrem impietate, ſeditione, ſpiritualium alimentorum inopia, ſanctorum turbata, ruptis fœderibus, præpeditis auxiliis, communione, ſperant ſe ciuitatem hanc ſanctam à Deo fundatam, velut obſidione generali dileturos; ſed cautiores nos efficere debent, nota nobis hoſtium noſtrorum conſilia, ſeruent ſanctitatem quam nomine & veſte præferunt, quam Deo & hominibus promiſerunt prælati, ſint vnanimes in dilectione, in fide Catholici, ſit apud illos frequens ſacramentorum vſus, ſaluis hiſce mediis à Chriſto inſtitutis ſtabit nouis quotidie profectibus accreſcens Eccleſia ad finem vſque ſæculorum, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.

Digitized by Google

VITIAT ET CORRVMPIT DISSIMILIVM approximatio.

Lex. 10.

ANtiqua mortalium eſt querela, hoc in rerum medio vbi bonis mala permixta ſunt, [g] inæqualem prorſus eſſe partis vtriuſque ſortem, cum bona licet aſſiduis laboribus perquiſita vix poſſint comparari at mala facilè nos & quæ nobis gratiſſima ſunt, inficiant, non cogitantes etiam inuitos obruant; parum abſynthij amaritudinem ſuam melli celerrimè communicat, [h] cum contra mel ne dupla quidem parte copioſum, dulcedinem ſuam non det abſynthio; paruo lapide ſummoto flumen totum in pronum trahitur, eiuſdem autem impetus firmiſſimo licet aggere non poteſt contineri; parum aceti, amphoram vini vitiat, at parum infuſo vino non dulceſſit acetum; Non ſic habetur ſanitas ex aëre ſalubri, ſicut morbus contrahitur ex contagioſo, non ſic ſanitatem ex ſano, ſicut ægritudinem ex ægro lippiente, leproſo, epidimico trahimus. Benè ſe res haberent noſtræ, inquit Plato, [i] ſi ſapientia talis eſſet, vt in vacuum hominem ipſo contactu proflueret, quemadmodum aqua ex pleno calice in vacuum per lanam influens; at nunc faciles ſumus in vitia & vt ſiccæ ſtipulæ, ignem hunc nos conſumentem mox concipimus, licet nos in contrarium longa præmunierit eruditio.

Non eſt propterea conſentiendum Manichæis [k] conſtituentibus duo rerum principia, vnum boni, aliud mali, quod in regione corporum & tenebrarum, velut ſua, ſpiritui lucique præualet. Nam ſi mundus hic ſenſibilis ſubiiceretur mali principij dominio, rerum ordinem & pulchritudinem confuſione, exiſtentias & actiones priuatione iam pridem deleuiſſet. Diſſimilium igitur conſortiô facilius malum quam bonum contrahitur, quia bonum eſt ex integra cauſa, malum autem ex quolibet defectu, at facilius eſt inferre pauca quæ vitient, quam multa & omnia quæ ſecundum naturæ leges eſſentiam compleant. Cuiuſlibet compoſiti partes ſponte ſua tendunt ad diſſolutionem [l] nec niſi per formam, cœleſtis, vt dicunt, originis, in æquabili mixtione continentur; ab illa ſi deffluant, mutua qua ſe ſemper impetunt pugna, vel agentis externi ſubſidio, vt ſi bilis in aliquo iam exundans, ſolis ardore vel motu ſupra modum violento

[g] Vide ſupra lib. 1. l. 10. §. 3.

[h] D. Greg. Nazianz. orat. 1.

[i] Dialogo de amore.

[k] D. Tho. 1. q. 8. a. 3.

[l] Vide ſupra hoc lib. 3. l. 1.

exæſtuet, duplicata vis facilius cadit à mediocritate, quam in illam reſtituitur, vt grauia pondere ſuo & externa vi tracta, facilius cadunt in præceps, quam inde ſubleuantur; domus facilior eſt ruina quam conſtructio, nam ars lignis, cæmento, lapidibus vim intulit vt in eo manerent ordine; hunc autem ſi vis externa contrariaque concutiat, illi partes ponderibus ſuis vltro conſentiunt, vt in ſuam reſtituantur libertatem.

[m] Philo. lib. de temulentia.

Quanto igitur difficilius eſt [m] certa ratione incedere quam caſu vagari; aſcendere quam deſcendere; aggredi noua, quam conſueta tractare; attingere punctum circuli medium, quam in alia quælibet puncta quæ innumerabilia ſunt, incurrere; ſcopum ipſum ſagitta percutere, quam quæ circumſtant; tramitem ſulcumque ſeruare; quam hinc inde præuaricari; rectum ad amuſſim tenere, quam dilabi in obliquum, tantò difficilius eſt rectè agere quam delinquere, bonum eſſe quam malum; Vt rectum teneatur pauci benè dirigent, ad auertendum omnes etiam impreſſo minimo motu ſunt validi. Virtus in mediocritate conſiſtens abſtinet ab exceſſu & defectu, ſimul ab innumeris erroribus qui ad has declinant extremitates, ita difficilior eſt maximè ſi ſub tantis oneribus animum iam laborantem confundat & opprimat malorum contubernium: hinc olim actio malæ conuerſationis publica fuit, & Cretenſes hoſtibus ſuis nihil grauius imprecabantur, quam mala conſuetudine delectari. Naſcentibus anima velut tabula raſa, quoſlibet colores excipit ex cæterorum conſortio, vnde non innato, ſed audito ſermone loquimur, non indita naturaliter, ſed multis actibus comparata virtute præſtamus, [o] à more & conſuetudine moralis dicta; Corruptæ tamen naturæ liberior eſt ad res ſenſibiles impetus, maximè ſi non deſint qui nos ad illas exemplo ſuo & comitatu faciant audaciores.

[n] Diodor. ſicul. bibl. hiſtor. lib. 2.

[o] Ariſt. moral. nicomach. lib. 2. cap 1.

Ex mali conſortio ſani laborant, ſanati recidiuam & interitum patiuntur.

§. 1.

RES integras mali contagione vitiari, cœlo, terra, mari ſuis omnibus partibus natura teſtatur velut conclamatione publica moneat nos periculum hoc maxima cautela fugiendum. Indifferentes planetæ infortunis coniuncti patiuntur maximam virium iacturam & quinque teſtimonia debilitatis: quid aër lacuum & terrarum halitu peſtifero vitiatus inferat damni totus orbis ingemuit, populis peſte grauiſſima conſumptis in annis Chriſti 170. 189. 454. Exhalationes ſiccæ

ſiccæ & aduſtæ, marinis aquis permixtæ, reddunt eas ſalſas & amaras; puteales iniucundas & inſalubres; Lipidiſſimi fontes putreſcunt ſi deriuentur in cloacam : fungi ſunt mortiferi, ſi iuxta ſerpentis cauernam oriantur: quidam mortui ſunt [p] apponentes ori, vel edentes ſaluiam, licet ex ſe ſalutiferam, quia ſub ea bufo teterrimus degebat, & eam infecerat ſuo veneno. Mare mortuum & lacus Aſphaltes in quo fuit olim Sodoma & Gomorra, non ſolum piſces non nutriunt, ſed malignis ſuis vaporibus terris circa ſe poſitis perpetuam inferunt ſterilitatem. Plurimi corporis noſtri morbi fiunt per conſenſum, parteſque alioquin ſanæ morbos aliarum in ſe transferunt, fitque ex ſympathia, idiopathia. Infinitum eſt ſimilia recenſere cum in fructibus, in gregibus ab vno in plures malum graſſetur, & multiplex corruptio fiat per contactum vel approximationem contrarij.

[p] Mizald. aphor. 1. cent. 1.

Idem contingit in moribus qui vt inter bonos lento vixque ſenſibili profectu mutantur in melius, ſic malorum conſortio deprauantur, ſed celeri corruptione cum in illam inclinet mens humana, propter latentem in ipſa peccati fomitem, excitari, & in flammas aſſurgere facilem. Naſcimur ad imitationem proni, hæc enim rationi ad electionem nondum maturæ via facilis, præcedentium veſtigiis trita, ſecuramque promittit hæc ipſa quæ natu maioribus & populi totius exemplis habetur fides. Sic pecorum ritu plerique ſequuntur antecedentium gregem, pergentes non quo eundum eſt, ſed quo itur, viuuntque non ad rationem, ſed ad ſimilitudinem. Hærebit tibi auaritia, [q] quandiu auaro ſordidoque conuixeris; hærebit tumor quandiu cum ſuperbo conuerſaberis, nunquam ſæuitiam in tortoris contubernio pones, incendent libidines tuas adulterorum ſodalitia, ſi velis vitiis exui, longè à vitiorum exemplis recedendum eſt. Vnde cenſorum munus erat curare vt qui venirent in vrbem ſtudiorum cauſa, honeſto & omni ſuſpicione vacante domicilio reciperentur. Deus prohibet Iſraëlitas inire fœdus [s] cum gentibus ne mores eorum & prophanos cultus induerent, ſicut filij Seth corrupti fuerant per coniugia cum cognatione Cain inita. Draco ille antiquus [t] tyrannorum antiquorum more viuos cadaueribus alligat, donec cum illis putreſcant.

[q] Seneca epiſt. 104.

[r] l. 1. Cod. Theod. de ſtudiis liberalib.

[s] Exod. 23.

[t] Clemens Alexandr. in exhortat. ad gentes.

Si probos etiam & virtute validos inficit malorum ſocietas, multo magis eos qui nondum ſatis confirmata valetudine nuper à vitiis receſſerunt; hæc enim conuerſatio bene compoſita diſturbat, reuocat præteritos affectus, & quidquid imbecillum in animo, nec percuratum eſt, vlcerat: ignem paſſus carbo, & ab extinctione fumans adhuc candela facilè reaccenditur. Morbi magis oriuntur & exacerbantur [v] in temporibus cum quibus habent affinitatem: Vertiginem

[v] Hypocr. aphor. 19. lib. 3.

excitant iis qui illi ſunt obnoxij rotarum circumactus, & aquarum vortices. Aggrauari dicunt [x] vulnera introitu eorum, qui vnquam fuerint ſerpentis caniſue dente læſi; iidemque gallinarum incubitus, pecorum fœtus abortu vitiant; tantum remanet virus excepto ſemel malo, vt venefici fiant, venena ſemel paſſi. Facilis igitur eſt nouiter conuerſorum corruptio in malorum conuerſatione, cum vtrique ad id diſpoſiti ſint, hi ad fundendum peccati virus, illi ad excipiendum. Ideo ſi plures ſimul milites deſeruerint, [y] deinde intra certum tempus reuerſi ſint; gradu pulſi, ſunt in diuerſa loca diſtribuendi. Ex manichæo factus orthodoxus [z] ſi inuentus ſit conuerſari cum Manichæis capite punitur, quaſi teſtaretur ipſa conuerſatione relapſum in hæreſim, & apoſtaſiam hypocriſi deteſtanda cumularet. Ardent titiones mutuo ſibi communicatis ardoribus; mali ſicut ſpinæ ſe complectuntur, [a] vix diſſoluenda tot tenacibus articulis implicata connexione.

x Plin. lib. 18. c. 3.

y l. 3. § 9. ff. de re milita.

z l. 16. Cod. de hæret. & Manich.

a Nahun. 1.

Cum inter vtrumque ſexum innatus ſit amor, [b] cuius ardorem nulla vitæ conditio, nullum melioris boni propoſitum, ætas nulla penitus extinguat, fomiti materiam præbet, flammas flabello ſuſcitat familiaris viri mulieriſque conuerſatio: Illam ideò canones maxima cautela prohibent hominibus Deo ſacratis, quaſi non ſit integritas ſatis tuta in hoc ſuſpecto contubernio; [c] renouatur enim facilè cupiditas, citò rebellant affectus, ſub ſpecie dilectionis ſpiritualis irrepit ſenſualis; qui ſpiritu cœperunt, carne conſummant, alligabit enim quis ignem in ſinu ſine combuſtione? quid oras quotidie non induci in tentationem, cum illius te quotidiano periculo ſubiicias, tibi & in proximo, propter ſcandolum, periturus. Sancti, licet cum ſanguine coniunctis mulieribus, cum matre cum ſorore, habitationem ſatis tutam, ſatis ſanctam non exiſtimarunt; domicilliis ſeparari melius eſſe, quos ſeparatim natura conformauit ad primum integritatis documentum, nam gemellos [d] diſtincti ſexus diuerſis & ſeparatis includit ſecundinis.

b Vide ſupra lib. 1. l. 15. §. 3.

c Vide digeſtum ſapiēt. tit. differentia minoritatis. Suſpectum contubernium.

d Fernel. Phyſiol. lib. 7. c. 12.

Conſtat Chriſtianis omnibus interdictum eſſe ſtuprum & adulterium, ita tenentur vitare conuerſationes ex quibus naſcitur graue periculum in tale crimen incidendi, maximè poſtquam metum hunc iuſtiſſimum effecit infirmitatis ſuæ conſcia mens. Luxuria vincitur fugiendo, [e] vt accidia & cætera vitia reſiſtendo; glorioſa fuga eſt, quæ fugit à facie peccati, vincimus enim hoſtem fruſtra nos in inſidias deducere conantem. D. Gregorius Nazianzenus [f] conqueritur quod leproſi vrbibus, ædibus, foro, conciliis, viis publicis, conuiuiis eiiciantur, cum tamen admittantur flagitioſi, & melior ſit apud homines vitii, quam morbi popularis conditio. Eadem nobis hodie contingit doloris cauſa, quod fugiant potius homines damnum tem-

e D. Thom. 22. q. 3. a. 6. ad 3.

f Oratio. 16.

Digitized by Google

porale quam æternum, cum ſæuit in vrbe peſtis & ingentem demetit ciuium multitudinem, fugit diues ad rura, lites, commercium, chariſſimorum ſocietatem deſerit, vt ſanitati ſuæ conſulat; Cur non idem fit? cur non deſeritur quodlibet temporale commodum? cur non ſoluitur quælibet humana ſocietas, ſi ſalus animæ periclitetur? Cur Doctores quidam aſſerunt hominem non teneri vitare ſuſpectum contubernium, quamuis proxima ſit occaſio peccati, cum id fieri non poteſt ſine graui ſtatus & bonorum iactura. Ita ſolent ſemper in fauorem temporalium bonorum reſpondere neglecta ſpiritualium & æternorum cura, qua ratione id fiat neſcio, poſitis Chriſtianæ fidei fundamentis.

Dilectio Dei ſuper omnia, & mandatorum eius obſeruatio vnum eſt neceſſarium, cuius comparatione cætera pro nullis habenda ſunt: Chriſti domini oraculum eſt, qui ſe ſuaque plus diligit quam me, non eſt me dignus [g] quid proficit homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? [h] ſic abominationis vrgente periculo, iubet ſanctos [i] ad montes confugere, & non tollere aliquid de domo ſua. Cœleſtis doctor, prima veritas, docet bona temporalia ſic vili habenda, vt pro implendo conſilio ſint abiicienda, quantò magis cum agitur de impletione præcepti, & quidem negatiui vt fatentur ſemper obligantis & exceptionem non patientis. Iubemur fugere à facie colubri; quis pretioſa licet, inter viperas & aſpides poſita, nuda manu vellet auferre, cum certo mortis periculo? & quis niſi cui vilis anima ſua, ſectabitur temporale commodum in ſuſpecto contubernio, validas etiam mentes inficiente: qui amat periculum [l] peribit in illo; Iam perit ipſo diuinæ vocis admonentis contemptu; perit ipſa ſalutis ſuæ incuria & proſtitutione; perit cum ſectatur bonum temporale pretio ſuæ ſalutis, quæ temporalium omnium abdicatione comparari debuerat; abdicans & ſeruire faciens humanis diuina, ſpiritualia corporeis, temporalibus æterna.

[g] Math. 37.
[h] Luc. 9. 25.
[i] Math. 24.
[k] Eccleſ. 21. 2.
[l] Eccleſ. 3. 27.

Fortè dura videretur hæc periculoſæ ſocietatis humanæ diſſolutio, ſi tota vitæ ſubſidia tolleret, mortem inferret, vt cum Malchus Monachus, ſeruus effectus, [m] Domini ſui aliter necem minitantis iuſſu, coactus fuit nubere cum ſerua illi data in vxorem, in hac extrema neceſſitate non defuit ſanctis ſuperabundans Dei gratia, qua mediis in ignibus cor manſit intactum. At quæ neceſſitas homini ad amores procliui, operas ſuas locare domino, apud quem ex occaſione mulieris ſua periclitatur caſtitas, fortè iam naufragium paſſa; etiamſi mutet conditionem hanc ſibi tunc fauentem, non tamen infertur fortunæ ſuæ tale damnum, quod modis innumeris apud alios non poſſit compenſari; fidelem ſibi & innocentem Deus illæſum ſeruabit, & ex prouidentiæ ſuæ lege, ex ſponſione ſuis facta,

[m] D. Hieronym. in vita Malchi Monac.

Digitized by Google

in præmium eorum quæ pro amore ſuo reliquit, centuplum largietur. [n]

[n] Math. 19.

Leuem lucri ceſſationem blandi doctores velut bonorum omnium iacturam conclamant; fauent cæcæ mortalium cupiditati, res ita non ad rationem, ſed ad paſſionem æſtimanti, & hac legis præuaricatione indulgent duplici vitio, auaritiæ ſcililicet & luxuriæ. Fouent mala quæ deberent inſectari, quidquid intonent verbi Dei præcones, quidquid minentur prophetæ, quidquid conſcientia mordeat, homines in peccatis ſuis pertinaces, quia ſecuros, efficiunt. Si punitur vt adulter [o] qui domum ſuam præbet ad adulterium committendum, ſi receptores, [p] ſi ſuaſores criminum puniuntur vt rei principales, quid cenſendum de his qui falſo dogmate plurimos in peccatis retinent, fugitiuos, & deſertores ſinu ſuo excipiunt ne ad Deum conuertantur; ſpirituali lenocinio peccandi ſi non neceſſitatem, copiam tamen faciunt; vt bonis temporalibus indulgeant publicos doctinæ fontes inficiunt, damno nunquam ſatis æſtimando.

[o] l. 8. ff. ad l. Iul. de adulter.

[p] l. 5. C. de ſer. fugit. l. 1. ff. de receptator.

Potentioris malì noxia deſtruenſque magis eſt ſocietas.

§. 2.

NAtura ſic iniuriis eſt opportuna, vt à minimis etiam rebus lædatur; mobilem enim, velut proſtitutam in quibuſdam compoſitis materiam, ratione ſitus & quantitatis vagam, volubilem, indiferentem, imbecilla quædam conturbant. Parum aëris [q] noui & moti, ſuperadditum aëri veteri, totum concutit & in motu ponit, vt videre eſt ex puſillo vento qui ex follibus aut rima feneſtræ efflat, qui tamen totum aërem cubiculi mouet, quod oſtendit vndans variaque candelæ flamma. Vnius hominis audacia, primò famam efficit; [r] de nullo loquutus eſt continuo populus, nihil ſtatim totum eſt, vt in illo pariter omnium ſermo conſentiat. Paruo initio lites magnas lingua producit; vnius hominis vociferatio mouet ſeditionem, [s] vnius militis timidi fuga, cæterorum frangit animos, & officij ſui deſertores efficit; vapor tenuis comitiali morbo laborantes, horrendè contorquet; ſolem nubes tegit; illum planetarum minimus & inferior, ſuſpenſione lucis & influxus damnat.

[q] Bacon. in hiſtor ventor.

[r] Quintilian. declam. 11.

[s] l. 3. §. ſeditionem ff. de re milit.

Si ſic nocent adhærentia minima, quanto plus maxima, cum extenſæ quantitati reſpondet vis intenſior ad deſtructionem potens, totum obiectum ſuum circumplexa vt non ſit euaſioni locus. Sic alicui regioni cœli pars ex perpendiculo dominans, creditur certas

cupiditates populis ingenerare, animos addicere certis affectibus, vnde mali quidam cenſentur [t] quia ſint nationis infamatæ; Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventes pigri, inquit Apoſtolus. [v] Nautæ ſunt, vt plurimum, malis moribus, propter tetros maris vapores cerebrum occupantes, & infidi elementi commercium. Fe-rociores cæteris ſunt populi, [x] qui montes ſcopulis aſperos inhabitant, ex terreo ſimiliter vapore lapidiſcente duri, & humanitatis ſenſu carentes: ſic Elephantes * montani ſunt peruerſi & inſidioſi, & niſi alicuius rei indigeant, hominibus non fidi. Loca grauia firmiſſimam etiam valetudinem tentant; vndique circumcingit nos aër, exceptus reſpiratione peruadit corporis intima, & quæ poteſt eſſe ſpes ſalutis ſi maligna qualitate corruptus cordi peſtem inferat pro refrigerio. Impura corpora quanto magis nutries, [y] tanto magis lædes; nam mali ſucci in corpore prius collecti conſortio, vitiatur nouum accedens alimentum, quo fit vt cacochymiæ quantitas augeatur, aucta plus lædat, tandem interimat. Cum fortiora conuertant in ſe minus valida, [z] nemo miratur ignem elementorum actiuiſſimum, vicina ſibi torrere, quæ attingit diſſoluere, & in fauillam conuertere. Torrentibus & fluuiis, ſi ſenſum haberent, miſereri liceret, quod impetu tanto præcipites agantur in mare, cuius ſtatim colorem, guſtum, motum induunt; quia dulcium aquarum licet tumentes vndæ, guttulæ ſunt quas inexhauſtis abyſſis ſuis mare ſorbet, & ne quid ex illis ſuperſit, minimas particulas vi procellarum millies fractas, ſibi commiſcet. Sic flumina quæ in occeanum influunt vſque ad viginti, ſæpius vſque ad centum millia paſſum corruptam habent aquam, nam occeanus refluendo longius quam cætera maria aquam inficit ab oſtiis, & quo potentior qualitates ſuas magis diffundit nociua præuentione.

Inter validas quantitate & qualitate nocentes cauſas, referri poteſt populus de quo dicit Propheta, [a] omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum; omne animi bonum, inquit Tertulianus, [b] aut naſcitur, aut erudi-tur, aut cogitur, at bona iam non naſci licet, ita corrupta ſunt ſemina; nec erudiri, ita deſerta ſunt ſtudia; nec cogi, ita exarmata ſunt iura; vt in populi tumultu qui non rapiuntur cadunt & ſequentibus ſunt exitio. Ad ſalutem igitur quomodo reuocari poſſunt, quos nemo retinet, populus impellit, malis ipſe moribus obruit virum bonitate præſtantem; quid faciat vnus venenato vndique vallatus interprete, quid faciat, cui natura cum bonis, vita cum malis eſt. Hinc philoſophia tum antiqua, tum Chriſtiana, vitandam præcipit turbam, cui nemo ſapiens tuto ſe commiſit, vnde nemo bonus mores quos intulit, refert; Eſt inimica multorum conuerſatio, nemo

[t] l. 31. §. qui muncipia. ff. de ædil. ed.

[v] Timoth. 1. 12.

[x] Bodin. Reip lib. 1. cap. 1.

* Philoſtr. in vita Appol. l. 2. c. 7.

[y] Galen. in aphor. 10. lib. 2.

[z] Vide ſupra lib. 2. l. 12.

* Cardan. de rer. variet. lib. 1. cap. 6.

[a] Pſal. 13.

[b] Lib. de pudicitia.

Digitized by Google

[d] Idem ep. 7.

[e] l. vlt. Cod. ſi mancip. ita ven.

[f] l. 1. Cod. Theodo. ad l. Iul. de adulter.

enim aliquod nobis vitium, aut non commendat, aut non imprimit, aut neſcientibus, non allinit;[d] quo maior populus eſt cui commiſcemur, hoc periculi plus eſt, quis enim ferat impetum vitiorum, tam magno comitatu venientium. Ancilla quæ ea lege venit,[e] ne proſtitueretur, cenſetur proſtituta ſi in caupona maneat etiam ſub ſpecie miniſtrandi, propter multorum pudicitiæ ſuæ inſidientium frequentiam. Ideoque ſtupri & adulterij crimen[f] non vindicatur in fœminis quæ in caupona miniſtrant, & intemperantiæ vina præbent velut inter tot laſciuos quædam eſſet peccandi neceſſitas. Satis morte damnatus eſt, in lacum ſerpentum aut Leonum immiſſus.

Cuiuſlibet hominis vitioſi ſocietas accedentem inficit, populus ad peruerſas opiniones & conſuetudines turba rapit; ſcitur tamen & videtur quo procedant miſeri, & cum diſplicuerit tumultus, inde ſe ſapiens tutò ſe poteſt eripere: At periculoſior cenſeri debet improbè regentis familiaritas, qui partibus ſuis adhærentes non habet in amicitia ſed in apparatu. Primo collatis quibuſdam donis facta maiorum ſponſione, fidem eorum mentemque ſibi facit in poſterum oppignoratam; diu non patitur niſi libidinis ſuæ ſeruos cæca ratione ad imperata præcipites; ſemel admiſſos in pernicioſæ ſuæ mentis arcanum timet, in minimis periculis expertos maioribus implicat, ex quibus eripere ſe velle maius periculum eſt. Probitatis primo, tum fortunæ vitæque iactura ſolet eſſe fragilis huius ſplendoris præmium. Malè ſibi conſcius princeps famam ſuam alterius periculo vindicabit, imponet miniſtro totam rei malè geſtæ contumeliam, quæ iuſſit ſecreto, vertet in crimen publicum; vel ex virtute, vel ex vitio ſuſpectum habebit, & ex occaſione reum efficiet. Nam diu non patitur occultæ ſuæ improbitatis teſtem, nouas creaturas putat potentiæ ſuæ argumentum, præteritæ feritatis obliuionem & ſecuritatem; recentibus elatos beneficiis, ardentiores futuros ad obſequium. Quam miſeri ſunt qui cum publicæ poteſtatis labores ſubeant, incurrant inuidiam & reatus, gloriam tamen partiri non audent; ex elatione ſua timent præcipitium; augent ſibi dominantem potentiam, quæ fit ad eos obruendos audacior, & is quo ſplendent fulgor, ſæpè proximi fulguris prænuntius eſt. Ex malis igitur potentioribus quæ conſortio ſuo corrumpunt, nullum puto grauius malo rectore, perit enim ſub illo naturalis libertas, mentis integritas quæ idolis ideſt vitiis thura cogitur incendere, & perit virtus vitaque ipſomet quo ſe tectam putabat præſidio.

Digitized by Google

PERTINAX OPPVGNATIO VALIDA quæque deſtruit.

Lex II.

QVibuſdam agentibus tanta vis ineſt, & ſic eminenter patientis reſiſtentiam omnem ſuperant, vt illud in ſe momento valeant conuertere; Sic ignis ſtatim naptham occupat, paleas incendit, & celeritate viſum præueniente de puluere pyrrico, facit incendium, quidquid obſtat, quantæcumque molis ſit, excutiens; ſic ouem rapit lupus, auis inſectum, diues pauperem ſine conflictu quo pendeat potentioris inuadentis victoria. At ea quibus vis ineſt languidior actionis defectum aſſiduitate compenſant, & quod vno non obtinent impetu, oppugnatione pertinaci conſequuntur. Araneus implicatas ſuis retibus muſcas grandiores, ligat ducto ex diſtanti filo, tum crebris ictibus laceſſitis; motu continuo, quo ſe vinculis eripere conantur, fatigatis, audacior incumbens, virium reliquias infixis forcipibus exſugit. Multis piſcibus [g] dentes ſunt toto ore vt turba vulnerum molliant, quæ attritu ſubigere non queunt. Hinc ars ducta limæ & ſcalpi, quibus frequenti nec intermiſſo morſu, & minimarum partium eraſione ſucceſſiua, magna ligni, lapidis, metalli moles tandem diuiditur, aut conficitur. Licet ſeptentrionales regiones multum patiantur ex ſolis à ſuo zenith diſtantia, huius tamen ſoli frigiditatem ſubigit, edendis frumentis etiam metallis fertilem efficit fœcunditatis parens, caloris intenſi defectum, luce per ſex circiter menſes noctibus non interrupta compenſans. Imbecillior natura non valens integram morbi cauſam vno criſis impetu protrudere, id diuerſis conatibus, & per diuerſa loca molitur. Metallorum fodinas exhaurimus, & hos alta terra reconditos theſauros, noſtros efficimus lenta partium detractione. Mediis etiam in fluminibus, oppoſitis repagulis & influentes aquas machina ſemper exhauriente, ſiccum efficimus ad fundamenta ponti iacienda.

[g] Plin. lib. 11. cap. 37.

In moralibus, in politicis, bello paceque prudentia fœliciter magna peragit, ſi per partes id, lento quidem, ſed aſſiduo conatu moliatur, ſemper ſibi ſeruatis ad vlteriora viribus quæ factam ab oppugnato reſiſtentiam valeant retundere; totum ſpiritum ſuum profert ſtultus, [h] ſapiens autem differt & reſeruat in poſterum; Nec

[h] Prouerb. 29. 11.

Digitized by Google

ſine fructu, cum & viribus ſuis parcat quæ nimia deficerent effuſione, & eas quas ad ſe tuendam res oppugnata profert, facilius exhauriat. Statim vt lignum primis flammarum aculeis impetitur, vt illos extinguat, effundit quam in ſe continet partes ſuas colligantem humiditatem, vnde ſic dilutæ, ſi curuæ fuerint, vel minimo preſſu flexibiles in rectum adducuntur: at hoc humido ſenſim abſumpto, flammæ materiam occupant, cuius auctæ ſpoliis, fortius agunt ad eius conſumptionem. Ita diximus [i] mutationes ſenſim faciendas, ne vires agentis ipſa ſui profuſione deficiant, & acrius ab efferato patiente repellantur; at actio probè vires ſuas diſpenſans, illas ſibi ſeruat, & externas quas aggreditur faciliori modo conficit, ſi ſic procedat vt poſſit eſſe continua. Omnis enim actio cum fruſtra non ſit, aliquid obtinet ſupra patiens, quod quia ſeparatim minimum eſt, non apparet niſi plurium partium collecta & congeſta defectione. Sic gutta cauat lapidem non vi, ſed ſæpè cadendo, ſuperficiem ſcilicet paulatim diluens, & in poros illapſa ſoluens ſolidi continuitatem. Silices formicarum [k] itinere attritos videmus, & in opere ſemitam factam, ne quis dubitet qualibet in re quid poſſit quantulacumque aſſiduitas. Difficilius lapis eroderetur diu ſuæ relictus ſiccitati, & ſtillicidium non excipiens.

[i] Supra hoc libro l. 7. §. 2.

[k] Plin. lib. 17. cap. 11.

In his inſenſibilibus, impreſſio licet interrupta, manet, nam mortuis non ineſt virtus, qua ſe in contrarium reſtituant; At ſi ſubſit forma cui repugnet ſenſim inducta qualitas, ex illa nihil remanebit, actione diu dilata, ſed in priſtinum ſuum ſtatum libera natura ſe vindicabit. Terra fieret ſterilis, aut ſua naturali frigiditate & ſiccitate, aut, vt olim, aquis obruta, ſi non vtrique malo mederetur ſol, ad paucos menſes ſemi-relictam, iterum calore ſuo viuificans, nec ab illa diſcedens annuo diurnoque motu, niſi quantum oportet, ne hanc proximiores & immoti ſui radij torrerent.

In ſingularibus quorum præceps magis eſt ad interitum exiſtentia, formæ virtus ad actionem & reſtitutionem ſuam celerior, vis externa parum obtinet niſi fuerit continua. Citò refrigeſcit, imò celerius congelatur aqua, ſi vel ad breue tempus ſubditum ignem, quo vexabatur, remoueas. Animalia conditione ſua fera, continemus manſueta, quandiu inter manus noſtras viuunt, ludunt, fœtificant & quotidianis blandientibus beneficiis propriæ naturæ aduentitiam ſubſtituimus. Orientales populi ſub calidiori cœlo minus habentes ſanguinis & audaciæ, generoſos non efficies, niſi perpetuis exercitatos bellis, ſtimulis gloriæ, ſpe præmiorum fortiter actos: ſi remiſerit hæc occaſio ſub principe pacis nimium cultore, citò relabentur in ſuam ſegnitiem, quæ fœderatos amittit, hoſtes in ſe prouocat.

Bello

Digitized by Google

Bello ſemel indicto nullam dicunt nocendi prætermittendam occaſionem; non concedendas inducias, ſi eo conſilio videantur peti, vt fractæ vires ad noua prælia reparentur: Parta victoria inſtandum acrius hoſti [l] debilitato, territo, ad cedendum & ad fugam iam inclinante, priuſquam vires & animos colligat. Contumelioſum fuit Hannibali, quod deletis Romanis in Cannenſi pugna, prætermiſit occaſionem Romam occupandi, vnde milites, ciueſque ſui conquerebantur, quod ſciret vincere, non vti victoria. Sic Alaricus capta vrbe Roma, [m] contentus trium dierum præda, diſceſſit, amiſitque occaſionem obtinendi totum Romanum Imperium. Elizæus [n] iubet Ioas Regem Iſraël iaculo percutere terram, & cum percuſſiſſet tribus vicibus & ſteriſſet, iratus vir Dei dixit ei, ſi percuſiſſes ſexties aut ſepties, percuſiſſes Syriam vſque ad conſummationem.

[l] Plutarch. in Hannibal.
[m] Baron. an. 410.
[n] 4. Reg. 13.

Qui rebus partis contentus acquirenda negligit, fœlicitatis ſuæ proditor eſt; ſi contra fugientem hoſtem non pugnamus, quæ ſpes pugnandi contra reſiſtentem, inquiebat Agis dux Lacon, imperfecta mali curatio diſponit ad recidiuam, [o] & victoria non producta quo iure belli peruenire poterat, victorem detinet ad nouum certamen, fortè non fœlix cum varia ſit ſors armorum, etiam fortunâ timidos, & eam magnificè non excipientes, auerſante. Tales impetus qui priuſquam oporteat deſinunt, pertinent ad iram & paſſionem animalem, at æqualis & pertinax eſt ratio, [p] cum iudicauit aliquid faciendum in eo perſeuerat, ſtatque ſemel conſtitutis. Ad vocem Ioſue ſtetit ſol [q] donec penitus hoſtes delerentur, quaſi noctis vnius ſpatium ipſis ad colligendas vires conceſſum, irritos præcedentis diei conatus efficere potuiſſet, & idem ferè ſit victoriam differre, quod amittere.

[o] Hipocr. lib. 2. Aph. 11.
[p] Seneca lib. 1. de ira. cap. 16.
[q] Ioſue. 10.

Quanta diligentia ſuis aſſident principibus aulici, perpetuis ſuis officiis, natura ſua mobiles affectus obſident ne deriuentur in alios, ne horam præſentia ſua vacuam, blandior aliquis occupet; Tenetur iniuriarum [r] qui fœminæ pudicitiam ſimiliter aſſectatur, aſſectatur autem qui tacitus frequenter ſequitur, velut id fruſtra non fiat, & vix vlla ſit caſtitas ſemper tentata, ſemper inuicta. Vincit omnia labor improbus, cœlo, naturæ, genio dominatur, ſæpius malè vitiiſque natos tranſtulit ad philoſophiam, linguæ vitia reformauit in oratore, timiditatem in milite, manus doctas efficit in artibus; nec deſpondendum animo, ſi ſub initiis occurrat difficultas hanc enim exacta ſuperabit diligentia.

[r] l. 15. §. 22. ff. de iniur.

Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, [s] ſed aduerſus principes & poteſtates tenebrarum, contra ſpiritualia nequitiæ, bellum graue quia occultum, [t] quia cum fortiore, cum ſtruendis inſidiis ſemper intento, qui neque labore deficit, nec

[s] Epheſ. 6. 12.
[t] Caſſiodor. in Pſal. 51.

Digitized by Google

victus loco cedit; ſemper itaque nobis vigilandum præcipit Chriſtus;[u] ſemel obtenta contra talem hoſtem victoria, vlterius ſemper eſt proferenda; nunquam ſatis cum concupiſcentia certatum eſt, hanc perſequere ſine modo, ſine fine, nam illi quoque nec finis nec modus eſt. Ex virtutis actibus aſſiduis fient habitus[x] qui non modo facilem, ſed ſolida voluptate plenam vitam efficient, negligentem, auerſantem ſenſuum blanditias vt viles, turpes, indignas ſe, quibus tamen nos irretire tentat hoſtis. Sit aſſidua rerum diuinarum meditatio; quærite faciem Dei ſemper, monet propheta,[y] ſatiat enim quærentem in quantum capit, & inuenientem capaciorem facit,[z] vt rurſus quærat implere, vbi plus capere cœperit; ſit indeficiens charitatis ardor circa bonum infinitum, hîc plus amore quam cognitione poſſidendum; ſit grande nefas paciſci cum Chriſti domini noſtri hoſte ſuperbo; aliquid illi concedere mentis integritati nociturum, & quod poſtea dubio certamine redimendum ſit; ſemper in procinctu, vigiles, certantes, nunquam niſi cum his ſpiritualibus armis ſecuri, carnis, mundi, dæmonum coniuratione fruemur in noſtram gloriam, & repoſitis ſibi coronis perſeuerantia donabitur. At ſi nos vitia trahant in ſuam conſuetudinem; ſi mentem efficiant cæcam, voluntatem frigidam ad diuina, in malis contemnentem, ſecuram, etiam gloriantem, quot vitiorum actus ſe ſequentes, tot ſunt implexi ſe mutuo ferentes annuli ex quibus conficitur ferrea catena[a] conſtringens animas in peccatis, ex libidine conſuetudinem, ex conſuetudine neceſſitatem efficiens, nam quod diu miſeri noluerunt, tandem poſſe deſinunt, in cupiditatum, in dæmonis poteſtatem, vi continua, ne reſurgant, adacti.

[u] Math. 24.
[x] Ariſt. moral. lib. 2. c. 4.
[y] Pſal. 104.
[z] D. Aug. tr. 63. in Ioan.
[a] D. Aug. 8. Confeſſ. 5.

Malum malo ſuperueniens grauius eſt.

§. I.

MAlum ſic poteſt per minimas particulas naturam primò laceſſere, vt hæc validior vim exiguè nociuam ſuperet, illam in ſe conuertat, & ſenſim à minimis ad maiora procedat innoxiè, nam ab aſſuetis non fit, paſſio. Hac arte Mythridates, vt ſe contra venenum præmuniret, aſſueuit veneno, & ne quidem eo perire potuit captus à Romanis volens morte conſequi libertatem. Sic enutrita fuerat pulcherrima puella, cuius conſuetudine hoſtes ſperabant Alexandrum periturum, ſed triſtè micantes oculi vim peſtiferam prodidere. Natura quæ callum obducit partibus externis attritione continua tentatis, internas pariter præmunit qualitate contra vim de-

Digitized by Google

leteriam paulatim ſumptam, ſatis valida ne noceat. Virgines hoſpitalis Pariſienſis ægrorum millibus nunquam ſatis miranda charitate miniſtrantes, ſic aſſueuerunt aëris corruptioni, vt in illo, & poſtmodum inter epidimia laborantes ſanæ permaneant. Victitant quidam toto ſuo corrupto ſanguine, ſub malis legibus ſed conſuetis diuturna ſteterunt imperia; hoſti qui non poteſt eſſe ſuperior fit deditius, & ea quæ prius premebat potentia, gloriatur.

Vnius igitur mali licet potentioris vim, vitat natura modis ex occaſione diuerſis, vt expoſuimus, [b] aperto marte, dolis, fœderibus, potentiorum patrocinio, tandem initis quibuſdam cum hoſte, pacis conditionibus: At vbi plura mala ſuis quæque nociuis qualitatibus ſeparatim armata ſimul ingruunt, grauiſſimum eſt imminentis interitus & diſſolutionis compoſiti indicium. Vt ſi coronæ [c] quæ videntur circa ſydera pluribus in locis rumpantur, ſæuiſſima ſuboritur tempeſtas, manifeſtum enim eſt à pluribus partibus in illam impetum fieri, & inquietum aërea hinc atque illinc aſſilire. Fulmina biſulca [d] pinguntur, quia ſunt acerrima quæ à tribus ſuperioribus planetis Saturno ſcilicet Ioue & Marte, ſic ſingulariter diſpoſitis mittuntur; nec eſt alia ratio cur in iure [e] pactiones de quota litis habentur illicitæ & contra bonos mores, niſi quod ad litem perſequendam turbam faciunt, & vnius partis loco plures admittunt ob ſuum intereſſe ſingulare, induſtria multiplici reum exagitantes.

[b] Supra lib. 2 l. 14. & ſeq.

[c] Seneca natural quæſt lib. 1. c. 2.

[d] Alexand. de Alexand. lib. 5. tit. 11.

[e] l. 5. ff. de pact.

Malum ſolitarium licet accerrimum, ſi paulatim ſæuiat, tranſire poteſt vt diximus in conſuetudinem, at cum rem vnam obſident hoſtilia multa, non coniurata vt ſe habeant per modum vnius, ſed prædam ſibi propriam quælibet ſitientia, non eſt deditioni locus, & tam expedit ſub omnibus, quam ſub vno perire. Procedunt actiones omnes naturales quiete moribus ad ſolatium & leuamen interpoſita, at ne reſpirare quidem licet homini quem plures ſimul aggrediuntur, nam eo quo ſpiritum ducere vult momento, cogitur impetum declinare, & ſi ſimul dato ſigno plures irruant, cum vna manu, non niſi ictum vnum vitare poſſit, à cæteris neceſſariò confodietur, Terram [f] longa iam ſiti deſtitutam ſi comburas, deſperata eſt, & ſine remedio ſterilis, raritas enim ſua humorem inductum non retinet, & innata amaritudo impedit alimentum plantarum, eſt itaque ſicut corpus animalis mortuum & incineratum.

[f] Albert. Magn. de vegeta. lib. 7. cap. 6.

Laborat interdum corpus implicitis & compoſitis morbis diſſentientibus, [g] ſic vt quod vni prodeſt alteri noceat, & quoniam contraria præſidia poſtulant, plerumque deſperati & inſanabiles permanent, licet vni, qui cauſa cenſetur alterius primùm, aut ordine præpoſtero vrgentiori ſæuiorique ſymptomati, aut vtrique media quadam methodo remedium adhibeatur, partita vis medicamenti cum

[g] Fernel. de medendi ratio. lib. 1. c. 5.

Digitized by Google

ſit infirmior, morbum non ſanat, ſed irritat. Ita rarum eſt Rempublicam bellis ſimul ciuilibus & externis concuſſam ſtare poſſe, vni quippe negotio intenta, & vix ſufficientia conſilia, ſubſidiaque interuertit, partitione debiliora facit ſuperueniens periculum, & res mole ſua iam inclinatas, impetu priore deficientes, proſternit. Vix integræ vires nouum hoc onus ferre potuiſſent, illas ideo labi neceſſe eſt, cum iam debilitatis & imparibus ſuperuenit. Olim [h] locus fulmine percuſſus ſacer habebatur, nec vlterius cuiquam illi vim inædificati, cultura, aut alio quouis vſu licebat inferre; iras cœleſtes humanis non cumulandas, ſed miſericordia temperandas putabant, cæco non ponendum offendiculum, claudos aut alio quouis naturæ vitio laborantes conuitiis non laceſſendos, hinc hoſtibus ſuis velut crudeliſſimis imprecatur propheta, effunde ſuper eos iram tuam; & furor iræ tuæ comprehendat eos, quoniam quem tu percuſſiſti perſequuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.

[h] Alex. ab Alex. lib. 6. c. 1.

Leges ad humanæ ſocietatis auxilium factæ modis omnibus auertere & lenire conantur, hanc malorum opprimentem ſeriem, cum generaliter concludunt, [h] afflictum in vno, releuandum in alio, ne afflictio detur afflictis. Ita ſuccurſum eſt patri, [i] vt filia amiſſa ſolatij loco cederet, ſi redderetur dos ab eo profecta, ne & filiæ amiſſæ, & pœcuniæ damnum ſentiret. Ita ſtatutum [k] in littus eiecta vel fluitantia naufragorum bona, non diripienda, ſed dominis ſuis reſtituenda; tributis ob alluuiones, modum dici; hoſtilitatis tempore non currere præſcriptiones; clericos infirmos percipere fructus ſuorum beneficiorum. Etiam reis impoſitæ pœnæ quantum licet temperantur, vt ne circa carceratos [l] inhumaniter ſe habeant cuſtodes; vt Epiſcopo [m] propter delictum amoto præſtentur alimenta; ſic prouiſum eſt ne pœnis iuſtè ſibi iam impoſitis, afflictos ſuperueniens aliorum inhumanitas opprimat. Ægrum [n] licet ſua culpa, caſtigare, reprehendere nefas, eius auribus parcunt ſæueriora verba, ſi quid neges, occidere videris. At cum agitur de criminum æſtimatione grauius ſemper illud habetur quod iteratis actibus animam percutit, [o] itaque ſicut in extremis morbis, extremis vtendum eſt remediis, ſic frequentes in crimen lapſus, grauioribus pœnis leges coërcent. Quod ſi deſperata ſit eius ſpiritualis ſanitas qui ſibi de vitiorum conſuetudine naturam effecit, morte ſanandum eſt ſcelus, vt graſſari deſinat in priuatam publicamque pernitiem.

[h] § Final. inſtitut. de actionib.
[i] l. 6 ff. de iure dot.
[k] l. 1. 7. & fin. ff. de incend. ruina. can præſentium & ſeqq. 7. q. 1.
[l] l. iudices. Cod de epiſco. & cler.
[m] D. Grego. in regiſt. lib. 2. epiſt. 51.
[n] Quintilianus declam. 8.
[o] l. Capitalium §. graſſatores ff. de pœn. l. 8. Cod. ad l. Iul. de vi. publ. l. 1. ff. de abigæis.

Digitized by Google

RAPIT SINGVLOS ETIAM IMMERITOS vniuerſaliter indicta calamitas.

Lex. 12.

RErum ſingularium alterationes, defectus, mortes, ita nobis familiares effecit natura, vt earum metum conſuetudo ſuſtulerit, & inter quotidiana ſuorum funera ciuis, inter proſtratorum cadauera miles, mortem ad alios non ad ſe putet pertinere. Multo magis nos afficiunt, & plus incutiunt timoris publicæ calamitates, nam cum ſint inſolitæ, malum quod inferunt inexpertum, ſibi fingunt homines velut immenſum; pluribus ante ſignis prænuntiatæ grauiores minas intentant; Veniunt cum ingenti ſtrepitu, tumultu, apparatu terribili, vnde mentes ſuo, & alieno periculo iam motas facilè concutiunt. Si timentur ab omnibus fulgura quæ paucorum cadunt periculo; ſi miſericordiam mouet malum alienum, cui nos pariter ſentimus obnoxios, quis non timeat vniuerſaliter indictas calamitates quæ concuſſis mundi fundamentis refugij ſpem omnem videntur præcludere & infinitas rerum omnium chariſſimarum mortes vna concludere ruina. Aut non ſumus partes vniuerſi, aut neceſſe eſt nos concuti cum vniuerſo: ſic in fine ſæculorum commotis cœli cardinibus, in elementorum horrenda concuſſione, deſcribuntur homines areſcentes [p] præ timore & expectatione eorum quæ ſuperuenient vniuerſo orbi.

[p] Luc. 21.

Generale diluuium Noëmi tempore, totam terræ faciem vndis merſit: alia contigerunt in quibuſdam regionibus ſub Ogyge & Deucalione; maris etiam diuerſis in locis [q] horrendæ factæ ſunt inundationes, quæ tum inſulas, tum terrarum ingentia ſpatia ſorbuerunt; quantas vrbes & regiones peſtis ſolitarias & deſertas effecit. Velut non ſufficeret hominibus his naturæ flagellis duriſſimè percuti, violentas inſuper ſibi manus inferunt, per bella quæ apud omnes gentes, omni æuo tantum fudere ſanguinis; quæ campos effecere ſepultos inſepultis oſſibus, quæ ſimul & ſemel in vrbium obſidionibus inferunt clades omnes, fulminum, inundationis, incendij, peſtilentiæ, terræ motus, famis, quas natura diuerſis temporibus & paroxiſmis parcens immittit. Sic prouidentia permittit populos ſibi mutuò pœnas dare ſuoſque reatus vlciſci, cœlis etiam plurimum ad id con-

[q] D. Auguſt. lib. 8. de ciuit. c. 8.

Digitized by Google

[r] Vide fatũ vniuerſi.

currentibus, obſeruatum eſt enim hæc mala regnis contingere, [r] cum horoſcopus vniuerſi peruenit ad eorum quadratos aut oppoſitiones: & humanarum ideo paſſionnm tumultus, rationis ordinem perturbantes, non ſine publicæ rationis ordine fieri; ſimiliter exundare diluuia planetis omnibus, maxime ſuperioribus coniunctis in ſignis aqueis; conflagrationes in ſignis igneis, quia Deus vtitur cœlo velut inſtrumento ad executionem ſuæ iuſtitiæ, dumque mala populorum vindicat, orbis totius incolumitati prouidet.

[s] In Timæo.

[t] Meteor. lib.

Vnde Plato [s] ſæuas illas publicas clades & ruinas dixit eſſe purgationem terrarum, rerum innouationem, luxuriantis humani generis neceſſarias ſuccisiones. Ariſtoteli [t] viſum eſt, vt in ſingulis annis ſolaribus oportet hyemem eſſe, qua virtus mixtorum omnium in ſuum centrum contracta, vnione ſimul & quiete ſibimet validior reſtituatur; æſtatem qua vi ſolis calor interior ad actiones & productiones excitetur, eſſe ſiccitates & humiditates, quæ ſucceſſiua tempeſtate ſe mutuò temperent, ſic in magnis annis mundi contingere diluuia, conflagrationes, peſtilentias, morbos, fames, ne quid exuberet. Ad breue tempus ſæuiunt malignæ & deleteriæ qualitates, donec bonis modum excedentibus remedio ſint.

[v] Arnobius lib. 1. contra gentes.

[x] Dicto loco.

Hæc autem euenta quæ fiunt & accidunt ſub hac mundi mole, non noſtris commodulis, ſed ipſius pendenda ſunt rationibus, [v] ordinibuſque naturæ, pluit mundus aut non pluit, ſibimet pluit aut non pluit, aut vliginem nimiam ſiccitatis ardore decoquit, aut longiſſimi temporis ariditatem pluuiarum effuſionibus temperat: Quid ergo quia frigus membris tuis aduerſum eſt, non debet eſſe hyems in mundo, non ſol tibi noxius, non venti aërem perflare debent, quia ſomnum tuum impediunt, atque aliis legibus, alia rurſus ordinanda natura, ſuperciliosa nimium res eſt, cum ipſe ſis non tuus, aliena etiam in poſſeſſione verſeris, potentioribus dare conditionem velle, vt id fiat quod cupias, non quod in rebus inueneris antiquis conſtitutionibus fixum; ſic Arnobius [x] reſpondens calumniantibus Chriſtianos quod eſſent cauſæ malorum quibus orbis premeretur; quid, inquit, ſi ſyderum motus certis ſignis, partibus, temporibus, lineis pariunt hæc mala, & ſubiectis afferunt variorum diſcriminum neceſſitates? quid ſi ſtatis temporibus rerum viciſſitudines fiunt, atque vt in maritimis æſtibus, modò ſecundæ res influunt, modo rurſus effluunt, malis reciprocantibus proſpera, & quod nobis videtur aduerſum, ipſi mundo non ſit malum. Vnde cum publica priuatis ſint præferenda, [y] nihil æquius eſt, quam homines ſequi leges vniuerſi communes, ex ſubiecti ſui ratione vniuerſales, omnibus iuſtiſſimè meritis & immeritis imperantes.

[y] Vide ſupra lib. 1. l. 12.

[z] Lib. de mortalitate.

Carne cum cæteris coniungimur, inquit Cyprianus, [z] ſpiritu ſe-

paramur, ſuntque nobis cum humano genere incommoda communia; Sic cum fœtu ſterili terra ieiuna eſt, neminem fames ſeparat, cum irruptione hoſtili ciuitas aliqua poſſeſſa eſt, omnes ſimul captiuitas vaſtat, & cum imbrem nubila ſerena ſuſpendunt, omnibus ſerenitas vna eſt, & cum nauem ſcopuloſa ſaxa confringunt, nauigantibus naufragium ſine exceptione commune eſt. Gladius domini occidit iuſtum & impium, inquit propheta. [a] Communis huius ſæuitiæ rationem reddit D. Auguſtinus. [b] Summus, inquit, ille vitis agricola aliter parat falcem ſarmentis fructuoſis, aliter infructuoſis, tamen non parcit nec probis nec improbis cum tempus putationis aduenit, illis purgandis, illis amputandis; Nullus enim hominum eſt tanta iuſtitia præditus, cui non ſit neceſſaria tentatio, ad probandam, perficiendam virtutem. Si calamitas mortem inferat, malos ne grauiora committant, excutit [c] è terra, bonos velut emeritos vocat ad coronam.

[a] Ezech. 21.
[b] Lib. 22. contra Fauſtum. c. 4.
[c] Iob. 38. 13.

Licet igitur, inquit Ptolomæus, [d] quæ ſingulis hominibus è cœlo accidunt ex propria particularis naturæ qualitate mutari poſſint, non tamen quæ propter generalem conſtitutionem, vt quando propter magnas aëris conuerſiones, quæ difficulter coërceri poſſunt, totæ gentes intereunt, ſicut fit in ardoribus, aut peſtilentia, aut diluuiis, cum ſemper inferior cauſa, ſuccumbat maiori & validiori. Sic obiicientibus vanam eſſe aſtrologiam, eo quod hi quibus non eſt eadem geneſis, imò fortè contraria, ſimili tamen modo moriuntur in bellis & naufragiis, reſpondet Iunctinus, [e] id fieri, quia ſingulare fatum rapitur à communi regni fato ſtrages illas edente, & omnes ſibi pari ratione ſubditos, inuoluente. Similiter in iudicio de bellis aut fœderibus attenditur potius regni, quam regis figura. In electionibus, [f] conuenire debet tempus cum genitura, ſi enim contrarium eſt, nequaquam profeceris; Nam ſingularia ſequuntur vim maiorem ab vniuerſalibus illatam, & quæcumque à prima cauſa in vniuerſum maximè mouentur, hæc inuariabili modo procedunt.

[d] Quadrip. lib. 1. cap. 3.
[e] In præfatione aſtrologiæ.
[f] Ptolom. centilo. num. 6.

Hinc animalium caſus, mortes, quæque ſine culpa accidunt, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus hoſtium à nullo præſtantur, [g] nam quod caſu fortuito contingit alicui, poteſt contingere & cuilibet etiam patriſfamilias diligentiſſimo. Imperatores ſic loquuntur de naufragiis, [h] quia excludere caſus, & inclementem cohibere non poſſumus fortunam, de his diligens fieri debet inquiſitio. In vi maiore non vitabili complectuntur tyrannidem, vnde ſi quid ſub clade barbarica indigné commiſſum eſt, ad inuidiam trahi non debet: Habeant, inquiunt, omnium criminum impunitatem, qui euadendi forſitan non habuerunt facultatem, non enim crimen dicitur, quod mortis adegit impulſus. Miſeri mor-

[g] l. 23. ff de reg. iur.
[h] l. 5. Cod. Theod de naufrag.
[i] l. 14. Cod. Theod. de infirm. his quæ ſub.

tales ſi fœlicitatem ſuam poſuerint in externis bonis, quæ non ſui, ſed alieni iuris eſſe probant tot quibus rapiuntur inuicti caſus. Hæc vt ſua vindicent licet coniuratæ cœli, maris, elementorum, tartari vires, orbe collabente ſtare poteſt immotus ſapientis animus, placiduſque ſpectator, temporalia cum æternis conferet, hæc ſitiens, indignatus illa, ſuis & alienis arridebit funeribus, nec ſine ſolatio.

Paritas in miſeriis ſolatium eſt.

§. 1.

PRouidentia quæ non deficiens in neceſſarijs, mala bonorum mixtione temperat, quæ de venenis ipſis præſens concedit antidotum, conceptos ex publica calamitate metus & horrores mitigat, ex ipſamet paritate miſeriarum naſcente ſolatio. Imminet noſtris & chariſſimorum capitibus malum multiplex, communi ſæuitia nemini parcens, proprijs & alienis pœnis quas amor noſtras efficit crudeliter nos exagitans, ipſa tamen in patiendo ſocietas mira naturæ ſolertia dolorem ſimul auget & minuit. Auget compaſſione, minuit innocentiæ conſcientia. Cum enim ex pluribus vnum, ſingularis proſternit aduerſitas, ingemiſcit ille, duriuſque fert ſortem ſuam cæteris infœliciorem; Illi contumelioſum eſt ita percuti, velut latens aliquod in eo vitium iras cœli promeruerit & concitauerit. Pudor eſt inter fœlices ſolum eſſe miſerum, inter ſtantes iacentem, & quod aliorum feſtos dies oppoſita ſua commendet calamitate. Non poteſt ſine tacito liuoris morſu, alios ſic videre, ab aliis ſic videri. Huic grauis eſt omnis conſolator, qui fortunæ diſparitatem arguit, mouet inuidiam plagas refricat; cogit aduertere quod afflictus iam ſentit, cœlum cæteris fauens, illi crudeliter eſſe ferreum.

At cum calamitas omnibus æqualiter incumbit, nulla perſonarum aut conditionum habita diſtinctione, nullus tunc ineſt ex malo pudor, nulla mentis inuiſæ numini ſuſpicio; nullus ex aliena fœlicitate liuor, nam quos fati malignitas nondum opprimit, perpetuis tamen obſidet periculis, velut reos accepta damnationis ſuæ ſententia, dilato ſupplicio durius torquet, & mortes metu multiplicat. Non decet in tanta ſimilium turba vnam tenente viam, pauidum & dubium eſſe: Neceſſitas ipſa non fert amplius mobiles inter ſpem & metum animos, ſed fixos efficit in propoſito, & ne cogi videantur, etiam ſæuientis mali contemptores & auidos. Solatium eſt cum vniuerſo rapi; pares tunc habere, quos in multis fortuna ſubuexerat; videre relapſos in communem mortalium ſortem, à qua vindicare non poſſunt illos amici, diuitiæ, regna; laruam huius pictæ

fœlicitatis

Digitized by Google

fœlicitatis numen eripit, datque certiſſimum humanæ vnitatis & opinionis argumentum. Ideo non iuſtus tantum, ſed & miſericors Deus, iuſtos aliquando malorum pœnis implicat, & probos aliquos ex Iſraelitis voluit pati captiuitatem, ob id ne peccatores qui fuerant iugo ſeruitutis oppreſſi omnino ſubſidium non haberent, inquit Origenes. * Daniel, Ananias, Azarias, Miſael, Ezechiel, Zacharias, Aggeus immunes à peccato fuere, captiuitamen vt ſortis paritate, fortitudinis exemplo deiectos ſuorum ſubleuarent animos. * Homil. 1. in Ezechiel.

Singularem hanc indulgentiam prouidentia communem effecit in morte, vt crudelitatem fati conſolaretur æqualitas, nec durum videretur ſubire conditionem hanc, & perſonalem obligationem, ſub qua cunctis hominibus vita conceditur: Reges, Pontifices, plebejos, agricolas æquat omnes cinis; ſucceſſiuè veniunt in tumulum nullo tamen ordine ſeruato, cum ſœpius ſenem iuuenis præueniat, nam ius ſuum ſibi ſeruat prouidentia, vitam præcariò conceſſam, vt libet repetit, docetque quotidianis exemplis, ſine præſcripta die permiſſam, [l] omni die cum repetierit, deberi. [k] Seneca in conſolatione ad polybium. [l] l. 14. ff. de reg. iur.

In tam breui vitæ tempore non niſi paucis ab inuicem interuallis decedentium funera diſtinguuntur, & ſi ſolatium eſt omnes eadem mortis lege teneri, maius etiam eſt ſimul & ſemel interire, ſic enim mors amittit quod in ipſa duriſſimum eſt, charos ab inuicem diuidere, & mutuam duorum in vno corde vitam partiri. Inde fit vt amantes horrendum hoc non ferentes mortis diuortium, meliuſque ſibi reputantes priuari vitæ vſu, quam fructu, commori voluerint. Hunc amoris ardorem theatra celebrant in Pyramo & Thiſbe, in Antonio & Cleopatra, in Proteſilao & Lardicia cæteriſque. Othone mortuo [m] quidam militum iuxta rogum interfecere ſe, non noxa, neque ob metum, ſed æmulatione decoris & charitate Principis, quem fortè morientem hac iurata ſponſione conſolati fuerant. [m] Tacit. hiſtor. lib. 2.

Id viſum eſt tam æquum & amori congruum, vt apud multos in legem & conſuetudinem tranſierit. Apud Thraces [n] cum quiſque plures haberet vxores, omnium dilectiſſima, vltrò etiam æmulatione in defuncti mariti rogum inſiliebat. Id etiam referunt apud Indos obſeruatum non tantum amoris æſtu, non vt blandirentur morientis zelolypiæ, dilectæ poſſeſſionem aliis omnibus inuidenti, ſed etiam legis cautela, ne ſcilicet vxor moliretur mariti mortem, cui lex comitem deuouebat. Refert Athenæus [o] Gallorum Reges olim ſecum habuiſſe ſexcentos nobiles commenſales, maximæ poſt ipſum authoritatis, qui etiam voto ſe obſtringebant, commori. Idem alij referunt [p] de Regibus Hyberis & Cantabris. Tanta nobilium ſtrages maleuolum erat ſolatij genus; Non amabat moriturus, quem [n] Herodot. lib. 5. [o] lib. 6. c. 6. [p] Alexa. ab Alexa. lib. 1. cap. 16.

FFff

Digitized by Google

ſic ſuperſtitem nolebat, cuius vitam hoſtili feritate proiiciebat. At qua ratione non amans poterat amari, breuem fœlicitatem vendens ementium vitæ pretio; amorem metu ſimul extorquebat, & interdicebat. Quid ni condonanda fuiſſet perfidia reſiliens à tam crudeli pacto; ſimile videbatur immani voto Herodis qui moriens iuſſit plurimos magnates occidi, ne ſuæ ſine lachrymis eſſent exequiæ, ſi non ſuo, ſaltem alterius deſiderio.

Creditum eſt defunctorum animas humano ſanguine propitiari, [q] vt tamen nobiliori parcerent, captiuos vel malo ingenio ſeruos mercati in exequiis immolabant; poſtea placuit impietatem voluptate adumbrare, gladiatores iuxta tumulos offerendo, ſic mortem homicidiis hæres conſolabatur, captiuoque rogi [r] perfundens ſanguine flammas. Mitius tandem factum eſt, vt humani ſanguinis loco ciuilis funderetur, auro ſignato aut infecto, veſtibus, armis, gemmis cæteriſque rebus in defuncti rogum aut tumulum proiectis, quod etiam nunc à barbaris Canadæ & Occidentalis Indiæ fieri ſolet. Riſu digna ſuperſtitio, inſatiabili poſt mortem aliquid conſeruandi cupiditate, publicis odiis inuidia digniſſima, viuis enim detrahunt quod ſibi prodeſſe non poteſt, vnde meritò lex ciuilis [t] prohibuit ornamenta cum corporibus condi.

[q] Tertulian. lib. de ſpectac cap 12.

[r] Virgil. 10. Æneid.

[ſ] Caſſiod. lib. 4. variar. epiſt. 34.

[t] l. 14 § non oportet. ff de Relig. & ſump.

Igitur ex communi calamitate tantum percipitur ſolatij, vt ſi fato non contingat, illud modis omnibus homines, affectu vel imperio, ſibi concilient. Idem ineſſe videtur ſenſus malis & vitio deprauatis, cum enim lege, conſcientia, fama publica norint peruerſitatem ſuam, & animæ à Deo recedentis mortem, remedium pœnæ ſuæ arbitrantur, [v] ſi turba ſit peccantium; non contenti perditione ſua, volunt habere plures mortis ſuæ participes, quaſi multitudo peccantium ſcelus minuat, & non numeroſitate lignorum maior gehennæ flamma ſuccreſcat. Ritu dæmonum, trahunt quos poſſunt in ſuam pernitiem, delere putant impreſſas ſibi notas infamiæ, ſi fecerint communes, vt Reges Perſarum inceſtuoſi, inceſtum lege lata permiſerunt. Idem ineſt ſenſus hæreticis, occulta machinatione, conductis emiſſariis, potentiorum ſuffragio ſectam ſuam hinc inde diffundentibus, & vt ad inſtar erucarum, ſemine relicto, ad plures annos propagetur. Eadem ineſt vanitas ignaris, [x] qui blaſphemant quod ignorant, ne videantur ignorare quod ſcitu dignum eſt, vt priuata eorum inſcitia ſub communi deliteat, & nullus eam, velut publicis præmunitam ſuffragiis, audeat coarguere.

[v] D. Hieronym. aſellæ epiſt. 45. & 51.

[x] D. Greg. Nazianz. orat. 2.

Hic naturalis inſtinctus quærendi leuamen aliquod ex aliorum ſimilibus malis, fruſtra non eſt inſitus, & cum natura ſit boni proles, hic affectus originis ſuæ genio, poteſt in bonum conuerti. Quod igitur affectum mali peruerſa voluntate, ſibi velut ſuum vin-

Digitized by Google

dicent boni, in virtutis ſuæ hic dura patientis ſolatium. Licet nobis ex anguſto noſtro tempore & loco, mentis oculos in præterita ſæcula, & in totius orbis regiones mittere, contemplari licet ſanctum Iob, è fœliciſſimo, bonis omnibus corporis & fortunæ ſpoliatum; Abraham, Iſaac, Iacob profugos & proſcriptos. Tobiam in captiuitate & cæcitate; Macabæos fortiſſimos ſimul & ſanctiſſimos belli duces ad extremum vſque perſecutione vexatos. Chriſtum Dominum contemplare ſanctitatis idæam ab ipſis incunabilis tyranni perſecutione ad mortem conquiſitum, quadraginta millium innocentium ſui cauſa occiſorum morti, compatientem; Vide ſupremam hanc majeſtatem, tot inſidiis, tot calumniis impetitam, tandem turpiſſimo crudeliſſimo ſupplicio morientem; Vide ſanctos Apoſtolos omnes, pro laborum ſuorum in propaganda fide præmio, violenta morte ſublatos. Sanctos Eccleſiæ naſcentis patres anguſtiatos,[y] nudos, in ſpeluncis terræ latentes, quibus dignus non erat mundus, tandem lapidatos, ſectos, crucifixos, laceratos à beſtiis. His conſideratis non te putabis à Deo relictum, nec miſerum, cum te aduerſa exagitabunt, imo charum & probatum, quem gratia ſua dignum, ſatiſque fortem efficit, vt cum tot malis valeas componi. Hæc eſt ſors ſanctorum cuius conſideratio maximum eſt in huius vitæ periculis ſolatium. Vnde D. Gregorius[z] arguit ſummæ crudelitatis Arianos, qui Catholicis à ſe crudeliter vexatis, inuidentes in fide conſtantiam, in tormentis ſolatium, facultatem illis non dabant videndi eos qui in iiſdem doloribus verſabantur; ſed nihil profuit talis inhumanitas contra pias mentes quibus præſens ſemper erat Chriſtus, via crucis & paſſionum ſuos ad æternam ducens gloriam.

[y] Hebreor. 11.

[z] D. Greg. Nazianz. orat. 25.

Nullum ſine quadam exceptione malum.

§. 2.

SOlatium ex communi miſeria naſcens ſingulis pœnæ linimentum eſt, quod ita tamen prorogari non debet, vt omnes pereant, nullo qui publicæ calamitati ſuperſit, relicto. Nam cedere debent priuata publicis, & melius eſt totum non perire quam ſingulis partibus pereuntibus inuidum hoc ſolatij genus indulgeri. Si leuius eſt aliquibus ſequi ſortem communem, aliis ab eadem eximi ſingulari priuilegio longè magis gratum eſt, mundanæ perpetuitati, præpotenti in vniuerſo bonitati, nec à priuatione penitus vnquam abſorptæ magis conueniens. Non dari ſummum malum[a] patet ex eo quod eius exiſtentia, & partes conuectens ordo bonum eſt.

[a] D. Auguſt. lib. 1. de ordine. c. 6. &

contra epiſt. Manich. c. 29. Inde fit vt in vniuerſo quæ contingunt clades partes tantum aliquas demetant, pereuntium radice ſemper ſeruata, illæſis etiam quibuſdam indiuiduis in quibus ſeruari poſſit ſpecies & iterum propagari.

b Meteor. cap. 14. Ex Ariſtotele, [b] vt animantibus, ſic terræ ſuæ ſunt ætates, iuuentus, ſenectus: ſed partes omnes animalium, non terræ ſimul ſeneſcunt, vnde talium viciſſitudo non officit æternitati totius. Elementum ſimul totum non perit, ſed externæ quædam eius partes in commercio poſitæ, tantum recipiunt à vicinis, quantum illis conceſſerint: pereunt indiuidua, & ex eorum prius fœcunditate paria ſubminiſtrantur, ex his alia, aliaque multiplici perennique prolis ſucceſſione, cuius beneficio ſpecies nunquam deficiunt; mundus, licet omnis caro corrupiſſet viam ſuam, aquis tamen diluuij non tam deletus quam ablutus eſt, ſeruata Noëmi familia & in arca conditis animantium omnium ſpeciebus, vnde facta fuit totius pulcherrima renouatio. c In Timæo. Montes Plato [c] dicit poſitos velut aſyla ad quæ ſubortis diluuiis confugere poſſint homines, hinc fingunt Poëtæ Deucalionem & Pyrrham miſſis poſt tergum lapidibus mundum à diluuio reparaſſe, ideſt homines in altis rupibus ſeruatos, & per regiones ab aquis liberas hinc inde diſperſos, eas incoluiſſe. Vmbrorum gens antiquiſſima Italiæ, d Plin. lib. 3. c. 14. [d] ſic dicta fuit à Græcis, quia terris imbrium inundatione deletis, ſuperfuit.

e Petrus Damiani opuſc. 52. Inter maris horrendos fluctus, ſtant immotæ, omni rerum copia diuites, nauigantibus hoſpitales inſulæ, tales ſancti [e] dicunt eſſe domos religioſas, mediis in vrbibus infectis terrenarum paſſionum amaritudine perpetua, tempeſtate frequenti concuſſis. Ex Pentapolis incendio ſaluatur Segor; f Gen. 19. [f] ex hac calamitatum turba qua ſanctus Iob vna die opprimitur; ex hoſtium & latronum irruptione, ex domus in qua filij conuiuabantur ruina; ex igne cœli armenta paſtoreſque conſumente, vnus ſemper euadit qui cladem nuntiet: g l. 2. § ſi nauis ff. ad l. Rho. l. 7. eod. à pyratis naue capta [g] ſarcinas ſuas poteſt aliquis habere ſaluas, ſingulari fœlicitate, nec tenetur conferre ad ſarciendum aliorum damnum, ita quilibet ex depreſſa naue ſuum ſeruat, ſicut ex incendio. h vide groſſ. lib. 3 de iure belli. cap. 11. & 12. Olim belli ſæuitia parcebat agricolis, [h] innoxiæ multitudini, perſonis & rebus ſacris, etiam pretioſis quæ vires hoſtium integræ non augent, aut deſtructæ non minuunt. Ex Troiæ vt credebatur penitus deletæ cineribus euaſit Æneas cum ſociis, Italiæ aliorumque latè populorum regna fundaturus fœlici calamitate, velut tot heroum necatorum fortunas iure quodam accreſcendi ſuas feciſſet, ſicut fœliciſſimus ex geminis habetur, i Plin. lib. cap. 9. & 10. [i] qui eſt ſuperſtes, altero interempto abortu, aut qui naſcitur enecata parente.

Non datur aliquid omnino morboſum & vitioſum, nam ſi mor-

Digitized by Google

bi ſinguli poſſunt rem profligare, quid futurum eſſet ſi vniuerſi concurrerent ad pernitiem rei viuentis; etiam omnes morbi in corpore, omnia in animo vitia ſimul eſſe non poſſunt, quia inuicem pugnant. In appplexia remanent actiones vitales, ſcilicet reſpiratio, ſpirituum & ſanguinis per corpus diffuſio, ſed perimuntur actiones animales ſenſus ſcilicet & motus. Similiter in epilepticis ſubitò facultates omnes animales tolluntur, ſupereſt aliquis motus, ſed deprauatus. Ita peccatum caret ordine [k] ex parte auerſionis, non ex parte conuerſionis, nam in quolibet peccato eſt aliquid virtutis, non enim poteſt omnes eius circumſtantias corrumpere.

[k] D. Thom. 12. q. 84. a. 3. ad 2. & quæſt. 73. a. 2.

Hæreticos mirati ſumus omni ſæculo morales aliquas virtutes eminenter profeſſos; ambiebant Montaniſtæ caſtitatem; Saturnini & Euchratitæ abſtinentiam; electi-Manichæi paupertatem; Maſſaliani perpetuam orationem; Donatiſtæ inuictam in tormentis pro ſecta ſua ferendis patientiam, & expoſitam pro charitatis officiis vitam. Videtur hoc aliquod in malis mundum inundantibus ſolatium, ambiguum tamen eo quod viam aperit deceptioni; cum enim aliquid ſit virtutis in vitio, veritatis in mendacio, vitium virtutis, mendacium veritatis perſonam gerit: ſub externis operibus fidei latens hæreſis, fidem ipſam oppugnat, & probos mores naturaliter omnibus acceptos proferens in noui dogmatis cautionem, venenum gratiſſimis immiſcet poculis. Recta poteſt eſſe morum diſciplina, ſed nec ideò recta fides, non eſt enim opus fidei ſi deſit fides, at non eſt fides, in his qui non audiunt, imo pertinaciter oppugnant Eccleſiam; ſanè virtus moralis poteſt eſſe cum hæreſi in nouatoribus, ſicut fuit olim cum idololatria in antiquis philoſophis. Innocentior in illis erat hæc optima morum inſtitutio, quam ratione & naturali lege ducti ſectabantur, at illam affectans hæretici vt fucum faciant oculis; vt nos diripiant velut pyratæ, vela noſtra ſuſpendunt, ſed hoſtilem animum, ab vno Chriſti ſpiritu penitus alienum probat ipſa dogmatum pugna pertinax. Vt bonis moribus abutuntur in falſitatis patrocinium, pudeat Catholicos his fidei ſuæ propriis inſignibus non vti: ſtent, vt monet Apoſtolus [l] in omnibus perfecti, in fide, in charitate, & hoſtibus fidei præripiant, velut ſuam vindicent bonorum operum præſtantiam. Si deſertores, vt lateant, teſſeram militarem præferunt, abſurdum eſt ea carere, qui fideliter Chriſto & Eccleſiæ militant; ſi malum habet aliquid boni, Bonum ſit ex integra cauſa, quantum licet defectum omnem excludens, eum maximè qui veritati, & proximorum ædificationi præiudicium facit.

[l] Epheſ. 6.

Digitized by Google

PRÆSENTIVNT PLÆRAQVE ſVI diſſolutionem.

Lex. 13.

MAximas in orbe venturas clades plurima prænuntiant, [m] alia quippe aliis ordine certo ſic complexa ſunt, vt quod antecedit ſequentium cauſa ſit aut ſignum, quemadmodum aëris aut maris proximam tempeſtatem aura præter ſolitum commota præcurrit. Cum autem toti [n] ſuo partes conſonent, & vniuerſi ratio compendioſè reperiatur in ſingularibus, fit vt occulto quodam naturæ ſenſu, multa percipiant imminentem ſui diſſolutionem, & hic metus notari debet vt primum ſymptoma illam præcedens.

[m] Vide ſupra l. 3.

[n] Supra lib. 1. l. 12. §. 1.

Si ſub clementiſſimo cœlo, nondum vllas iniurias inferente præſentiunt aues proximam hyemem & in alias commigrant regiones; ſi teſtudines, glyres, mures montani, limaces eodem naturali præſagio tunc maturè quærunt latebras: maioris mali, vltimi ſcilicet interitus, vt maior eſt timor, ſic acutior debet eſſe præuiſio. Quis neget plantas ſuo modo futuri præſcias, cum intra ſex menſes totam ſuam ſubſtantiam profundunt in ſeminis abſoluta formatione, velut præuideant ſolem à zenith noſtro breui receſſurum, & tunc humido quo conſtant alimento gelu concreto corruptóque ſe protinus interituras? Ex hac itaque peritura ſubſtantia, elixir quoddam eliciunt, humido circumſeptum oleoſo, frigorique non obnoxium, in quo ſpem ſuæ propagationis reponunt.

Phœnicem ferunt [o] ſeneſcentem, caſia thuriſque ſurculis conſtruere nidum, replere odoribus & ſuper emori: ex oſſibus & medullis eius naſci primo ceu vermiculum, inde fieri pullum. Non caret proximæ ſuæ mortis ſenſu qui ſibi tumulum hunc pretioſum ponit, & hæredis ex cineribus ſuis ſurrecturi perſonam agens ſibimet honorificè parentat. Id fieri putant quingenteſimo quolibet anno, cum ſimul fiunt magnæ ſyderum conuerſiones, quas hæc vnica mundo congener auis acutiori ſenſu præſentit, quam cæteræ, tempeſtates anni ſolitas. Illam de proximo ſuo interitu monere poteſt virium ex ſenectute defectus, at familiarior, expreſſior & mirabilior hic ſenſus mihi videtur in bombice, qui turgens alimento, tunc cum magnitudine viribuſque præſtantior eſt, intelligit vitæ ſuæ

[o] Plin. lib. 10. cap. 2.

reptili terminum poſitum, & ſemet ſerico condit tumulo, ad diſciplinam hominum ex hac vita in meliorem tranſeuntium. Simile quod refertur in vita Patrum,[p] de Iſidori abbatis monaſterio in quo cum eſſent mille monachi clauſtro nunquam egredientes, eorum nemo antè deceſſum in morbum incidebat, ſed quando vniuſcuiuſque veniſſet tranſlatio, id omnibus ſignificans, & ſe reclinans, dormiebat. Innumera ſunt ſanctorum exempla qui diem & horam ſui tranſitus prædixerunt edocti diuina reuelatione, non ſine ſuo & aliorum maximo ſpirituali profectu, vt ſcilicet in conſpectum diuinæ maieſtatis mox producendi, curarent maiorem conſcientiæ ſuæ nitorem, & vt adſtantium mentibus altius imprimeretur, fides ſpeſque futuræ beatitudinis. Hi quibus talis gratia non conceditur, ſenſibus & ratione ducti, vitæ ſuæ terminum poſſunt obſeruare.

[p] Plin. 8. c. 71.

Homini naturalis eſt mortis ſuæ præuiſio & meditatio.

§. 1.

PRimum humanæ diuinæque ſapientiæ præceptum, Academiarum & templorum frontiſpiciis inſculptum, eſt, *noſſe teipſum*; nam cum eſſentiis commenſurari debeant actiones in ſuum finem conuenienti modo directæ, omnis inſtitutio moralis, politica, religioſa, pendet ex recta ſui ipſius cognitione, hominis autem natura conſtat duabus partibus, ſcilicet anima rationali, ſpirituali, immortali, & corpore ſenſibili, ſenſibilium alterationibus variis, morti tandem expoſito. Spiritualem & immortalem animum eſſe probant omnes eius operationes, potiſſimum intellectus, qui de ſpiritualibus, abſtractis, ſupra materiam, locum & tempus poſitis, etiam de diuinis diſſerit; qui creatis omnibus imperat, naturam ſi placuerit, imitatur, perficit deficientem, reuocat aberrantem; plura concipit quam ferat totus orbis, plura per artes exequitur quæ mundum inſigni pulchritudine nouum & illuſtriorem efficiunt. Hæc eſt humanæ mentis, præcipuæ dominantis in nobis partis præſtantia, etiam dum ſenſibilia regens ad hæc humilis inclinatur; at cum ſe diuinis interſerit, immenſis Dei donis ſeipſa maior, quia deiformis effecta, velut æternitate iam donata, in ſanctorum ſplendoribus plura capit, quam ratio diſcernere, ſermo poſſit eloqui.

Corpus autem quod humana mens inhabitat, terrenum eſt, in ſenſibilium regione, ſenſibilium omnium legibus, damnis, ſeruitutibus obnoxium, & poſtquam illud multi caſus concuſſerint, cadit mortuum, putredinis & vermium eſca. Horret natura priuationem

Digitized by Google

hanc omnes alias complectentem, & vt animalia viſo ſuo ſimili mortuo, fremunt,[q] indignata fugiunt, ſic homines terror occupat ad occurſum & conſpectum mortui, mortiſque cogitationes vt tranquillitati ſuæ noxias auerſantur. Pugnat tamen in ſemetipſum ſenſus hic; cum publicè de reis pœna capitis ſumitur; concurrit enim ad hoc ſpectaculum maximo tumultu populus, nunquam ſatis miratus immortalem mori, ſanum, loquentem, momento deficere, ſic intelligens aliquid eſſe ſupra corpus, & ſub ſenſus non cadens, quo corpus vegetat, ſentit, mouetur. Ita cæco quodam impetu, licet auerſos natura ducit ad publicam hanc lectionem & doctrinam humanæ conditionis.

[q] Plin lib 8. cap. 16.

Iterum ne mortis meditatio, moralis diſciplinæ, prudentiæ, omnis negotij ritè peragendi principium veniat in deſuetudinem, illam refricant exempla quotidiana, illique gentium omnium leges & conſuetudines adſtipulantur. Hominem eſſe mortalem probant quotidie ciuium, ſæpè domeſticorum funera, defunctorum hæreditates, teſtamenta, iura in poſteros tranſlata, ſepulchra; cimeteria oſſibus referta; terræ corruptorum cadauerum vligine madentes, quantitate ſurgentes in tumulos; hiſtoriæ ingentium toto orbe populorum, & exercituum, ex quibus poſt centum annos ne vnius quidem ſupereſt vita, paucorum ex alta cæterorum omnium obliuione ſuperſtes memoria. Si fiant contractus, ſocietatis, matrimonij, mandati, emptionis, venditionis; ſi populi ſanciant inter ſe fœdera; ſi ludi, ſi feſti dies celebrentur, ſi perſonent, ſi triumphos, ſi luctus agant theatra, ſi picturis exornentur priuatæ publicæque domus, vbique fit mortuorum commemoratio. Fit autem non tam ipſorum quam viuentium cauſa, vt ſcilicet hinc diſcant, cum eiuſdem ſint ſpeciei, eandem ſubituros conditionem, eadem lege vt ad vitam, ſic ad mortem genitos; propterea Romæ[r] ea quæ ad funeris pompam pertinebant vendebantur in foribus templi Veneris, & apud aſtrologos ſeptima domus vel occidens ſignificat mortem & nuptias, quia morti, velut perpetuas victimas abſumenti, materiam ſuppeditat propagatio.

[r] Plutarch. Roma. probl. 23.

Lacedemonij monumenta defunctorum conſtituebant circum templa, vt illic frequenter conuenientes populos monerent de mortali ſua conditione, & à rebus pereuntibus euocatos transferrent ad diuina. Pari ratione in regno Malabar,[s] templum ingredientibus ſacerdos cineres offert, vt apud nos aquam benedictam, velut inter ſacras luſtrationes cenſeri debeat mortis meditatio. Hæc importuna, excutiatur, proſcribatur quantum fieri poteſt, inuitis oculis, auribus, mentibus ſe ſemper offert, mundanis etiam rebus addictos ſubito horrendoque tremore concutit, Publicum eſt naturæ ius, quod nulli

[s] Dauity.

nulli licet ignorare, cui nemo poteſt præſcribere, & vt ad ſepulchrum via [t] etiam non vtendo non amittitur, ſic licet affectata ſit mortis obliuio, notionem eius naturaliter impreſſam, tot obiectis prouocatam nemo penitus delere poteſt.

[t] l. 4. ff. quemad.

Duo tamen ſunt quæ hanc debilem in hominum mentibus efficiunt, voluptas & ambitio. O mors, exclamat ſapiens, [v] quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in bonis ſuis, vt enim miſeris portus, ſeruis libertas eſt, ita fœlicibus huius mundi ſupplicium. Vix enim ſine dolore deſerunt quod cum voluptate poſſident, vt autem fatalis illius diei minas non audiant, & vt accepta damnati capitis ſententia vnius mortis metu, mortes quotidianas non patiantur, implicant ſe quantum poſſunt voluptatibus & negotiis: ſibi proponunt longas peregrinationes, ſeros in patriam reditus, ædificiorum, operum diuturnos labores, bellorum, fœderum ſuſpenſa concilia, velut cum rebus illis agendis ſemper futuri ſint, & vita tamdiu duratura ſit, quandiu talibus intenta cogitatur.

[v] Eccleſ. 41.

Sed quid iuuat hac in cauſa ſemetipſos decipere, quotidie morimur, quotidie demitur aliqua vitæ pars, & tunc quoque cum creſcimus vita decreſcit; licet voluptatibus & honoribus dediti non aduertant, progrediuntur tamen ſicut in nauibus dormientes [x] ventis aguntur in portum, etſi nullus quieſcentibus ſenſus eſt nauigandi, tamen curſus eos vrget ad finem & impellit ignaros; ſic vitæ noſtræ ſpatio deficiente, ad proprium vnuſquiſque finem curſu labente deducitur, vnde dicitur [y] ſurge qui dormis, tu enim dormis, & tempus tuum ambulat. In longis certè nauigationibus, nullus eſt tantæ ſocordiæ qui non inquirat ſua vel aliena ſcientia quo ventis ferentibus peruenerit; ſub qua ſit longitudine, latitudine, quantum diſtet à ſcopulis & terris; nam & exhauſtis laboribus noſſe menſuram, voluptati eſt, [z] & hortatur ad reliqua fortius exequenda, ſcire quantum ſuperſit. Singulis ætatum gradibus ſua ſunt officia, qui tranſactam cogitat adoleſcentiam, & declinantem in ſenium virilitatem, etiam neceſſe eſt videat proximè deſinentem in morte ſenectutem, nulli conceſſa generalis huius legis exceptione. Cogitet Iuuenis de profectu, ſenex de exitu, ſicut Luna creſcens orientem cornibus ſpectat, decreſcens occidentem, meritò inquit Iſidorus, quia occaſura & amiſſura eſt lumen. Igitur ne voluptas mentis oculos obducat velo, cum res tanti momenti venit obſeruanda, ſolebant Ægyptij [a] in conuiuiis ſceletum hominis proferre, vt horrentes illæ mortui reliquiæ aſtantium cordibus ſic tacitè loquerentur, fui quod eſtis, eritis quod ſum, certa manet omnes mors, dies incertus, in heſternum nulli ius eſt; de menſa fit ſæpè tranſitus ad tumulum; hæc cogitate, vobis cauete.

[x] D. Ambr. in Pſal. 1.

[y] Epheſ. 5.

[z] Quintilian. Inſtit. lib. 4. c. vlt.

[a] Plutarch. in conuiuio ſapienti.

Digitized by Google

Cum mentes generoſitatis æmulas; illius ſaltem titulum affectantes plus mortalis conditionis oblitas efficiat ambitio quam voluptas, cæcitatem hanc vario frequentique remedio curare conati ſunt antiqui, vt inter honoris ſplendores ſalua ſemper eſſet mortis memoria. Triumphantibus [b] in curru comes adhærebat per ſingulas acclamationes ciuium dicens, hominem te eſſe momento. In inauguratione Græcorum Imperatorum [c] aderat miniſter qui vaſculum cinere & oſſibus mortuorum plenum offerret, alter ſtupæ lini ignem admoueret, ſubitoque combureret, vt eſſet memor mortalis & tot caſibus obnoxiæ conditionis. Idem fit coram Papa nouiter electo apud S. Petrum] in capella S. Gregorij, & ſtupâ coram eo incenſâ dicitur, ſic tranſit gloria mundi; apud eum etiam defertur ſepulchrum, quod in conclaui aſſeruat. Mos ille proceſſit à Ioanne dicto Eleemoſinario [d] Patriarcha Alexandrino, qui frequenter ad ſe venire volebat artifices, quærentes ab eo ex quo lapide, & qualiter ſibi vellet fieri ſepulchrum.

[b] D. Hieronym. ep. 25. ſuper obitu bleſillæ.

[c] Petrus Damiani opuſ. 25.

[d] Vita Patrum.

Si talis ceremoniæ ſenſum obſcurat maximus dignitatis ſplendor, & inter adulantium plauſus, ſi voces illæ monitoriæ non audiuntur, Deus potentiorum cordibus loquitur exemplis, & acceleratis ſibi ſimilium funeribus, docet eos eſſe mortales. Sic Alexandro ſummo Pontifici, quærenti quare vita SS. Pontificum Romanorum ita breuis ſit, vt electo dicatur non videbis annos Petri ideſt 25. Reſpondet Petrus Damiani, [e] id contingere certa Dei prouidentia, vt mors hominis in orbe Chriſtiano ſummi, moneat omnes de talis exitus neceſſitate, à qua neminem dignitas eximit; obſeruatur enim ab omnibus huius majoris luminaris Eclypſis. Quantum, inquit, populis prodeſſe debet Pontificis vita, cuius etiam mors, ſine publico profectu non contingit.

[e] loco citato.

Hæc mortis memoria plurimum prodeſt vt homo tempeſtiuè rebus ſuis prouideat optimo conſilio, quod inter cætera bona non tranſit ad hæredes; vt hoſtem conciliet, liberis conſulat, lites inter eos futuras extinguat in fomite, legeſque bonis ſuis in futurum dicat, vt fecerunt Patriarchæ vnicuique ſuorum liberorum benedictionem pro meritis largiendo. Qui ſic viuit mortis memor mortem non timet, & poteſt vt Cæſar [f] repentinam optare vt commodiſſimam, non eſt enim impræuiſa, negotiis iam bene diſpoſitis non nocet, naturæ blanditur, apud quam, ſuppoſita tali tranſitus neceſſitate, diu non torqueri nobilitatis priuilegium eſt.

[f] Sueton. in Iulio. c. 87.

Qui ſe breui moriturum cogitat, immortales non fouet in corde cupiditates, auri, delitiarum, vindictæ; non ſe nimium exagitat in præſenti pro futuro, in quo fortè non erit; ſequitur placidus rerum & temporis fluxum, perituris vtitur vt moriturus in tranſitu,

Digitized by Google

velut viator, cui dum occurrit læta camporum facies, aut luto difficilis via, in hac non hæret torpore, in illa cupidine, ſed hæc velut ad ſe non pertinentia ſuſpenſo videns animo, ad propoſitum ſibi terminum properat; ſeruire iubet mortale corpus, immortali animo; non poteſt eſſe niſi breuis labor, in tam breui vitæ tempore; immenſa pro minimis promittuntur, cum in præmium boni operis & duratione & merito tam exigui æterna nobis cedet gloria. Probis igitur non importuna ſed gratiſſima ſit meditatio mortis quæ viam illis aperit à terrenis ad cœleſtia, quæ Chriſti Domini ſanguine conſecrata, ſanctos admittit ad æternæ ſuæ fœlicitatis conſortium.

VT IN PRINCIPIO SIC IN FINE contingit infirmitas.

Lex 14.

EX nihilo creata, etiam quæ nunc naſcuntur vegetantia & ſenſibilia, cum ab exiguo ſemine ſuam ducant originem, illius in omni ſuo progreſſu potiſſimum in fine notas ignobiles præferunt. Primo quidem tam debilia prodire videmus, vt nullam oſtendant indolem, nullam dent ſpem ſuæ ſpeciei, ſicut emergens è glande germen, roboris, & ouum, gallinæ. Hinc per inſenſibiles profectus ſurgunt in quantitatem, virtutemque ſibi congruam, quiete tamen actionibus interpoſita, quæ vires conſumptas, & ad initij defectum inclinantes reparet.

In ætate nondum prouecta, ineſt adhuc hæc intima formæ facultas, quæ ſpiritus exhauſtos & fatigata miniſteriis organa reſtituit in integrum, at tandem exiſtentiæ poſitus eſt terminus, in quo poſt plurimos languores initiis debilibus ferè pares, vis tota contabeſcens, deſinit in eam quæ præceſſit initia priuationem. Ita motus cœlorum decreſcit in ſuis partibus, prout magis accedunt ad duos polos, qui pariter extrema tenent, immobiles. Quotidie ſol Oriens & Occidens mixtam tenebris lucem mundo largitur, ſimiliter infirmam, vt ſub ea corporum colores, figuræque vix poſſint diſcerni. Ideo per Ianum bifontem [g] antiquitas ſolem ſignificabat, quaſi vtriuſque ianuæ cœleſtis potentem, qui Oriens aperit diem, Occidens claudit. Hæc eſt iterata quædam expreſſio mundi totius, in cuius natali ſimiliter & in vltima diſſolutione credenda nobis proponitur, elementorum horrenda confuſio. Si ex oraculo Chriſti do-

[g] Macrob. Saturnal. lib. 1. c. 9.

[h] Math. 24 mini, cœlum & terra tranſibunt, [h] par erit nondum creati, & poſtea diſſoluti, ſcilicet non exiſtentis conditio. Quantitas omnis terminatur puncto phyſico, minima ſcilicet eius particula, eademque priuatio primam antecedit vltimam ſequitur; Eadem, quia in non exiſtentia, nulla videtur conſtituenda diſtinctio, ſicut in ſeruorum conditione Iuriſconſulti nullam admittunt differentiam.

[i] Inſtit. de de iure perſonar. §. vlt.

[k] Vide ſupra lib. 1. 16.

Expoſuimus [k] rei cuiuſlibet etiam corporis humani naſcentis infirmitates, in quas ſimiliter inclinata iam ætate relabitur, nam contractis ex ſiccitate membris, amittit liberalem quam prius habebat rectitudinem, & inclinat ad exiguam pueritiæ ſtaturam, reptat decrepitus vt infans: albeſcentes è flauo primos erumpentes capillos æmulatur canitie, edentatus balbutit, ſtupet per diem ſomnolentus, & in cæteris fiunt bis pueri ſenes. Poſtquam enim corpus ad ſuum incrementum peruenit, [l] in eo quod ſequitur tempore omnibus iam partibus ſupra iuſtum ſicceſcentibus, non ſolum cuiuſque officium minus probè adminiſtratur, ſed etiam corpus ipſum macilentius, gracilius atque rugoſius redditur, artuſque omnes inualidi, atque ad motus ſuos pigri, & inconſtantes cernuntur, quæ affectio appellatur ſenium, ipſi marcori plantarum prouenienti ob ſiccitatis exceſſum quadam proportione reſpondens, vt vinum ſic vita naſcens & deſinens aceſſit. Vt pueri ſic ſenes quæruli ſunt ſibi primum tum cæteris oneri, vitam miſerè trahunt ab aliorum manibus pendentem, cum nulla, ſicut in pueris, ſpes ad hæc officia prouocet, turpis, ingrata ſæpè delirans infirmitas auertat.

[l] Galen. lib. 1. de ſanitate tuenda.

Deſinit dies in noctem, magno rebus mortalibus commodo; nam labori finem imponit quem agentium excedens auiditas ſibi non imperaret; ſub lucis defectu torpeſcentes ſpiritus neceſſariæ quieti blandè conſentiunt, intra condictas horas expectata, nunquam fallens redit lux, ſomno refectis, operum auidis viribus opportuna. Longè diſpar eſt humanæ vitæ conditio, occidit enim, vt amplius non oriatur, in magno rerum tot laboribus quæſitorum apparatu, fluit in mortem omnia ſimul ſorbentem, ſicut fluuij tumentibus vndis plurium acceſſione collectis, currunt ad mare, vbi dulcedinem, motum ſuum, nomen, exiſtentiam amittunt.

Hæc tamen quæ ſenectutem comitatur infirmitas cenſeri poteſt indulgentia naturæ, ſic fati neceſſitatem temperans, vt ab extremo in aliud immediatè non fiat tranſitus, non enim ſubito impulſi ac proſtrati ſumus, carpimur, ſinguli dies aliquid ſubtrahunt viribus, & per multas priuationes ad vltimam componimur. Fit hæc conſuetudine quadam familiaris, per infirmitates, oculorum manuum, pedum, velut per delegatos à ſe proxenetas, affectus noſtros ſibi deuincit, & ad neceſſitatem facit nos libertate diſponi; ſuccedit in locum

Digitized by Google

voluptatis, nullis egere, cupiditates fugaſſe & reliquiſſe, extra mundanas tempeſtates, contractis velis, otiante ſpecula, nihil timentem, æterna ſperantem ad portum allabi, plenum ſatiatumque conuiuam diſcedere.

Si non deuexa tantum, ſed præceps ſit ætas doloribus mancipata, non timet educi laborantem animam, proſilire ex ædificio ruente & putrido, relictis mundi fæcibus, periculoſis ſocietatibus, ad ſanctorum cœtus, ad cœleſte conuiuium Deo vocante transferri. Præcedens itaque longa corporis vexatio, facit vt mors non ſit pœna, ſed pœnarum finis, libertas poſt ſeruitutem, quies poſt plurimos emeritos labores. Cæterum Platonis [m] eſt ſententia ſenſim deficiente & relaxato per ſenectutem corpore, animum ab illo duci cum aliquo voluptatis ſenſu, quod enim ex rei natura fit iucundum eſt, vt violenta ſunt moleſta. Senilis anima [n] in primis labris eſt, nec magna vi diſtrahitur à corpore: ignis qui violentam materiam occupauit, aqua & interdum ruina extinguendus eſt, ille qui alimentis deſeritur ſua ſponte ſubſidit, quis exitus eſt melior quam qui in finem ſuum, natura ſoluente dilabitur.

[m] in Timæo.

[n] Seneca epiſt. 30.

Conſumptæ virtutis reſiduum emicat in fine.

§. I.

AD occurſum contrarij natura vires ſuas colligit, vnione ſic auget, vt quietis impatientes, in maximos erumpant impetus, inde fit vt cum exiſtentiam ſuique conſeruationem impenſius appetat, interitus imminente periculo, illius vitandi & auertendi cauſa ſe totam explicet, & inſenſibilia hoc in caſu ſenſibus prædita videantur. Obſeruatum ſæpius eſt lampadem oleo deficiente langueſcentem priuſquam penitus extinguatur, ſubitum & inſolitum ſplendorem emittere: Ignem cineribus ſepultum, priuſquam totus emoriatur ſintillas fortiter iaculari; Ligna quo plus humido ſuo deficiente properant ad mortem, ſiccantur vt minus ſubiaceant corruptioni. Dum in lagena contentus humor effunditur, qui eſt extremus abundantiam mentiens, impetu ruit & deſinit. Hæc contra vim vltimum minantem interitum pertinacia, magis apparet in animalibus. Ceruus diuturnam vim venatorum & canum paſſus, non prius exhauſtis viribus in prædam ſolet ſe dedere, quam ſupra naturam ſuam ferox furenſque, in turbam ſe perſequentem feralem faciat impetum. Animalia cætera vulneribus confoſſa, dum vltimum agunt ſpiritum, præter expectationem, cum mortua creduntur,

Digitized by Google

aſſurgunt, motus edunt violentos, quibus peractis proſtrata iacent. Aquis merſi poſtquam diu cum aduerſo ſibi elemento in vanum luctati ſunt, & conclamatum eſt, miro conatu emergunt ſupino capite, vt vltimum ſpiritum reddant aëri, vltimum vale dicant cœlo, tum in inferiora mortui relabuntur. Sic obſeſſæ ciuitates deditioni proximæ pauperiem ſuam tegunt reſidui largitionibus, virium defectum magna ſimul & audaci, ſed vltima militum eruptione.

Hominis vita tentatio eſt ſuper terram, cum enim in virtute ſuum ſummum bonum conſtitutum ſit, illud tamen impugnant proſpera ſimul & aduerſa, vt non minus inſidiis quam aperta vi, fortunæ donis quam iniuriis ab integritate ſe doleat deiectum, cum iam ſenex in totum vitæ peractæ tempus cenſor inquirit. Videt florentem iuuentutis ætatem propriæ libidinis æſtu & alterius conſortio miſerè vanis voluptatibus impenſam. Videt viriles annos, maturo iudicio magis aberrantes, ambitioni, auaritiæ, vindictæ cæteris ægris reiſque paſſionibus conſumptos; tandem ſenectus non ferens aulam, militiam, officia publica receptui canit, vocat ad quietem in qua ſibi redditus homo miratur tantis ereptum ſe periculis, in hunc vſque diem ſeruatum beneficio Dei, cuius tamen leges contempſit, donis abuſus eſt. Tunc extra certaminis arenam poſita mens ſentit ſua vulnera, cur non iraſcatur mundo, concupiſcentiæ, fragilitati ſuæ, & pœnitens diuinæ miſericordiæ ſupplicet ſaltem in extremis?

In animalibus ex deſperatione naſcens audacia, furorque dum intereunt vanus eſt, cum vitæ reliquias non ſeruet ſed profundat; homini verò datum eſt, langueſcente corpore, conſcientia reatus ſuos agnoſcente, deflente, in extremis actus virtutis heroicos producere, totiuſque licet præteritæ vitæ ſalutem, apud Deum miſericordem promereri. Latebat in pectore cœlo miſſus ignis, cuius ſplendorem ardoremque humana diu texit cupiditas, quid obſtat, quin hac ſaltem ſenio deterſa, quod in nobis diuinum eſt, totam mentem occupet, & ſurſum ad originem ſuam transferat. Dauid [o] in extremo morbo aulicos ſuos limine excluſit, admiſſis ad ſe ſanctis, propheta Nathan & ſimilibus, [p] deoque benedicens animam reddidit. Salomon ſub finem ætatis, amiſſum per Idololatriam ſpiritum ſanctum pœnitens recepit, prouerbia ſcripſit, & Eccleſiaſtem de mundi contemptu, dicit enim in prouerbiis, nouiſſimè ego egi pœnitentiam & reſpexi vt eligerem diſciplinam. Fœlix qui cum in freto vixerit, ſaltem mori poteſt in portu; qui tot in ſalutem ſuam coniuratas, vires & velut in poſſeſſionem miſſas fallit, excludit, irritas efficit, diuinum in ſe ius vindicat, pio vitæ ſuæ exitu.

[o] Geneb.an. 3.46.
[p] 3 Reg.1.& 2.

Digitized by Google

AMBIT NATVRA HONESTO FINE concludi.

Lex. 15.

LEx iſta pertinet ad augmentum ſuperioris paragraphi in quo demonſtratum eſt, naturam ſic ambire ſplendidum operis ſui finem, vt propterea vim faciat antiquis etiam habitibus, victis vires addat, vt ſaltem fortiter deſinant. Turpis corruptio præcedit generationem, & ipſius generationis incipientis deformitas, tum ſe promouentis impotentia, ſatis excuſantur ex operis intenti perfectione. Arbores gummiferæ nudo ſterilique trunco ſurgunt in altum, ſufficit illis ad pulchritudinem, ſi calore ſurſum alimentum pellente, virenti fuerint coma. Humani corporis partes, tum neceſſitatis, tum honeſtatis cauſa tegendæ, habent expreſſiones ſuas & ſigna, in aperto vultu extrema tenente & ad cœleſtis pulchritudinis formam [q] figurato. Illius & extremas omnes partes in orbem prouidentia conformauit, [r] eo quod circularis figura, vbique ſibi ſimilis omnium eſt pulcherrima. In extremitatibus etiam ſenſus eſt vegetior propter reflexionem ſpirituum, has ideo ſolas partes olim antiqui [s] Diis cœleſtibus offerebant. Sæpè ſol tota die nubibus atris obſitus, occumbit inter purpureas, quæ ſpeciem eius diffundentes maiorem & pulchriorem exhibent, quam fuerit in medio cœli, multiplicata ſcilicet, temperata tamen, ſua luce in hac ſplendida curialium decumbenti vale dicentium corona.

[q] l. 1. Cod. de pœnis.
[r] Ariſt. problem. ſect. 16.
[s] Euſeb. præparat. Euang lib. 4. c. 4.

Inde quidam exiſtimant plurimos mediorum defectus, honeſtate finis compenſari, violentam initio poſſeſſionem, priuatam publicamque fieri legitimam, ſi tandem deſinat in vſus iuſtitiæ votiſque communibus congruos. Numa eo ferocem populum Romanum redigit, vt [t] quod vi & iniuria occupauerat imperium, religione atque iuſtitia gubernaret. In malis ſolatium quidem eſt ſi deſinant & bono fine concludantur, ſed iniquiſſimum eſt votum eius, qui facit mala vt eueniant bona; [v] qui ſub initiis ſæuam arcet tyrannidem, cum propoſito mitius habendi populum, cum inermis & obſequens fuerit effectus. Talis infinitæ cuiuſdam & illimitatæ peruerſitatis natura ſua malum committit, cum ſperatum bonum à futuro pendens, ſit incertum, anguſtum, etiam in contraria detorqueri facile. Sic Ni-

[t] Florus. lib. 1. c. 2.
[v] Vide ſupra lib. 2. l. 4. 5. 4.

ſius Syracuſarum tyrannus poſt diurnas cædes & rapinas, tunc tandem voluit donis & conuiuiis populares affectus promereri, cum ab Aruſpicibus didicit ſe breui periturum. Quis non improbet morem Circaſſinorum [x] hæreticorum circa paludes Mæotidas habitantium, qui non intrant Eccleſiam, niſi anno ætatis ſuæ ſexageſimo, cum ſcilicet ob ſenectutem non poſſunt amplius vacare latrociniis, quibus maximè ſunt dediti, & quibus impendunt iuuentutem, vt ſenectutem pœnitentiæ. Viuidam ætatem vitiis, inualidam & vitæ fæcem Deo dicant. Quam fallax & iniurioſa ſpes meditatis & multiplicatis ad extremum vſque criminibus indulgentiam velle promereri? Rara ex ſenectute naturalis mors, frequentior violenta & immatura, vnde qui pœnitentiam remittit in ſenectutem, ſuæ ſalutis contemptor, non curat ſi moriatur impœnitens. In ipſa criminum abdicatione, manet adhuc voluntas illa perpetrandi ſi vires non deficerent, rapiunt adhuc affectu, & hæc laruata pœnitentia Deo & hominibus illudens reatus non tollit, ſed hypocriſi cumulat.

[x] Dauity in Circaſſia.

Igitur quantum fieri poteſt omnis ætas impendatur bonæ menti, cum celeritate temporis vtendi celeritate certandum eſt, velut ex torrente rapido, nec ſemper caſuro ſemper hauriendum, cum tamen ſenectus vel morbus inſtantem vitæ finem denuntiat, tunc inſolito charitatis ardore inſtandum bonis operibus, quibus anima prætextata gratior veniat in conſpectum diuinæ maieſtatis. Quandiu viget meſſis & vindemiæ tempus colligendis & congerendis fructibus intentus agricola, hoc tantum curat, ne deſit labori; quo ceſſante ad menſuram & numerum percepta computat, ſic ſolet elabi vita mortalium in excipiendis Dei donis, in vitandis aduerſis, & componenda ſuppellectile quæ proli ſufficiat. Cum verò moriendum eſt, & de acceptis rationes Deo reddendæ, tunc præteritum omne votis antiquis longum, variis actum caſibus, iam inter non exiſtentia, momentum eſt ex quo tamen pendet æternitas. Viri diuitiarum [y] dormierunt ſomnum ſuum & nihil inuenerunt in manibus ſuis: Euanuerunt ambitionis, auaritiæ, voluptatum obiecta, remanet ingratæ & diſſolutæ mentis reatus. Quod ergo poteſt eſſe melius conſilium, quam debiti cuius poſſibilis non eſt tota ſolutio, remiſſionem petere, & piis affectibus apud diuinam miſericordiam promereri. Alius de alio iudicat dies, poſtremus de omnibus; Numeris dat formam vnitas vltima; vitæ in æternum fœlici vel miſeræ, caracterem imprimunt poſtremi decedentium affectus. Si ceciderit lignum [z] ad auſtrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Licet, inquit Saluianus, [a] ſalubris ſit in omni ætate ſapientia, in exitu tamen neceſſaria eſt, quia laude digna non eſt, niſi bono fine concludatur; creſcere debet bonis operibus vita, vt

[y] Pſal.

[z] Eccleſ. 11. 3

[a] Lib. 4. ad Eccleſ. Catholic.

ſententiis

ſententiis oratio, quia de bono opere nihil nimis eſt; vitæ finis præcedentibus non debet eſſe deterior ne deroget, ſed præſtantior vt perficiat. Ita Theodoſius [b] moriens populo tributa relaxat, hoſtibus dat indulgentiam. Balduinus Rex Ieroſolimorum, & Stephanus Rex Hungariæ facta profeſſione religioſa, induti habitu monaſtico moriuntur.

[b] Baron. an. 395. & 1131.

Ius gentium eſt vt quemadmodum cœna peracta, [c] reliquiæ circumſtantibus diuiduntur, ſic peracta vita aliquid porrigi his qui totius vitæ miniſtri fuerunt. Id ſuadet humanitas, pietas autem exigit à Chriſtiano, vt miſereatur animæ ſuæ, vt peccata ſua redimat eleemoſynis; vt bonorum à Deo conceſſorum vſufructu per mortem deſinente, redeat ad Dominum poſſeſſio, ſaltem velut in feudi mutatione Chriſto ius ſuum reddatur in pauperibus, & id offerat, non præſumptione donantis, ſed humilitate ſoluentis minimam partem, & quidem tardiſſimè pro toto. Quid ſtultius [d] quam vt aliquis de ſuo non ſibi conſulat, malit hæredem diuitem relinquere, & ſe vacuum bonis operibus quibus æterna præmia promittuntur. Facilius eſt aliquid hæredibus deeſſe de patrimonio, quam teſtatori de ſalute; id vltrò patientur hæredes ſi digni ſunt, ſi non patiuntur, ſunt indigni quibus hæc illis relinquantur.

[c] Seneca. ep. 77.

[d] Saluianus lib. 1. ad Eccleſ. cathol.

Plurimum indulgent naturæ qui morienti promittunt honeſtam pro facultatibus pompam funebrem, [e] & per monumenta, celebritates annuas, titulos, hiſtorias, nomen perpetuum. Hæc fuit omni tempore, apud omnes gentes recepta conſuetudo, potiſſimum apud Ægyptios qui ſublimium pyramidum, inextricabilium Labyrinthûm æternis operibus perpetuam defunctorum memoriam, religioſos & intactos defunctorum cineres teſtabantur. Pauci ſunt qui tumulos ſibi ponant, memoriæ ſuæ apud poſteros præcones, multi rem hanc hæredum ſuorum fidei committunt. At vnum eſt quod alienis præſtari non poteſt officiis, ſed quod ipſemet exequi debet moriens, pia ſcilicet ad Deum conuerſio, quæ non memoriam apud poſteros, ideſt vmbram quandam exiſtentiæ, ſed veram, æternamque cum Angelis in cœlo perpetuitatem promeretur. Fauet huic ſanctitati ſtatus animæ corporeis vinculis ferè iam ſolutæ, & per ſpecies quaſdam vniuerſales, rerum temporalium vanitatem, ſpiritualium dignitatem iam ex alto proſpicientis. Ita Philo [f] Moyſem morti proximum deſcribit Deo laudes dicentem pro acceptis ab eo beneficiis à natiuitate vſque ad ſenectutem. Vocatis, inquit, in auditorium elementis totius mundi præcipuis, terra cœloque, quorum alterum mortalium domus eſt, alterum immortalium, carmen cecinit Deo, vates quodammodo choreis æthereis inſertus; abſoluta melodia è ſanctitate charitateque contexta, cœpit paulatim è mortali vita, in immortalem mutari, ſentireque ſeparationem rerum ex quibus con-

[e] l. 23. ff. de ann. legat.

[f] Libro de charitate & de vita Moſis in fine.

HHhh

cretus fuerat, corpore in teſtæ modum diſcedente, nudanteque animam; hac verò auidè migrante ad deſtinatam ſibi regionem. Poſtremo migraturus ad ſuperos, iam tum prope totus verſus in animum, & quidem illuſtriſſimum, repletus diuino ſpiritu, ſingulis ſuæ gentis tribubus, futuros caſus aperuit.

Ignis flamma ſua deſinit in apicem à materiæ conditionibus penè totum abſolutum & æthereum in quo propterea ſumma vis ineſt. Appoſita ſibi ligna conuertit in cineres, qui ſub ſordido velamine continent ſplendidam & incorruptibilem vitri materiam velut huius actionis violentæ coronam. Inſectorum plurimæ ſpecies vt erucæ, bombices, formicæ, tineæ & cæteræ ſeneſcentes, tranſeunt in ſpeciem nobiliorem, fiuntque de reptilibus volucres. Latio naturalis eſt ab initio tarda propter maiorem reſiſtentiam medij, ea autem ſenſim ſuperata fit in fine velocior. Offeruntur in fine conuiuij bellaria, ſatiatum etiam appetitum ſollicitantia; quid mirum ſi deficiente ſenum corpore virtus mentis augetur, iure quodam accreſcendi; ſi tunc homo liberatus ab impudentiſſimis dominis, voluptate, libidine, ſpretis terrenis animus ad diuina conuolat, ſi morituri quaſi iam in atriis domus Dei poſiti, ducunt æternitatis ſpiritum, cognitione ſimul & affectu iam quodammodo deiformes.

In naſcendi moriendique communi cum animantibus conditione vt vindicemus naturæ noſtræ dignitatem, hoc nobis præſidium prouidentia conceſſit, animum, corpore deficiente, poſſe liberius agere, & ad ſimplicium eſſentiarum perfectionem aſſumi. Moriatur, iaceat, corrumpatur pars illa terreſtris, ſuperſunt virtutis præteritæ merita, illique repoſitæ coronæ; ſuperſunt apud poſteros rerum fortiter & & ſanctè geſtarum exempla, quæ docent, quæ prouocant ad ſimile, ſupereſt viro Dei duplex immortalitas apud immortales, & mortales, in cœlis & in hoc mundo. Excedit longè Regum & victorum triumphos, ſanctorum ſolemnis perpetuaque per totum orbem gloria, & nunc hoc eſt ſplendido fine concludi, ſine fine ſemper, omnium linguis, ſcriptis, votis, cultu diuinis proximo celebrari.

Digitized by Google

Maximus in fine labor.

§. 1.

VT vniuerſum conſtat ex contrariis, ſic eius ſingulæ partes, aliquas ſibi patiuntur aduerſas; conceptis votis, licet æquiſſimis aliquid ſemper obſtat, quod inito prælio ſuperandum eſt, fortaſſis vt poſt pugnam & victoriam dulcior & glorioſior fiat poſſeſſio. Ambit natura fine glorioſo concludi, & ecce finem multæ circumſtant difficultates, tum propter vires ex præcedenti labore languidas & penè iam exhauſtas, tum ob vim hoſtilem, huic poſteriori parti velut debiliori crudelius inſidiantem.

Lapis ex alto libero ſuo naturali motu cadens in terram, fertur celerius quo fit illi propinquior, propter ſuperioris aëris partes quæ fortiter in ſe redeuntes impellunt, & inferioris in exigua quantitate, minorem habentes reſiſtentiam. At in motu violento, vt in emiſſa ſagitta, contrarium accidit, nam impreſſa vis cum ſit limitata, velox initiò, ſub finem tardior, tandem quieſcit, ſenſim cedit ponderoſo corpori ima petenti, & à rectitudine declinans vergit in terram, ibique ſedet. Exploſus bellici fulminis globus primò fertur tanta celeritate vt viſum fugiat, tum vi remiſſa terram contingens, aſſultat; motu ſemper quo plus procedit minus violento.

Sublunaria plurimum habent de materiæ terræque ſtupidis, deiectis & immotis conditionibus, vnde dum hæc ad actionem cœlum luce, circulatione, virtute ſua prouocat, videtur illis inferre vim, quæ remittit in receſſu ſolis, & circa finem, vt in partibus, ſic in vniuerſo langueſcit. Obſeruat Hypocrates [a] vim hanc cœleſtem vigere potiſſimum in zonis temperatis, deficere verſus polos ſub quibus, vt ſub arctico noſtro, dicit gentes eſſe feris moribus. Ferunt initio terram [b] caloris ardore tepefactam multis in locis habuiſſe humores quoſdam concretos in quibus putredines tenui contectæ pellicula ſunt excitatæ, quæ ad ſummum perductæ, velut adueniente partus tempore, formæ animantium omnis generis eductæ ſunt, terram autem poſtea ſolis ardore & ventis in dies magis arefactam à gignendis maioribus animalibus deſiiſſe, productis tamen imperfectis vt ranis & muribus. Fatentur mundi ſeneſcentis defectum qui notant non amplius, vt olim, fieri tranſmigrationes populorum, quia iam non ſunt tam viuaces homines, itaut vix vno ſæculo prouinciæ repleri poſſint; Priuſquam id docuiſſet experientia, præuidere ſapientes qui ætatem mundi primam auream, tum ar-

[a] lib. de aëre aquis & locis.

[b] Diodor. ſicul lib. 1. c. 1. & 2.

Digitized by Google

genteam, æneam, tanedm ferream dixerunt. His adſtipulantur diuinæ ſcripturæ, dum grauiſſimas in fine mundi perſecutiones denunciant, itaut illis fortiter ferendis vix iuſti pares futuri ſint. Quod habet optimum primò fundit natura, extremas ſignorum zodiaci partes exponit infœlicibus planetis; dies à luce in noctem computatur; exhauſtis auri, argenti, æris fodinis, [c] non amplius hæc metalla ſed ferri ramenta producuntur. Hyems tempeſtatum anni vt vltima, ſic deterior, & ficus [d] quæ tunc temporis matureſcunt, quaſi inuita natura & fatigata, ſunt deteriores; Aurora muſis amica, mane conſiliis capiendis aptum, & olim incipiente aut creſcente die, [e] non iam deſinente iuſta auſpicia fiebant quaſi fatiſcente ſub veſperam cœli hominumque virtute.

[c] Ariſt. lib. de mirabi. lib.
[d] Athen. lib. 3. c. 3.
[e] Alex. ab Alexan. lib. 5. c. 19.

Id ideò quia motus animalis violentus eſt, dum forma ſpirituſque torpentem ex ſe corporis maſſam, ad actum & loci mutationem propellunt. Quam alacriter egreditur de domo viator, ſomno ciboque viribus recreatis, tam laſſus die peracta venit in hoſpitium, vix parum itineris quod in fine ſupereſt, maximo perficiens labore, licet prouocatus proximæ quietis deſiderio. Similiter in ſenecta velut in vitæ termino, poſt emeritos ætatum labores, virtus corporis animique deficit, & quæ aliquibus cruda viridiſque dicitur ineſſe, verè debilis habetur pro miraculo quod tunc penitus non interierit.

Auget & conſummat finis difficultatem, quod conſumptas iam in opere vires, facilè ſternit ſuperueniens hoſtis inſidiantis impetus, hac infirmitatis occaſione captata longè ſæuior; ſic nauem ex longinqua nauigatione ſemicaſſam ſœpius frangunt terris circumiectæ rupes, & lugendum cauſant in portu naufragium; Extremas corporis, exercitus, regni partes, vt à caloris & virium fonte magis diſſitas, ſibi primum obuias hoſtis ſolet impetere; diligentius ideò præmuniendæ ſunt, & imitanda natura, quæ has in animantibus, vnguibus, cornibus, venenis, aculeis armauit. Ideo ſicut in primis, ſic in vltimis ordinibus exercitus fortiſſimi milites diſponuntur, Vrbes ea parte qua reſpiciunt hoſtem, eiuſque pati poſſunt incurſus, acerrimis teguntur propugnaculis. In limitrophis regni partibus [f] arces munitiſſimæ conſtituuntur, & ideò non omnibus illic caſtrum habere licebat, ſed veteranis militibus, qui pro imperij cuſtodia, finibus excubabant, & operam nauabant.

[f] lib. 2. Cod. de fundis limitrophis l. vlt. C. de officio præf. præt.

Serpens inſidiatur pedis calcaneo, dæmon annis extremis vitæ, velut ad reſiſtendum minus validis, tunc enim potiſſimum corpori compatitur animus, cum illo læditur, infirmatur, veris doloribus falſos, metu & imaginatione confictos ſuperaddit; auidius terrena complectuntur homines, cum hæc illis deſerenda ſunt. Rerum toto vitæ tempore geſtarum confuſæ ſpecies mentem obruunt; anxia fa-

Digitized by Google

miliæ cura, neceſſariam ſalutis curam præripit. O quam ſera pœnitentia, vbi nec benè cogitare in tanta rerum temporalium turba, nec bene agere, in tam graui mentis & corporis infimitate licet, natura potius in cœleſtium aut obliuionem, aut deſperationem propenſa; ideò maturè bonis operibus præmuniendus eſt hic vitæ mortalis exitus, qui, licet ex eo pendeat æternitas, laborat tamen eſſentialibus incommodis: tunc homo, diuitias, parentes, amicos, liberos, hoſtes animæ ſuæ patitur, cum eorum cauſa vigeant, quæ deberent extingui malæ cupiditates; tunc maximè ſæuiunt vi doliſque poteſtates tenebrarum. Exponit igitur ſalutem ſuam, qui curam illius reiicit in nouiſſimum illud tempus, omnium infirmiſſimum, viſibilium & inuiſibilium hoſtium grauioribus iniuriis laceſſitum.

Rerum abeuntium & abſentium maior ſolet eſſe cupiditas.

§. 2.

RES, vt ambit natura, ſatis honeſto fine concluditur, cum decedens magnum ſui relinquit deſiderium, id enim probat eam extra comparationem eſſe poſitam, & talis excellentiæ; vt vix vlla ſimilis poſſit reperiri. Diuturna cuiuſque finiti boni poſſeſſio tranſit in aſſuetudinem, quæ ſenſum illius obſcurat, torpeſcit, nec mouetur ſatiatus appetitus, at cum imminet priuationis periculum, res incipit deſiderari velut iam abſens, ſic ex decedente excerpit quidquid poteſt in futurum ſibi prouidens cupiditas. Oues circa ſolis occaſum præſentiunt lucem ſibi proximè defuturam, vnde ne momento quidem ociantes, oris mira celeritate carpunt herbas, & antequam nox ruat, implentur. Quod ad diem, id auidius longo temporis tractu faciunt cum inſtat hyems, paſtuque ſupra ſolitum ampliori, copioſum ſibi congerunt alimentum, metu defectus voracitatem prouocante. Similiter ex pinguedine piſcium & reptilium in principio hyemis, frigus magnum & durabile coniicimus, contra quod ſagax animalium natura ſe præmunit.

Inualuit apud homines ventri deditos eadem animalis propenſio, vt ante diem ieiunij quadrageſimalis, cibo potuque ſibi paulo poſt interdicto ſupra temperantiæ modum impleantur; In ſanctitatis veſtibulo[g] prophanati præſtant ſe rebus ſacris indignos; ebrietatem Deo inimicam admittentes excludunt Deum; in illum hodie conſultò peccant, quem poſtridie placare volunt, abſurdiſſimè per temulantiam præparantur ad ieiunium, vt ligna per aquam ad concipiendum ignem: rationi tamen præualet hæc naturalis inclinatio, aui-

[g] D. Baſilius homilia de ieiunio.

dius appetendi quæ fugiunt, contra venientem priuationem fortiter nitente deſiderio. Ita ſenes ſunt inclinantis iam vitæ ſuæ conſeruandæ ſtudioſiſſimi, propterea quod, inquit Ariſtoteles, ea maximè cupiunt, quibus indigent.

2. Rheto. 3.

Grata quidem eſt, ſed obſcuræ voluptatis amici familiaritas, at cum ille diſcedit nauigationis, belli, longiſſimæ peregrinationis periculis exponendus, tunc amor ruit in amplexus, abeuntem quantum poteſt detinet, ſed cum id fruſtra ſe tentare videat, in ipſa poſſeſſione ſentiens proximæ priuationis dolorem, vt circa morientes, fundit lachrymas. Sic natura multis vt diximus [b] prodigiis bonorum principum mortem, & quæ defectum hunc ſequentur incommoda, prænuntians, maturè luctum videtur inſtaurare. Cœlum quod in Chriſti natiuitate lætitiam nouo lumine, & angelico concentu teſtatum fuerat, dolorem non continet in eius morte, licet viuifica, quin tenebris, terræ motu, petrarum, veli templi confractione authori ſuo compatiatur, & inter mortales deſiturum hoc magnum miraculum doleat.

b Supra l. 3.

Si ſic metus inſtantis abſentiæ accendit deſiderium, multò maius erit re chariſſima totaliter ab oculis ſublata, cumque conceptum de futuro dolorem præſens poſſeſſio non amplius temperat. Sanas & optimè loco ſuo conſtitutas corporis partes non ſentimus, at luxatas ab opere & influxu ſuo præpeditas acerrimus dolor ſequitur; pari ratione rerum optimarum fruitionem vix aduertit ſenſus illi familiaris effectus, ſed qui bonum ſuum poſſidens ignorat, illud dum eo ſpoliatur, agnoſcit, & rei cuiuſlibet pretioſæ conditio ſolet eſſe ſimilis facibus [i] accenſis in ſublimi, quæ non niſi cum cadunt, emicant. Acutior generaliter eſt doloris quam voluptatis ſenſus, potiſſimum in amiſſione dilectæ rei; nam eius fruitio conceditur tantum ſucceſſiuè & per partes, ſic ſemper imperfecta, à præterito futuroque pendens, ægris etiam intermixtis paſſionibus plurimum interrupta; priuatio verò tota ſimul eſt, partium omnium temporis dolores cumulat, non veris tantum, ſed etiam ex imaginatione confictis animum obruit.

i Plin. lib. 2. cap. 26.

Vt id vertitur in deſiderantis ſupplicium, ſic in deſiderati commendationem & gloriam, hinc amantes affectant temporaneam abſentiam, qua ſui pretium & deſiderium faciant diſcuſſo faſtidientis præſentiæ torpore. Rerum pulchrarum ſpeciem in certa tantum ab oculis diſtantia percipimus, geographi dum montes & excelſa loca deſcribere & delineare cupiunt, in humilibus profundiſque vallibus ſubſident. Extra motum eſſe debet qui iudicat de motu, extra continuam poſſeſſionem qui de delitiis eius pronuntiat. Ideoque prouidentia nobis, lucis ſenſum & deſiderium, per noctes, æſtatis per

Digitized by Google

hyemem, conſolationis per aduerſitates refricat. Non agnouerunt Athenienſes, [k] quantum in Pyrrho, Socrate, Themiſtocle dignitatis & fœlicitatis poſſiderent; niſi cum illis, quos prius eiecerant, & occiderant, ſtatuas honoris cauſa poſuere: virtutem incolumem odimus, ſublatam ex oculis quærimus inuidi. Mundus ſanctos, quos viuentes acerbiſſimè perſecutus eſt, quotidie mortuos colit; pœnitet ipſum non agnouiſſe tempus viſitationis ſuæ, pudet poſſediſſe, & crudeliter habuiſſe terrenos Angelos quibus non erat dignus, & ſanè ſi peruenit ad beatos ex his quæ hic geruntur, accidentalis quædam gloria, ſumma futura eſt, videre ſe nunc ſic deſiderari, ſic coli, ſic Deum in ipſis honorari, ſic mortis ſuæ ſupplicia in coronas verſa, ſic in ore votiſque fidelium eſſe viuentes, vt ipſis totus orbis pro monumento ſit.

[k] Plutarch. in Theſeo. Pauſanias in Atticis.

OPTIMI CORRVPTIO PESSIMA

Lex 16.

Hoſtiles acies duæ ſi confligant, fortior ſuperat infirmiorem, prouincias occupat ſibique ſubiicit, ita Romani dicebantur protendere fines imperij ſui quia quæ fuerant alienæ ditionis efficiebant ſuæ. Sequebantur naturam, quæ in contrariorum pugna victori concedit ſpolia debilioris. Ignis ex ligno quod abſumit, augetur; pardi, leones, lupi quam rapiunt prædam in ſe conuertunt, & omnis mutatio fit à contrario in contrarium. Etiam ſeruatur in hoc ordo qualitatis vt quæ ſunt perfectiora ſi corrumpantur, tranſeant in ſtatum cæteris deteriorem, quippe perfectioni quam obtinuerant ex diametro penitus oppoſitum. Ex humili lapſus, ex altis præcipitium eſt; fel nulla ex re magis fit, quam ex melle, quantò dulciora ſunt alimenta, tanto bilem creant amariorem. Ex optimo ſtatu ſanitatis quem obtinent corpora per hyemem, minus diſperſis ſpiritibus & calore, fiunt morbi grauiores. Athletarum [l] valida conſtitutio morbo vix tentatur, niſi lethali: aër ſubtilis vim peſtiferam facilius excipit, latius diffundit. Animalium corrupta cadauera longè deterrimos, minuſque tolerabiles exhalant fœtores, quam herbarum aut fructuum putredo.

[l] Ariſtot. problem. 1. ſect. 21.

Vt optimum cunctorum animalium eſt homo, inquit Ariſtoteles, [m] ita ſi alienus fiat à lege & à iudiciis, peſſimum eſt omnium

[m] Politic. c. 2.

animalium, ſæuiſſima eſt enim iniuſtitia tenens arma; Leonis & pantheræ feritas in eo crudelior eſt, [n] habet enim iudicium & dexteritatem, quod animalitas conceperit, dolo & prudentia exequi, ſermone alios in ſuam ſententiam trahere, vanitate fœlicis ſucceſſus animari ad vlteriora; ſic furit homo pluſquam taurus ſaucius cum animalis ſpiritus vincit intellectualem. Animalium ſapientiſſimus, amore, metu, zelo, dolore, ipſius etiam ſapientiæ nimio ſtudio cadit in inſaniam, ipſi ſapientiæ, vt vulgò dicitur, conterminam. Eo quod bilis & melancholiæ exquiſita temperies, excellentiſſimis ingeniis accommoda, ſi patiatur exceſſum, tranſit in maniacas paſſiones. Læſus amor inter coniugatos & conſanguineos, vertitur in furorem. Primæ & diuiniſſimæ gubernationis, regiæ tranſgreſſio, eſt deterrima ſcilicet tyrannis, fortunas, vitam, famam ciuium, quidquid intereſt Reipublicæ ſeruari, demetens & inſatiato furore depaſcens.

Non eſt mirum infœlices illos tranſitus ab extremo in aliud circa res inferiores fieri, cum contigerint etiam in ſpiritualibus & cœleſtibus. Sub Domitiano * Euphrates quidam ex Philoſopho factus eſt peſſimus omnium aſſentator & delator. Athenion ſimiliter ex Philoſopho effectus eſt crudeliſſimus tyrannus, & plures quos refert Athenæus, * venenum in ſcholarum vmbra torpeſcens, mora diuturniore congeſtum, illud cum affulſit potentia, in hominum perniciem, latius & inſolentius effuderunt. Angeli [o] deſertores tanto grauius peccauerunt, quanto fuerunt ſuperiores: hinc excellentia perſonæ peccantis [p] aggrauat peccatum ex deliberatione; homo grauius peccat in noua lege, quam in vetere; baptizatus quam non baptizatus; clericus in ſacris, pluſquam ſæcularis. Vitam Angelicam caſtitate, terrenorum abdicatione, aſſiduis Dei laudibus æmulantur Religioſi; de his tamen dicit Diuus Auguſtinus [q] fateor coram Domino, ex quo Deo ſeruire cœpi, quomodo difficilè ſum expertus meliores quam qui in monaſteriis profecerunt, ita non ſum expertus pejores, quam qui in monaſteriis ceciderunt; tam luctuoſæ deſertionis rationem inſinuat Apoſtolus: [r] Impoſſibile eſt, inquit, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & prolapſi ſunt, rurſus reuocari ad pœnitentiam. Cæteris communem ſæculi vitam ducentibus ineſt menti ſublimis de pietate, de religione ſenſus; venerantur quæ viribus ſuis diffidentes non ſunt experti, & quæ remittunt ad maturioris ætatis ſanctiores profectus; At qui piis exercitiis diutius enutriti, nihil inde ſolatij, nihil internæ fœlicitatis percipiunt, velut id ex ſtatus ſterilitate, non ex animi ſui negligentia procedat, ſibi fauentes, Eccleſiæ contumelioſi, oderunt eam cui prius incubuerant pietatem; & cum in ea nihil homine dignum, nihil quod animam impleat, eſſe ſentiant, non eſt reſtitutioni nec pœnitentiæ locus.

Id

[n] Paracelſ. lib de lunaticis.
* Baron. an. 85.
* Lib. 5. cap. 11.
[o] D. Thom. 1. q. 63. a. 4. ſ. 8.
[p] Idem 1. 2. q. 73. a. 10. & q. 106. a. 2. & 22.
[q] Epiſt. 137. in fine.
[r] Hebræ. 6.

Id maximum ſublimia profitentibus humilitatis argumentum eſt; ne non ſatis accurato rerum diuinarum vſu, pereat in ipſis, earum ſenſus, pretium, amor, beneficium; ne cor terrenum lapideſcat in ipſis cœleſtis gratiæ fluentis. O quam vigili cuſtodia ſeruandus eſt ſpiritus, ne ſi dignè non excipiatur, indignos malis ſuis affectibus cruciandos deſerat; ſi tenentibus altum minantur quæ circumſtant præcipitia, incedendum eſt ſuſpenſo ſemper & diligenter ſecuritati ſuæ conſulente gradu. Miſerrimum eſt tales ſurſum aſcendiſſe, vt lapſu grauiore ruant; impenſas pietati graues operas in reatum & in vltimam ſuam damnationem cedere? Chriſtum cæteris in redemptionem, talibus poſitum in ruinam?

ANIMAL HORRET SVÆ SPECIEI cadauer.

Lex. 15.

IN re ſeria jocantur philoſophi, cum nos hoc argumento prouocant ad mortis contemptum, quod illa non pertineat nec ad viuentem, cui nondum adeſt, nec ad mortuum qui pertranſiit extra vim & ſenſum poſitus, & ſi dolor ſit in extremo halitu, breuem eſſe; Cur ſic hominibus illudunt, mors non vna venit, ſed quæ rapit vltima mors eſt; ita viuentem diuturno langore per omnes corporis partes & mentis affectus, carpit, torquet, tandem perimit; mortuum autem ne redeat in viuis, ne corpori poſt corruptionem integritas, ne animæ corpus reſtituatur, quandiu ſtabit mundus perpetua detinebit priuatione. Breui tempore fit hæc dura ſeparatio, ſed quam ſæuiſſima ſymptomata præceſſerunt, duriora ſequuntur, in morientium & viuentium pœnam.

Cum inſtat crudelis huius diuiſionis hora, in moriente ſupini vultus, oculi patentes, immobiles, & extincti, contractæ nares, os liuidis dentibus hians, longum, difficilem, raucum fœtidumque reciprocans halitum, qui ſupererat in facie color viſibiliter diffluit, pallor, frigus, paulo poſt rigor & fœtor partes omnes occupat, fitque de corpore jacens & immotum cadauer. Non fit minor in aſtantium affectibus mutatio; fluunt lachrymæ, extorquentur, excipiuntur nouiſſima verba, conclamatur, quandiu ſpirat fouetur moriens, mortuus ſtatim nudatur, deſeritur à propinquis, & qui prius erat in illis

Digitized by Google

amor, deſinit in horrorem & abominationem. Nec ſine cauſa nam vt contraria ſunt ſub eodem genere, ſic inquit Cardanus, [r] omnis antipathia in ſympathia quadam conſtituta eſt, ob id ſapientes è corporibus mortuorum multa deſumpſerunt quæ viuis aduerſarentur; nam nihil eſt tam contrarium cuique, quam ipſum eſt, vel mortuum, vel corruptum, vel excrementum. Ita referunt decoctam vulpem & in fruſta diuiſam, gallinis, anatibus, auſeribus in cibum datam, eas immunes & ſecuras reddere à vulpibus, qui in illis ſimilis ſui necati odorem ſentiunt & auerſantur quod in inſectis, canibus equis obſeruatum eſt, etiam in plantis; nam germina felicis exciſa, dum putreſcunt necant radicem: deperit arbor niſi ramos tabidos diligens cultura mundauerit; Vbi ſteterit & tandem eradicata fuerit emortua; ſtatim alia non debet plantari, nec antequam locus aperta diu ſcrobe perflatus & pluuiis expurgatus fuerit. Acutior eſt hic ſenſus in homine animantium perfectiſſimo, propterea dicunt leproſos balneo eius aquæ in qua cadauer ablutum fuerit, ſanari, nam materia quæ ad cutem propelli ſolebat antipathia cadaueris non amplius ſic propellitur, ſed cæteris excrementis conceſſa via. In mortuis igitur parentibus quod eſt ſibi nociuum occulto ſenſu ſagax natura percipit, horret & optat materiam hanc diuerſis ad nocendum modis infeſtam, ſubtrahi.

[r] Lib. de rer. varietate cap. 1. & 22. 35. 44.

Vnde non defunctorum cauſa, [s] ſed viuorum inuenta eſt ſepultura, vt corpora viſu & odore fœda amouerentur, & vt inediæ neceſſitatem, lautis conuiuiis, nuditatem ſuperbo veſtium apparatu, defectum omnem voluptate & vanitate, ſic extremam hanc humanæ conditionis turpitudinem celebritate funebri tegimus: alios terra obruit, alios flamma conſumit, alios lapis oſſa redacturus incluſit, non defunctis ſed noſtris oculis parcimus. Ne tam execranda tabes viſum, vel eius cogitatio mentem offenderet, mos fuit olim comburendi cadauera, abiit tamen in deſſuetudinem, quia creditum eſt [t] aliquid animæ reſidere in corpore defuncti, quod ignibus tradere crudele viſum eſt, pium magis terrenam ſubſtantiam, terræ principio ſuo reſtituere.

[s] Seneca lib. de remediis fortuitor.

[t] Tertulian. lib. de anima cap. 51. & de teſtimonio animæ. c. 2.

Communis autem funerum ratio fuit, amouere defunctorum cadauera quæ viuentes ſine horrore non vident, ſine damno non patiuntur, nam intimo naturæ ſenſu quilibet percipit in ſuo ſimili, ſe pariter morte damnatum, & quod timet auerſatur, remotis obiectis, quæ tam infœlicis exitus cogitationem foueant; adiice quod nullius cadaueris fœtor tam nos lædat quam humani, vnde crudeliſſimum ſupplicium à Mezentio tyranno repertum fuit, mortuis corporibus alligare viuentia * & merito culpatur mos relinquendi ſuſpenſa damnatorum corpora donec diffluant, cum inde exitiales morbi popula-

* Van Helmont in tumulo peſtis.

Digitized by Google

res oriantur. Vt igitur huic funerum officio defunctis præſtando non deeſſet populus, vulgatum eſt [v] inſepultos, non antè ad inferos redigi, quam iuſta perceperint: id autem à Poëtis confictum eſt, ne quis defunctum domi detinens, ipſe amplius cum illo maceretur enormitate ſolatij dolore nutriti, ſic iubetur inſtantia funeris, vt honor corporum ſeruetur, & mœror affinium temperetur.

[v] Tertul. de anima cap. 56.

Adiecit & Religio fidem, [x] ſacerdotes, priuatos, vrbes integras tactu & illatione mortuorum pollui; lex 12. tabularum [y] præcipit, hominem mortuum in vrbe ne ſepelito, nec vrito. Id tantum ſpeciali priuilegio conceſſum fuit [z] Ducibus qui inſignem de hoſte victoriam reportaſſent, & Imperatoribus poſt triumphum, velut inter tutelares genios virtute conſecrati, animos ad heroica exemplo ſuo prouocantes, nihil niſi fauſtum Reipublicæ portenderent. Olim ſacrificaturi [a] poterant tangere corpus animalis exanime, non verò hominis, quia in eo vitæ diuinæ veſtigium quoddam extinguitur, at penitus extinctum non eſſe in ſanctorum corporibus, & illa quendam habere reſpectum ad beatas ſuas mentes, probant quotidiana ex eorum reliquiis miracula. Non polluunt igitur ſed ſanctificant, cum Eccleſiis & altaribus inferuntur.

[x] Leuit. 21. 11. num. 5. 2.
[y] Cicero. 2. de legib.
[z] Plutarch. in probl. Rom. 79.
[a] Iamblicus de myſteriis. c. 34.

His ergo mortuis exceptis quos credimus immortalitate beata donatos, & quorum naturalem horrorem tegit ſanctimoniæ veneratio, cæteros omnes auerſamur inſtinctu, quem habemus communem cum animantibus. Cum Leones Africam vaſtarent, [b] vnus ſuſpenſus, cæteris terrori fuit. Experti ſumus cornices luci cuiuſdam hoſpites, & vicinæ domui ſua garrulitate plurimum importunas, hinc nec plauſu, lapidum iactu, bombardarum exploſione, nec cæteris territamentis eiici potuiſſe, ſed tantum vna occiſa, & in altioris arboris ſummitate ſuſpenſa. Quod apes primo vere mortuas extra clauſtra comportent, non eſt opus pietatis, qua certum eſt eas carere; ſed ſolertiæ qua pollent, nihil immundi, ſic nec cadauera viſu ſolo lædentia patientes. Sæpè vidimus equos ad conſpectum cadaueris equini territos, hærentes, aut in contraria verſos; excipiuntur bellatores quorum generoſitas periculis ſæpe tentata calçandis cadaueribus aſſueuit.

[b] Plin. lib. 8. cap. 16.

Implacabilis feritas fuit in Annibale, [c] qui cum vidiſſet foſſam humano ſanguine plenam, & incedens inter cadauera, dixit ô formoſum ſpectaculum; In Sylla, quod abciſſa miſerorum capita, in conſpectum ſuum afferri voluit, vt oculis illa, quia ore nefas erat, manderet. Hoſtium ſanguinem ſub boni publici ſpecie ſitientes, & inde laudem ſæpius conſequuti, exuerant humanitatem omnem; crudelitatatis portenta facti. Diuinæ prouidentiæ munus eſt quod animarum per peccata mortuarum turpitudo non videatur, ne bonis

[c] Valer. Maxim. lib. 9. c. 2.

Digitized by Google

in malorum turba, continuum eſſet ſupplicium, aut ne daretur occaſio non amplius auerſandi, ſed in familiaritatem admittendi crimina.

QVORVNDAM COMPOSITORVM partes diſſolutæ retinent vim & ſenſum priſtinæ ſocietatis.

Lex. 18.

MVndum indeclinabili partium connexione factum à Deo vt æternitatis ſuæ perpetuum ſimulachrum, & ſi ratio non ſatis perciperet, probat experientia cœlorum & elementorum quantitatem, qualitatem, poſitionem eandem habentium, quam acceperunt dum crearentur. Diximus[d] ſingularia velle quantum poſſunt huic toti ſuo conformari, ita cum ex multis vniuerſi particulis in vnum confluentibus, ſub vnius formæ dominio mixta; conſtituantur, ambiunt ad inſtar mundi, exiſtentiæ ſuæ perpetuitatem.[e] Pugnant hîc vota ſingularia cum publicis. Nam elementa velut dominantia, ſuas partes inalienabiles, præcariò tantum conceſſas, ſtatis temporibus repetunt à mixtis; quæ ſic neceſſarium eſt diſſolui, & priuata commoda cedere publicis[f] hic tamen indiuiduæ ſocietatis amor quem impreſſit natura, cui velut imagini ſuæ, fauet vniuerſum, etiam partibus diuiſis, non eſt in totum irritus: Nam illæ ſeruant ad ſe mutuam inclinationem, & mundano ſpiritu mediante,[g] licet locis diſſitæ ſe ſentiunt, ſibique compatiuntur.

In Scotia lapides extracti ex lapidicinis quæ ſunt iuxta mare, & applicati ædificiis, ſudant cum maris æſtus intumeſcit. Terra ex Nilo ſumpta reſiccata & diligenter aſſeruata, toto anni tempore eiuſdem eſt ponderis, ad diem 17. Iunij ſeipſa fit grauior, velut aquis imbuta cum Nilus inundat, & ex eius ponderis acceſſione, rationem ineunt Nilotici incrementi eo anno futuri. Magnes ſe conuertit ad polos terræ, ſeque reſtituit in eundem quem prius cum tota terra ſitum habuerat, & ad polos cœli reſpectum: quo tempore vineæ florent, vinis etiam veteribus innatant alba quædam ramenta tanquam flores. Gnaphalij flores quos immortales vocamus, collecti non marceſcunt, at per hyemem manent complicatis foliis, verno tempore explicantur, velut ſuis adhuc hærerent radicibus. Phocæ ſeu vituli marini[h] pellis etiam detracta corpori ſenſum maris retinet,

d Supra lib. 1. l. 12. §. 1.
e Supra. lib. 2. l. 2.
f Supra lib. 3. l. 12.
g Supra lib. 1. l. 3. §. 3.
h plin. lib. 9. cap. 13.

ſemperque æſtu maris recedente, inhorreſcit.

Idem inſtinctus perpetuæ ſocietatis etiam poſt diſſolutionem, obſeruatur in homine. Nam anima ſeparata [i] ſeruat ſemper inclinationem ad ſuum corpus, in quo ſolum, quas habet radicaliter ſenſitiuas potentias valet explicare; Vnde creditum eſt defunctorum animas, circa ſua corpora quandiu ſuperſunt, inquietas oberrare, [k] nec ceſſare deſiderium niſi per abſentiam corporis, quod propterea citiſſimè conſumi per ignem, aut ſarcophagum, ſuprema pietas curabat. Plato [l] dicit eos qui in bello pro patria deceſſerunt, teneri ſemper amore patriæ; dæmonas effici ſanctos, expulſores malorum, cuſtodes mortalium. Inualuit hæc opinio apud Celtas, qui in virorum fortium ſepulchris obnoctantes, inde petebant oracula.

[i] D. Auguſt. ſerm. 110. de diuerſis. Marſ. ficin. Theol. Plato. lib. 18. c. 19.

[k] Tertulian. lib. de anima. c. 57.

[l] Lib. 5. de Republ.

Ineſt, inquiunt Platonici, [m] in rebus etiam mortalibus aliquid immortale & æthereum, quod fati validum ſemper inſtrumentum mira operari non deſinit. Hac ſe cœleſti virtute præmunitum in Reipublicæ ſuæ tutelam, credidit Zoroaſter, qui moriens, populis quibus imperabat præcepit, vt cineres ſuos aſſeruarent, ſic futurum vt ab hoſtibus non poſſent lædi. Sic Ziſcha [n] homo Boëmus dux Huſſitarum hæreticorum, non Boëmos tantum fideles, ſed & Teutones magnis cladibus affecit; moriturus mandauit ſuis, pellem meam mortuo demite, relictoque feris cadauere; ex ea tympanum facite quo in præliis vtamini, nam vt hoſtes viuentis aſpectum non ferebant, ita mortui ſonitum non ferent. Herodotus [o] refert Lacedemonios dolo à Thegeatibus Oreſtis corpus eripuiſſe, cuius ſecreta vi perpetuam de hoſtibus victoriam reportarunt. Edoardi I. Regis Angliæ oſſa in exercitu delata filio ſuo fœlicitatem dederunt. Hæc videtur ratio cur diabolus altercaretur pro corpore Moyſis, volens illud apud Iſraëlitas remanere, vt illi, non Deo ſuas in poſterum adſcriberent victorias, & illud vt diuinum quid colerent, in idololatriam relapſi eius occaſione qui prius eos ab idololatria fecerat immunes. Hi quibus fœlicium ſuorum Ducum aut Legiſlatorum reliquias habere non contingebat, ſaltem deferebant eorum imagines, & omnium expreſſiſſimam obſeruato naſcentium themate geneſim, velut palladium quoddam fœlicitatem importans. Harum plurimas vidi pretioſis ſympathicis lapidibus inſculptas cum hac inſcriptione fortuna Alexandri; fortuna Cæſaris, & ſimilibus.

[m] Albert. Magn. lib. 2. de Mineralib. c. 2.

[n] Æneas Syluius commenta. lib. 3.

[o] lib. 4.

Exploſa ſuperſtitione credimus communionem ſanctorum, defunctorum cum viuis Eccleſiam vnam componentium: Non eſt terra obliuionis [p] quam ſanctus inhabitat, inquit D. Bernardus non terra laboris vt occupetur in ea, latitudo cœli dilatat corda non arctat, exhilarat mentes non alienat, affectus non contrahit, ſed extendit; ſupremi ſpiritus non quia incolunt cœlos, terras deſpi-

[p] D. Bernar. ſerm. 2. de ſancto victore.

ciunt, omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus; ſancti qui veniunt ex magna tribulatione experti noſtras miſerias facilius opitulantur, fortes iuuant infirmos, quot ſancti tot interceſſores potiſſimum pro his cum quibus vixere populis. Ità refert D. Auguſtinus,[q] Nola oppugnata à barbaris, Felicem confeſſorem ciuibus piè à ſe dilectis, non ſolum beneficiorum effectibus, verum etiam ipſis hominum aſpectibus apparuiſſe. Sapor Perſarum Rex obſidens Niſibem Meſopotamiæ ciuitatem,[r] repulſus fuit variis prodigiis cum ciues conuerſi fuiſſent ad præces S. Iacobi eius ciuitatis quondam Epiſcopi, & quandiu corpus eius Niſibi manſit, planè facta eſt inexpugnabilis.

Communis igitur & publica fides fuit ſupereſſe in mortuis priſtinæ coniunctionis ſenſum; & hinc Tertulianus;[s] licet falſò, ſecundas nuptias eſſe dicit illicitas, quia prior maritus defunctus adhuc maritus eſt, ipſum illud poſſidens per quod & factus eſt, ideſt animum, in quo ſi & alius habitabit hoc eſt crimen; Cæterum, inquit, non eſt excluſus ſi à viliore conditione carnis deceſſit, honoratior maritus eſt, quanto mundior factus eſt. Fruſtra præclaris hominibus defunctis laudes, monumenta, famam æternam poſteri deferrent, fruſtra malis infamiam, damnata memoria, inhumatis oſſibus, inurerent, niſi talium ſenſus ad eos perueniret, & adhuc affectibus in ciuili corpore computarentur.

Moritur dignitati, qui hanc vel lege decernente, vel arbitratu proprio deponit, hic tamen cum antiquis ſuis collegis ſocietatem, & officij priuilegia retinet, quod in Conſulibus,[t] Proconſulibus, eorum aduocatis; Comitibus qui prouinciam gubernarunt, cubiculariis principis, & cæteris ſuis muneribus optimè functis, obtinuit. Politia naturam imitatur, quæ partibus exciſis plantarum, arborum, animalium, vires ſeruat quas habuerant in compoſito, & ſanè remedia medicinæ deeſſent, niſi mortuis & auulſis ſimplicium partibus quibus vtitur, ineſſet adhuc ad ſuum totum relatio, & in quantitatis fractione, virtus integra.

[q] Lib. de cura pro mortuis, cap. 16.

[r] Baron. an. 338.

[s] lib. de monogamia c. 4 ad decimum.

[t] L. 1. Cod. de aduoca. diuerſ. iudicior. l. 2. C. de præpoſ. ſac. cubic. l. 1. & 8. Cod. de præpoſ. ſac ſeruti.

Digitized by Google

VNVMQVODQVE RESOLVITVR in ea ex quibus conſtat.

Lex 19.

COntemplati ſumus res naturales in debilibus ſuis exordiis, alieno ſeruatas ſubſidio, hinc per ætatem auctis viribus, vario paſſionum & actionum æſtu pulſatas, tandem exhauſtas in defectus maximos dilabi; Nunc opere prætium eſt videre quo ferat hæc impreſſa vis, & vbi tandem velut in vltimo motus ſui termino conquieſcat. Ne quod hac in re naſcatur dubium, quotidianis, annuis, plurium annorum & plurium ſæculorum conuerſionibus docemur, productum omne in id vnde cœpit reſtitui communi iure, publicaque iuſtitia, quæ reddit vnicuique quod ſuum eſt

Repetunt [a] *proprios quæque recurſus*
Redituque ſuo ſingula gaudent
Nec manet vlli traditus ordo
Niſi quod fini iunxerit ortum
Stabilemque ſui fecerit orbem.

[a] Boetius de conſol. phil. lib. 3. met. 2.

Igitur propriè dicitur finis & qui terminat, & qui intenditur, implet enim limitata naturæ deſideria, motum quiete, multiplicitatem vnitate, ampliſſimas principiorum effuſiones, pari ad ipſos refluxu compenſat & coronat.

Momentaneos illos reditus experimur in motu naturali corpora ſuis centris reſtituente ſtatim vt vis externa ceſſauerit; In reſpiratione, per quam interceptus aër, præter modum incaleſcens, rarefactus, vitiatus ad externum cognatumque refluere conatur. Argentum viuum igne reſolutum in vaporem motu diſſipatum in particulas, quantò citius poteſt redit in ponderoſam, fluidamque ſuam conſiſtentiam; Arborum rami ventis aut manu fortiter inclinati; diuiſionem patiens aër, aut flamma mox in conuenientem ſui toto ſtatum redeunt. Circulus proiectus primò quidem rectam lineam in curſu ſuo facit, ſed in motus ſui fine deſcribit figuram circularem. Radius ſolis per foramen inæqualis figuræ tranſiens, certo dato ſpatio in orbem conformatur, ſi ſit perpendicularis incidenta, cum finem procedendi fecerit, in ſuum reflectitur principium. Quotidiè

Digitized by Google

ſol à meridie vergit in occidentem, & vtrumque luſtrans hemiſphe-rium ab oriente redit ad apicem cœli vnde diſceſſerat. Singulis annis omnes zodiaci domos decurrens, & diuerſis climatibus factus proximior, conſtitutis etiam ordine ſuo quatuor anni tempeſtatibus, reuertitur ad primum gradum arietis, & ad ver in quo primum creatus fuit. Mare per occultos meatus terræ viſceribus illabitur; eius ſuperficiem ſuſpenſis per vapores aquis, irrigat; vnde turgens humido, interius exteriuſque ſuſcepto, per fontes torrentes & flumina, reſtituit mari ſolemniter quas ab eo guttatim recepit aquas.

Hæ ſunt quotidianæ & annuæ ad ſua principia reſolutiones; aliæ fiunt intra plurium annorum ſpatium, quales ſunt mixtorum & animantium, quæ finito naturaliter ſpeciei ſuæ conceſſo tempore, aut præmatura morte ſublata, in quatuor elementa ex quibus conflata fuerant, reſoluuntur. Dei decretum eſt [x] in pœnam homini pronuntiatum poſt peccatum. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram de qua ſumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris: labor corpus inclinans & laſſitudine conficiens quotidianum præludium, & exercitum eſt vltimi mortalis defectus illud totaliter in terram ſternentis & reſoluentis. Cum autem ex quatuor elementis corpus conflatum ſit, mortuum Chaldæi comburebant, cinereſque partim in aërem, aquam terram diſpergebant & quia variis qualitatibus ſub diuerſo cœlo pugnant inter ſe climata, ſolum patrium propriè nobis eſt loco principij; eiuſque pariter rationem habent parentum cineres. Hinc extra patriam & maiorum ſepulturam, [y] inferri non luctuoſum modo, ſed nefas & odioſum iudicatum eſt, primum huius pietatis exemplum dedit primus homo [z] in Hebron creatus & ſepultus; paſſim ſcriptura loquens de patriarchis defunctis dicit, appoſitus eſt ad patres ſuos. Indè nata conſuetudo vt eſſent familiaria ſepulchra [a] in quæ inferebantur ſanguine coniuncti, etiam exhæredati, niſi teſtator id odio ſpeciali vetuiſſet. Hæc eſt extrema maledictio qua propter peccata ſua percuſſus fuit Rex Aſſur. [b] Vt defuncti corpus terræ patriæ paterniſque cineribus reddebatur, ſic Platonici [c] dicebant animas, quæ hac in vita piè ac iuſtè vixiſſent, redire ad compares ſtellas; comparem vocabant ſtellam [d] eam, à cuius intellectuali motore ſemen intelligentiæ in animam hominis transfuſum eſt, ſicut in diſſolutione mixti elementa redeunt ad ſuas regiones.

Ex naturali lege ſumpta fuit ciuilis, qua vſus & vſus fructus, vſufructuarij morte, redit ad dominum, ſicut & finito emphyteuſis tempore, ſic feuda reuertuntur ad dominum dominantem ſi contingat felonia & infidelitas velut mors vaſalli. Coloniæ redeuntes in

[x] Gen. 3.

[y] Plutarch. in antonio.

[z] Can. Hebron. 13 q. 2

[a] l. 2 & 6. ff. de relig. & ſumpt. fun.

[b] Iſay. 14.

[c] Plato in Timæo.

[d] Albert. Magn. tr. 2. de natura & origini animæ. c. 7.

in ciuitatem [e] & ad municipum iura, cenſetur in propria redire, quia fuerant ex ciuitate propagatæ. Par erat Iubilæi ratio apud Iudæos in quo ſerui ad naturalem libertatem, venditores ad antiquas poſſeſſiones reuertebantur, ſucceſſiones in aſcendente linea, bona refundunt in parentem velut in ſuum principium; In vacantis autem ſucceſſionis diuiſione paterna paternis, materna maternis aſſignantur: præualet quidem deſcendens linea, eo quod inquiunt Iuriſconſulti, amor naturalis deſcendit magis quam aſcendit, motum ſuum, quantum poteſt, continuum efficit, nec aliter quam in eo defectu ſe patitur fieri retrogradum; quod enim pater dat filio, cenſetur concedere naſcituris ex eo nepotibus, non hæret in vno ſingulari, ſed in omnem ex ſe futuram prolem ſe diffundit liberalitas, interdum etiam filio exhæredato. Clerici * poſſeſſio ex rebus Eccleſiæ procedens, eo mortuo reuertitur ad Eccleſiam; quod ſi bona clerici ita ſunt confuſa, vt quid patrimoniale, vel ab Eccleſia ſit, ſecerni non poſſit, in quatuor partes ea diuidentur, & vna pars Eccleſiæ, altera Epiſcopo, tertia pauperibus, quarta parentibus idoneis aſſignatur. Similiter beneficij renuntiatio fit in manu eius, ad quem collatio, & inſtitutio pertinet.

e Gellius lib. 16. c. 13.

* Cap. 1. de teſtam. cap. ſancto. de ſucceſſ. ab inteſtato. can. non oportet. 7. q. 1.

Tandem reuolutio plurium ſæculorum eſt, cum regna quæ cœperunt à Monarchia poſt aliquot Ariſtocratiæ & Democratiæ circuitus, redeunt in monarchiam originem ſuam, vt patet in Romanis. Diuturnior eſt ea quam aſſignant toti mundo Platonici poſt 36. mille annos. Talmudiſtæ [f] poſt 6. millia, vt ſint duo millia ante legem, duo millia in lege, duo millia poſt legem. Vnitas abſoluta tranſit in alteritatem primò per mentes Angelicas, 2. per rationales, 3. per ſenſibilia, hinc à ſenſibilibus incipit per rationabilia, deinde per intelligibilia in primum ſuum principium reſtitui, vt fuſius exponit Cardinalis Cuſa lib. de docta ignorantia. Locus rei cuiuſque eſt, inquit, [g] ad quem rediens quietem habet, locus autem motus temporis eſt æternitas, ſiue nunc; locus motus localis eſt quies, locus numeri eſt vnitas; Deus qui eſt prima veritas, eſt quies ſeu locus intelligibilium diſcurſuum & affectuum; Ideo dicitur à Ioanne α & ω principium & finis; ideò finis, quia principium; nam quia Deus eſt vnde omnia recipiunt vt ſint, omnium ipſe eſt quies. Ab vnitate diuina omnia procedunt, vt diximus, [h] per vnitatem indiuidualem creatricis imaginem, conſtant, per eandem reuocantur in diuinam, reuocata perficiuntur; & hæc ipſa rapit nos ad virtutes, quibus vnimur Deo.

f Picus Mirand. in Heptaplo.

g Cardin. Cuſa excitat. lib. 7. c. 11.

h Supra. lib. 1. L. 1. §. 4.

Sicut humana voluptas fit in reditu quodam ad habitum naturalem, ſic mens tunc eſt læta, adipe & pinguedine repleta, cum à perturbationibus & rerum multiplicitate in ſe redit, & in idæam boni

Digitized by Google

pulcrique vnde formatur. Vt hunc naturæ mentiſque ad Deum reditum exprimeret in Eccleſia primitiua Pontifex, [i] ſolebat à diuino altari vſque ad extremum templum cum dignitate proficiſci, atque ad illud ipſum ſacrum perficiendum reuerti, vt diſcerent omnes ſic ad res ſibi ſubiectas vrgente charitate, vel neceſſitate deſcendere, vt ad diuina ſtatim reuocentur. Ea fuit ratio ſacrificiorum, quibus creatura immolata Deo, in ipſum; quantum fieri fas eſt, redit, & hic reditus maximè & propinquiſſime eſt in diuiniſſimo ſacramento. Vnuſquiſque noſtrum aut cœleſtia facta habet, aut terrena, inquit Origenes,* & vtraque cognatas propriaſque ſibi ſedes repetunt; ſicut enim ei qui portat imaginem hominis terreni dictum eſt, terra es, & in terram ibis, ſic cœleſti & qui imaginem cœleſtis portat, conuenit dici cœlum es, & in cœlum ibis. Magna quidem finiti ad infinitum diſtantia, ne tamen mouearis vt Deum tangas, quia ſtabilitas ipſe eſt; ne diſtraharis vt per varia apprehendas, quia vnitas ipſe eſt, ſiſte motum, collige multitudinem, te primum aſſequutus; Deum aſſequeris. Morere morte iuſtorum, morere voluptatis illecebris, paſſionum vagis motibus, ita viues ſpiritu Chriſti altum petente, vnde venit, relictis mortalitatis exuuiis ſuos ad patris gloriam reuocante. Mors iſta nihil relinquit in morte naturali quod timeatur, multa præuidet quæ dilatatum per charitatem cor, ſupra ſe, ſupra ſpem & cognitionem, infinitum ſcilicet bonum ambiat. Hominem in Deum principium ſuum redire quid eſt, niſi diuinis ſplendoribus illuſtrari, diuinis ardoribus ſuccendi, æternitati diuinæ coëxtendi, intellectu, voluntate, participata gloria, deificari.

[i] D. Dionyſ. de Eccleſ. hierarch. c. 3.

* Homil. 5. in Ezechiel.

Digitized by Google

A PRIVATIONE AD HABITVM NON datur Regreſſus.

Lex. 20.

DIſſoluta mixti compage, partes elementorum, vt diximus, in ſuum totum redeunt, igneæ ad ignem, aëreæ ad aërem, terreæ ad terram, vt patet quotidianis experimentis cum viride lignum imponitur ardenti foco. Illæ prius diuulſæ partes in mixtis, corruptioni magis expoſitæ, impetu quodam, magniſque, vt licet, affectibus poſtliminio redeunt ad propria, vtque purgentur ab externis qualitatibus, auidè cognatis & indigenis in maſſa ſua purioribus, per minutiſſimas particulas inſinuantur & confunduntur. Ita ſi concluſo cubiculi parietibus aëri, apertâ feneſtrâ detur exitus, ſtatim extra diffunditur etiam cum vacui periculo, cui exterior ſuperueniens occurrit, & ex hac reciprocatione perpetua, fit vt ſurgentis venti quædam agitatio. Aquæ maris ſuperiores quæ cœlum ſolemque paſſæ ſunt, penetrant quantum poſſunt ſibi ſubiectas, vndè fit ſemper, etiam ſilentibus ventis, aliquis in mari motus; at in littore fluctus ad ima, & in centrum ſuum conuoluuntur, vt ſuis illic propriis reſtituantur qualitatibus: quis hauſtam, è flumine protinuſque refuſam aquam, poteſt eandem educere? nam momento totam tangens illi permiſcetur, vt patet in tincta quæ protinus à colore ſuo deficit. Ex combuſtione ligni quæ ſuperſunt partes terreæ, cum careant humido fluxuque, quo facile totum ſuum peruadant, ſibi tamen non cohærent, ſed diſcretis à ſe mutuo particulis cineres, expectant motum aëris, quem vltrò ſequentes in totam terræ ſuperficiem, vt poſſint partium aliarum commercio reſtitui, diſperguntur. Quis autem cinerum atomos poſtquam fuerint ventis ludibrio, in terram, in herbas, in animalia, rurſus in terram ex corruptione conuerſos, colliget eoſdem qui fuerant in prima ligni formatione?

Hinc communis hæc eſt philoſophorum ſententia, à priuatione ad habitum non datur regreſſus, quia vnius generati, corruptique materia per continuas tranſmutationes naturaliter diſſipatur, diuiditur, commiſcetur aliis, à diuerſis formis informatur, & ad remotiſſimas diſpoſitiones tranſit earum reſpectu, quas prius habuerat, & quæ cum ſua forma ſupponuntur reſtituendæ. In hac ſperata

reproductione non erit eadem actio numerica, in diuerſo ſubiecto, termino, tempore, ita non erit eadem numero productio; fiet ſub diuerſa cœlorum conſtitutione, quia nunquam redit eadem, & ſi octaua ſphæra per 36. millia annorum, vt volunt Platonici, rediret in eundem ſtatum, non tamen conſentirent planetæ, quibus præcipuum in inferiorum corruptionibus & generationibus competit dominium.

Fit igitur ex corruptione generatio, ſed diuerſa ſemper ad ornatum vniuerſi, & vt hæc innumera, formarum accidentium, actionum varietas magis accedat ad infinitæ perfectionis expreſſionem. Non eſt eadem res reproducta; cum materia ſecunda poſt tot ſucceſſiuas alterationes ſit penitus alia; ſub diuerſo cœlo ſimiliter alia forma, quæ ſic ſingularem & incommunicabilem habet proportionem cum materia ſua vt aliam non poſſit informare: quod ſurget deinceps compoſitum erit à primo diſtinctum; vt opus nouum facere videtur [k] qui aut ædificando aut detrahendo aliquid priſtinam faciem operis mutat: domus vſusfructu legato, [l] ſi concidit & poſtea reædificetur non cenſetur eadem; ſic de inſula ſi pereat, & renaſcatur, ſic de ſcyphis ſi in maſſam redigantur, & poſtea ex ea reficiantur, quia non eſt eadem forma. Profeſſi Religionem mortui ſunt mundo, & viuunt Deo, vnde non ſunt reuocandi ad vitam occaſione cuiuſcumque euentus: fœlix neceſſitas quæ cogit ad meliora: fœlix priuatio ſi ad priores malos habitus nec actus, ne deſideriis quidem concedit regreſſum; ſuis ſuperſtes funeribus reſurexit, qui mundanis mortuus viuit Deo, iam cœleſtium collega.

[k] l. 1. §. 11. ff. de noui oper. nunt.
[l] l. 36. ff. de vſuf.

In materialibus licet omnipotenti Deo, quod naturæ præſcriptis modis agenti non licet, vt Princeps ſupra legem poſitus poteſt, quod populis, etiam magiſtratibus, non conceditur. Poteſt Deus animam à corpore ſeparatam, huic iterum nondum corrupto refundere: ſic Abraham montem aſcenſurus vt immolaret Iſaac, citra mendacium dixit pueris; ſedete hic, ego & puer ibimus vſque illuc, & cum adorauerimus reuertemur ad vos, verum dixit, * certo credens, quod Deus qui ex illo ſemen nunquam defiturum promiſerat, occiſum reſtitueret in vitam. Poteſt Deus [m] qui cuncta de nihilo molitus eſt, abſumptam carnem exprimere de nihilo; vbicumque reſolutus fueris, quæcumque te materia diſtraxerit, hauſerit, aboleuerit, in nihilum prodigerit, reddet te, ſemper idoneus quæ fecit reficere. Omnia in ſtatum ſuum redeunt cum abceſſerint, omnia incipiunt cum deſierint, ideo finiuntur vt fiant, nihil deperit niſi in ſalutem; Totus hic ordo reuolubilium rerum, teſtatio eſt reſurrectionis mortuorum: ſi omnia reſurgunt hominis carni, quale eſt

* Origen. homil. 8. in Geneſi.
[m] Tertulian. lib. de reſur. car.

Digitized by Google

vt ipſa depereat in totum, propter quam & cui nihil deperit: huius interitum quem putas, ſeceſſum & ſomnum ſcias eſſe: Non ſola anima ſeponitur, habet & caro ſuos ſinus in aquis, in ignibus, in beſtiis, tandem in terra matrice; Nec refert quam diutius tabe & putredine conſumpta ſit, [n] vt enim radius oculi noſtri, longinquiora interualla pari celeritate contingit, ita cum in nictu oculi fiet reſurectio, æque facile erit diu dilapſa cadauera quam recentia ſuſcitare. [n] D. Aug. ep. 49.

Supereſt anima rationalis, ſupereſt corporis ſui materia, superſunt ergo partes hominis quæ mutuam habent ad ſe inclinationem, nec vt in brutis forma perit materia ſuperſtite; quod ſi diſſitarum partium reunionem præſtare non poteſt natura, perſpicacitatis, immenſitatis & vnitatis diuinæ proprium opus eſt, quantumcumque diſperſa, noſſe, colligere, in antiquum ſtatum redintegrare. Ideo fortè in monumentis * defunctorum pingebantur olim ampullæ olei, quia oleum quamtumuis cæteris humoribus merſum vel mixtum, enatat & in ſe redit. Non erit ſaluus homo, ſi carne perditus ſit; non illi continget perfecta beatitudo, niſi ad duas eius eſſentiales partes ſpiritualem & corporalem perueniat, niſi mutuam impleat ad ſe tendentiam; niſi vtramque laboris conſortem, gloriæ participem efficiat, certamini victoriæque reſpondere debet triumphus, non erit anima proſtituta [o] vt nuda ſuſcipiatur à ſponſo, habet inſtrumentum, habet cultum, habet mancipium ſuum, carnem, cum illa præmiandam.

* Suidas in voce γραφεύς

[o] Tertulia d. loco.

Non poſſunt ergo ſeparari in mercede partes, quas opera coniungunt, nam & ſacrificia Deo grata, [p] ieiunia, virginitatem, aliaſque conflictationes, caro de proprio ſuo incommodo inſtaurat. Igitur quam Deus manibus ſuis plaſmauit, quam de ſuo afflatu ad ſimilitudinem ſuæ viuacitatis animauit, quam incolatui, fructui, dominatui totius ſuæ operationis præpoſuit; quam de diſciplinis & ſacramentis ſuis veſtiuit, cuius munditias amat, cuius caſtigationes probat, cuius paſſiones ſibi adpreciat, hæccine non reſurget toties Dei. Abſit vt Deus manuum ſuarum operam, ingenij ſui curam, liberalitatis ſuæ hæredem, Religionis ſuæ ſacerdotem, teſtimonij ſui militem, Chriſti ſui ſororem, in æternum deſtituat interitum?

[p] Tertulian. d. loco.

Reſurget corpus ſpirituale, inquit Apoſtolus, [q] ſpiritus ſcilicet dotibus inſignitum, immortalitate, de qua diximus, ſplendore, leuitate. Nam vt cætera elementa ignis, aër, aqua, natura ſua ſunt diaphana, eiuſdem ſplendidæ qualitatis terra particeps erit, pura & in vitri naturam conuerſa, nec tamen fragilis, quod olim ars eſt aſſequuta. [r] Reducentur omnia in id quod præcipuum eſt in ſuo

[q] 1. Corinth. 15.

[r] Plin. lib. 36. c. 26.

Digitized by Google

genere, corpus humanum in cœleſtem ſubſtantiam, vt non magis obſtet actibus animæ, quam ſyderea corpora ſuis intelligentiis.[r] Si per artem fit vt metalla aquis ſupernatent, cur per potentiam diuinam corpora non poterunt ſurſum manere? bene valentibus minus ponderoſum eſt corpus, tunc perfectiſſimè, nullo modo. Si Angeli ferunt quo voluerint aliena corpora, cur non animæ beatæ ſua. Poteſt Deus accidentia tollere, vt grauitatem, integra ſubſtantia. Nunc deſcendit anima in corpus, tunc aſcendet corpus ad animam, ditabitur eius immortalitate, nullamque faciet moleſtiam quia nullam patietur indigentiam. Chriſtus[s] caput noſtrum ſurrexit & aſcendit in cœlum, vbi caput, illic erunt membra, immortali ſua fœlicitate, ne quid illi deſit, donata: Longum igitur ſed non æternum vale nobis indicit mors quæ ſurget in vitam meliorem; iterum animæ corpus ſuum reſtituetur, iterum licebit amplecti charos, ſed per beatitudinem digniores & chariores, dabitur tunc cum illis in ſummi boni, ſummæque pulchridinis centro fæliciter confundi, viuat hic igitur corpus ad legem animæ, ſicut anima ad legem Dei; conferet pars inferior operas ad communis fœlicitatis conſequutionem, momentum eſt quod hic patitur, æternum quod ſperat à diuina iuſtitia, bonos hic aduerſis probante, perficiente, vt gloria ſua dignos efficiat.

[r] D. Auguſt. lib. 13. de ciuit. c. 16.

[s] Id. de doct. Chriſtiana lib. 1. c. 19.

Alterationes, corruptiones, priuationes ſublunarium, tranſeunt in ſtatum meliorem.

§. 1.

PLuribus iam antè nos ſæculis obſeruatum eſt, mundum ſeneſcere in eo quod terra velut effœta, licet multis exculta laboribus, aut nullos aut imperfectos edat fructus, quos meliores & vberiores olim ſponte ſua profundebat; quod lapidum, herbarum, mixtorum omnium virtutes ab antiquis expertæ, deficiant; quod hominum corpora ſint antiquis, infirmiora, minora, vitæ languidioris, breuioris, & exiguam quam natura concedit ætatem rarò totam implentis. Ex mundi ſenio, ex ſucceſſiua partium defectione totius augurantur interitum, ſub hac generali lege, quæ miſeris eſt conſolatio, quidquid cœpit & deſinit.

Hinc oriuntur contumelioſæ Deo quæſtiones, cur ea quæ conformauit ad æternæ ſuæ ideæ rationem, tam ordinata, continua, pulchra rerum connexione, pereant? Cur immutabilis mutabilia conſtituerit? cur æternus operi ſuo perfectiſſimo non contulerit æterni-

Digitized by Google

in ciuitatem? cur quod ab æterno decreuerat, deſtruit decurſis quibuſdam temporum interuallis, quæ momentum ſunt, æternitati comparata. Anguſtæ mentes neſciunt in ſæculis præterita cum præſentibus & futuris contexere; [v] non aduertunt fluxam hic in fluxo tempore rerum ſucceſſionem; nec vident ex interitu conclamato mirandos rerum in meliorem ſtatum reditus. [v] D. Auguſt. tract. 38. in Ioan.

Cum ex aëre terræ viſceribus intercepto & corrupto, argentum, aurum, gemmæ; in ſuperficie, plantæ, arbores, animalia generantur; cum herba tritici conſumitur in formatione ſui ſeminis, ex cuius vno grano, ſurgunt mille alia & alia pari numero, infinitâ propagatione producentia, cum alimentum minus nobile vertitur in nobiliorem ſubſtantiam, humor terræ in plantam, planta in ouem, ouis in hominem, & vltimæ degeſtionis excrementum, in ornamentum capillorum, & in extimam pellem vbi ſedem habet pulchritudo, diuini ſplendoris fulgor, quis non fateatur corruptiones eſſe rudimenta proximæ præſtantioris exiſtentiæ? Ita fit in vniuerſo, certis ſæculorum terminis, ſicut annuis tempeſtatibus, vt terræ ſiccitas humiditate, humiditas & vligo caloribus temperetur, munduſque conuenienti ſuæ reſtituitur conſtitutioni. Omnia pereundo ſeruantur, omnia de interitu reformantur; ſeminatur corpus in corruptione, [x] reſurget in incorruptione; ſeminatur in ignobilitate ſurget in gloria, ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute, ſeminatur animale, ſurget ſpiritale. [x] 1. Cor. 15.

Ergo ne, inquis, ſemper moriendum erit, & ſemper reſurgendum, id certè, ſi ita Dominus deſtinaſſet, at nunc non aliter deſtinauit quam prædicauit; docuit autem eadem prouidentia qua conſtant omnia ex animatis & inanimatis; ex luce & tenebris, vita & morte, eadem æuum quoque diſtincta conditione conſertum eſſe, vt prima hæc pars ab exordio rerum temporali ætate ad finem defluat, ſequens verò quam expectamus in infinitam æternitatem propagetur; Ideoque nec mors iam, nec rurſus reſurrectio, ſed erimus iidem qui nunc, nec alij poſt: motum æterna quies excipiet, ſucceſſiuas alterationes; ea quæ rebus competit, perfectio; mortalitatem noſtram vita, bonorum omnium aggregatione beata, coronabit. Semper enim natura tendit in melius, nullumque fruſtra rebus impreſſit appetitum, vnde cum motus ſupponat indigentiam boni quod proſequitur, tandem quieſcere debet in eius plena immotaque fruitione, & ex partium ſingularum decore temporali, coaleſcere debet vniuerſalis & immortalis quædam pulchritudo.

Placent in muſicis vocum & fidium dulciſſimi concentus, qui ſtatim vt ſe protulerint morientes, aliis aliiſque perpetua ſerie naſcentibus loco cedunt, donec ex omnibus confletur aures menteſ-

Digitized by Google

que demulcens harmonia; Placent in oratore flores verborum, ſententiarum oracula, figurarum, motuum vocis, & geſtuum concinnæ varietates, tranſire tamen debent hæc ſingula donec deſinant in perfectam auditoris perſuaſionem. In antiquis conuiuiis [y] verſatilia cœnationum laquearia ſic coagmentabant, vt ſubinde alia facies, atque alia ſuccederet, & toties tecta, quoties fercula mutarentur, omnium finis erat, in conuiuarum animis huius magnificentiæ maximam æſtimationem promereri. Theatri ſcenæ & actus licet rerum & perſonarum ſplendore ſpectabiles, vnius aut alterius horæ ſpatio fœliciter finiuntur, ſi plauſum & admirationem adſtantium obtinuerint; Illud ſæpè dixerunt antiqui philoſophi, mundum ludum, ſeu ſpectaculum eſſe diuorum; nam mortalium oculi menteſque locorum & temporum anguſtiis ita coërcentur, vt ex ſingularibus pauciſſima videant, at vniuerſalia, cauſarum, ſæculorum, colores, ordines, nexus qui diuinam exprimant imaginem, contemplari non conceditur. Solis id competit beatis mentibus, quæ luminis gloriæ, & æternitatis tempus omne in ſuo nunc complicantis, priuilegio, tot generationum & ſæculorum ſeries, vno velut intuitu contemplantur. Itaque licet mundus in nihilum vnde ductus eſt, reduceretur, tot peractæ viciſſitudines ſatis amplo donarentur præmio, quod ſuæ pulchritudinis diuinam imitatæ, beatos haberent in æternum ſpectatores & laudatores.

[y] Seneca. epiſt. 90.

In hoc ampliſſimo ſemperque vario rerum mortalium theatro perſonam ſuam egerunt homines, & vt alias aliaſque ſubinde facies ſumerent plurimi caſus coëgerunt. In abditis perficiuntur opera naturæ, & in fines nobis ignotos diriguntur, nunc velata, fucata, & ſub myſterio cuncta decurrunt; At cum in fine ſæculorum illuxerit in æternitate veritas, ſuis ſplendoribus illuſtratæ & amplificatæ mentes, omnia ſimul & apertè videbunt, de cunctis operibus Deo creatori & gubernatori gratias immortales referent, in laudes, congratulationes, amores effuſæ, corporalia ſic in ſuum ſpirituale principium, & in verbum diuinum per quod omnia facta ſunt, infinita quadam ſplendoris & amoris diuini multiplicatione reſtituent. Tunc erit per vitam penitus abſorpta mors, & corpora beatorum ab infimis materiæ conditionibus defæcata, leuia, ſplendida, glorioſa, tot erunt non iam parui, ſed conſommati, & ideæ ſuæ magis conformes mundi; Rerùm materialium infirmitates, corruptiones, viciſſitudines in humanis corporibus immortalitate, & ſpiritualis gloriæ participatione donatæ, tranſibunt in meliorem ſtatum, quem fides credit, ſpes ſitit, charitas bonis ſuis operibus conatur promereri. Eſſent cœli noui, terra noua, ſtellæ multiplicatis ſplendoribus illuſtriores, etiam ſi mundus hic penitus deleretur in natura, & tantum ſupereſſet

ſupereſſet in idæis beatorum, inde laudes æternas Deo dicentium. Illic dies Sabbathi [z] non habens veſperam ſequetur dominicus dies, velut octauus, æternus, qui Chriſti reſurrectione ſacratus eſt, æternam non tantum ſpiritus, verum etiam corporis requiem præfigurans: Ibi vacabimus & videbimus; videbimus & amabimus; amabimus & laudabimus: erit curſus ſine termino, vſus ſine faſtidio, refectio ſine cibi adiutorio, requies ſine noctis ocio, ætas ſine ſenio, indeficiens ex vultu Dei claritas, & ſub antiquis perpetuiſque gaudiis ſemper noua iucunditas, ſine vllo amittendi periculo ſecura fœlicitas: quæcumque bona temporaliter tranſeuntia per creaturarum partes error appetit infidelium, veriora & in æternum manentia in creatore omnium ſimul iuuentura eſt pietas filiorum. Nemo ibi moritur, quo nemo peruenit, niſi huic ſæculo moriatur. Ecce quis ſit finis mundanarum viciſſitudinum, & virtutis inter illas duriſſima patientis, peruenire ad regnum, cuius nullus eſt finis.

z D. Aug. cap. vlt. de ciuitate Dei & lib. 2. q. Euangel. q. 39.

Has igitur naturæ leges, fœlicitatis humanæ fundamenta ex mundano Codice collegi, digeſſi, quantum in me fuit expoſui & illuſtraui, potiſſimum ad formandos hominum publicos priuatoſque mores; ſicut enim mundo corporeo ſua conſtat motuum & viciſſitudinum perennitas, eo quod ab initio poſitas ſibi leges à creatore fideliter ſeruat, ſic homini ad naturæ ſuæ rationalis legem viuenti deeſſe non poterit hic prælibata, in cœlo conſummata ſua fœlicitas. Præfert animo [a] motionum corporalium exemplaria, generationis quando diuinis hæret, corruptionis quando mortalibus; augmenti quando obliuiſcitur, alterationis quando variat vires affectionum, condenſationis quando ſe colligit, rarefactionis prout diſcurrit vel circa multa diſtrahitur; progreſſionis in rectum cum attingit extrema: circuitus cum effectus reſoluit in cauſam, & à cauſa deducit effectus. Mouetur in rectum, cum ad corpus ſenſumque declinat, in obliquum, quando in ſe & in Angelum, in circulum quando in Deum reflectitur: ſurſum ad vniuerſalia, deorſum ad particularia; ad dextram & ſiniſtram in oppoſitas generis differentias; ante & retro quando ad cauſas naturales effectuſue ſe vertit, ex omnibus boni verique radices colligens, vt ardentius in Deum omne bonum feratur. Interim motionum omnium capax poteſt externis occurrentibus verſatili prudentia conſentire, & hinc ab antiquis [b] multum culta ſaltatio, quæ docet cum decore motus corporis accommodare his quæ decantantur. Vir bonus poteſt implere tres operis huius partes, in quibus diximus de cauſis vniuerſalibus & particularibus; de rerum conſeruatione & augmentis; tandem de rerum alteratione & interitu. Poteſt agere vicem cauſæ vniuerſalis dum omnes complectitur dilatata charitate, omnibus affectu pater, luce conſiliorum

Digitized by Google

ſol, publico priuatoque bono quantum licet conferens, futuris etiam ſæculis, legibus, ſcriptis, rectè geſtorum exemplo relinquens profutura. Specialiter autem curat & fouet quos Deo genuit, & collata ſemel beneficia nobis cumulat.

Prouidentiæ ſuæ minima pars eſt, tuendæ corporis ſanitati, externorum bonorum velut virtutis inſtrumentorum conſeruationi & augmentis intendere; ſunt ipſi meliora bona ad fœlicitatem non indifferentia, ſed abſolutè neceſſaria, quæ conſequi & aſſiduis profectibus augeri vult, æternitatis beatæ, ad quam ducunt, ardens deſiderium. Patitur quidem corpus ætatis iniurias, & temporis, natum omne vetuſtate conſumentis, detrimenta; ſed ſentit animus ſortem hanc ſibi cum materialibus non eſſe communem, immortalis perpetua & illimitata concipit de Dei & proximi dilectione, de virtutum profectibus, votis in actionem ſemper proferendis, ſi diuturnior vitæ fruitio concederetur. Miſericors Deus homines ſui templi ſacerdotes impletis muneribus ab officio ſucceſſiuè vocat ad requiem, operis intenti licet non præſtiti, oblatæ licet non conſummatæ voluntatis ampliſſimus remunerator. Sic triplex naturæ munus, de quo dictum eſt, quilibet moribus ſuis & alienis ritè componendis ſolers applicat, vſus naturalis legis regula.

Hanc miſeré contorquent qui nouas introducunt artes politiæ, vim pro Iuſtitia, fucum & perfidiam pro veritate ſubſtituentes, vt totum parti ſuæ, ſcilicet Rempublicam dominanti ſubiiciant; ſi ratione, ſi diuina humanaque fide contempta, ſi per calcatas naturæ leges thronum conſcenderint, ſurgunt vt lapſu grauiore ruant, ſubductis enim Iuſtitiæ fundamentis nihil in altum diu valet conſiſtere, ſic præterita ſæcula viderunt tyrannos propriis irretitos laqueis, metu quem aliis incutiunt in autorem redeunte tortos; miſero tandem exitu confici. Hinc mundana prudentia merito dicitur infœlix, quippe cæca, impingens in ea quæ vitare vult pericula, iniquitatis ſuæ vindex, dum ab inſito naturali iure deuiat. Ipſa pietas licet videatur eminens, & vitam cœlicolis parem profeſſa, ſi deficiat ab hac naturali lege, ideſt à ratione, mentes efficit, quæ ſe ſuperſtitione, cæteros exagitent zelo non ſecundum ſcientiam æſtuanti, interdum viſis ſuis velut oraculis, paſſionibus velut iuſtitiæ decretis nimium fidentes, indomita feritate ſæuiunt in proximos, horrendas edunt ſtrages, vt nihil hodiè magis verendum, nihil abominandum magis homine ſpirituali corrupto. O ſi via plana, facili, regia, ex ratione & ſyndereſi procederent homines, ſi ſuæ mentis orbes haberent concentricos vniuerſo, & quam in ſe ſentiunt, quam in mundo deſcriptam vident naturæ legem ſequerentur, ceſſarent odia, alta pax beatos efficeret, & velut vnius corporis partes, ſuum

Digitized by Google

quiſque priuatum bonum, in communi bono conſequeretur.

Optimam hanc vitæ rationem politiæ ſimul & religioni neceſſariam, obſeruare conati ſumus in ordine mundano, vt naturam quam falſo in ſuum trahunt patrocinium mali, habeant probitatis & Iuſtitiæ magiſtram. Sicut ipſa nos voluptate trahit ad actiones, ſic ego varia & vt opinor grata rerum inductione tentaui mentibus humanis indere probitatem verumque Dei ſenſum. Longiores præmiſſas breuis ſequitur de moribus concluſio, ſicut diffuſa quæuis quantitas puncto terminatur, vaſtæ cæli vires in exiguum, ſi peripheriæ comparetur, centrum confluunt lumenque recta & breuiſſima linea diffunditur. Ita propoſitum mihi fuit non tam hic docere quam inſinuare moralia, quæ fuſius aliis in operibus expoſuimus. Multorum carptim opiniones recenſui, ſed his tantum ſententiis adhæreo quas ſancta Catholica Romana probat Eccleſia, cui quidquid hic & alias à me ſcriptum eſt humiliter ſubiectum volo, paratus quæ non probauerit, ſtatim expungere.

Non ſtricto nec ſtipulato ſtylo, velut in ſcholis, ſed diffuſo magis & oratorio, ad lectoris minus ingratos profectus mihi ſcribenti quædam excidere potuerunt quæ rigidus cenſor conuellet. Sed quæ veritas, quis ſermo, licet ad exactæ iuratæque dictionis regulam compoſitus non patet contraria dicentium oppugnationi? vnde vix ipſamet ſchola per diu meditatas diſtinctionum ambages ſe valet expedire: hæc eſt humanæ cognitionis ſors, quod obſcura, quod inquieta ſit in mundo diſputationi noſtræ tradito, hic enim argutia pertinax omnia vocare poteſt in controuerſiam, propter ambiguos ſenſus verborum quæ rerum conceptibus, etiam in vnoquoque multiformiter variis non reſpondet. Si ſimilia nobis obiiciantur, prouocamus ad hanc quam exponimus naturæ legem, ad idæam recti verique mentibus impreſſam, vt quæ Chriſtianæ veritatis ego tenax aſſertor, ad ædificationem conatus ſum eloqui, maligna ſubtilitas ad contrarios ſenſus non detorqueat. Bona fide prolata, Lector ſimiliter excipiat bona fide, memor illius regulæ Iuriſconſultorum, ſemper in obſcuris quod minimum eſt ſequimur. Non piget tamen hic explicare quædam, iudicio viri boni non ſatis dilucida, quæ ſi magis legentem offenderint pro retractatis habeantur.

Pag. 6. vſus ſum verbo miraculi loquens de ſtupendis quæ fiunt ab Angelo, dum legis naturalis periti ſſimus artifex, inſolitos edit effectus, actiua paſſiuis applicando. Hæc propriè dicenda fuerant mira, non miracula, ſed eo quod talia vulgo videntur omnibus qui mouentem intelligentiam, & mouentis modos ignorant, loquutus ſum vt plures, vſus communi ad ſenſum & ad intellectum voca-

Digitized by Google

bulo, etiam ad affectum, qui res præter ordinem contingentes mirè ſuſtollit, vt amplius gaudeat ſibique plaudat eas vidiſſe.

Eadem pag. dolens totum orbem Chriſtianum bellis aſſiduis penè conſumptum, dixi ſæculum noſtrum eſſe ferreum, in quo plurimorum conſilia ſunt, vt fucum rebus, onus populis, bella finitimis inferant, iuſque naturale non ſequendi ſed abrogandi mos inualeat. Hæc ſic à me dicta ſunt, quia bello ſæuiente procerum animi inſtaurandis præliis, dolis ſtruendis, reparandis quas bellum exhaurit, pœcuniis intenti, nec diſcunt, nec ſeruant legem naturæ quæ cognationem quandam inter omnes homines conſtituit.[a] Cæterum hæc de regnis omnibus Europæ dicta cur vertunt in Galliæ ſolius iniuriam. Regnum hoc, vt notant aſtrologi, habet ferè parem mundo in ſignorum & planetarum diſpoſitione natalem, ſic ad eius leges inquirendas & ſeruandas maiorem præ cæteris ex ſympathia peritiam & probitatem. Hinc lætus audio Lutetiæ Pariſiorum, vt optaueram, peritiſſimos in diuerſis ſcientiis homines conuenire, collatiſque ſtudiorum ſuorum ſymbolis conformare corpus Iuris naturalis exacta, quæ mihi ſoli contingere non poterat, partium omnium ſuarum obſeruatione. Abſit vt patriæ meæ ſim contumelioſus, qui ad ſcientiarum & artium omnium excellens in ea magiſterium, cum bellica fortitudine, cum Religionis ſinceriſſimo cultu, nouus quotidie ſpectator accedo; & hanc abſolutam iuris naturalis diſquiſitionem gratulabundus expecto.

[a] l. 1. ff. de iuſt. & iure.

Pag. 53. vt Pythagoras dixit duodecim eſſe ſphæras, in ſingulis duodecim animas cæteris præſidentes, ſic populus Iſrael diuiſus fuit in 12 tribus, & in ſingulis erant 12 capita familiarum. Hæc dixi propter conuenientiam numeri duodenarij, vt paſſim apud Eccleſiæ patres, Origenem, D. Ambroſium, D. Auguſtinum, myſteria numerorum ex rebus naturalibus, transferuntur ad res diuinas; hic in impreſſione notabilis eſt omiſſio, quam, parcens ſumptibus typographi, non correxi, habet autem manuſcriptum vt ſupra.

Pag. 59. dixi artem & humanam induſtriam, perditæ innocentiæ videri ſubſtitutam, itaut tantum nunc poſſit ars, quantum olim potuit innocentia. Tantum illud extenſiue intelligendum, non intenſiuè, quia per artes non tam facilè, nec tam abſolutum habet homo dominium ſuper creaturas, ac illi contingebat per innocentiam. Verbum illud, videatur, hoc innuit. Verba D. Chriſolo. Ser. 148. vnde hæc ſumpta ſunt, ſic habent, Initio Deus voluit omnia humanæ poteſtati ſubiicere, non arti, vt homo laboris neſcius, doloris ignarus, beatus delicias poſſideret, at nunc vix valet arte, quod valebat poteſtate.

Pag. 84. 85. quæ dicuntur de Monaſteriis regendis à Regulari.

Digitized by Google

bus, ſumpta ſunt ex citatis canonibus, & locis D. Gregorij PP. Reuocant hæc in memoriam, fœlicem & florentem Eccleſiæ primitiuæ ſtatum, tunc cum erant Epiſcopi regulares, ſic merito Regularibus præpoſiti. Rebus & perſonis mutatis aliter à ſummis Pontificibus & Conciliis decretum eſt, pluribus, quam quæ diſcuti debeant, rationibus.

Pag. 89. Nihil tam vtile quam breuem eſſe poteſtatem quæ magna ſit. Hæc eſt communis ſententia politicorum qui citantur in margine, & id verum eſſe probant in Republica vel populari vel ariſtocratica, nam propter diuturnas dignitates mutari ſolent in monarchiam, vt refert Ariſt. 6. polit. c. 2. & 4. At ſub finem eiuſdem paginæ expreſſis verbis aſſero in Monarchia vtiliſſimam eſſe ſummam continuamque poteſtatem.

Pag. 90. quæ dicuntur de lege naturali, & regnorum fundamentali quibus Principes ſubiecti, paſſim habentur in locis illic citatis & Plutarch. lib. de regno. D. Tho. de regimine principis: ne tamen populi, proceresque ſumerent inde ſeditionis occaſionem, motus illos violentos & conuulſiuos reprimere conatus ſum pag. 155.

Similia meo, vel typographi vitio, hinc inde per hoc opus diſperſa, cum occurrent, Lector benignus excuſare, peritus emendare facili negotio poteris, & abſentis authoris in crimen ſæpius immeritò vocati cauſam agere: Quamuis ſi leuia ſint & in rerum expoſitione næuos quoſdam non deformitates nec ambiguos ſenſus inferant, ſatius videtur tales minutias, velut non ſint, conniuentibus oculis tranſgredi, quam eas in numerato, & inter ea quæ operas tuas mereantur habere: paleæ ſunt & arenulæ fortuito præter ordinem proiectæ, quæ properantis ad ampliora gradum non morantur, nec quod aperuimus iter, ideo minus planum videri debet ad primas veritates, & ad Deum ipſum, cui ſit honor & gloria.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google



Digitized by Google

INDEX

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

RERVM HOC IN opere magis notabilium.

A

ABerrationes inſolitæ probant conſuetum ordinem. 80
Aberratio leuis toleratur. 143. 144
Abortus cauſæ. 225
Abſentia rei amatæ ſupplicium eſt. 369. 616
auget rerum deſiderium. 616
Abundantia quæ non vitiat. 145
Abundantia noxia. 555
Abundantia ficta. 478
Acies in cœlo viſæ. 536
Accreſcendi ius. 598
Actionem intendit natura. 71
Actio quiete præſtantior. 531
Actio formalis rerum eſt perpetua. 137
Actiones quædam ſunt otio deteriores. 75
Actio ſingularis pendet ab vniuerſali. 94. 95
Actiua vis omnis eſt limitata. 335
Actio præpeditur ex æquali contrariorum reſiſtentia. 44
Acus magnetica vt ad polum conuertitur. 428
Admonitio debet eſſe conſtans. 122. in fine.
Adoleſcentes nimis ſeuerè non ſunt coërcendi. 140. 145. 226 321
Adoleſcentibus quibus præcox ingenium. 526
Adoleſcentum acres ſunt primi ad voluptatem impetus. 429
Adoleſcentia luxurioſa in bonam frugem conuerſa. 223

Digitized by Google

Adoptio cur inſtituta. 255
Aduerſitas fœlix & opportuna. 119
Aduerſis quare boni premuntur. 131
Adulatio placet. 480
Adulteria naturæ ſterilitate damnata. 137
Adulterium graue crimen. 213. in fine.
Adulterium vt mulieri, ſic viro prohibitum. 211
Adulterium mulieris, pater & maritus vindicant. 210
Aër natura ſubtilis omnia penetrans. 59. 73. eius vtilitates. 54. 55. Inconſtantia. 498. quieſcens corrumpitur. 324. incluſus fit peſtilens. 487
adeſt preſens omnibus. 102. Eſt in cæteris elementis. 68. in terra cauſat generationes. 45
Ægris indulgendum. 590
Æmulatio prouocat ad virtutem. 384
Ænigmatibus olim certabant principes. 451
Æquanimitas in vtraque fortuna, 395
Æqualis reſiſtentia præpedit actionem. 44
Æqualitas ſi nihil obſtet, eſt in omnibus ſeruanda. 106. 193. Eſt argumentum boni. 345
Ætas & mors ſubrepit. 63. 603
Ætas Regnorum & Imperiorum. 532
Æternitas ſuſtinet tempus. 95
Æternitatis comparatione tempus omne breue eſt. 533
Æternitas meditatio. 559
Affectus quomodo mouentur ab oratore. 406
Afflictis dari ſolet afflictio. 547. Non eſt danda. 590
Agens vnicum & ſolum non eſt in mundo. 72. 191
Agentia ſua delectantur actione. 45
Agens agit ſibi ſimile 191, 363
Agri limitrophi cur olim militibus dati. 272
Agricultura terræ defectus emendat. 507. Eius laus. 17
Alchimia fallax. 126
Alcyones quando nidificant. 340
Alienis rebus ſe non immiſcere. 35. 337. & ſeqq.
Alimenti neceſſitas. 137. 208. 330
Alimentorum vis. 196. 397
Alimentum nutrit & alterat. 332. 552. Eius diuerſa probatio & præparatio. 332
eius concoctio quomodo fit. 222
Alimenta debentur egentibus parentibus. 247
Alteratio præcedit corruptionem. 542

Alterationes

Alterationes cur in mundo neceſſariæ. 514 & ſeqq.
Alternatio dura facit leuiora & tolerabilia. 463
Altitudo videtur aliquid habere diuinitatis. 35. 396.
quæ ſunt maximæ altitudinis. 396
Altitudinem omnia appetunt. 382
Ab altis contingit caſus & præcipitium. 389. 527. 548
Ambitio videtur homini naturalis. 383
Ambitio mala. 75. 383
fratricida. 365. inducit mortis obliuionem. 604
Amicorum multitudo bona. 299
Amici fortunæ & infidi. 521
Amicorum infidelitas toleranda. 132
Amicitia ſenſim diſſoluenda. 544
cum amicis tanquam cum futuris hoſtibus viuendum. 548
Amor ſui naturalis & legitimus. 32. 253. 270. 271. & ſeqq. 278. 337. 531
eſt charitatis initium. 273
Amor ſui vitioſus. 282
Amor eſt vnitiuus. 66. 572
Amor inter vtrumque ſexum. 200. & ſeqq.
Amoris ardores. 202. 203
Amor duplex in homine. 203
Amoris impuri turpitudo. 204
Amans vult amari. 204. Conſortem non patitur. 208
læſus fit furor. 211. 618
Amor non grauat ſed delectat. 572
Amor temperatus dat pulchitudinem, induſtriam, fortitudinem. 205
quærit ſolitudinem vt ſit ſecurior. 213
quaſi magus omnes fallit. 205. 279
quod amatur quare pulchrius quam ſit, apparet. 362
Amatur qui amat. 363
Amor debet eſſe perpetuus. 215. 216. 572
Amantes gaudent mutua præſentia. 379
Amare Deum ſuper omnia. 224. 571. & ſeqq.
Amor diuinus dilatat. 105. in fine.
Amor primo contractus, cæteris præferendus. 185
Amor patriæ. *Vide patria.*
Amplitudo rebus nobilioribus propria. 35
eam ambiunt omnia. 380
Angeli fuerunt primò creati. 57. 182
ſunt medij inter æternitatem & motum. 317
quomodo ab inuicem diſtinguntur. 81
ſunt expreſſiores Dei imagines. 10. 60

MMmm

Digitized by Google

quare non generant. 192
ſunt patres ſpirituales. 390. in fine.
ſunt in loco definitiuè. 85
præſunt rebus inferioribus. 57
rerum corporearum ſpeciebus. 58. 84
ſuperior Angelus poteſt agere, quod agit inferior. 175
Angeli cuſtodes. 65. 171. 535
Angelorum inter ſe conſenſus. 154
Anima vide mens humana.
quare ſit immerſa corpori. 43
continetur loci limitibus. 86
eſt primo actus totius corporis. 151
quæ ſit eius ſanitas. 154
Deo vnita deïficatur. 108. eſt immortalis. 601
Animalia ſunt inanimatis magis actiua. 74
norunt quælibet vires ſuas. 399
læſa ſe vindicant. 432
docuerunt homines varias artes. 11
quædam magis accedunt ad rationem. 61
domeſtica ſunt diuerſi coloris fera vnius. 39. 516
infirma ſunt magis aſtuta. 127. 452
parua ſuas multitudine regiones vaſtarunt. 516
præſentiunt aëris mutationes. 540
Minima ſunt magis fœcunda. 127
dolis reſiſtunt fortioribus. 46
habent organa ſuis edendis actionibus congrua. 77. 399
etiam fortiora dolis vtuntur. 446
omnia videntur vt ratione. 78
delectantur motu. 329
eiuſdem ſpiciei mutuò ſe protegunt. 370
horrent ſuæ ſpeciei cadauer. 619
fœtus ſuos educant magna cura. 225
Annuli taliſmanici. 116 in fine
Antidota naſcuntur cum venenis. 459. 460
Antiquiora habentur vt perfectiora. 56. 182. & ſeqq.
Antiquitatem ambiunt Reſpublicæ. 183
Apum induſtria. 127. Munditia. 167
non licet eas ad flores alienos conuolantes necare. 359
Apoplexia quid ſit. 567. non tollit omnem motum. 143
Apoſtaſia ex indiſcreta mortificatione. 141
apoſtatæ ſunt omnium peſſimi. 429. 618
vix conuertuntur. 618. ſunt velut mortui. 567

Digitized by Google

Apoſtoli ad omnium gentium conuerſionem miſſi. 104
Aqua credita rerum omnium principium. 182
quid terræ conferat ad fœcunditatem. 45. 73
fugit ignem. 475. ignem paſſa reſtituitur. 498
conſeruat quantum poteſt ſuam vnitatem. 370
eius etiam corruptæ fœcunditas. 73
aquarum ab aquis initio mundi ſeparatio. 440
aquæ quomodo fiunt lapidificæ. 74
Aquilæ non prædantur in proximo. 413
Aranearum induſtria in texendis telis. 78. 127
in præda capienda. 585
Arbores altiſſimæ, 396
læſæ quomodo reſtituantur. 499
fœcundiores minus durant. 525. 528
Arces in limitrophis regionibus. 614
Argenti viui mira natura. 468
fugit ignem. 475
Arma legem tuentur. 399. 411
Ars naturam imitatur. 126
Artes ſingulæ ſua gloriantur antiquitate. 183
non dant formam ſubſtantialem. 86
naturam imitantur contraria miſcendo. 47. 80
nihil agunt niſi mediante natura. 87
naturam perficiunt. 60. 507
ars & natura non conſultant. 78
artes quæ non relinquunt opus poſt ſe. 527
Artificum corpora & collegia. 372
Monopolia prohibita. 372
Arundines altiſſimæ. 396
Aſſiduitas in actione neceſſaria. 58
Omnia vincit. 585. 587
Aſſueta nos non afficiunt. 615
Aſtutia ſupplet virium defectum. 452. 453
Aſtrologiæ vtilitas. 443. 538
eſt neceſſaria belli ducibus. 340
eius dicitur eſſe vis mira. 126
eſt in multis incerta 111
Aſylum ad imagines principis 108
aſylum à Romulo factum. 331
Athletæ fortiſſimi mira conformatio. 146
Auaritiæ ſitis inexpleta. 384. 398. 414
Audacia à Marte planeta. 194. Augeri plus eſt quam conſeruari. 378

Digitized by Google

non augeri, hoc eſt minui. 389. & ſeqq.
Aucta nolunt minui. 393
augmentum quandiu fit. 397
Augurum dignitas. 537
Aues corpus habent ad motus aptiſſimum. 316
quomodo volant, 361
earum amor. 202
earum induſtria in nidis fabricandis. 78. 225
aues peregrinæ. 88. 354
iuuenes diſcunt alienam melodiam. 227
Aulici fauore principum elati. 55
dum ſplendent conſumuntur. 68
eorum circa principem aſſiduitas. 587
ſeruitutem patiuntur. 493
quantis ſunt expoſiti periculis. 584
cito diſinit eorum fœlicitas. 527
aulici cum principe ſuo morituri. 595. 596
Auroræ deſcripto. 513
Aurora muſis & conſultationibus amica. 614
Aurum in terra quomodo formatur. 86
non poteſt fieri a chymicis. 86
cur eſt incorruptibile. 523. 529
ex auro omnis regia ſuppellex. 305
Auxilium externum eſt neceſſarium. 269. 286. 330. 349. 351. 371. 457
auxilium neceſſarium negans cenſetur occidere. 104
auxilium à ſimilibus præſtatur. 460. 474
auxilium ferre præcipit lex chriſtiana. 466

B

BAlſamo viuunt viperæ. 134
Baptiſmus quare fit per aquam. 100
quare pueris confertur. 436
Beatitudo quare non habetur viribus naturæ. 99
Bella cur introducta. 415
bellorum immanitas. 591
belli diſciplina cur auſterior. 143
bellum ciuile deterius. 564
mitius gerendum eſt. 162. 415
ciuile ſimul & exterum non toleratur. 590
in bellis occaſio captanda. 587
bellum inter Chriſtianos lugendum. 162

Digitized by Google

in bello ſeruari debet clementia. 331. 415
bellum non debet eſſe diuturnum. 420
in bello potiſſimum proſunt doli. 447. 448
Belli præſagia. 536
Beneficium neſcientibus collatum. 110. 478
ingratis collatum. 49. 114. 115. & ſeqq. 189
ſine ſpe remunerationis. 117. 190. 233. 352. 467
pauperi potius quam diuiti dandum. 117. 190
inuitis præſtandum. 118. 119. 142. 411. 477
beneficia naturæ ſunt perpetua. 107
beneficium danti nociuum licet negare. 358
quando non dare melius eſt. 118
beneficium licet non acceptare. 120. 121
Beneficij gratitudo, & in neceſſitatate reſtitutio. 161
beneficium ſenſim collatum. 171. 222. 391
beneficia redeunt in benefactorem. 187. 356
beneficium augetur dantis dignitate. 191
quod non eſt difficile, non debet negari. 357
de his qui lædunt, vt poſtea iuuando videantur benefici. 407
beneficia quædam ſecreto, quædam palam ſunt conferenda. 478
Beneficium latens. 553. 584
Bibliothecarum vtilitas. 358
Bina ad vnum opus inſtrumenta. 298
Bis in idem periculum beſtiæ non incurrunt. 494
Blaſphemia cur committitur. 404
blaſphemi quid intendunt. 481
Bombicis mira tranſmutatio. 600
Bonum in conuenienti & diuerſis diuerſum. 12
Bonum malo mixtum in omnibus. 128. & ſeqq. 144. 145. 250. 318. 552
ad bonum commune referuntur tum ſuprema, tum infima. 41
verum bonum non eſt in rebus mundanis. 550
plus eſt boni quam mali. 54. 438. 460
bona in malum verſa. 133. 134
boni à malis ſegregati. 166. 250
vir bonus eſt cæterorum redemptio. 505
inter bonos tantum eſt conſtans ſocietas. 375
Bonis quare mala accidant. 48. 131. 421. 551
Boni inter malos. 420. 427
non ſine conſolatione dura patiuntur. 49
boni ſolum ſunt liberi. 425

Digitized by Google

C

CAlamitates publicæ multum nos terrent & afficiunt. 591
Cur bonos ſimul cum malis inuoluunt. 593
Callus in corpore quomodo generetur. 420
Calor tendit ſurſum. 382
calor cœleſtis viget in inferioribus. 186
calor & humidum ſunt generationis principia. 42
Calumniatores ex probata doctrina, malam eliciunt & propalant 489
Canabis vtilitas. 355
Cancer morbus. 543. non debet exulcerari. 486
Canis intelligit vires ſuas, & in certamine infirmiora contemnit. 400
Canes pro cuſtodia. 444
etiam rixoſi ſimul decertant contra feras. 461
Cantus quare placat infantes. 74
Capitalis pœna. 169
Carcer eſt ſpecies exilij 169. carcerem natura non patitur. 382
Cartilago inter os & carnem media. 63
Caſtratio illicita. 118. 198
Caſu facta non perſeuerant. 76
Caſui quæ tribuuntur ſunt effectus diuinæ prouidentiæ. 509
Cauendum ſibi ſemper ab hoſtibus. 444
Cauponæ ad libidines opportunæ. 584
Cauſæ vniuerſales Deum imitantur. 92
earum influxus eſt neceſſarius. 566 & ſeqq.
effuſas exercent largitiones. 114
ſuperant ſpecierum limites. 125
coagunt cum ſingularibus. 93. 125
plus conferunt ad actionem quam ſingulares. 593
perpetuum largiuntur influxum. 107 & ſeqq
ab his, læſa reſtituuntur in integrum. 506
ſupplent defectum cauſæ particularis. 112. 170. 175
agunt interdum ſine cauſa intermedia. 174
Cauſæ varios & interdum contrarios habent effectus ex diuerſa materiæ diſpoſitione. 123
Cauſæ ſuis effectibus ſunt præſtantiores. 181. & ſeqq.
Cadendo vis frangitur. 482
Celeritas nimia. 379
Cenſorum in Republica munus. 173
Centaurus cur in ſignis Romanorum. 447
Centrum ſuum appetunt omnia. 45. 54

Digitized by Google

Centro proximiora ſunt minus mobilia. 56
Cereorum in funeribus accenſio. 361
Certamina ferarum prouida. 404
ante certamen conſultatio. 406
Cerui aſtutia. 452. 491
Chaos initio mundi. 519
Charitas ſuprema virtutum. 385
Charitas à ſeipſo incipit. 271. 278. 280. vide amor ſui.
Charitas ad omnes æqualis. 105. 289
Charitas officioſa. 323
Charitas inalterabilis. 524. 528. 588
viget in ſanctis. 624
Chimiæ opus. 47
Chimici non poſſunt aurum facere. 86
Chriſtus proponitur imitandus. 28. 97
inter Deum & homines conciliator. 65. 115
eſt ſæculis omnibus cauſa ſalutis 28. 97
eſt ſol omnes illuminans & viuificans. 103
vult omnes ſaluos fieri. 103
quare fecit miracula. 150. 175
oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam 165
Chriſtianorum initio concordia. 564
Chriſtianis imputantur orbis mala. 592
Circulus facit ſimul contraria. 42
Circularis motus in cœlo quare ſit. 192. 310. 374. 393
Circulos omnia peragunt. 193
Circularis figura tutior. 310. 316
Ciuitas conſtat ex diuerſis. 47
Ciuis oſtendit in ſe, ciuitatis ſuæ fatum. 70
Clades magnæ ſunt vtiles mundo. 49. 592
Clamor primum eſt doloris telum. 462
Coactio in bonum neceſſaria. 120. 137. 142
non debet eſſe nimia.. 140. 145. 226. 321. 422
Cœlibes contempti & mulctati. 198
Cœlibatus Chriſti lege permiſſus. 199
Cœlum eſt mundi caput. 276
eſt terræ maſculus. 100. 170. 215. 252
eſt finitæ & limitatæ quantitatis. 85
cur eſt inalterabile. 522
cœleſtia quomodo nos afficiunt. 540
Cœlo conformari. 42. 193. 393

Digitized by Google

Cœlum eſt diuinæ prouidentiæ inſtrumentum. 54. 86. 136. 171. 510. 592.
eſt imago diuinæ bonitatis quæ ſemper influit. 92
Motus habet regulares. 72. 73. 171
cur habet circulares. 192. 318
circularis motus, eſt medius inter cæteros motus & quietem. 317
Cœlo cur impoſita motus neceſſitas. 136. 252
Cœlum empyreum influit. 73. 266. 522
Cœli enarrant gloriam Dei. 157
generant imperfecta animalia. 172. 175
Cogitationes malæ optimè latent. 487. 622
Cognitio prompta & ſine conſultatione. 154
Collegæ diuerſi genij. 47
Collegarum inter ſe & cum rectore concordia. 154. 372
Columbarum amor. 202
Columna decuſſa malum augurium. 536
Columnarem figuram quare plurima habent. 193
Cometæ quando ceſſant. 504
Commercij neceſſitas. 354
Communes res negliguntur. 282
Communionis naturalis bonorum reliquiæ. 101
Communio ſanctorum. 623
Compenſatio debiti & iniuriarum. 434
Compoſita ex diuerſis. 330
Compoſitum omne diſſoluitur. 520
Compreſſio nimia corpus deſtruit. 422
Concharum mira diuerſitas. 39
Conchilia cur inueniuntur in montibus. 69
Concupiſcibilis facultas iuncta iraſcibili. 398
Confidentia ſui bona. 401. Nimia. 402
Conformitas cum Dei voluntate. 113. 119
Congregatio bonorum ſola conſtans. 375
Coniugium inter impares. 47. 469
Conſanguineos natura conciliat. 364. 373
Conſcientiæ ſtimuli. 120. 490. 565
Conſeruationem ſui appetunt omnia. 71. 270. & ſeqq. 378
conſeruari minus eſt quam augeri. 378
Conſilium malum dans tenetur. 438
Conſolatio in ſocietatis diſſolutione. 521
Conſolatio in morte iuuenis. 526
Conſors criminis punitur vt qui commiſit. 582

Conſueta non afficiunt. 38. 615
conſuetudo malorum peſſima. 578
conſuetudo mala fit neceſſitas. 588
conſuetudine venena fiunt innoxia. 588
aſpera fiunt gratiora. 591
Conſultatio Doctorum neceſſaria ad veritatis inquiſitionem 6
Contemplatores à ſaturno. 133
Contractio qualis motus. 475
Contractus innominati. 351. 352
Contrarietas in mundo neceſſaria. 517
diuinam exprimit infinitatem. 41. 42. 359
contrariorum vnio in humano corpore. 519
Contraria interdum appetuntur. 377
ſibi mutuo reſiſtunt, ſic ſe temperant. 46. 210
in ſe mutuo tranſeunt. 617
iuxta ſe poſita magis apparent. 416. 481. 488. 617
Illa miſcet ars, ſicut natura. 47
ſociantur vrgente communi periculo. 471
Contubernium ſuſpectum vitandum. 580
Conuerſatio transformat. 188
bonorum, bonos mores reſtituit. 505
malorum, bonos inficit. 578. 583
Conuerſionis ad Deum diuerſa media. 114
conuerſio ad Deum non eſt differenda. 610
tarda, ſed feruida. 430. 608
in vitæ fine. 611
Nimis ſera ſæpius non eſt vera. 610. 615
Subita nec dilata. 508. 561
Conuiuia cum gladiatoribus. 418
Cordis dignitas. 55. 531
Coronæ cur in præmjum datæ. 141
Corona regia quid ſignificet. 307
coronæ florum in capite. 369
Coronæ circa ſydera. 589
Corporis humani dignitas. 294
eius partes in cotrarium ſe flectentes. 48
vnit in ſe contraria. 519
Refert totum mundum. 70
ſanum, medicamentis fit ægrum. 124
ad ſua corpora animæ ſeparatæ ſeruant inclinationem. 625
duo ſunt homini corpora cœleſte & elementare. 362
corpora defunctorum cur humantur potius quam cremantur. 620

Digitized by Google

reorum non debent relinqui in patibulis. 621
Corpus natura ſua eſt ineptum ad actionem. 58
Corpus omne eſt finitum. 85
Corruptiones in natura ſunt oblata Deo ſacrificia. 163
Corruptio per conſenſum. 579
Corruptio optimi, peſſima, 62. 617. & ſeqq.
Corruptiones fiunt ſenſim. 543
Creatio eſt à Deo ſine præjacente materia. 51
Creatura omnis tendit in bonum, ſic ad Deum. 10
Creſcit ſenſim natum omne. 391. 392
Criſis cauſa. 561
Crimen crimine tegitur. 481. 547
Crimina quorum memoria debet aboleri. 487
Crocodylus ſemper creſcit. 40
quare fuit in honore apud Ægyptios. 397
incrementa Nili præſagit. 541
quomodo ſuperatur à Delphino. 405
Crudelitas ſanguine delectata. 621
Cupiditas omnis eſt ſeruitus. 424
maior eſt rerum abſentium. 615
Curationes fiunt per contraria. 114
Curioſitas nimia in rebus diuinis noxia. 113
futuri vana ſæpius & nociua. 406

D

DÆmones tracti in imagines. 126
inſidiantur extremitatibus vitæ. 614
vi cogendi. 143
decipiunt homines. 302
Declinare iudicium quando licet. 483
Defectus. *Vide malum.*
defectus proprij cognitio neceſſaria. 99
defectus quare perfectionibus mixti. 143
cur ſenſim graſſentur. 514
defectus ſuos abſcondit natura. 478. 487
defectus qui licitè poſſunt abſcondi. 481
Deffenſionis iuſtæ tres modi. 431
deffenſio opportunè differenda. 483
Deformes ingenioſi. 255
deformitas inauſpicata. 538
Delectatio *vide Voluptas.*

Digitized by Google

dilectatione omni priuari eſt inhumanum. 141
Delphinus aſtu ſuperat crocodylum. 405
Deſcenſus ſuperiorum ad inferiora. 60
Deſertoris militiæ pœna. 476
Deſidia turpe & contra naturam vitium. 74. 326
Deſperati, ne ſibi noceant, impediuntur. 118. 119
ex deſperatione fortitudo. 144
Deuotio indiſcreta. 558
Deus eſt extra rerum cathegoriam. 50
in ſe quæ ſunt apud nos contria complicat. 41. 316
ſibi ſufficiens quare res creauit. 9. 51. 188
eius infinitas videtur origo cæterarum perfectionum. 35
eſt vbique cuncta regens. 10. 24
eſt immenſus. 24. 50. 52. 94
eius præſentia nos continere debet ab illicitis 482. 523
eſt æternus. 24. 182
Bonitas eius vniuerſalis. 24. 94. 108. 113. 115. 188
eius erga creaturas amor. 188
lapſos reſtituit & perficit. 507
expreſſus ſub diuerſis nominibus. 26
Illi priximiora ſunt perfectiora. 55
immediatè poteſt agere ſine cauſis cæteris. 174. 508
vti videtur dolo bono. 447
Regnorum dator & moderator. 91
Coagit omnibus. 95. 170. 171. 567
Virtutum ampliſſimus remunerator. 99
dat bona propter ſe ſic perpetuo. 122
vult omnes ſaluos fieri. 102. 103 & ſeqq.
immeritos etiam cumulat bonis. 115
quomodo tenetur homini gratiam conferre. 107
eſt pater miſericordiarum. 116
dat victorias. 109
eius voluntas noſtræ præferenda. 119. 150
eius perpetuo debemus eſſe minores. 568. & ſeqq.
prouidet rebus ſingulis etiam minimis. 146. 509
ad eius gloriam omnia referenda. 157
Ipſi debita reuerentia. 248
Ipſi ſeruire maximum homini negotium. 337
Dij apud Ethnicos alij dicti corporei, alij incorporei. 57
Dicti concordent opera. 187
Diei & noctis congrua ſucceſſio. 351
diei commodum, mixtum incommodis. 128

Digitized by Google

diei commodum, mixtum incommodis. 128
diei cuiuſlibet partes referunt quatuor anni tempeſtates. 67
dies infauſti. 546
dies cur ſyderum nominibus vocati. 568
Differentiæ indiuiduales. 83
differentiæ honorificæ. 170. 181
Difficilia quæ pulchra. 385
quidquid eſt difficile non eſt bonum. 388
Diffidentia optima. 406. 493. 548
Digeſtio alimenti quomodo fit. 440
Dignitas publica eſt ſeruitus. 393
dignitas ſumma perpetua. 89. 531
per gradus & ſenſim conferenda. 392. 528
quæ per vices exercetur. 89
in dignitatibus vita breuior. 528
dignitates licet repudiare. 121. 138
dignitatis depoſitæ remanet honor. 394
dignitas ſenſim minuenda. 544
dignitate præcellentes, temerè non ſunt in iudicium vocandi. 576
dignitas auget peccatum. 618
Dilatio quando bona. 483
dilatio auget gratiam poſſeſſionis. 222
Dilectio ad omnes æqualis. 105
Diſciplina naturam perficit. 227
Diſcordia fit rerum cauſa. 42
Diſcretio ſpirituum, diuinum munus. 83
Diſpoſitio mala recipientis vitiat effectum cauſæ. 122
Diſputatione veritas eluceſſit. 48
diſputatio infidelitatis præſaga. 542
omnia patent diſputationi. 637
diſputationes vanæ fidei & pietati nociuæ. 556
Diſtantes conuenienter res, melius percipiuntur. 616
Diuerſitas eſt complementum multitudinis. 37
diuerſa diuerſis conueniunt. 275
diuerſitas quare delectat. 38. 325
diuerſa in vnum reducuntur. 330. 331
diuerſitas maxima inter homines. 41
Diuinationis multæ ſpecies. 538
Diuiſiones variæ in politica ſunt neceſſariæ. 371
Diuitiæ non debent eſſe nimiæ. 554. 555
diuitiarum vtilitas. 358
diuites cur ad regimen admiſſi. 272

Digitized by Google

Diuortia vbi permiſſa. 520
Decere alios præclarum. 187. 358
doctorum periculoſa diſſidia. 472. 473
doctor certam debet tenere ſententiam non habere indifferentem. 556
Dolor eſt naturaliter quærulus. 461
magis nos afficit & mouet quam voluptas. 143. 616
dolor quidam delectat. 464. 465
Dolus. *Vide fraus.*
dolus vnde dicitur. 446
dolis ſe tuentur quæ non poſſunt viribus. 445
dolidis vtuntur etiam potentiora. 446
dolo bono Deus & ſancti vtuntur. 447
dolis conſtat politia. 448
dolis limites poſiti. 449
domus eſt imperfecta ſine viro & muliere. 202
Donatio, vrgente neceſſitate reuocatur. 160. 161
datur vt accipiatur in mundo naturali & ciuili. 352. 354. & ſeqq.
quilibet difficilè donat alteri. 357
Duce occiſo perit exercitus. 505
Duellum prohibitum. 412. 437. 438
Duo paria organa. 298
Dura nihil agendo ſed reſiſtendo ſe conſeruant. 431
Durationi rerum præfixus terminus. 88. 525
minus durant, quæ citò producuntur. 525

E

Eccleſiæ antiquitas & perpetuitas. 29
Eccleſia confert ad ſubleuandas publicas neceſſitates. 160
dicitur laborare nimiis diuitiis. 556
Eculeus quare receptus. 492
Effectus non ſunt in totum cauſæ ſuæ ſimiles. 515
Effectus contrarij ex eadem cauſa. 113
Electio per ſortes. 112
Electio melioris boni. 273
Electiones aſtrologicæ. 340
Eleemoſynæ remuneratio cœleſtis. 356
Elementa ſuas habent regiones. 85
ſe mutuo temperant. 45. 252
ſunt omnibus ad vſum communia & expoſita. 100
quodlibet fertur in ſuum centrum. 77
parum aberrant à ſuis regionibus. 144. 195

Digitized by Google

Eorum concentus. 153. 252. 350
vim principiorum obtinent. 195
in ſe mutuo conuertuntur. 351
ſimilia primum in magis ſimilia. 361
Elephas congruam habet moli ſuæ conformationem. 295
Elephantis arma. 402
Elephantes ventrem habent perfodi facilem. 405
ſibi mutuo præſtant auxilium. 463
captiui tantum ingemiſcunt in abſcondito. 479
ſemel victi, victorem ſemper reformidant. 494
montani ſunt ferociores. 583
Enuchi tertium genus hominum. 198
enuchos facere non licet. 198
eorum occurſus inauſpicatus. 538
Epichia ſupra legem. 146
Epiſcopi defuncti bona quæ pertinent ad Eccleſiam. 157
Equæ vento grauidæ, 172
Euchariſtia validus eſt animæ cibus. 334
Excellentiæ appetitus. 383. 393. 394
Exceſſus naturæ bonum vitiat. 141
exceſſu multa pereunt. 554
exceſſus defectu tolerabilior. 430
ſolent excedere quæ ſe reſtituunt in libertatem. 428
exceſſus leues ſunt tolerandi. 144
exceſſus quidam laudabiles. 133
Excuſatio proprij defectus eſt naturalis. 478
Exhæredatio liberorum quæ iuſta. 251
Exilij pœna. 169
Exiſtentia ſingularis eſt in maximo defectu. 34
exiſtentiæ præfixus eſt terminus. 525
Experimentis conſtat medicina. 144
Expulſio nociui primum eſt opus Dei & naturæ. 166. 167
expulſiua vis viget in omnibus. 439. 440. & ſeqq.
Exteri ad regimen admiſſi. 47. 331
Extrema ſibi conſentiunt. 85. 288
extremitates pulchræ & validæ. 609. 614
ſunt periculis expoſitæ. 614

Digitized by Google

F

FAcies hominis totum refert corpus. 70
Factio quid ſit. 563
Famæ poſt mortem cupido. 91. 155
fama quomodo ſenſim fit publica. 582
fama ſanctorum immortalis. 612
Fames quomodo & quare nos torquet. 143
Familia eſt origo Reipublicæ. 183. 364
familiis à Deo conceſſa priuilegia. 364
Fatum non tollit libertatem. 363
fatum vniuerſale præualet ſingulari. 593
Febris hectica qualis. 543
fel abundans via duplici excernitur. 146
fit ex dulcibus. 617
Feriæ & dilationes cur inſtitutæ. 89
Feritatis ſigna externa. 403
Feſtinandum lentè. 224
Fidei diuinæ neceſſitas. 113
fides eſt ſacrificium iuſtitiæ. 412
fidei publica confeſſio. 454
fidei doctrina non probatur ex moribus. 599
fidelis quilibet totam refert Eccleſiam. 71
fides hominibus, etiam hoſtibus ſeruanda. 451
Filij quare non ſemper ſunt ſimiles parentibus. 171
filij gloriam ſuam in patrem refundunt. 157. 187
filius magiſtratus vt ſic præfertur patri. 160
filius patris imitator. 187
filij vnde fiunt degeneres. 249. 250. 251
Finis propriè intenditur ab homine. 78
finis duplex qui terminat, & qui intenditur. 625
finis humanæ vitæ verus quis ſit. 33
finem intendit natura. 77. 78
finis reſpondet initio. 289
in fine labor. 613
in fine reſiduum virtutis emicat. 607
fine honeſto concludi. 609
in fine, rerum perfectio. 612
finis bonus non excuſat vitioſum initium. 609
finis rerum infœlix. 527. 548. 618
Flores cur primum producuntur in arboribus. 284. 342

Digitized by Google

in plantis diuerſis veniunt temporibus. 88
ad ſolem tantum expanduntur. 93
Fluminum inundationes quid ſignificent. 536
flumina decurrunt in mare. 583
Fluxus maris cauſa. 158. 370
Fœcundiora minus durant. 529
Fœdera publica vnde pendeant. 159
Fœlicitas hîc perfecta non habetur. 129
fœlicitatis humanæ inconſtantia. 147. 527
Fœtus quomodo creſcit in vtero. 123
quomodo egreditur. 380
fœtus ſuos quomodo ſeruent animalia. 225. 232. & ſeqq.
Folia cur arboribus data. 144
Forma ſubſtantialis partes corporis, in officio continet. 265. 519
amiſſas qualitates reſtituit. 498
Fortitudo in aduerſis. 49. 395
fortitudinem dat amor. 206. 207
fortiora præualent infirmis. 408
Fortuna quid ſit. 112. 509
cur homines illam ſibi finxerunt. 509
bona fortuna vnde procedat. 147. 495. 510
bene fortunatorum vis etiam poſt mortem. 623
fortuna primigenia. 185
fortunæ inconſtantia. 147
Foſſilia diuerſis figuris naturaliter inſculpta. 69. 510
Fratrum amor naturalis. 364
eorum odia ſunt acerbiora. 365
Fraus. *Vide dolus. Veritas, aſtutia.*
fraus triplex. 451
Fructus eſt redemptio ſeminis. 336
fructus arborum qui minus durabiles. 526
Fuga in perſecutione licita. 484
fuga nociui. 455
interdum in bello laudabilis. 475. 476
dat ſine magno labore ſecuritatem. 474
fuga turpis. 476
Funebris pompa. 611
furtum quare prohibitum. 348
Futura cognoſcendi cunctis innatum deſiderium. 443
futuri cognitio eſt incerta, ſæpè fallax. 111

G

Digitized by Google

G

GAllia mundo ſimilem habet natalem. 368
Gaudio nimio mortui. 157. 555
gaudium prodeſt & nocet. 555
Gemitus quare naturaliter datus. 461
Geminorum vnus quare fœlicior. 598
Gemmas alchymia conficit. 126
Generatio ex corruptione. 52
eſt diuinæ bonitatis viuum ſigillum. 516
cur inſtituta à Deo. 253. 261
generationes quare ſunt ſucceſſiuæ. 163. 344
conſeruant ſpecies. 191. 197. 219. 390
his mundus creſcit. 397
Generandi libido, vnde. 197. 517. 529
generatio non competit rebus incorruptibilibus. 192
Geomantia qualis ars. 538
Germani crudeliter recens natos aquis frigidis immergunt. 225
Gigantum corpora. 396
Gladiatores circa tumulos ſe necantes. 596
Gnaphalium immortale. 622
Gradus infimi quare ſunt in mundo. 252
per gradus fit accretio, & alteratio. 543
Gratia diuina ad virtutis conſecutionem neceſſaria. 96. 97. 401. 500. 567.
gratia preueniens. 189. 190
gratia Chriſti omnibus eſt communis. 102. 395
gratia multiformis. 288
gratiæ multiplex auxilium. 300
gratiæ quædam ſpeciales & eminentes. 106
gratia eſt donum ex ſe permanens. 108
Gratitudo beneficiis debita. 245
Græci quare ſchiſmatici. 193
Grauidæ fœtum ſuum afficiunt. 172
Gutta aquæ vt ſe protegit. 270
gutta cauat lapidem. 586

Digitized by Google

G

GAllia mundo ſimilem habet natalem. 368
Gaudio nimio mortui. 157. 553
gaudium prodeſt & nocet. 553
Gemitus quare naturaliter datus. 461
Geminorum vnus quare fœlicior. 598
Gemmas alchymia conficit. 126
Generatio ex corruptione. 52
eſt diuinæ bonitatis viuum ſigillum. 516
cur inſtituta à Deo. 253. 261
generationes quare ſunt ſucceſſiuæ. 163. 344
conſeruant ſpecies. 192. 197. 219. 390
his mundus creſcit. 397
Generandi libido, vnde. 197. 517. 529
generatio non competit rebus incorruptibilibus. 192
Geomantia qualis ars. 538
Germani crudeliter recens natos aquis frigidis immergunt. 225
Gigantum corpora. 396
Gladiatores circa tumulos ſe necantes. 596
Gnaphalium immortale. 622
Gradus infimi quare ſunt in mundo. 252
per gradus fit accretio, & alteratio. 543
Gratia diuina ad virtutis conſecutionem neceſſaria. 96. 97. 401. 500. 567.
gratia preueniens. 189. 190
gratia Chriſti omnibus eſt communis. 102. 395
gratia multiformis. 288
gratiæ multiplex auxilium. 300
gratiæ quædam ſpeciales & eminentes. 106
gratia eſt donum ex ſe permanens. 108
Gratitudo beneficiis debita. 245
Græci quare ſchiſmatici. 193
Grauidæ fœtum ſuum afficiunt. 172
Gutta aquæ vt ſe protegit. 270
gutta cauat lapidem. 586

H

HArmonia ex marte & venere nata. 204
Hæreſis origo. 565
Hæreſes oportet eſſe. 48
Hæretici abutuntur ſacra ſcriptura. 134
ſimul coniurant contra Eccleſiam. 472
quare cogunt turbas ſectariorum. 481. 596
Habent aliquas virtutes morales. 599
Herbæ medicinales ſunt vbique terrarum. 259
Hirundinis induſtria in nidi ſui fabrica. 78
Homo, quare vltimò creatus. 133. 189
eſt mundi compendium. 69. 635
cur nudus naſcitur. 452. 474
eius cauſa creata ſunt omnia. 183
compoſitus eſt ex diuerſis. 47
natus ad laborem. 74
ex ſpirituali & corporea natura compoſitus. 43. 61. 69
eſt tantum rerum mediarum capax. 61
delectatur diuerſitate. 38
pius refert totam naturam in Deum. 52. 157. 635
vis eius non eſt æſtimanda ex corpore. 411
Dei vicarius naturam emendat per artes. 507
poteſt aliquid ſupra naturam. 126
à tribus cauſis ſuperioribus regitur. 147
eſt naturaliter ſociabilis. 159
eius voracitas. 330. 615
malus, omnium animantium peſſimus. 617
homines expedit eſſe diuerſi genij. 41. 72
an ſint diuerſæ ſpeciei. 61
ducuntur pœna & præmio. 139
Homicidium graue crimen. 348. 349
Homogenea habent partes toti ſuo ſimiles. 68
Honor pro præmio. 191
debetur virtuti. 436
Illuſtribus etiam à dignitate depoſita. 394
honoris cura maior in rectoribus. 91
propter læſionem in honore, non licet occidere lædentem. 437
Horologium refert ordinem mundi. 10. 45
Hoſtes non licet docere amorem fabricam. 161
Humanitas & Vrbanitas à Venere. 134

Digitized by Google

Humor lentus minus corrumpitur. 266
Humiditas rebus naſcentibus neceſſaria 224
humidum aqueum eſt cauſa corruptionis. 264
humidum primigenium quale ſit. 266
Humilitas exaltata. 127. 252. 289
humilitas Chriſtiana cum fortitudine. 401
humilitas in ſuperiore. 413
Hyems plantis & animalibus neceſſaria. 88. 320. 449. 592
eius commoda & incommoda. 128
hyemes magnæ in pluribus ſæculis. 163. 592
hyeme mundus non fuit creatus. 224

I

IActantia quid intendit. 404
conatur defectus abſcondere. 478
Ianus bifrons quid ſignifficet. 605
Ideæ in mente diuina. 8
Ideæ viri, rectique mentibus omnium impreſſæ. 2. 3. 8
Idololatriæ origo. 157
Iecur helluonibur datur ampliſſimum. 146
Ignis vult ſemper creſcere. 379
cur à natura conceſſus. 341
ignis ſacer in templis quid ſignifficet. 4
elementaris debet admitti. 54. 73
ſubterraneus quid prodeſt & nocet. 62. 564
ignis præferebatur nuptis. 42. Regi. 67
accedit ad naturam ſpiritualem. 59
eſt ſolis vicarius. 254. 315
ignis ſine alimento perpetuus. 313
eſt in ſingulis elementis. 67
triplicem habet qualitatem. 124
ignem homines quidam non ſentiunt. 147
Ignorantur plura quam ſciantur. 111
ignorantibus naturæ beneficia conferuntur. 112
Imagines principum ſunt miſerorum aſyla. 108
in imagines aptè confectas Dæmones tracti. 126
imagines taleſmanicæ. 126. 194. 258
Imaginum vis. 257
imagines ſupplent alicuius præſentiam. 258
imagines piæ. 259

Digitized by Google

ad Imitationem ſumus proni. 579
Immobile aliquid eſt in omni re. 531
Imperiorum ætates & mors. 532
Inclinatio in malum ſeuerius eſt coërcenda. 144. 180
Inclinatio peperit artes. 362
inclinationi naturali aliquid indulgendum. 383
ſentit quiſque inclinationem ſuam. 400
Incœſtus quare prohibitus. 384
cur aliquando permiſſus. 481
Inconſtantia & vanitas rerum humanarum. 88. 147. 318. 498. 521
Incrementum fit ſenſim & per gradus. 391
Independentia eſt quid diuinum. 313. 314. 328
Indeterminata non valent, nec placent. 44. 79. 335. 344
Indifferentia virtus. 113
Indifferentia in cœlis. 554
Indigentia eſt cauſa ſocietatis. 371
Indigenæ ſunt exteris præferendi. 360
Indiſcreta deuotio. 518
Infantes etiam mutili ſunt educandi. 226
Inferiora non ſtant, nec agunt ſine ſuperiorum influxu. 93. ſurſum nituntur. 201
Infima ſunt ſuperioribus ad actionem neceſſaria. 41
Infinitas & immenſitas Dei complicat omnia. 41
Infinitum corpus non datur. 85
Infirma adhærent fortioribus. 468
Infortunati qui ſint. 545
Ingeniorum diuerſitas ſocietati neceſſaria. 41
Ingenium verſatile. 195
Ingenia negotiis debent eſſe commenſurata. 83
Ingratitudo erga Deum. 105. 395
Ingrati actio, cur in iudiciis non recepta. 116
Ingratis etiam confertur beneficium. 116. 117
quibus ingratis non benefaciendum. 117
Inimicorum dilectio. 49
Initia rerum læta. 205. 563
Initia rerum debilia. 218. 334. 391. 543. 587. 605
illis indulgendum. 224. & ſeqq.
Initia cæteris partibus meliora. 614
Iniuriarum patientia. 49. 50
Iniuria nulli inferenda. 347
latens eſt deterior. 452
Iniuriæ potentiorum ſunt diſſimulandæ. 461

Digitized by Google

Iniurias qui ſe accepiſſe mentiuntur. 462
Inſecta ſunt magis induſtria. 127
Inſignia nobilium cur præferunt ferarum figuras. 403
Inſitio fit inter arbores ſibi ſimiles. 361
in Inſtanti quæ fiunt. 561
Inſtrumenta ſunt ad actionem neceſſaria. 81. 293
ſingulari naturæ debent eſſe propria. 146
diuerſis operationibus eadem inſeruiunt. 8. 287
inſtrumentorum multitudo ſecurior. 298
opportuna mutatio. 304. 310. & ſeqq.
Inquieti miſera conditio. 337
Inſulæ ad quid vtiles. 598
Intelligentiarum vnio & concordia. 66
Intempeſtiua fœcunditas. 379
Intermiſſio in morbis bona. 503
Inuidia inter ciues. 564
Inuidia procul pellenda. 41
alta conatur deiicere. 418
Inuiſibiles qui ſe præſtitere. 476
Inuitis confertur beneficium. 120
Ira ſenſim mitigatur. 46
Iraſcibilis potentia iuncta concupiſcibili. 398
Iræ ſæuientis indicia. 403
Ira dilatione frangitur. 483
Iris eſt mundi compendium. 62
Iter debet eſſe liberum. 101
Iubilæus Iudæorum. 429
Iudæi grauiter puniti. 143
Iudicij dilatio & ſuſpenſio bona. 119. 483
Iudex quid ſuppleat in iudiciis. 174
Iudicium declinare quando licet. 483. 485
Iugum Chriſti leue. 380
Iupiter fœlix planeta. 175. 194
Iuramenti religio. 455. 524
Ius ciuile ducit originem à naturali. 1. 7
Ius publicum in quo conſiſtit. 412
Ius qui habet rem ipſam habere videtur. 59
Iura publica priuatorum pactionibus non mutantur. 159
Iuſtitia reddit vnicuique quod ſuum eſt. 307
eius origo. 347. 348
Iuſtificatio peccatoris. 501. 502
Iuuentus omnium animalium laſciuit. 74. 145

Digitized by Google

Iuuenes mutuo ſe tuentur. 372
Iuuenum mors immatura. 526

L

LAbor quare neceſſarius in boni conſecutione. 387
nimius vires exhaurit. 528 529
aſſiduus omnia vincit. 585. 587
Labor in fine maximus. 615
Lapides naturaliter diuerſis figuris inſculpti. 69. 147. 510
Lapis philoſophicus quare creditus. 129
Latere ſecurius eſt. 446. 585
Lectio eſt cibus animæ. 331. 333. & ſeqq.
Legata domeſticis debita. 611
Legata pia. 611
Lenocinij crimen in marito. 210
Lentè magna perficiuntur. 585
Leo feritati ſuæ congruam habet conformationem. 295
Leo quærit auxilium ab homine. 144
ſuſpenſus cæteros fugat. 621
Leoni infenſum paruum animal. 406
Leo etiam dolis vtitur. 446
Leporis celeritas iactabunda. 400
eius aſtus & doli. 452. 453
Leproſi ex hominum conſortio pulſi. 580
Lex naturæ omnibus inſita. 2. 501
non eſt ſupponenda ſed inquirenda. 4
hanc plerique mentiuntur. 5
Lex eſt à Deo. 11. 145
debet eſſe communis. 14. 137. 138
quale ſit legis munus. 135
perpetua debet eſſe. 18
Eius neceſſitas. 492
eſt anima Reipublicæ. 30. 79. 523
debet dominari. 59. 145. 411
pro tempore mutabilis. 31. 111. 145
Regnorum fundamentalis. 90
malos metu continet. 46
Legum multitudo noxia. 564
Lex in diuerſis populis diuerſa. 54. 138
omnia quantum fieri poteſt debet determinare. 79. 289
debet eſſe armata. 142. 399. 403. 411

Digitized by Google

nouæ tranſgreſſio ſeuerius vindicanda. 145
habet aliquid ex iniquo. 145. 492
legis ad ſimiles caſus extenſio. 146
Libertas ab omnibus amatur. 326. 421
nimia ſemetipſam deſtruit. 137
vera non contingit niſi ſapienti. 138
libertatem filiis non poſſunt parentes auferre. 180
homini quare data. 328
eſt ſupra fatum. 363
præfertur vitæ. 423
eſt ſeruituti mixta. 424
oppreſſo reſtituitur. 497
Liberum hominis arbitrium. 565
Libri improbatæ lectionis prohibendi. 488
Ligna quare fluitant. 44
Limitophæ regiones debent eſſe validiſſimæ. 614
Lixæ ab exercitu pellendi. 313
Locus eſt rei conſeruatiuus. 276. 277
loci certis limitibus feritas continetur. 413
Luctus in funeribus 369
Ludus conſtat dolis & quis permiſſus. 450
Lumen cito & ampliſſimè diffunditur. 100
adhibetur ſacris. 304. & funeribus. 361
Luna media inter cœleſtia & terreſtria. 61
facit in inferioribus mutationes. 195
quolibet die & menſe facit quatuor anni tempora. 67
Luſtrationes publicæ. 537
Luce mali abutuntur. 134

M

Magnes lapis trahens ferrum. 44. 51. 127
totum refert terram. 68. 622
eius vis mira. 125. 159
Magia naturalis quid præſtet. 126. 196
necromentica rebus ſacris abutitur. 134
Magna non niſi per partes poſſunt obtineri. 585
Maledictio parentum. 480
Malum vbique bono permixtum. 39. 128. 144. 486
Mali præſagium. 164
non datur ſummum malum. 130. 597. 598
Mali origo. 130

Digitized by Google

malum lene alacriter ferendum. 144
malum malo ſuperueniens grauius eſt. 588
plus eſt mali quam boni. 486. 583
malum latens quod minus nocet. 486
malum nullum vniuerſale. 597. 598
Mala in bonum conuerſa. 131. 135. 201 301
Mala communia facilius tolerantur. 131. 594
mala non ſunt facienda vt eueniant bona. 300. & ſeqq. 609
Mala publica prodigiis ſignificantur. 533
mala facilius quam bona contingunt. 577
ex malis alienis proficere. 418
è duobus malis minus eligitur. 490 & ſeqq.
mala cur ſenſim ſerpant. 542
malorum nexus. 545. 546
Mali quare ſocietatem ineunt. 168
ab inuicem ſunt ſeparandi. 580
Mammas cur habent viri. 144. cur mulieres. 238
Manus humanæ mirabilis fabrica. 294
Mare quare ſalſum. 164
terminis ſuis clauſum eſt. 85
habet fluxum ſuum ventis inuitis. 158
habet in ſe multum calidi. 68
eius mira fœcunditas. 73
varios habet & patitur motus. 322
eius inundationes. 591. quid ſignificent. 536
eius fluxus vnde procedit. 475
eum ſentiunt etiam à mari ſeparata. 622
eius inconſtantia. 498
maria diſſita iungere nefas. 307
Maritum infamat vxoris incontinentia. 209. 210. 214
Margaritæ quomodo naſcantur. 125
Martis planetæ qualis influxus. 194
marti ſola venus eſt amica. 373
Martyrum gloria. 165. 166. 484. 530
Mater ſui partus debet eſſe nutrix. 238
matris tenerrimus affectus. 235
mater filios ad martyrium excitans. 166. 237
matri debitus honor. 247. 248
Matrimonium indiſſolubile. 100. 215. 216
eſt ſeruitus. 493. *vide nuptiæ.*
inter perſonas diuerſæ ſortis. 47. 469
captis prius auguriis celebratum. 211

Matrimonij

inter perſonas diuerſæ ſortis. 47. 469
captis prius augurijs celebratum. 221
Matrimonij dignitas & neceſſitas. 198
in eo fides eſſe debet illibata. 212. & ſeqq.
Medium. *Vide inſtrumentum.*
media debent eſſe fini ad quem tendunt congrua. 300
illuſtria medijs illuſtribus perficiuntur. 304
media debent eſſe facilia, ad implendum naturale deſiderium. 126
media repudiantur, cum deſierint eſſe vtilia. 310
perfectiora aut nullis aut paucioribus medijs vtuntur. 312
Media fiunt ex contrarijs. 42
mediæ ſpecies, connectunt in ſe contrarias. 61. 62
Medicinæ neceſſitas. 438. 439
medicinam inuenit amor. 206
medicina conſtat potiſſimum experimentis. 144
naturam imitatur. 173. emendat. 507
miſcet ſimplicia. 371. 459
captat temporum occaſſiones. 340
aliorum periculis inſtruitur. 301
Medica vis omnis à cœlo. 53. 459
in quibuſdam hominibus eſt naturalis. 147
medicamentorum vires ineſſe humano corpori. 70. 147
medicamentorum magna varietas. 459
Mediocritas homini conuenientiſſima. 61
in omnibus eſt neceſſaria. 141. 142. 554. 613
Memoriæ defectus inſignis. 313
Mendacium quare prohibitum. 450
in quibus videtur permiſſum. 438
mentiri non licet in cauſa fidei. 455
Mens humana eſt imago Dei. 10
eius dignitas. 57
Deo iuncta, tranſit in ſortem diuinam. 87
Refert ad Deum omnes mundi partes. 70. 71
Mercurij planetæ natura media. 61. 194
Meretrix ditiſſima. 302
meretrices quare tolerantur. 492
Metropolis qualis eſſe debeat. 470
Metus continet tyrannos. 91
metus mortis legitimus. 593
Militibus multum licet. 162
pro patria mortuis honores delati. 164

PPpp

Digitized by Google

Minæ fallaces. 445
minatur Deus antequam puniat. 534
Mineræ exhauſtæ reparantur. 498
Miniſtri *vide collegæ.*
debent eſſe inter ſe, & cum rectore concordes. 66. 154
negotiis debent eſſe pares. 296
eorum in regimine neceſſitas. 573
probi eligendi. 575
bene geſtorum gloriam refundunt in principem. 156. 314
miniſtrorum eorundem continuatio. 306. & ſeqq.
eorum opportuna mutatio. 162
eorum optima multitudo. 255. 309
non debent eſſe nimis potentes. 305. 306
Miſericordia clamoribus & ſignis excitatur. 462
miſericordiæ naturalis inſtinctus & effectus. 464
habet cum dolore voluptatem. 465
Stoici illam non admittunt. 465
Miſſio Euangelica inſtituenda ad barbaros. 356
primum Mobile præeſt rebus diu duraturis. 136
Mixti diſſolutio eſt naturalis. 519. 622
Monarchicum regimen, communiter receptum. 12
eſt omnium optimum. 89. 90. 492
degenerat in omnium ſæuiſſimum tyrannidem. 618
Monopolia artificum. 572
Monſtra quomodo fiant. 79. 80
monſtra ſterilia ſunt. 80
montes continent omnes alias terrarum varietates. 69. 393. 419
quomodo ſunt facti. 393. 416. 563
montium incolæ ſunt duri & feri. 583
Mora maior in rebus perfectioribus edendis. 221
mora maximum iræ & doloris remedium. 483
Morbus ſenſim augetur. 544
morbi complicati. 589
morborum cauſæ. 47. 438 514. 519. 551. 563
in morbis conſolatio. 132
Mors omnibus communis. 549. 595
mortis decretum. 626
homini naturalis. 551
mundo vtilis. 163. 261 515. 604
quibus maxime timenda. 270. 603
eius diuerſæ cauſæ. 550
ſolitarijs tantum & pijs ſecura. 493

Digitized by Google

Mortis pia cogitatio. 518. 602. & ſeqq.
eius affectata obliuio. 603
mortales non eſſe cuncta denuntiant. 548. 602
mortem vltimam multæ præcedunt. 619
mors repentina. 548
mortem in periculis ſimulantia. 461
mortem non licet ſibi inferre. 272
morientis deſcriptio. 619
mori cum amicis eſt ſolatium. 595
morituri pietas. 610. 611
morituri pœnè ſunt à corpore ſoluti. 611
mortuos quare lugemus. 369
mortui intelligunt, quæ hîc ad ipſos pertinent. 624
Mortificatio ſenſuum eſt ad pietatem neceſſaria. 167. 407. 441
debet eſſe continua. 311. 312. 588
per diſcretionem tamen temperata. 558
Motus innititur immobili. 2. 15. 27
motus cœli mundo neceſſarius. 88
motus circularis. *Vide circularis.*
motus in cœlo contrarij. 42. 119
Motus coincidit cum quiete in Deo. 41. 317. 345
in cœlo & cæteris. 193. 317. 318
motus animalium varij. 74
illis eſt neceſſarius. 327. 398
propter motum conformantur eorum corpora. 316
vim quandam infert corpori. 613. 614
impedit mixti diſſolutionem. 519
quare placat infantes. 74
motus ſuperioris præualet. 119
motus librationis. 193
plus eſt motus quam quietis. 322. 323
nobiliora magis mouentur. 325
motus contractionis & dilatationis. 473
motus immoderatus vires diſſoluit. 528
motus naturalis in fine cur velocior. 613
Moyſes ad imitationem mundi leges ſacras & ciuiles conſcripſit. 2
ſanctiſſimè moritur. 611
Mulier valet aſtu & dolis. 453. 454
quare ſubdita viro. 183
non poteſt accuſare virum de adulterio. 210
eius cura in fœtus ſui conſeruatione. 225
mulieres amant bellicoſos. 373

Digitized by Google

quare velant caput. 480
Multitudo quæ videtur præcedere vnitatem. 35
multitudo rerum exprimere conatur infinitatem diuinam. 34. 35. 516. 554.
in omnibus præualet. 36. 589
multitudo in vnitatem collecta. 554
Mumia eſt alexipharmacum. 70
Mundus non eſt à ſe, ſed ab alio. 25
vnus eſt. 12. Eſt imago Dei. 20. 252
non tamen abſoluta. 515. 516
non ſtat ſine Deo. 94
mudanæ contemplationis duplex vtilitas. 2
mundus an debuerit eſſe ſine certaminibus & cædibus. 409
mundi leges ſunt immutabiles. 17. 346
mundus in maligno poſitus. 132
mundanarum rerum vanitas. 313
mundus eſt conuiuium homini à Deo præparatum. 350
aliquando diſſoluetur. 522. 614
ex ſuis reſurget cineribus. 410
Mundicia apum. 167
Muris ſylueſtris aſtutia. 453
Muſculorum inter ſe contrarietas. 48
Muſicam inuenit amor. 206
Mutatio eſt quædam deffenſio. 309
Mutabilia immutabilibus iuncta. 310
Mutilantes ſe, vt à bello ſint immunes. 476
Mutuum debet eſſe gratuitum. 467

N

NAtura quid eſt. 9. 135
eſt ars diuina & opus intelligentiæ. 14. 15
naturæ leges quæ ſint. 1
ſunt vniuerſales. 12. æternæ veritatis. 17
natura faciem ſemper mutat. 498
lentè & prouidè procedit. 218. 221
facit quod melius eſt. 255
eius difficilis cognitio. 262
Nauigationis ad commercium vtilitas. 355
nauigatio hyeme interdicta. 340

Digitized by Google

naues ex vtraque parte proram habentes. 298
nautæ cur vt plurimum ſunt malis moribus. 583
Neceſſitas vitam ciuilem & artes docuit. 144
rebus naturalibus impoſita. 136
dat animos etiam timidis. 594
vitæ neceſſitas diuitibus grauior eſt. 138
neceſſitas efficit omnia communia. 164. 285
in publica neceſſitate Eccleſia de ſuo confert. 160
neceſſariis prius prouidetur. 283. 346
neceſſitas & indigentia vim hoſtilem ſedat. 504
Neophiti non promouendi. 528
Nidi auium mirè fabricati. 78
Niger color inauſpicatus. 539
Nili incrementum quomodo coniicitur. 541. 622
Nitimur in vetitum. 388. 426. & ſeqq.
Nix frugibus vtilis
Nobilitatis laus. 55
antiquior eſt magis commendata. 56. 184
Nociui cognitio naturalis. 274
nociua expelluntur. 167
nocere nulli. 347
Nominum ſacrorum occulta vis. 58
Noſſe ſeipſum & vires ſuas. 399. 401
Notæ criminum infames. 482
Nouitas delectat. 38. 526
Nouitiorum feruor. 226
Nox quedam habet incommoda. 128
eſt tamen vtilis & neceſſaria mundo. 319. 606
Numerus eſt in incorporeis, quod eſt dimenſio in corporeis. 35
Numerus impar fœcundus. 197
Nobiliora ſunt numeroſiora. 35
Numeri fatales imperiorum. 532
Nuptiæ *vide matrimonium.*
inter pares. 378
non in iuuenili ætate præcoces. 183
mulier debet eſſe iunior. 183
nupti præferuntur innuptis. 198
nuptias prohibuerunt hæretici. 199
infœlices cum hæreticis. 378
ſecundæ nuptiæ ſi permiſſæ, non tamen honeſtæ. 217. 624
Nutrices tribus modis placant infantes. 74
nutricem ſuam infantes agnoſcunt. 244

nutrici debita gratitudo. 245. & ſeqq.
nutritionis adminiſtræ facultates. 137

O

OBedientia militaris exacta. 372
Obedientium ſecuritas. 112
eſt neceſſaria ad fœlicitatem regiminis. 291
non obedire quando licet. 119
Obſtinatio in peccato. 496
grauius punitur. 144
Occaſio in omnibus captanda. 339. 343
in bello potiſſimum. 387
Occeaneus ſæuit & delectat. 39
Occidere ſeipſum, aut mutilare non licet. 119
belli captiui non occidendi.
occidere non licet hoſtem ex ſuſpitione.
Octaua ſphæra præſidet ſpeciebus. 54
Oculorum dignitas. 304
Odium *vide Inimicitia.*
odia fraterna ſunt acerbiora. 365
odia hæreditaria. 443
Officia quæ non grauant facilè ſunt præſtanda. 357
Omnia ſunt in omnibus. 66. 86. 163
omnia non omnibus conceſſa. 83
Ophiogenes ſerpentibus exitioſi. 146
Opinionum in religione diuerſitas regimini contraria. 31
Opportunè cuncta debent peragi. 339
oppoſita ſibi iuncta magis apparent. 388
Orandum ſemper. 51
Ordine conſtant omnia. 335
ordinis neceſſitas facit ſummum & infimum. 130
ordinata fœliciter procedunt. 342
Ordinem quæ conſtituunt. 344
Organa ſingulis animantium actionibus propria. 77. 294. *Vide inſtrumentum.*
organis vitiatis otiatur facultas. 294. 574
interdum agit. 172
Oriens eſt præſtantior mundi pars. 182. 193
Oſſium in corpore vſus. 531
Otioſi & deſides à Republica profligandi. 75
Otium nimium quantum noceat. 324. & ſeqq.

Digitized by Google

P

PActiones de quota litis prohibitæ. 589
Palma fortitudinis ſymbolum. 426
Papa Chriſti vicarius. 28. 508
eius ſumma in Eccleſia authoritas. 29
eius vita quare ſolet eſſe breuis. 604
Papinianus non vult fratricidium excuſare. 445
Parcæ quid ſignifficent. 136
Parentum amor erga liberos. 233. 261
inter ſe amor. 364. *Vide conſanguinei*
parentes non ſibi ſemper ſimiles generant liberos. 171. 249
parentibus meliores filij. 506
non debent filios ſuos ſubtrahere militiæ. 161
quidam filios ſuos Reip. & Deo conſectarunt. 166
parentibus honor debetur. 157. 246
Pars corporis quid ſit propriè. 152
pars habens qualitates ſui totius. 68
partium in mundo concentus. 1. 110
partes ſuo vniuerſo conſentiunt. 118. 152. 154. 186
partes etiam diuiſæ, retinent conuenientiam cum ſuo toto. 622
partes non ſunt ſibi inuicem alimentum. 152
partium virtus in totius gloriam refunditur. 155
pars patitur pro ſalute totius. 163. 164
pars vim ſui totius complectens. 219
Parum habetur pro nihilo. 144
Parua quædam ad nocendum valida. 406
Paſſionis concupiſcibilis & iraſcibilis neceſſitas. 137
earum vtilitates & incommoda. 552
paſſiones omnes ducuntur voluptate. 141
ſunt etiam in ſapiente contra ſtoicos. 465
ſunt plurimorum morborum cauſæ. 553
ſunt inconſtantes. 587
Pater familias virtutes exemplo ſuo doceat. 187
Pater ſpiritualis. 390
Patria vnde dicta. 164
plurimum confert ad mores. 583
Patriæ circa ſuos antiqua pietas. 189
Patriæ & Reipublicæ laborandum. 155. 156
in patriæ gloriam refertur ciuium ſingulorum virtus. 156
Patriæ amor. 277. 278

Digitized by Google

etiam in mortuis. 623
Patria præfertur parentibus. 160
pro patria mori glorioſum. 164. 165
Paupertas coacta mala. 554
eius conſolatio. 132
Paupertas euangelica. 285. 385
plus habet ſecuritatis quam diuitiæ. 493
illi non ſunt denegandæ eleemoſynæ. 359
Peccator fit talis ſua culpa. 395
peccatum eſt vera ſeruitus. 424. 496
peccati pœna temporalis. 496
pecunia vt prætium rerum omnium ardenter appetitur. 141
Pedes ſunt partus indicia. 197
Peregrinationis auiditas. 328
eſt vtilis. 329. 354
Perfectiora ſunt Deo proximiora. 55
Perfidia graue crimen. 451
perfidis non amplius creditur. 451
Perire volens non auditur. 119
Periuri pœna. 455
Permutationis origo. 351
Peſtis grauiſſima. 578
peſtis cauſæ. 324. 487
peſte laborantes à populo ſeparandi. 168
Philoſophi quare peragrabant orbem. 358
quidam in peſſimos mores tranſierunt. 618
phlegmone quid eſt. 555
Phœnicis mira reſurectio. 600
Picturam & ſculpturam inuenit amor. 206
pictor ornatus & coronatus pingens. 205
pictor crudelis hominem necat, vt bene pingeret. 301
Piſces marini habent in ſe multum calidi. 68
ſunt maiores terrenis animantibus. 396
piſces ſunt fœcundiſſimi. 197. 409
qui magis ſalubres. 326
minimi cedunt in eſcam maioribus. 409
quomodo fœtus ſuos ſeruent. 225
Phantaſiæ vis & vſus. 257
Phocæ pellis ſentit fluxum maris. 622
Planetæ luſtrant duplex hemiſpherium. 100
ſunt ſeptem mundi gubernatores. 53
quibus rebus ſinguli præſident. 93

ſe

ſe mutuo temperant. 45
non ſunt verè ſtationarij. 389
præſident rerum generationibus. 54
inferiorum alterationibus. 136
ſuos ſpeciales mouent ventos. 158
Planta ſenſitiua. 62. 270
plantæ videntur habere ſenſum conuenientis & nociui. 139
plantarum qualitates ſpecificæ. 82
plantæ plus habent virtutis quam arbores. 127
in mediis aquis ſobriæ. 142
mixtas in ſe complicant maris & fœminæ vires. 101
medicinales ſunt vbique terrarum. 255
auulſæ retinent vires ſuas. 622. 624
ſunt ſemper velut infantes. 327
quæ minus durant. 526. 529
habent ſpeciem ſomni. 320
Pluuia omnibus benefica. 115
pluuias animalia præſentiunt. 540
Pœna & præmium ſunt duo humani regiminis fundamenta. 138. 139
pœna grauior, quibus debet imponi. 144. 155
pœna capitis interdum neceſſaria. 169. 590
cur ad illius ſpectaculum ſit populi concurſus. 602
Pœnitentia non eſt differenda. 342. 398
debet eſſe omnium peccatorum. 504
auertit mala imminentia. 534
Poëſim inuenit amor. 206
Politiæ ſcientia incerta. 111
politia dolis vtitur. 447. 448. 450
Populus probos mores inficit. 583
Porci ſibi mutuo auxiliantur. 461
Poſſeſſiones debent eſſe diſtinctæ non communes. 282
Poſſeſſiones mediæ. 62. 63
Poſthumus non cenſetur reus. 105
Potentia nimia periculoſa. 414
Poteſt minus qui poteſt maius. 179. 180
Poteſtatis ſummæ proprium eſt attollere & deprimere ad libitum. 52. 55.
Poteſtas agentium naturalium limitata. 81. 413
Poteſtas ſumma non diuturna. 89
poteſtas ciuilis eſt coercenda.
Prælati virtutibus emineant. 181. 187

Præmium à perfectis poteſt ſperari. 361
Præſagia mali futuri. 64. 402
Præſcriptio quare introducta. 341
Præſentia rei amatæ quare delectat. 369
Præſtantiora minus dignis dominantur. 186
lentè & diuturno tempore perficiuntur. 221
Præuiſio naturalis malorum. 442
Primogenituræ ius. 184
Princeps. *Vide Rex.*
Principes à Rege ſecundi. 55
volunt ad inſtar Dei eſſe vbique. 95. 105
diuerſis moribus ſibi ſuccedentes temperant regimen. 46
effuſas interdum exercent largitiones. 114
facilè tanguntur inuidia. 548
Principia ſunt inter ſe contraria. 42. 43
principiorum influxus neceſſarius. 566
Principia duo boni & mali falſo credita. 129. 130
principiis ſuis omnia conformantur. 196
quo maior eſt à principio receſſus, virtus eſt minor. 51
Principia ſuis effectibus ſunt præſtantiora. 181
ad ſua principia reditus. 256. 625. & ſeqq.
Prioritas eſt prælationis & excellentiæ titulus. 182. 215
Priuilegia quando ceſſant. 160
Prodigi rebus ſuis interdicti. 161
quod profundunt, reparant criminibus. 481
Prodigia publicas calamitates præcedentia. 533. 616
quare mittuntur à Deo. 534
non Proficere, eſt minui. 389
Proles ſpiritualis. 189
Propriis intendere non alienis. 336
Prouidentia ſingularis. 146
Proximiores gradu cæteris in ſucceſſione præferuntur. 366
Prudentia virtutum auriga. 60
eſt futuri coniectatrix. 443
Publicani quaſi ſpongiæ. 302
Publica priuatis ſunt præferenda. 150. 151. 169. 170. 253. 412. 593
Publico iuri derogari non poteſt. 159. 160.
Pudet animal ſuos defectus. 479
Pudenda cur velantur. 480
pudor naturalis. 487
Pueri non ſunt auſteriori diſciplina coërcendi. 226
Pugnantia ex æquo ſe impediunt. 44

Digitized by Google

Pulchra ſunt rara & difficilia. 385
pulchritudo ſenſualis, qualiter animum afficiat. 203
eſt amoris cauſa & effectus. 205
pulchritudo non durabilis. 527
Puluis ſympathicus. 64
Punctum eſt initium quantitatis. 50
Purgatiua vita præcedit illuminatiuam. 167
Pyrrhi Regis vis naturaliter medica. 147

Q

QVadrageſimæ ieiunium præcedunt magni luxus. 615
Qualitates & dotes rerum diuerſæ. 83
qualitates occultæ vnde ſint. 125
Quantitas omnium eſt limitata. 396
quantitate ſunt maiora quæ ſunt nobiliora. 35. 36
Quatuor tempora ieiunij quare inſtituta 435
Querela mendax. 463
Quies animantibus neceſſaria. 320
quietis alternæ neceſſitas. 449
temperat actionem. 321
nimia quantum noceat. 324
Quinarius numerus ſignificat fœcunditatem. 197
Quinque liberi vno partu. 197

R

RAdius ſolis non mouetur à ventis. 158
Raptus amoris diuini. 158
Raritas facit rebus prætium. 305
Ratio communis in diuerſis populis facit diuerſa. 14
Ratio quantum poſſit in homine. 59
eſt potentia quædam vniuerſalis. 288
Recidiuæ faciles. 579
vnde procedunt. 587
Rector. *Vide Rex.*
Rectores an ſint præſtantioris generis. 60
Rectoribus recollectio & alterna contemplatio neceſſaria. 194. 321. 338. 414.
omnibus debent prouidere. 173
Regimen inter homines neceſſarium. 137. 159. 492
ad regimen cæterorum qui dantur à Deo. 338

Digitized by Google

regendum amore potius quam vi. 447
Regna ſunt iure naturali condita. 159
ſuas habent ætates, tandem deſinunt. 532
Rei cur olim ad beſtias damnati. 59
Relapſi grauius peccant. 504
Religio Chriſtiana eſt optimæ politiæ fundamentum. 30
debet eſſe regiminis principium non inſtrumentum. 60
Vna debet eſſe non multiplex. 31
perpetuitatis ſuæ augurium in auguſto. 147
creuit perſecutionibus. 420
Religioſi à religioſis debent regi. 84
à Religione filij non ſunt auertendi. 161. 162
Reliquiæ ſanctorum vim habent maximam. 623
Remedium quando celeriter adhibendum. 435
Repentinus interitus. 547
Reſpiratio ad quid vtilis. 167. 440
Reſpublica cenſetur immortalis. 30. 156
Reſpublicæ duæ in mundo. 256
Reſpublicæ publicam libertatem emunt priuatorum ſeruitute. 424
Reſtitutio in integrum. 497. 500
Reſurectio phœnicis & bombicis. 600
Reſurrectio corporum fieri poteſt virtute diuina.
Rex vide dignitas, epiſcopus Princeps.
non eximitur à lege naturali. 30. 50
non eximitur à neceſſitatibus naturæ. 138
ſpecialiter illuſtratur à Deo. 11. 60
Regi ſeruire glorioſum eſt. 55
Rex eſt à Deo. 159
Rex ſacerdos. 305
Religionis vindex. 507
omnibus regni ſui partibus vult eſſe præſens. 95
eſt velut cauſa vniuerſalis. 507
virtute debet præcellere. 186
Regis clementia. 116
ad eum rerum fœliciter geſtarum gloria refertur. 156
Rex ſeipſo ſapiens. 314
Regi potius quam principi rebelli, licet benefico parendum. 469
Reges mortui in habitu monaſtico. 611
Regum mortem præcedentia prodigia. 535. 616
Reges malos Deus euellit. 91
Regum impiorum vitanda familiaritas. 584

Digitized by Google

Reges debent eſſe mortis memores. 604
Regum ad tempus & præcarium. 89
Rerum diuiſio in ſpirituales & corporales. 58
Reſidentia in officiis & beneficiis. 107
Reſignatio pia. 113.114
Reuulſiones quare fiunt. 164
Riſus quadrageſimo tantum die in pueris. 140
Romanorum excuſatio in ſubiugandis populis. 411
Roris vtilitas & abuſus. 133
roris guttulæ pulchritudo. 509
Roſæ productio. 562
Ruſtici communes habent cum principibus præcipuas vitæ voluptates. 102

S

SAcerdotum dignitas. 186
ſacerdos eſt medius inter Deum & homines. 65
multa poteſt ſupra naturam. 126
Sacramenta omnibus communia. 102
Sacrificia Diis diuerſis diuerſa. 368
ſacrificia quare inſtituta. 412
Sacrificium iuſtitiæ. 412
Sæculis Deus ordinem poſuit. 515
præcedentia ſequuturis laborauerunt. 189
Sæpiæ doli. 453
Sæuitia temperata. 413
Salis fontes & montes. 254
Saltationis origo & vtilitas. 39
Sancti cur in hoc mundo afflicti. 597
etiam cum malis. 594. 595
Sanctitas maximum in homine priuilegium. 147. eius immortalis gloria. 612
Sanctus quomodo in Deum transfertur. 127
poteſt eleuari ſupra Angelos. 113. 114
Sanctos mortuos colit, quos viuentes non agnouit. 617
Sanctorum corpora nos non polluunt, ſed ſanctificant. 621. 624
Sanctorum interceſſio. 623
Sanguinis formatio quomodo fiat. 152
ſanguis in metu refluit ad cor. 161
ſanguinis miſſio vtilis. 164

Sanitas ſine medicinis reſtituta. 70
Sapiens ſecedit à turba. 476. 477
ſapientis mens tranquilla. 375
ſapientibus debetur imperium. 159
ſapiens ſolus verè liber eſt. 138. 383
vniuerſo libens conſentit. 153
ſeipſo contentus. 265. 269. 313. 337
inuictam habet fortitudinem. 213. 288
vitam amat. 271
dolis bonis vtitur. 447. 449
ſapientia magnificè tranctanda. 205
perficitur peregrinatione. 329. 354
Saturni planetæ quibus fœlix eſt influxus. 133. 194
ſaturnus cur olim cultus in laneis vinculis. 391
Sceletum in conuiuiis exhibitum. 603
ſcena mundana. 259
Schiſma graue crimen. 153 565
in Eccleſia timendum. 373
Scholaſtica Theologia vtiliſſima. 460
Scientiæ omnibus expoſitæ. 102
ſciendi deſiderium. 333
ſcientia eſt hic ignorantiæ mixta. 111
ſcientia mali abutuntur. 134
Scriptorum & authorum laus. 528
Scripturæ ſacræ abuſus. 134
Secretum in regimine neceſſarium. 408. 447. 448. 451
Secretum ſibi & charis ſeruandum. 481
Seditio quid ſit. 563. graue crimen. 153
ad ſeditionem facilis eſt populus. 56
mali mouent ſeditiones. 168
ſeditionis præſagia. 536
Seipſum noſſe. 400. 401
Semen eſt igneum humidum. 42
vult augeri. 374
vis præcipua ſeminis eſt in ſpiritu. 59. 219. 296
ſemen animalis quale ſit. 219. 380
ſemen arboris quomodo creſcit. 391
Senatorum ordo perpetuus. 532
Senectutis cauſa. 47. 390
ſenectus quare veneranda. 184
ſenectus virtuti dedita. 63. 608. 612

Digitized by Google

ſenectutis infirmitas. 124. 147. 605. 614
illi mors optanda. 606. 607. meditanda. 603
ſenectus valida. 147. 614
ſenes valent conſilio. 390
ſunt vitæ ſuæ conſeruandæ ſtudioſi. 616
Senſuum vtilitas. 257
Senſibile maius obſcurat minus. 155
ſenſus delectantur obiecto ſibi ſimili. 368
Septima cœli domus eſt ſimul mortis & nuptiarum. 52. 210
Sepultura viuorum potius, quam mortuorum cauſa fit. 620
ſepulti publicis impenſis. 173
in ſepulchris res prætioſæ conditæ. 596
ſepulturæ in vrbibus prohibitæ. 621
ſepultura mali priuantur. 91
in ſepulchris habitantes. 141
ſepeliri in patria & cum parentibus pium eſt. 626
Sermo cur datus homini. 450
conſtat natura corporali & ſpirituali. 58
Sermo turpis vitandus. 480. 488
Serpentes ſimul implexi velificant. 370
Seruitus ducit originem ex peccato. 496
ex bello infœliciter geſto. 495
eſt quædam mors. 422
nulla ſine ſeruitute poſſeſſio. 144. 423. 493
ſerui omnes pro domini morte plectuntur. 143
ſupponuntur eſſe malis moribus. 454
in dominorum funeribus immolati. 596
eorum culpa imputatur domino. 302
ſeruile bellum. 424
ſine ſeruis heroës viuebant, & ſine miniſterio. 313
Seueritas maxima malis prodeſt, bonis nocet. 124
nimia deſtruit. 422
Sexum vtrumque conciliat amor. 200
Sibi nocere. 563. 583
ſibi nulla res ſufficit. 286. & ſeqq. 330
ſiccitas facit permanentiam. 264
ſigna morborum. 462
ſignorum zodiaci differentiæ. 61
Silentium. *Vide ſecretum.*
ſilentium decet parum ſapientem. 481
Simile ſibi agens omne producit. 363. 370

Digitized by Google

ſimilia ſe appetunt. 38. 196. 276. 361
ſimile non agit in ſimile. 346. 362
ſimiliora præferuntur minus ſimilibus. 368
ſimilia vnione fiunt fortiora. 370
ſimilium vnio ſola conſtans eſt. 374
Singularia ſunt propter vniuerſalia. 170
Siniſtra pars eſt inauſpicata. 539
Societas ciuilis procedit à domeſtica. 368
ſocietas eſt homini naturalis. 159. 330
ſocietatem humanam effecit neceſſitas. 371
à ſocietate pendet partium commendatio. 567
ſocietas bonorum prodeſt. 369. conſtans eſt. 375
malorum nocet. 168. 579. & ſeqq.
eſt inconſtans. 375
ſocietas infœlix. 443
ſocietas omnis naturaliter diſſoluitur. 520
à ſocietate quando non licet diſcedere. 523. 567
ſocietates ſuccedunt ſuis ſodalibus. 157
Sol & luna ſunt generationis principia. 42
ſol planetas ſibi coniunctos comburit. 314
eſt imago diuinæ bonitatis. 122. 304
penetrat ſuo influxu, altam terræ denſitatem. 159
omnium bonorum dator. 175
ſolis in inferioribus imagines. 194
ſolis abſentis vicarij. 254
tres ſoles in cœlo viſi. 536
Solita nos non afficiunt. 615
Solitudinis excellentia. 265. 476. 477
Somnia futurum prænuntiant. 275. 535
Soni quare mouent affectus. 74
Sorte factæ electiones, 112. 510
per ſortes diuinatio. 537
Species rerum ſunt immutabiles. 137
ſpecies conſeruantur immutabiles à cœlo. 172
conſeruantur à cœlo empyreo. 73. 136
inter ſpecies oppoſitas ſunt mediæ. 61. 62
ſpecies ſaluatur in vno indiuiduo. 69
ſpecies ab obiectis emiſſæ, mirabiles. 256
Specula falſas ſpecies reddentia. 5
Spes fouet omnes actiones ciuiles. 380. 384.
ſpes humana ſomnium vigilantium. 257

Digitized by Google

ſpes theologica. 259. 380
licet operari ob ſpem diuinæ retributionis. 353. 380
Spiritus quorum maxima vis eſt in humano corpore. 58. 59. 94
quidam fixi ſunt, quidam errantes. 94
eorum natura eſt media. 63. 64
ſingulis ſenſibus ſunt proprij. 84
ſpiritus opifex in ſemine. 219. 296. 380
ſpiritus vniuerſorum. 64
ſpiritualia corporeis imperant. 58. 445
temporalibus ſunt præferenda. 581
Spolia de victis reportata. 617
Spongia ſenſum habet obſcurum. 270
Sponſi diuini acceſſus & receſſus. 319
Statua ferrea pendens in aëre. 44
Stellæ fixæ præſident rebus magis permanentibus; vt ſpeciebus. 54. 522
gemmis difficilè ſolubilibus. 194
habent naturam duorum planetarum. 61. 175. 254
lumen ſuum acceptum referunt ſoli. 155
producunt ſibi ſimile quantum poſſunt. 194
ſtellæ compares ad quas animæ dicuntur redire. 626
Stemmata nobilium quare præferunt ferarum figuras. 403
Sterilitas indicta monſtris & adulteriis naturæ. 80
ſterilitas conſolationis ſpiritualis. 528
Stoici nolunt hominem tangi miſericordia. 465
Stratagemate glorioſum eſt hoſtem vincere. 448
Subſtituta poteſtas in mundo. 254
ſubſtitutio hæredum. 255
Succeſſiua ordine ſuo veniunt. 559
ſucceſſioni res quædam conſtant. 514
Superbia volens vbique videri & laudari. 75
Superiorum ad infima deſcenſus. 60. 82. 93. 103. 201. 414. in fine
Superfluum natura non patitur. 133. 144
Superſtitionis malum. 134. 558
Supplicia damnatorum videre vult populus. 464. 465
Suſpectum contubernium vitandum. 580
Suſpicio non eſt iuſta cauſa vim inferendi. 444
Sybaritæ voluptatibus nimium dediti. 141
Sympathia quid ſit. 362. 398
Symptomata quæ morbos præcedunt. 541
Synecdoche vſurpans effectum pro cauſa. 192

Digitized by Google

T.

TAlionis pœna. 59. 434
Taurus pro grege ſuo decertat. 399
Temperamentum quid eſt. 47
Tempeſtates anni mediæ. 61
earum optima viciſſitudo. 88
Tempeſtatis in mari præſagia. 402
tempeſtas ex leui cauſa excitata. 452
Tempus quid ſit. 498
ſubrepit, & vix nobis ſentientibus elabitur. 63. 337
eſt imago æternitatis. 88
opportunum in omnibus obſeruandum. 339
taliter opportunum eligunt ſibi animalia. 88. 89
Tentat Deum qui congruis mediis non vtitur. 293
Terminos mouere crimen eſt extraordinarium. 87
termini à natura poſiti, non mouendi. 307
Terra cenſetur elementum cæteris antiquius. 182
cur pendet in aëre. 44
olim dicitur produxiſſe magna animalia. 613. 172
eius fœcunditas. 55. 73. 127
elementorum vltima, dignior tamen. 127. 252. 289
reperitur in cæteris elementis. 68
omnes mundi partes continet. 68. 69. 93
vult eſſe communis omnium mater. 101. 499
terrarum vnde diuerſæ ſunt qualitates. 86
terræ ſpiritus facit concretiones. 195. 264. 499
terræ plus eſt in omnibus compoſitis. 264
terra vim ſibi factam vindicat. 433
Terræ motus quid ſignificent. 536
eius cauſæ. 563. maximè terret. 565
Territoria vrbibus, oppidis, epiſcopis, iudicibus aſſignata 87
Theologia ſcolaſtica vtiliſſima. 460
Thus quare ſacris adhibitum. 313. 385
Torpedinis marinæ aſtus. 400
Tranſactio pro crimine capitali licita. 484
tranſactionibus apponitur pœna. 142
Tranſitus ab extremo in aliud ordinarie malus. 514. 544. 559. 606
interdum bonus. 417. 561. 562
Tranſmigrationes populorum cur amplius non fiunt. 613
Tremor quid ſit. 503

Digitized by Google

Trifolij mira vis. 124
Triumphus quare decernebatur. 384
Tropici duo in ſphæra quid ſint. 397
Turcis bellum inferendum. 278
Turpiloquium vitandum. 480. 488
Tutela pupillorum. 255
Tyrannis quid ſit. 563
eſt grauis mundi morbus. 408
eſt vis maior non vitabilis. 593. 618
tyranni meticuloſi. 444
eorum continuæ ſæuitiæ cauſa. 547
metu continentur. 91
faciunt mala vt eueniant bona. 303
eorum mors ſæpius violenta. 91. 636
eorum vitanda familiaritas. 384

V

VAcuum vt vitetur mira fiunt. 163. 496
Vapor quid ſit. 126
Vaſalli quæ debeat eſſe fidelitas. 443
Vegetantis animæ facultates. 137
Venatio tyrannidis eſt tyrocinium. 408
Venæ exangues in marmoribus. 144
Venus fœlix planeta. 194
eius influxus in malum detorquetur. 134
Veneni vſus legibus prohibetur. 452
venenata venenis paſta fiunt magis nociua. 333
venena lenta. 544
venena miſeris ad libertatem data. 550
conſuetudine fiunt innoxia. 588
Ventorum vis maxima. 59
venti ſingulis à ſuis planetis mouentur. 158
venti ſtati certis temporibus regnantes, 340
venti quomodo ſedantur. 504
in origine ſua ſunt exigui. 543
Verecondia ex peccato. 480
Veritas prior eſt mendacio. 29
contra veritatem non licet præuaricari. 454
Veritas ſine controuerſia debet proponi. 488
Verucæ non partes corporis. 152

Digitized by Google

Veſtis S. Sacerdotis totum mundum referebat. 2
Vetita magis appetuntur. 388
Vexatio patientis vires auget. 419
Vicaria & ſubſtituta poteſtas in mundo. 254
Viciſſitudinis humanæ ratio. 375
Victi ſuis victoribus in poſterum ſubiecti. 494
Victoria à Deo. 109
Victor à ſua victoria oppreſſus. 405
Vigilia nimia multum nocet. 320
Vincula plura ſunt fortiora. 372
Vindicta non debet iniuriam excedere. 435
licita eſt priuato ad vitæ ſuæ deffenſionem. 436
non eſt licita propter ſuſpicionem. 444
quæ citò ſunt vindicanda. 487. 548
Viros illuſtres prius prouidentia promittit, quam concedat. 222
Virginitatis conſilium à Deo datum. 200
Virtus inter aduerſa perficitur. 48. 387
Virtutis longa exercitatio. 528. 588
virtus eſt rara inter homines, & difficilis. 97. 387
difficilior eſt virtutum quam vitiorum habitus. 578
illam leges exigunt pœnis propoſitis. 142
ſola dat immortalitatem. 156
ſola conſtans eſt. 527. 528
ſemper tendit ad perfectiora. 381. 398. 588
eius, ſi lateat, indicia. 147
Vis armata priuatis generaliter prohibita. 412
vim vi repellere licet. 432. & ſeqq.
vim regna profitentur. 403. 408
vis interrupta parum prodeſt. 586
vires ſine dolis parum proficiunt. 447
vires ſuas oſtentare. 474
Viſitatio perpetuam præſentiam æmulatur. 100. 178. 325
Vitæ nimius amor. 550
vita nunc breuior eſt, quam olim. 615
vita dimidiata vix fruimur. 320
vita humana eſt militia. 131
vitæ terminus eſt poſitus. 551
Vitam diuturnam quæ præſtant. 266
Vitia omnia non ſunt ſimul. 599
vitia ſunt contagioſa. 168. 579
vitioſi ſibimet nocent. 565

Digitized by Google

Vitrum maleabile. 161
Vnitas ſumma contraria conciliat in mundo. 1
vnum eſt ante multa. 21. 35
vnitatem ſuam omnia appetunt. 24. 270
vnitas numerorum eſt principium. 50
vnum & perfectum conuertuntur. 386
vnum fit ex multis. 330
vnione fiunt omnia fortiora. 370
Vniuerſalia primò intenduntur. 151
ad vniuerſi bonum omnia referuntur. 1
Volatus auium quomodo fit. 361
Voluntatis piæ meritum. 87
voluntatis humanæ cum diuina conformitas. 127. 150. 425
voluntatis propriæ abdicatio vim obtinet miraculorum. 150
Voluptas homini congenita. 139. 140
illam omnis ætas appetit. 140
dolori miſcetur. 128. 212
eſt actionis naturalis ſtipendium. 387. 552
non eſt finis, ſed condimentum copulæ. 252
mouet paſſiones omnes. 141
ſe quodammodo perimit qui renuntiat omni voluptati. 141
conſiſtit potiſſimum in doloris ceſſatione. 143
conſiſtit in obiecti conuenientia. 368
ſpiritualis omnium maior eſt. 141
inducit mortis obliuionem. 603
voluptas publicè indicta. 140
voluptatis exceſſus maximè nociuus. 142
Vota hominem Deo conſecrantia. 524
Vrbanitas omnibus ſe conformans. 49
Vſuræ prohibitæ. 467
Vulpes aſtuta. 453
auerſatur alterius occiſæ cadauer.
Vultus hominis habet cœleſtem pulchritudinem. 609

Z

ZElotypia vnde procedat. 204. 208
apparet in cœlo ratione terræ coniugis. 215
violentior eſt in homine, quam in animalibus. 209
armat parentes in filios. 211

zelotypus ſibimet ipſi pœna eſt. 210. 565
Zelus indiſcretus quantum noceat. 558
Zonæ temperatæ ſunt fœliciores. 613

FINIS.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google